TITI LIVII PATAVINI HISTORIARUM
TOMUS QUINTUS.

Continens

JOANNIS FREINSHEMII
SUPPLEMENTA LIVIANA
A LIBRO LI. AD CVIII.

JOANNES DOUJATIUS
EDIDIT JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.





VENETIIS, M DCC XV.
Apud CAROLUM BONARRIGUM.
SUPERIORUM PERMISSU.

NOBILI EGREGIOQUE VIRO

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo D. D.

VICTORI PISANO.





Acteam Livii eloquentiam, deperditam jam, ſed doctiſſimi Viri Joannis Freinſhemii ſtudio, vi-

giliiſ-

giliisque restitutam, Tibi, VIR AMPLISSIME, sacram fero, ut nutritio, quo pasceris, gloriæ succo perennis immortalitatis humor accrescat. Tibi totum se se dedere Livio meo in votis erat, cum primùm prælo committeretur; verum propriæ existimationis felicitati consulere visum est. Si quis enim Pisanæ familiæ gesta comparasset cum ea Republica, cujus magnitudinem ille superavit ingenio, non totius imperii Romani præclara facinora, sed unius tantum familiæ usitatos vivendi modos posteritati mandasse Livium credidisset. Sic dum ea, quæ desunt, tibi pleno jure debita profiteor, optime de historia merito viro fortunam servas. Licet in illam sententiam omnes pedibus ituros pro certo habeam, dum Te inter patronos enumerant, Te Livium non tam ad tutelam, quam ad exemplar elegisse. Enimverò si per avorum laudes veritatis amor excurrat, admiratione tanta digna sunt, quæ pace, belloque exhausta repererit, ut humanas vires excellere videantur. Cum ingenitam patriæ libertatem invida fata in æquè grave, & periculosum discrimen adducerent, ex Pisana Familia inventus

est,

est, qui cæco naufragio hostilem audaciam frangeret, perinde ac si jactis iterum Reipublicæ fundamentis, nova æternitatis jura stabiliret. Jam antea populi voces in certam spem futuri triumphi Deus Optimus excitaverat, tumque Pisanus Heros patriæ parens acclamatus est, cum tanto bello præficeretur. Nullo civium sanguine parta victoria est; aquis & mari impervio cesserunt arma; tunc hostium classes victæ, cum se se stantes agnoscerent. Quidquid gloriosum, magnisque proprium Heroibus toto terrarum orbe actum est; ille triumphus exsorbuit. Illud unum bellicæ virtutis monimentum tuo signatur nomine, VICTOR AMPLISSIME. Quidquid collati beneficii imaginem refert, in te est, animoque persequeris. Profectò quot genitos, tot probatos nobilis vena deduxit, ut semper existant, quibus Respublica debeat. Cætera silentio prætermittam, ne eximiam tuam moderationem in molestiam detorqueam. Præturas tacere juvat, quibus functus es; atque tanta civium animos lætitia affecisti, ut potiori jure te amorem Orbis, & generis humani

deli-

delicium dixerint, quibus præfuisti. Livium excipe, idque testimonio confirma auream futuram fuisse tanti viri eloquentiæ materiam, si scripsisset & tua. Meque tibi addictissimum in obsequium pronus enuncio, dum quam diutius sospitem precor.

Dabam Venetiis Kalendis Augusti 1715.

Amplitudinis tuæ

Humillimus, adstrictissimusque Servus
Carolus Bonartigus Typographus.

JOH.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CARTHAGO in circuitu viginti tria millia paſſus patens; magno labore obſeſsa, & per partes capta eſt: primum à Mancino legato, deinde à Scipione Conſule, cui extra ſortem provincia Africa data erat. Carthaginenſes portu novo (quia vetus à Scipione erat obſtructus) facto, & contracta clam, exiguo tempore, ampla claſse, navali prælio infeliciter pugnaverunt. Aſdrubalis quoque eorum ducis caſtra ad Nepherim oppidum, loco difficillimo ſita, cum exercitu deleta ſunt à Scipione. qui tandem urbem expugnavit, ſeptuageſimo anno, quam erat condita. ſpoliorum major pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio, quum ſe Aſdrubal Scipioni dediſset, uxor ejus, quæ paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat, ut ad victorem transfugeret, in medium ſe flagrantis urbis incendium duobus cum liberis, ex arce præcipitavit. Scipio, exemplo patris ſui naturalis Æmilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit. transfugas ac fugitivos beſtiis objecit. Belli Achaici ſemina referuntur hæc: quod legati populi Romani ab Achaicis pulſati ſint: Corinthum miſſi, ut eas civitates quæ ſub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio ſecernerent.

P. Scipio primo ſtatim in Africam adventu haud parva ſut dubia documenta dedit, quantum Romanis bonorum imperio ſuo, quantum calamitatis adlaturus Carthagini eſſet: Nam appulſum ejus extemplo memorabilis caſus illuſtravit, non minus in præſentia utilitatis, quam ad ſummam rerum ominis præbens. Sero diei Uticenſem portum attigerat claſſis, & vix dum expoſitæ copiæ erant, quum ſub mediam noctem à Mancino literæ venere, celerem opem maxima cum obteſtatione flagitantes. Non ille quidem ad Scipionem ſcripſerat, quem adeſſe neſciebat: ſed Piſoni Proconſuli Uticenſibuſque ſignificabat, *ſe in capta parte Carthaginis obſideri certo cum exitio, ni ſi ante lucem ſuccurreretur*. Mancinus enim animadverſo urbem ampliſſimis ſpatiis diffuſam (ad tria & viginti millia paſſuum occupabat) non eadem ſolicitudine omni ex parte cuſtodiri poſſe, ad Megara, regio Carthaginis iſta fuit, ſubito admoveri depromptas ex navibus ſcalas juſſit.

Scipio Conſul in Africam venit.

Zonaras. Appian.

Liv. Epitom.

Bochardi Geogr. ſacra Appianus.

II. Quanquam enim remotior à cætera urbe pars iſta erat, tamen, quia ſitu circumaſpero & aditu difficili ſatis munitam putabant, non magno præſidio tenebatur. Scalis admotis pauci adhuc murum conſcenderant: quum Carthaginenſes portam quæ proxima erat aperiunt, magnoque cum clamore ad deji-

Mancinus partem Carthaginis capit, & in ea obſidetur.

eiendos loco hostes feruntur. Resistentibus fortiter, terga vertunt Pœni, refugientesque per eamdem portam insequuti qui pepulerant, eodem impetu perrupere. Alacris exinde tanquam in certa victoria clamor, plures ex navalibus sociis, nec enim procul classis aberat, excivit: & ad ferendam suis opem, pauci armati, plerique præ studio & festinatione semiermes accurrerunt. Erat in hoc agmine dux ipse, non ut rector cæterorum; sed velut unus è turba, lætarum rerum imagine captus adversus ambiguas providere neglexerat. Tarde agnito periculo, quia neque relinqui locus tuto, neque defendi sine armis & commeatu poterat; à Pisone milites, ab Uticensibus cibaria petiit.

Mancini periculum. Zonar. Appianus. Suidas. in ἀνέβησαν Appianus. Zonar. Appian. Zonar. Appianus.

III. At frustra ad Pisonem respexerat, qui procul in mediterranea loca abduxerat copias: neque Uticensibus animus aut vires erant, sine majoris exercitus præsidio ad mœnia Carthaginis adeundi: eratque in ea conditione Mancinus, ut exemplis illorum ducum accessurus videretur, qui nulla receptus habita ratione, quum in loca periculosa se conjecissent, tristi temeritatis exitu, monimentum posteris reliquerunt, *bono duci* (quod aliquanto post Sertorius dixisse dicitur) *non respiciendum minus, quam prospiciendum esse*. Periclitantem, ne simul cum luce Carthaginenses præcipitem per rupes ad mare agerent, fortuna explicuit, in idem illud tempus Scipione adducto. Qui ut erat ad omnia subita consilio & audacia promptus, mora nulla interposita classicum ad revocandos qui exscenderant milites cani; pubem Uticensium cum armis sequi; à senioribus commeatum in naves comportari jussit. Ad terrorem deinde hostium ex captivis aliquot solvit, nunciaturos adesse Scipionem. Ad Pisonem etiam alios super alios cum citis equis nuncios misit; ut quam celerrimè ad Carthaginem occurreret.

Scipio Mancinum eripit.

IV. Ipse deinde quarta vigilia solvens, ut majoris exercitus speciem eminus præberet, milites *ubi appropinquassent urbi, stare in stabulatis navium erectos* jussit. Adeoque fuit opportunus Consulis, & ad salutem Mancini, quique cum eo erant, necessarius adventus, ut si tantillum adhuc moræ interposuisset serum post acceptam cladem auxilium accessurus videretur. In orbem pugnabant Romani, receptis in medium inermium tribus ferme millibus, qui ab armatis admodum quingentis tegebantur. Jamque crebris vulneribus & numero hostium fatigati ad ipsa mœnia se receperant, unde si deturbarentur, per abrupta & præcipitia fugientes, etiam sine hostili ferro, suus timor & in abscisis locis facilis lapsus, velut ruina adfligeret. Ad conspectam Scipionis classem animi ceciderunt Pœnis: pugnaque intermissa spatium dedere Consuli Mancinum cæterosque in naves recipiendi. Mancinum è vestigio Romam ire jussit, nam & Successor ei Serranus ad classem venerat: ipse loco castris haud procul Carthagine capto, majore vi bellum urbi inferre instituit, quam à prioribus Consulibus factitatum fuerat. Carthaginenses quoque extra urbem progressi, castra pro muris opposuerunt: in quæ paulo post etiam Asdrubal imperator & præfectus equitum Bithyas, cum peditum sex millibus, equitibus mille, veteri & exercitato milite, sunt ingressi.

Scipioni corruptus exercitus traditur.

V. Quum interea Piso ex mediterraneis reversus exercitum Scipioni tradidisset, iisque milites ambitioso imperio habitos, pro labore & disciplina otium avaritiamque & rapinas sectari animadverteret: nihil antiquius habuit, quam ut hoc

flagitium primo quoque tempore tolleretur. Erat & aliud haud minus militiæ dedecus, quod ex forensi plebe magnus numerus exercitum sequebatur, prædæ caussa cũ audacissimis quibusq; militibus injussu ducis excurrencium. unde sive felix iis, sive improspera temeritas fuisset, exercitus ignominia incommodoque gravabatur, & clades eorum aut fugam fama Romanarum copiarum minuebat; & præda, si quam retulerant, disciplinæ erat inimica: quum passim in castris, & in iisdem sæpe contuberniis cupiditas de lucro disceptantium in jurgia & rixas, & nonnunquam in vulnera ac cædes exiret. His armorum dehonestamentis offensus Scipio, vereque secum reputans, difficile esse imperatori, ut hostibus evadat superior, donec suis militibus impar est; ad concionem vocatos tali oratione castigavit.

Vellejus. 5. 1,12. Appian.

VI. *Si quidem quæ facitis, milites, nam qualia sint & ipsi nostis, & me referre pudet; ea vestra magis quam aliorum culpa fieri arbitrarer, non essem peccantibus facilis, neque ad repræsentanda supplicia piger. nunc autem quia nuper, quum adhuc vobiscum militarem, meliores fuistis, spes est futurum, ut quos laxata disciplina corrupit, eadem adstricta & redintegrata corrigat. Quæ à vobis postulabo, eadem omnia ipse feci facturusque sum. Bellum severa lege, & ut nomine Romano dignum, animus est gerere: non in modum latrocinii globos armatorum sponte procurrentium evagari sinere: neque lixarum magis quam militum officia facientes pati, neque deliciis & molitiei locum in castris relinquere. Quæ omnia quum faceretis nunquam vobis in mentem venit majorum vestrorum, & antiquæ severitatis, & his tantum artibus provecti ad summa imperii? Ne castrensium quidem legum usquam occurrit recordatio, in quas adacti sacramento estis? Si quis sine commeatu longius à castris discedat, quam unde tubæ cantum audire possit, eum pro desertore habendum scitis: frumentum publice datum vendi, prædas pecorum aut mancipiorum vino permutari, & alia quibus segnior ad imperia molliorque miles redditur, vetita esse non ignoratis.*

Scipionis ad milites concio.

Alexander ab Alexandro. Appian. Punic.

VII. *Ad hanc igitur formam vos componite, si effugere indignationem meam, & militarium legum vindictam vultis. Et vos quidem quotquot milites non estis, ante noctem facessere è castris jubeo: nisi cui nominatim manendi à me venia fuerit. Neque reverti quisquam vestrum ausit; nisi ex caussa commeatus in castra importandi, sed simplicis & militaris. Sed & his certum tempus constituam, intra quod res suas vendant, cujus rei curam ego quæstorque agemus. Et hoc sacramento non obligatis dictum esto. vobis autem, milites, unum ad omnia præceptum sufficerit, si meos mores industriamque imitemini. nam ad hoc exemplum si vos composueritis, neque sine successu labor vester, neque sine gratia & fructu erit. nunc igitur intendite animum nervosque. belli tempus contentionem strenuitatemque postulat; otio & deliciis si quis locus est, post victoriam erit. Atque hæc à vobis ego legesque exigunt: vestrum est dare operam, ut potius præmia per obsequium quam animadversionem ob delicta mereatis.*

Quid fieri velit edicit.

VIII. Repurgato ad hunc modum exercitu, quum jam satis attentos ad imperia haberet milites, audendum aliquid adversus hostem statuit, & nocte ad hoc consilium exequendum delecta, regionem Carthaginis quæ Megara vocabatur est adortus. Diversa hinc apud scriptores traditio est, alii *Pisonem qui modo Consul fuerat, cum parte copiarum ad unam portarum constitisse* narrant: ad

Scipio partem Carthaginis, Megara, capit. Zonar.

aliam deinde longe distantem validam item manum objectam: ipsum Scipionem Appian. Punic. 15. *intra mœnia transfugarum ductu penetrasse, eosque qui ante portas opperiebantur, effractis claustris admisisse*. Cæterum qui ad Carthaginem gesta prolixius sunt exsequuti, de Pisone nihil, *sed duabus à partibus oppugnata Megara, neque tamen licet maximo conatu transcendi mœnia potuisse* tradunt: *donec Scipio conspecta privati cujusdam turricula, quæ haud procul muris pari altitudine aberat, juvenum promptissimos adscendere jussisset, & inde aditum in urbem moliri. Per hos primo missilibus deturbatos propugnatores, deinde tignis tabulisque ponticulum effectum; per quem ex turricula in muros transcensum. Inde ad portam impetu facto Consulem cum quatuor hominum millibus intromissum, Pœnos tanquam ea parte urbis capta, in Byrsam compulisse, tanto terrore, ut etiam qui ante urbem habuerant castra, relictis iis eamdem ad arcem confugerent*.

Marcellinus 247. IX. Utcumque gesta res est, penetratum in urbem eo die, ipsiusque Consulis magnam etiam in pugnando virtutem fuisse constat: *ipsum quoque Polybio tantùm & militibus triginta comitatum suffodisse portam, qua acceptus est exercitus*, non contemnendi auctores prodiderunt; adversus superstantium hostium ictus testudine lapidea, qua fornicata porta erat, tectum. Occupatis Megaris Consul, loci naturam intuens, quod horti magno numero ibi erant maceriis suis sepibusque distincti, rivis quoque multis & sinuosis interfluentibus, ne per tenebras & locorum imperitiam detrimentum acciperetur, militem inhærere tergis fugientium non est passus; receptuique signo dato, in castra sua rediit. Insequenti die tanquam in vindictam illatæ cladis, fœdum atque crudele Asdrubal facinus facit. Captivos enim Romanorum, quotquot in potestate habebat, in mœnia, unde conspici à suis possent adductos, partim oculis aut lingua, aut pudendis privat, unco divellens corpora: aliorum amputat plantas aut digitos. quibusdam detrahi cutem jubet, atque ita vivos adhuc spirantesque per rupes barbara feritate præcipitat.

Asdrubalis fœdum & barbarum facinus. Polyb. apud Valef. Appian. Jul. Obseq.

X. Eadem opera cautum sibi rebatur adversus mobilitatem vulgi, tædio periculorum pacem quibuslibet conditionibus accepturi, ni magnitudine facinoris omnem spem à Romanis veniæ desperasset. At illi res adeo in contrarium vertit, ut ex eo non vulgus modo timidius ad defendendam urbem fieret, sed etiam odio haberet Asdrubalem, qui facto immanissimo invisos diis hominibusque Pœnos reddidisset. Quibus ille opprobriis & suis sceleribus væcors, atque in dies crudelior, aperte tyrannidem usurpare cœpit, nihil sibi ad salutem reliquum fingens, nisi metu & terrore res suas stabiliret. donec eo profectus est, ut in civitate tot a sæculis libera impetu etiam in senatores facto, quosdam audacius præsentia increpantes, crimine proditionis de medio tolleret.

Zonar. Appian.

Asdrubal aperte tyrannidem sumit. Polyb. Appian.

XI. Scipio crematis hostium castris fauces inter paludem & mare transversa fossa occludere cœpit, non ultra teli jactum ab urbe divisus. Spatium permuniendum erat amplius trium millium passuum, simul ad pugnam & opus intento. Nam Carthaginenses ut ex propinquo continuis fere adsultibus perrumpere stationem, inferre se munitoribus, disturbare opera nitebantur. Sed providentia Scipionis superior fuit: perfectaque quam instituerat fossa, jam minore periculo, quia munimentum hoc adversus hostem objecerat, aliam haud magno à priori intervallo duxit, in continentem versus: deinde aliis duabus addi-

Opera Scipionis ad oppugnandam Carthaginem Appian.

tis, ut totum opus quadrata forma constaret; vallis præacutis undiquaque munivit: præter hæc à tergo & lateribus aggerem, à fronte in urbem versus murum opposuit, sex pedum crassitie, altum duodecim, propugnaculis atque turribus per legitima intervalla prominentibus: una quæ in medio erat celsissima, cui insuper ex materia aliam tabulatis quatuor surgentem imposuerat, unde quidquid in urbe rerum ageretur, oculis subjici posset.

XII. His intra diem vicesimum effectis (summa enim contentione militum, alternatim opus & arma capessentium, supra ipsorum hostiumque exspectationem res processerat) exercitum induxit Consul, duplex ab eodem labore commodum adsequutus. Nam & castris opportunam sedem eadem munimenta præbebant; & viæ circumvallationis omni à terra aditu occluso, arcebant commeatus qui hactenus ea parte inferri in urbem consueverant. Magnæ tamen adhuc molis erat obsidio: quum mœnium inexpugnabilis firmitudo etiam à maximo propugnatorum numero defenderetur: quos adhuc à Bithya submissi commeatus sustentabant. Redigebatur tamen quotidie annona in urbe gravior; quum præter oppidanorum turbam, maxima hominum multitudo, ex agris eo confluxisset, quæ neque per hostium metum extra mœnia audebat progredi: neque subvectione peregrinæ annonæ, mercatoribus periculum vitantibus, sublevabatur. tantum ex vicina Africa res necessariæ terrestri maritimoque itinere veniebant, parcius à mari, modo tempestatibus, modo per classem hostium parum tuta navigatione. Zonaras. Appian. Annona ingravescit in urbe.

XIII. Tunc autem intersepta penitus via qua per terram erat aditus, forum rerum venalium maxima sui parte deficiens, Carthaginenses metu famis & jam incommodis angebat. Neque Bithyas qui cum equitatu ante clausam urbem emissus ad comparandam annonam fuerat, per castra Scipionis perrumpere, aut omnino propius succedere audebat: sed longo circumitu devectum ad mare frumentum committebat navibus, quæ observato vehementiore vento, per classem Romanorum ante urbem excubantem, illaberentur. Nam ut in vadosis importuosisque locis sparsæ, & longius à mœnibus, metu tormentorum, & ibi maxime tumultuantium fluctuum, stantes, facilem præbebant onerariis transitum, neque persequi transgressas usus erat, quum vento à mari fortiter flante (hoc enim solo tempore utebantur) fugientia vela nullo remigio consequi triremes possent. Sic Bithyæ naves, sic & aliæ mercatorum, qui lucri caussa quidlibet audendum crediderant, aliquem frumenti modum Carthaginem convehebant. Sed neque sæpe ejus rei obveniebat commoditas: & quidquid advectum fuerat, vix delectis ad militiam sufficiebat: triginta hi millia implebant, quibus Asdrubal commeatum omnem solebat dividere, cæteræ multitudinis nihil misertus. Bithyæ commentum ad annona immittendam: Suidas. in Βιθύας. Zonar. Appian.

XIV. Sed neque hoc obsessis diuturnum esse solatium Scipio passus, considerato loci ingenio, portus ostium, quod ad occidentem urgebat, obstruere instituit. Spem dabat haud irriti laboris os ipsum non amplo aditu patens: vicinumque ei litus, unde ducto in undas aggere sperabat prohiberi naves introitu posse. itaque ab ea lingua quæ paludem à mari distinguit orsus, molem in undas agere versus ingressum portus cepit, prægrandium saxorum magna copia crepidinem fulciens, ne vi fluctuum fatisceret. totum Scipio incredibili opere portum obstruit. Liv. Epitom. Zonar. Appian.

opus ita surgebat ab imo minori subinde latitudine, ut in fundo duos & nonaginta pedes crassum, in summo quatuor & viginti esset. Carthaginensibus quanquam certum videbatur, improbæ spei opus ultro cariturum successu esse, tamen nihil ad arcessendos incœpto Romanos prætermissum est: sed frustra omnis eorum & vis & dolus fuit.

Zonar. Appianus: Zonaras.

Carthaginenses novum portum effodiunt. Strab. lib. 17. Liv. Epitom. Appianus.

XV. Unde gravissimo terrore perculsi, quum nihil solitorum remediorum procederet, ad inusitati exempli consilium se contulerunt. Novum enim effodere ostium adgressi, qua medium in mare portus prospectabat, ubi major altitudo maris & vis ventorum impetuosior omnem obstruendi spem Romanis ademptura esset, opus tanto silentio perfecerunt, ut ne captivi quidem aliud indicare Scipioni possent, quam dies noctesque continuum strepitum audiri, quid autem fieret, ipsi Consulque juxta sciebant. Sed intus conclusi quibus locatum opus fuerat cum uxoribus & liberis alii effodiebant terram: alii naves longas (superabat enim ex veteri copia materies) fabricabant: donec perfectis omnibus, circa primam lucem aperto portu, subita classis emicuit triremium quinquaginta, cum cercuris & paronibus, aliisque levioribus navigiis haud paucis, ad omnem usum belli terroremque hostium instructissimis. Constat si statim adnavigatum esset Romanæ classi, totam in hostium potestatem fuisse futuram: adeo ipso novi portus & classis hactenus ignoratæ miraculo attoniti obsessores erant: accedebat, quod nautica turba fere omnis ad urbis oppugnandæ varias partes abducta, vacuas defensoribus naves reliquerat. Maluerunt Pœni ostentatione virium ac industriæ, inanem lætitiam pascere, quam solidum aliquem fructum ferre tanti laboris. neque enim ad magnas occasiones semper gnara utendi mens hominibus datur: multique citius abstrusa penetrare, quam quæ ante pedes erant posita prospicere potuere: dum istis acriter intenti, ad propiora, tanquam nihil habitura magni, quodam fastidio negligentiaque caligant.

Strab. lib. 17. Florus 2. 15. Appian.

Pugna navalis ad portum Carthaginis.

XVI. Tertio post die denuo egressis instructa jam Romana classis se objecit. pugnatum est summa utrinque animorum corporumque contentione, quum in hoc certamine totam alii salutis, alii victoriæ spem consistere haud immerito existimarent. Punicæ naves ut magnitudine hostilium urgebantur, ita nauticis artibus & levitate subducebant se periculis, neque mediocriter incommodabant hostibus, quum celeri appulsu naves inter & remorum palmulas subintrarent: & alibi terebrata puppe, alibi gubernaculis aut remis detersis, aut alio per occasionem dato damno, priusquam prohiberi aut plecti possent, eadem celeritate refugerent. Hunc ad modum quum ad seram usque vesperam incerta victoria pugnatum esset, Punicarum navium gubernatoribus, recedere visum, non quasi vim hostium male sustinentibus, sed quia cum luce redintegrare pugnam malebant. Ibi parva navigia quum introire portum occupassent, singulis pro se festinantibus, incursu aliorum in alia ita constipatus est aditus, ut majores deinde naves introitu desperato, ad aggerem applicare se cogerentur, quem haud procul mœnibus olim ad exponenda mercatorum onera structum, nuper, ne ab hostibus occupatus periculum urbi crearet, lorica præmuniverant.

XVII. Ad hunc igitur aggerem proris in hostem obversis exclusæ portu naves constiterant, & suggredientes non ex tabulatis tantum propulsabant, sed etiam ab aggere & lorica superne jaculantium ope defendebantur. Ita nova pugnæ for-

ina erat, Romanis quidem æquior ob liberum adversus stantia navigia impetum; sed quoties retrocedere volebant, molesque ista longarum navium circumagenda erat, vicissim haud minora ab hostilibus damna patiebantur, quam rectis proris intulerant: donec peregrinis artibus Romanæ virtuti subventum. Sidensium quinque naves inter auxilia Scipionis erant, quæ animadverso incommodo hoc remedium excogitarunt. anchoras rudentibus alligatas jecerunt eo à Carthaginensium navibus intervallo, quod & ad impetum rostrorum sufficeret, & longitudinem funium, ex quibus religatæ erant anchoræ non excederet. Ita concitato remigio in hostem invectæ, ubi ictum intulerant, continuo attractis anchoralibus ad locum unde evectæ fuerant ita revertebantur, ut prora hostibus obversa, nihil inde accipere incommodi possent. ea ratione repetitis sæpe vicibus immissæ retractæque, hostibus detrimentum sine periculo suo inferebant. Sequuta est exemplum cætera classis, & in noctem usque protracto certamine in urbem Pœni recessere, depressa aut capta relinquentes navigia, quotquot fugam suorum sequi nequiverant.

Sidensium ingenio Pœni vincuntur.

Liv. Epitom. Appian.

XVIII. Postera die Scipio aggerem illum (erat enim ad portum occludendum vehementer opportunus) capere connixus, arietibus machinisque ad loricam adductis, vim inferre jubet. jamque magna pars corruerat, sperabaturque locus expugnari die sequenti posse: quum nocte interjecta Pœni licet fame multisque præterea calamitatibus premerentur, perditorum hominum emittunt manum: non terra, quoniam aditus ibi non erat; neque navibus, quibus in mari vadoso incertum iter: sed globus nudorum hominum, neque aliud præter faces, ne has quidem incensas, ferentium, ne luce conatus proderetur, mare ingressi, qua nemo quemquam penetraturum esse crediderat; ut quisque in altiora aut depressiora loca incidisset, pedibus aut nando transmittebant: donec ad locum ubi machinæ stabant, ventum. ibi suscitato igne, accensisque facibus ad machinas incendendas impetu provolant. eadem opera conspicui hostibus facti, multis vulneribus excipiuntur, quum vix ullum, ut in nuda corpora irritum telum caderet. Sed ipsi sola desperatione armati, ferarumque more in ferrum & mortem ruentes, non minora mala quam patiebantur inferebant, neque discessere, donec machinis concrematis, tantum præterea terrorem Romanis injecerunt, ut multi, tanquam amissis rebus fugam inirent.

Pœnorum audacissima eruptio ad machinas incendendas. Florus 2.15. Appian.

XIX. Scipio metu majoris incommodi cum delectis obequitans, quia fugam aliter sistere non poterat, fugientes pro hostibus cædi jussit. ita paucis interfectis, reliqua turba in castra redacta, totam deinde noctem (tanta erat trepidatio) in armis exegit, nulla unquam fiducia hostium, quantum nunc desperatione omnibus exterritis. At illi successu læti, machinis corruptis, eadem qua venerant via domos repetiverunt. Adfirmavit is casus Polybii prudentiam, qui animadverso locis iis vadosum mare esse: *ut tribuli aut asseres ferreis clavis horrentes, ad prohibendum hostilem incursum injicerentur*, suaserat. Id consilium non vecordia aspernatus est Consul; sed quod *absurdum esse* diceret, *si jam muro urbis superato, formidare congressum hostium viderentur*.

Scipio fugam suorum sistit.

Plutarch. Apophtheg. Rom. cap. 20.

XX. Prima deinde luce Carthaginenses metu hostilium machinarum soluti, ruinas muri refecerunt, turribus etiam in eo multis per intervalla excitatis. Adversus quas Romani, simul atque novas machinas fabricaverant, aggeribus stru-

Appian.

ctis, faces inde & plena pice ac sulphure vascula in tabulata turrium jaculabantur. ita multis partibus materia concepit ignem: Romanisque inter flammas irrumpentibus, superata gemino periculo propugnatorum constantia cessit. fuga tamen securior fuit; quod victoribus per loca quæ iisdem diebus sæpius cruore perfusa lubricitate fallebant gradum, minor currendi facilitas fuit. Consul toto aggere potitus, murum ex adverso mœniorum urbis, non longo ab illis intervallo, neque breviorem quam illa erant, lateribus struxit, fossamque ante murum objecit. Ibi præsidium imposuit quatuor jaculatorum atque velitum millia: qui continuo mœnia hostium observantes, simul apparere quemquam in illis viderant, ut ab æquali altitudine non frustra petebant. Atque inter hæc ferme opera, hasque pugnas, illa æstas præteriit.

Romani turres Pœnorum incendunt.

XXI. Consul compulsis intra municiones Carthaginensibus, quum eruptiones illorum minus jam frequentes minusque timendas operibus & armis effecisset; ne otiosum in castris militem pateretur, donec tempus anni finebat, præsidia Punica quæ passim adhuc per Africam erant, expugnare, omnemque spem auxiliorum obsessis adimere statuit. Dimissis igitur varia in loca cum idonea manu legatis tribunisque, ipse Nepherim, celebre irrito priorum ducum conatu oppidum proficiscitur, cui per absentiam Asdrubalis Bithyas præerat. in quibusdam præfuisse Diogenem invenio: quod quia ignotum aliunde nomen est eo bello, inclinare cogor, ut hoc alterum nomen Bithyæ fuerit, quemadmodum per ea tempora duplici nomine celebratus Himilco Phamæas fuit. Huc ipse navibus per stagnum, C. Lælio terrestri itinere circummisso quum advenisset, castra ad centum quinquaginta passus ab hoste metatus, relictoque ad Afros continenter infestandos Gulussa, propere Carthaginem rediit, ne spatium temeritati suorum, aut hostium ingeniis, desperationique ad mutandam belli fortunam daret. Atque ita sæpius ultro citroque commeando (abest autem Carthagine Nepheris tribus ferme & viginti passuum millibus) necubi res suæ detrimentum caperent, strenue providebat.

Zonar. Appian. Scipio Nepherim aggreditur.

XXII. Inter hæc oppugnata machinis Romanorum Punica castra, collapso quod inter tres turres fuerat murorum spatio, aditum præfecerunt; quum superveniens Scipio tria delectorum millia facere impetum jubet, ordinibus in altum ita densatis, ut etiamsi urgerentur primi, incumbente tamen suorum pondere; pedem quo referrent non habentes, vi ac necessitate perrumpere cogerentur. Dum ab ea parte magno clamore magnisque viribus certatur, à mille ad hoc à Consule delectis castra capta sunt: qui neglectum à diverso latere vallum, omnibus in eventum periculi quod ante oculos habebant intentis, transcenderunt. Afri, conspectos intra vallum hostes numerare non permittente metu, tanquam totus Romanorum exercitus irrupisset, effusa fuga se castris ejecerunt. Ibi patentibus in locis palantes adeptus Gulussa cum elephantis Numidisque suis ingentem cædem fecit. interfecti dicuntur eo die milites agrestesque, cujus generis ad commeatus vehendos magna in castris multitudo fuerat, ad septuaginta millia, capta decem; ferme quatuor millia effugisse.

Zonar. Strab. lib. 17. Appianus.

Castra Pœnorum expugnat.

Liv. Epit. Appianus.

XXIII. Nec tamen statim recipi Nepheris potuit, quæ petræ prælatæ imposita, adhuc duos & viginti dies exercitum occupatum tenuit, tanto difficiliori oppugnatione, quanto in locis asperis hiberna frigora vehementius senti untur. Sed

Nepherim capit, summæ utilitatis locum. Strab. Appian.

Sed magnum operæ pretium ab hac expugnatione Consuli fuit. eodem enim fato Carthaginis vires cecidere. His enim è castris commeatus mittebatur obsessæ urbi, hæc altera spes Punicum imperium amantibus, hoc unicum ad retinendos ambiguos vinculum erat. neque distulerunt cætera deinceps præsidia Romanorum fidei se permittere. unde clausis in unam urbem Pœnis omnis in posterum accipiendi ulla ex parte commeatus facultas intercidit.

XXIV. Capto castello universas iterum copias ad Carthaginis obsidium reduxit Scipio, inter quas quum Asdrubal Numidarum conspectis equitibus Gulussam revertisse conjecisset, colloquium ejus expetivit. Tum maxime conspecta hominis vanitas, fortunæque suæ perabsurde ignarus animus fuit. Accinctus enim, armisque toto corpore tectus, quibus chlamydem ex Tyria purpura injecerat, cum decem custodibus corporis machæras ferentibus processit. deinde relictis his ad spatium ferme pedum viginti progressus, innuit Regi, ut ad se accederet, quum contra fieri oportuisset. At Numida pro simplicitate gentis, talia pro inanibus spernens, solus accessit: & quum ita solicite perarmatum vidisset, quanquam fossa valloque interjecto tegeretur, interrogavit cujus metu arma induisset? Illo Romanos metuere dicente, *Non igitur*, excipit Numida, *sine caussa, aut præter necessitatem urbi te inclusisti. cæterum quid est, quod petas?* Asdrubalis colloquium cum Gulussa. Zonaras. Polyb. ap. Vales.

XXV. Tum Asdrubal postulare, *ut ad Romanum imperatorem legatione fungeretur, sponderetque Carthaginenses imperata obedienter facturos, modo urbi parceretur*. Quum ad hæc Numida *puerilem esse petitionem, quodque rebus integris & sedentibus Uticæ Romanis impetrari non potuerat, nunc terra marique circumvallatis, omni ferme spe salutis amissa, frustra sperari* diceret: Asdrubal *& sociorum opibus confidere* respondit (nondum enim quæ ad Nepherin erant gesta audiverat) *neque de urbe desperare: summam autem habere spem in deorum immortalium commilitio. Non enim neglecturos injuriam per fœderis simulationem deceptorum: sed multipliciter expedituros salutis viam. quapropter jubebat orari Consulem, ut & deorum metu & fortunæ reverentia infelicis urbis misereretur: sciretque Carthaginenses, ni postulata impetrassent, extrema potius omnia, quam deditionem subituros*. His ultro citroque jactatis, condictoque ut ante diem tertium eodem in loco colloquerentur, discesserunt.

XXVI. Hæc ubi Scipioni sunt ab Rege renunciata, ille ridens, *hæc igitur quum esses postulaturus*, inquit, *Asdrubal, tam impium & inhumanum facinus in captivos nostros designasti? nunc scilicet in diis habenda tibi spes est, postquam omnia & divina & humana jura violasti?* subjiciente tamen Gulussa *studendum esse Consuli ut celerem rebus finem imponeret, priusquam alii exercitum, & cum eo suorum laborum operumque fructum cogeretur tradere;* jussit *Asdrubali renunciari, se incolumitatem ipsi & uxori, & liberis, & propinquorum amicorumve familiis decem, dare; cum talentis decem & servis sex, quos optavisset*. Stato tempore item processit Pœnus cum solito fastu purpuræ & armorum, cultu incessuque, ut tyrannos qui in scenam producuntur ineptiis longe vinceret. Nam natura corpulentus erat, & tum etiam sagina aqualiculum auxerat: colore præter solitum adusto: ita ut potius bovis referret speciem in mercatu aliquo saginati quam principis in ea civitate, cujus mala calamitatesque vel enumerare laboriosum esset. Scipio incolumitatem offerri Asdrubali. Zonar. Appian. Polyb apud Vales.

XXVII. Ille tamen, auditis quæ ab Romano Consule Gulussa referebat, per-

Afdrubal conditiones rejicit. cuffo identidem femore, *Me vero*, inquit, *tantum hoc facinus dii & fortuna sirint, ut ulla dies simul salvum Afdrubalem, & eversam Carthaginem videat*! adjecit, *nusquam honestius magnorum virorum busta, quam in patria ad extremum defensa incendio collucere*. Talis ea tempestate Pœnorum imperator fuit: cujus si orationem spectes, merito spiritus hominis & magnificas illius voces admireris: operibus deinde consideratis, convenientem sermonibus istis virum requiras. Nam inter publicæ famis horribilia mala, ipse funestius omnibus spectaculum, convivia agitans, & secundas mensas ambitiose instruens, obesitate sua maciem inopiamque miserorum traducebat. Neque transfugiis suorum, neque mortibus mutabatur: quum utroque modo magnum quotidie numerum amitteret: tanta jam vi necessitatis, ut etiam cadavera quidam in cibum converterent. At ille querelas aliorum irrisu, aliorum contumeliis aut nece prosequutus, in miserrima civitate potentiam iis artibus retinebat, quibus vix quisquam tyrannorum in beatissima uteretur.

Zonar. Polyb. apud Valesium.

XXVIII. Sed talibus nimirum opus est, quum populos diu felices ad interitum vocat humana omnia rotans rerum instabilitas. Itaque ne Græcis quidem (nam & horum maturescebat exitium) meliores aut sapientiores eodem tempore principes fuere. Nam & ab his bellum Achaicum hoc anno accensum est, quo totius Græciæ libertas deflagravit. Caussæ illius ab injuriis & avaritia Atheniensium ortæ; quas deinde civitatum aliarum variis ambagibus implicati principes majore væcordia exceperunt auxeruntque. Oropiis, ut supra diximus, mulcta debebatur, quam ab Atheniensibus Achaicum consilium ex mandato Senatus Romani debebat exigere. At Oropios Atheniensis populus etiam pluribus injuriis adfectos, Achæorum implorare fidem coegit. qui ubi amicitia & reverentia nobilissimæ civitatis contabantur, Menalcidam Lacedæmonium, qui tum prætor Achæorum erat, promisso decem talentorum, in sententiam suam adducunt. Ille socium operæ mercedisque Callicratem notum potentemque amicitia Romana adsciscit: hi perficiunt, ut Oropiis auxilium promittatur. Quod ubi ad summam inutile fuit, nihilominus pecuniam ab Oropiis exegit Menalcidas, sibique retinuit.

Belli Achaici origo.

Pausanias. in Achaicis.

XXIX. Unde ulturus hominem Callicrates, abeuntem magistratu legibus reum facit, *quod Lacedæmoniorum Romam legatus, ut Achaico fœderi civitas illa eximeretur, summo studio contenderat*. Hoc periculum ut avertat Menalcidas Diæo Megalopolitano successori suo tria dat ex Oropico illo latrocinio talenta, & ab eo, licet invitis Achæis eripitur. Magna inde invidia Diæus esse: ad quam excutiendam, dum aliis occupare curis Achæos quærit, commode Spartana se negotia obtulere. Spartani ad Senatum Romanum confugerant, orta de finibus controversia. Senatus eos ad Concilium Achæorum rejecerat, *ut omnibus in caussis ipsius judicio uterentur, sola excepta capitalium rerum cognitione*. Id responsum mendacio Diæus corrumpit, *etiam de capite Lacedæmonii civis arbitrium Achæis permissum esse* commentus. Quo quum uti Achæi vellent, tanto acrius, quod controvertebatur; minæ primum, mox arma Lacedæmoni illata, profugere qui jura civitatis tuebantur Romam coegerunt.

Spartanorum controversia cum Achæis.

Utrique legatos mittunt Romam.

XXX. Mittuntur eodem ab Achæis Diæus & Callicrates: sed hoc Rhodi mortuo, solus Diæus pervenit. Hic ubi in curia multa indecora objecisset Menalci-

dæ, multa vicissim ab ipso audivisset, decretum ab Senatu est, *ut ad judicandas eas controversias legati in Peloponnesum mitterentur*. Qui quum tardius proficiscerentur, spatium præbuere, quo Diæus Achæos, Menalcidas Spartanos decipere potuerunt: utroque plenissime quod cupiebant impetratum fingente. Hic error denuo in bellum populos illos egit, quum jam Damocritus prætura apud Achæos fungeretur. Hoc erat tempus, quo Q. Metellus victo Andrisco res Macedoniæ componebat. Is missis forte ad res Asiæ introspiciundas persuadet, *ut aditis Achæis, differendi belli, exspectandique venientes Roma controversiarum arbitros*, auctores sint. Sed spreta horum admonitione Damocritus victos pugna Spartanos intra mœnia compellit, vastat uritque agrum: urbis capiundæ potius neglecta quam non oblata occasione. quam ob noxam damnatus proditionis exsilii caussa solum vertit. Justin. 34.1. Pausanias. Achaicis. Florus 2.16. Pausan.

XXXI. Fit iterum Diæus Prætor, Metelloque per legatos petenti promittit, *nihil adversum Spartam moturos Achæos, donec qui Roma exspectarentur, advenissent*. Interim vicos Spartæ circumjectos sponte incolentium præsidiis firmat, totidem ad bellum Lacedæmonium castella habiturus. Contra Menalcidas creatus à Lacedæmoniis prætor, facinus insanum atque furiosum facit. Urbem omni genere cladium exhaustam, lacessendis ultro adversariis, novo bello implicat: oppidum Jason in agro Lacedæmonio, sed Achaici tum juris, ex improviso capit, captum diripit. unde quum in summo omnium odio se esse intelligeret, salute sua pariter & civitatis desperata, veneno hausto vita se educit. Menalcidę furor & factum.

XXXII. Inter hæc adfuere Roma missi disceptatores; quorum princeps Aurelius Orestes fuit. Hic magistratibus Achaicarum urbium, & prætore Diæo Corinthum evocatis, ita loquutus fertur: *Nihil antiquius Senatui populoque Romano & fuisse, & esse, quam ut sociorum res, quas magnopere ad suam curam pertinere arbitratur, florentes quietaque sint: si quis in dubium vocare vellet, vos ante omnes æquitatis humanitatisque nostræ testes produceremus, Achæi. Vos enim Philippi Antiochique bellis, T. Quintio reliquisque nostris imperatoribus, ob ea quæ ex voluntate populi Romani beneficia vobis tribuerunt, sæpe & in Senatu egistis gratias & illorum pariter nominisque Romani honoris caussa plurima atque honestissima decreta fecistis. Neque nos adhuc pristini in vos animi propositique pœnitet, quin eadem illa, atque etiam, si sit occasio, majora lubentes volentesque concedamus; sed à vobis interdum ea consilia suscipiuntur, quæ ad turbandam Græciæ pacem, & si verum auditis, ad periculum vestrum pertinent.* Legatorum Romanorum oratio in concilio Achaico. Zonaras. Polyb. Excerp. Legat. 141. Pausanias.

XXXIII. *Frustra Regibus Macedoniæ Syriæque depulsis, Græciam liberavimus, si fœdius illam intestinis motibus opprimi patimur, quam si externa dominatione premeretur. Ecquando mutuorum inter consanguineos populos certaminum odiorumque finis erit? Quanta cum Messeniis bella gessistis, quanta cum Spartanis? Atque adeo nuper, quum Macedoniam Andriscus rapuisset, & licet sub falso nomine vetus gentis potentia resurgeret; vos neque veterum periculorum memores, nec adversus futura providi, juventutem viresque finitimorum bellis atterebatis. Quibus ut tandem aliquis statuatur modus, neque nimia licentia in insanabile vulnus ruatis; Senatui placet, neque Lacedæmonem Achaica formula censeri, neque ipsam Corinthum. Sed & Argos & Heracleam, quæ sub Oeta est, item ex Arcadicis urbibus Orchomenum, & universim urbes quæ sub Philippo fuissent, eximi oportere;* Continua cū consanguineis bella exprobrat. Pausan. in Achaic.

neque enim has aut generis Achaici, aut antiquitus in eodem fœdere fuisse censet.

Senatui obtemperare monent, suam cuique civitati Remp. esse jubent.

XXXIV. *Hæc erant quæ Senatus verbis nunciaremus, reliqua nostra erit benevolo magis consilio utilis, quam speciosa verbis oratio. Senatui sic de vobis merito morem geri, non modo justum honestumque arbitramur, sed etiam utilitatis vestræ interesse. nam ut suas quæque civitas leges suaque jura habeat, id non magis singulis, quam universæ genti expedire neutiquam obscurum est. Tot diversas civitates, ut ad tempus certo fœdere coire posse non negaverim, sic in unum Reipublicæ corpus cogi, ita temperatis legibus, ut in tam impari potentia par omnium jus sit, id vero nec evenire facile, nec ubi evenerit, diuturnum esse potest. Citius inter flammam & aquas concordiam effeceris, quam ut pares æmulatione, potentiores cupidine, infirmi metu careant; neque adversus hæc consilium, & quæ sunt à natura humano generi insita, ea legibus frustra coerceas.*

Non posse tã diversos in ejusdem Reipublicæ formula adquiescere.

XXXV. *Sed ubi res ipsa clamat, supervacua omnis est oratio, siquidem ea formulæ vestræ vis esset, ut per hanc tranquilla beataque Republica frui possetis, causam non dicerem, quam ut eo in statu maneretis, cujus adhuc vestrum pænituisset neminem, sed ubi alii cogunt invitos ad easdem leges, alii perire quam cogi malunt: quæ aut inter dissentientes societas, aut in commune felicitas esse potest? Nisi tanto jam tempore multis experimentis constitisset, non eadem omnibus Peloponnesi urbibus placere; rogari à reliquis urbibus debeatis, ut reciperetis in formulam, non vero restitentes repugnantesque vi compellere. Quapropter, oro vos, Achæi, quam semper optastis quietem vobis, pacem Græciæ retinete. unaquæque civitas ex suo commodo rem suam publicam constituere optime novit.*

Nec opus esse junctis viribus, quia potentia Romana defendantur.

XXXVI. *Multas inter sese ita convenire, ut loco, moribus, voluntate, & qui subnasci quotidie possunt, nec opinatis casibus, numquam diffideant; optari potius quam obtineri potest. si suis quique finibus contenti domi leges, foris pacem habeant, omnes ex æquo liberi, omnes beati agent. Quæ oborientur controversiæ, aut non exibunt in arma, aut intra parva & propedum innoxia bella consistent: vicinorumque consiliis & auctoritate nostra facile tollentur. Quid porro vobis opus est jungendis per tot incommoda in unum opibus, quibus hoc rerum statu nulla potentia est opus? Neque enim vos crediderim, quamvis ea de re secretus sermo ortus est, adversus Romanos bellum meditari: jam intestina bella perniciosa vobis sunt; adversus externa, quemadmodum contra Philippum Antiochumque defensi estis, virtute atque fide Romana defendemini.*

Tumultus Corinthi ex hac oratione. Pausan. Justin. Pausan.

XXXVII. Hunc sermonem ne audire quidem sustinentes Achæorum principes, adhuc loquente Romano prosiliunt, conciliumque ex præsentibus repente cogunt. Multitudo cognitis quæ Senatus præcepisset, velut furore acta, quicquid Lacedæmonii nominis in urbe erat, partim trucidant; alios in vincula abripiunt: inter hos & aliis ex locis hospites, ut quisque tonsura, aut calceamentis, aut cætero vestitu, vel etiam ipsa appellatione ac nomine Spartanum referre videbatur. Neque legatorum reverentia, nam ad illorum hospitium multi concurrerant, præsidio miseris fuit, quo minus inde quoque per vim extraherentur: multum obtestante Oreste, ea facta ad injuriam Senatus populique Romani pertinere. Sed parum apud tumultuantem multitudinem monita prudentium aut futuri cura valet: tandemque absuerunt à defendendis aliis legati, ut ipsi quoque ad extremum fuga sibi consulere cogerentur.

XXXVIII. Qui ubi asperius omnia Romae renunciaverunt, tanquam non repentina populi consternatione; sed consulto injuriis affecti forent, Senatus maxima commotus indignatione legatos è vestigio nominavit, inter quos praecipuus dignitate Sex. Julius fuit. His mandatum, *ut leniter objurgatis Achaeis, de caetero accurate docerent, non esse praebendas pravis consultoribus aures; qui populum invitum ignarumque inimicitiis Romanis illigare molirentur: esse adhuc poenitentiae locum, si in auctores facti per imprudentiam commissa vindicari sinerent.* Perspicuum ex his erat, ne prius quidem decretum, quod Orestes pertulerat, ad dissolvendum omnino concilium Achaicum spectavisse: sed hoc potius actum, ut terrore hoc injecto, frangeretur contumacia gentis, eaque ad colendam majori cum reverentia Romanam amicitiam transduceretur. Neque deerant qui tempori tantum molliora mandata tribui putarent; quod adhuc Carthago resistebat. Sed nimirum is tum erat urbis Punicae status, ut parvum omnino momentum in consiliis Romanorum facere posset: praesertim pacatis omnibus aliis, & magna civium Romanorum frequentia, quorum tum in tabulas publicas relata sunt trecenta viginti duo millia, à L. Cornelio Lentulo Lupo, L. Marcio Censorino censoribus: quod lustrum sextum & quinquagesimum Romae fuit.

Justin. Polyb. Alia legatio decreta ad Achaeos.

Justin. Polyb.

Eusebius. Capitol. Fast.

XXXIX. Magistratum deinde Cn. Cornelius Lentulus, L. Mummius Consules inivere. *Ludos saeculares tum quartum factos* Cn. Piso, Cn. Gellius, & Cassius Hemina, qui eo tempore vivebat, auctores sunt Provincias Scipioni Africam, Metello Macedoniam auferri non placuit. una Consularis nova facta est Achaja, eamque Mummio sors attribuit: qui licet maxima festinatione profectionem pararet, bellum tamen opera Metelli jam adfectum reperit, ut postea memorabimus. Eadem enim hieme Scipio Carthaginem haud levius fame quam per aestatem armis premebat, unde mox facilior adversus invalidos & inedia exhaustos victoria fuit.

Urb. cond. an. 607. Censorinus de die Natal. L. Mummio Achaja provincia decernitur.

XL. Ergo vere incipiente Cothonem Byrsamque simul oppugnare instituit Proconsul, quo magis etiam obsessos fatigaret. atque illi desperata utriusque defensione, in Byrsam ut munitiorem cum rebus quas auferre inter trepidationem potuerant, se contulerunt, incensis noctu navalibus, totaque ea regione Cothonis, quae quadrata vocabatur, ne Romanis usui esset. At victores occupato portu protinus aditum ad arcem moliebantur. Ibi, dum Asdrubal & Carthaginenses in Scipionem intenti, qua plurimum periculi apparebat, excubant, Laelius rotunda parte Cothonis, quam adhuc tenuerant hostes, superata, clamoribus & tumultu omnia implet. quo excitati qui cum Scipione erant, vim & ipsi faciunt, viamque qua cuique proximum est, aperiunt. In foro propinquo, nox enim superveniens tentari plura prohibebat, suos in armis continuit Proconsul: donec orta dies reddidit prosequendae victoriae facultatem.

Scipio Carthaginem, praeter Byrsam, capit. Appian. Funi. Zonar. Florus 2. 15. Appian. Zonar. Appian.

XLI. Itaque Proconsul *ipsam*, quae sola restabat *arcem invadere, dum amissa vel iqua urbe hostes trepidant*, quatuor millia recentium militum jubet. illi prius in templum Apollinis, quod in Cothone fuit, irrumpunt: Apollinisque vestem aureum, & fastigium auro bracteatum pondo mille talentorum in praedam vertunt: neque prius inde à praefectis abstrahi possunt, quam gladiis concisas opes inter se dividant. ea militum aviditas, quum aliis rapientibus aurum, aliis ca-

Apollinis templum spolia. us.

dentibus, & manus amputatæ quorumdam essent, effecit, ut miraculo & Apollinis iræ res adscriberetur. At illi præda ablata, tum demum ad Byrsam oppugnandam convertuntur. Jam & Scipio ibi erat: magnoque certamine viam sibi aperiebat.

Hist. Miscell. 4. 13. Val. Max. lib. 1. 18. Appian. Byrsa maximo conatu oppugnatur.

XLII. Ferebant autem in arcem à foro viæ tres, densis utrinque ædificiis præaltisque comprehensæ, ex quibus quum in Romanos tela conjicerentur, proxima quæque primum, deinde contigua expugnavere. ut enim aliqua occupata domus erat, in vicinam aggeris præbebat vicem: semotisque propugnatoribus jungebantur tabularum injectione, velut ponticulis angiportus, & ex domo in domum victor miles transcendebat. & hic quidem in tectis ædium; neque secius infra, ut forte invicem occurrerant, ad angiportus certabatur. plenaque erant omnia gemitu, & dissonis clamoribus, vulnerumque ac mortis varia imagine: dum alii ferro, alii ruina intereunt præcipitati ex solariis, adflicti humi, quidam etiam in erectas aliorum hastas gladiosque casu delati.

Vici aliquod incenduntur. Zonaras. Appian.

XLIII. Solum adhuc incendium aberat, non misericordia; sed quia partis utriusque magno numero repletæ domus erant: donec ad muros Byrsæ à Scipione penetratum. ad quos suffodiendos quia propter vim propugnatorum valido robore erat opus, incendi tres inter forum arcemque vias jussit: statimque ruinas ut quæ ab igne factæ essent, repurgari, quo posset ad arcem exercitus citra impedimentum accedere. Hinc vero multiplicata malorum facie flammarum crepitus, procumbentiumque sonitus ædificiorum longe lateque horrendum fragorem edebant. Sed & inter cæmenta materiamque domorum, quas ignis aut nisus diruentium disjecerat, multa cadavera provolvebantur: multi etiam vivorum, quibus præcipue sexus aut ætas infirmior latebras suaserat, alii semiustulati, quidam laceratis ferro corporibus, miserabili cum ejulatu præcipites cadebant, ne sic quidem finis malorum erat. sed quibus muniendæ viæ datum negotium fuerat, quidquid ante pedes erat, lapides, ligna, cadavera, vivos atque semineces furcis ferramentisve correptos, in foveas & loca cava protrahebant. ibi quidam capitibus alii alia parte corporis exstantes, diu cum anima luctabantur, amissa omni vivendi spe ac voto, ne mortis quidem extremo solatio compotes: donec equorum ungulis obtriti, miserrimum spiritum acerbissimo fine expellerent, tam sine culpa facientium, quam sine misericordia.

XLIV. Nec enim data opera hæc tam crudelia gerebantur, sed festinatione ac quemadmodum & à munitoribus nihil proposito, sed per festinationem omnia fiebant. quippe contentio certaminis, & propinqua spes victoriæ, & his stimulis properans exercitus: præterea præconum voces, & tubarum cantus; tum tribunorum centurionumque cum cohortibus aut manipulis discurrentium strepitus, omnium sensus hebetaverant; ut veluti lymphati quantalibet objectorum spectatorum fœditate parum moverentur. Duravit hæc oppugnatio dies noctesque sex continuas, in locum fessorum succedentibus subinde recentibus, priusquam labore tam improbo Proconsul vinceretur. qui cæteris per vices quiescentibus, solus omnium perdius & pernox, somnique & cibi, nisi inter ipsum opus rapti expers, vigilias, labores, adspectum ipsum tot tristissimarum rerum eadem patientia pertulerat. Tum vero lassitudini cedens, in excelso quodam loco, unde inspicere quæ agerentur & moderari posset, consedit. . . .

Orosius 4. 23. Appian. Punic. Oppugnatio dies noctesque sex continuas durans

XLV. Septimo demum die quidam supplices cum infulis Æsculapii venerunt (hujus enim dei ædes religiose apud ipsos colebatur) precati, ut *vita dedituris sese salva esset*. Annuente Scipione, nisi quod transfugas exceperat, primo mulierum millia quinque & viginti, mox triginta millia virorum egressa potestati se victoris permiserunt. alii *virorum quadraginta millia*: quidam *hominum quinquaginta millia*, non distincto sexu, tradiderunt. Hoc tempore accuratissimis precibus oratum ab uxore Asdrubalem ferunt, *ut amissa omni spe defendendæ urbis, postremum suæ suorumque salutis præsidium in clementia Scipionis quæreret*: sed expugnari tum stolidi & vani hominis pertinacia non potuit, in Æsculapii templum, cum uxore & duobus filiis, transfugarumque reliquis, ad nongentos supererant, se recipiens: inde adjutus altitudine loci, nam sexaginta gradibus adibatur, & transfugis per extremam necessitatem nihil non audentibus, repugnabat.

Orosius. Pœnorum multa millia se dedunt. Florus. 2.15. Appian. Zonar. Appianus.

XLVI. Ut autem fame, vigiliis, laboribus, & metu imminentium confecti succumbere tot ærumnis cœpere; desertis quæ circum erant, in ipsam ædem se inclusere: non quod spes ulla superesset, sed ipsa desperatione adhuc ex tecto ædis sese defensuri. At ille magniloquus & inconcussæ firmitudinis ostentator Asdrubal, nullo conscio, ne uxore quidem aut liberis admonitis, ad genua Scipionis cum ramis oleæ supplex procubuit. Quem ubi ad pedes adsidentem Proconsul ostendit transfugis, silentio impetrato, convicia dirasque in illum jaculati, ædem incenderunt, ut eodem igne sepelirentur.

Zonar. Suidas. in [illegible] Appianus. Florus. Oros. Appianus.

XLVII. Inter illam necessitatem uxor Asdrubalis, quam potuerat pulcherrime ornata fertur ex adverso Scipionis cum liberis suis, templo jam flagrante substitisse; elataque voce hæc precata esse: *Tibi quidem, Romane, nihil eveniat ob ista mala, quæ contra hostilem urbem belli jure commisisti: at ab hoc Asdrubale patriæ, sacrorum, meique & liberorum proditore, dii Carthaginis, & tu cum diis, promeritas pœnas expetatis?* mox in virum sermone vultuque converso, *Tu vero facinorosissime, perfidissimeque & effeminatissime mortalium*, inquit, *jam quidem me cum liberis communibus hoc incendium tumulabit. at tu quale ad dedecus servaris, triumphum victoris ornaturus, dux magna Carthaginis? quas postea pœnas huic, cui nunc supplex adsides, dabis?* Hæc ubi dixisset filios jugulatos in ignem mittit; superque ipsos eodem se præcipitem infert, simili ferme fato defuncta novissima Carthaginis Regina, atque quondam absumpta prima fuerat. Hic exitus mulieris fuit, qualis potius virum decuisset.

Asdrubalis uxor, post perfidiam viro exprobratam, seq; & liberos in incendium mittit. Appianus. Val. Max. 8. 2. 8. ext. Zonar. Appian. Val. Maxim. Hieron. adver. Jovin. lib. 1. Florus. Appianus. Tertul. ad Nationes 1. 2. 9.

XLVIII. Hoste non devicto tantum, sed etiam deleto, quum excussus inter bellicos tumultus humanitatis sensus libero jam curis pectore rediisset, *illacrumasse Carthaginis excidio Scipionem* ferunt: *& postquam diu tacitus atque meditabundus adstitisset, versus Græci Poetæ subito pronunciasse, quibus impendens Iliacæ urbi fatum prædicitur: interrogantique Polybio, quem belli domique secum habere consueverat, quorsum ista diceret, aperte fassum, se reputatione sortis humanæ, summa quæque tam facile vertentis, etiam de sua patria mæstis cogitationibus fuisse perturbatum.* atque hoc ipse Polybius in historiis suis exposuit. Erat sane haud vulgare ad redarguendam fortunæ suæ stolide confidentium vanitatem exemplum, tantæ urbis, vix iis per quos patratus erat credibilis interitus, *cujus quæ magnitudo fuerit, ex ignium mora* non inepte conjici quidam jubent, *qui per continuos dies septemdecim extingui nequivere.*

Asdrubal desertis suis ad Scipionem confugit. Scipio Carthaginis excidio illacrymatur. Orosius. Appian. Vellejus 1.12. Appian. Florus. Oros. Appianus.

Zonar. Appian. Tib. Gracchus, & C. Fannius primi Carthagines murum conscenderunt. Plutarch. Gracch. cap 6. Plutarch. Apoph. Rom: zar. Pædia. in divinat. 1 iv. Epitom. Diodorus. apud Valesiū. Scipio Siculis ornamenta sua, quæ Carthaginem fuerant translata, restituit. Cic. in verrem 4. 13. & 5. 12. Polyb. ap. Vale. Cicero.

XLIX. Scipio prædam urbis militi concessit, præter aurum argentumve & donaria templorum, ad quæstorem deferri jussa. Ex his nonnulla ad fidem victoriæ celerrimæ navium imposita, Romam misit; bellique fine nunciato, quid porro fieri Senatus vellet, consuluit. Præmia deinde donaque militaria, ut cujusque virtus enituerat data: nisi qui templo Apollinis diripiendo noxam contraxissent. Inter cæteros insignis honor Tib. Gracchi fuit, cujus sororem in matrimonio Imperator habebat: itemque C. Fannii, qui duo ante cæteros murum hostilem conscenderant. In recognitione prædæ quum plurima spolia Siciliæ, à Pœnis diutissime vexatæ, inter signa præsertim ac statuas rarioris artificii reperisset, convocatis qui tum aderant Siculorum legatis, *omnia se restituturum* edixit *civitatibus Siciliæ quæ potuissent agnoscere*.

L. Erant multæ clarorum virorum pictæ imagines; multæ, etiam ex auro argentoque statuæ, & donaria deûm: ex quibus quæ Himera quondam sublata fuerant, Thermitanis sunt reddita: alia Gelensibus: Dianam suam Segestani receperunt: nobilem illum Phalaridis sævitia taurum Agrigentini quem Agrigenti unquam fuisse Timæus impudentius quam cautius negavit. Scipio certe quum Agrigentinis eum redderet, dixisse dicitur: *æquum esse illos cogitare, utrum esset Siculis utilius, fuisne servire, an populo Romano obtemperare; quum idem monumentum, & domesticæ crudelitatis, & mansuetudinis Romanæ sint habituri*. Sed & Africæ, deinde Italiæ civitates, quæ inde fuerant à Pœnis abrepta, beneficio Scipionis recepere.

Scipionis abstinentia in tantis manubiis. Eutropius. Appianus. Cic. de Offic. Plutarch. Apoph. Rom.

LI. Magnum id quoque favorem ei apud omnes populos peperit; quod nullam cuique benefaciendi occasionem prætermitteret, non solum donis magnificus, sed etiam æstimandi quibus quæ donari deceret solers. At inter hæc, quum aliis tanta largiretur, nihil quæsivit, ut quum partem spoliorum divenderet, nemini familiarium suorum neque libero neque servo, quidquam ex iis ne emptum quidem habere sineret. hæc illi viro ratio, hoc ad felicitatem & gloriam iter placuit: quod si nunc inire quisquam cuperet, ultro insanire putaretur: dum neque sine opibus quoquo modo partis constare dignitatem posse creditur; & tamen iisdem alii sine judicio spargendis famam aucupantur: adeo hodie quam cujuslibet laudis avidi, tam ignari veræ sumus. Cæterum Proconsul arma Punica machinasque, & quod navium maritimis usibus aptum esse desierat, Marti ac Minervæ donum Romano more concremavit.

Appian.

Gaudium ingens Romæ audita expugnatione Carthaginis.

LII. At Romæ quum victoriæ nuncium & signa ferens navis appulisset, seroque jam vespere vulgata per universam urbem tantæ lætitiæ fama esset, procurrere in publicum præ gaudio homines, amplectique invicem & gratulari temporum felicitatem, quod *nunc demum vivere se ac valere, neque libertatem solum sine metu, sed etiam imperium sine æmulo tenere deleta Carthagine* autumabant. neque sane nulla aut levi de caussa sic exultabant animis, gnari, quanquam ingentia & alias bella, contra Macedones, contra Hispanos, demum contra Magnum Antiochum ipsi patresve eorum bellavissent; nullum tamen aut magnitudine periculorum, aut acerbitate cladium æquale Punicis fuisse, quibus in Sicilia Hispaniaque, sed maxime in ipsa Italia per sedecim annos immania damna pertulerant: quum unus Hannibal oppida quadringenta flammis, hominum trecenta millia ferro consumpsisse dicatur: ne computatis quidem

quos extra pugnarum fortunam alii casus abstulerunt.

LIII. Hæc igitur, & ad ipsam urbem Romam admota Pœnorum signa reputantes, vix fidem rei gestæ capiebant animis: aliis alium rogitantes, *ecquid certis omnino auctoribus hæc tanta victoria crederetur?* Deinde in admirationem urbis victæ, hominumque extrema omnia pro urbe ausorum versi, *quantum illius robur, quanta hominum audacia, quam incredibilis durities, quam ingeniosa calliditas fuisset*, repetebant: non sine ingenti gloria imperatoris, *qui hæc omnia consilio, labore, ac virtute superavisset.* His sermonibus nox ista exempta. simul autem illuxit, honores diis sunt habiti, & spectacula varii generis per publicam lætitiam edita. Magnitudo victoriæ, & imperatoris.

LIV. De reliquiis porro Carthaginis etiam dum de liberatio in curia tenuit: dicebantur enim, quod evenit, *urbe Punica excisa, liberatam externo metu civitatem procliviorem ad domestica certamina fore. At Catonem contra suasisse* quidam referunt, *nunquam enim periculo vacuam fore Romam, donec aliquid Carthaginis superesset.* cæterum Catonis exitum plures & meliores auctores sequutus, ad superiora tempora retuli. Constat tamen Senatui placuisse *urbem solo æquari, neque habitari solum illud* postea: additis etiam exsecrationibus, *si quis eum locum, maxime ubi Byrsa & Megara fuerant, iterum ædificiis frequentasset. ita tamen, ne cui accessisse ad ea loca spectandi ergo fraudi esset.* Senatus Carthaginem dirui jubet nec postea ædificari. Zonaras. Vellejus. 1. 13. Appian. Zonar.

LV. Decem præterea legati more majorum ad Scipionem missi, quorum de sententia res ordinaret. Hi ubi venerunt, omnes reliquiæ urbis funditus excisæ. eadem aliis omnibus oppidis illata vastitas, quæ in parte Pœnorum per id bellum fuerant. ager illarum sociis populi Romani dono datus: largissime Uticensibus, quibus quidquid Carthaginem & Hipponem regionis interjacet, contributum. Neque Numidiæ Reges suo sunt præmio defraudati. Cæteris quorum neque officium neque injuria insignis fuerat, tributum est impositum, in agros, & capita: factaque provincia, quam missus quotannis ab urbe Prætor obtineret. Hæc ubi mandata legati ediderunt, Romam sunt reversi. Scipio perfectis quæ Senatus præceperat, exemplo patris Æmilii, qui post Macedonicam victoriam eodem genere magnificentiæ Amphipoli fuerat usus, eximia spectacula, omnis elegantiæ non modo judex idoneus, sed etiam solertissimus auctor, edidit. Scipio de sententia decem legatorum res ordinat. Leg. si usus, Fructus. ff. quib. mod. usus fruct. &c. Strab. lib. 17. Appianus. Strabo. Appian. Liv. Epitom. Livius 45. 32.

LVI. Hæc calamitas Carthaginem post septingentos quam condita fuerat annos delevit. Alterum mox imbecillitatis humanarum rerum in urbe minus potente, sed æque nobili documentum fortuna dedit, evertenda per occasionem Achaicorum motuum Corintho. Ejus cladis præcipua culpa penes Critolaum fuit, pari imperitia & fastu Romana arma pertinacissime provocantem. Quum enim hinc Sex. Julius Roma, inde Peloponneso Thearidas egressi, mutuo sibi in itinere occurrissent, Romanusque *se adferre Senatus mandata* diceret, ambo in Achajam sunt profecti. Ubi quum Ægii consilium datum esset Romanis, Sex. Julius humana oratione præsentes adloquutus, crimen in legatos admissum etiam clementius quam ipsi ferme Achæi interpretabatur; ut appareret, haud magno negotio, satisfieri sibi de eo Senatum passurum: dum ne quid ulterius vel in ipsos Romanos, vel contra horum decreta in Lacedæmonios peccaretur. Carthaginis cladem sequutum Corinthi excidium. Appian. Vellejus. Orosius. Cicero de Nat. Deorum. 3. 38. Florus 2. 16. 2. Polyb. Excer. Legat. 154. Pausanias. lib. 7. Polybius.

LVII. Quare quidquid in concilio sanum erat, gratanter hunc sermonem excepere, conscii commissorum, & quæ pœna populi Romani hostes maneret, ante oculos versante Macedonum exemplo admoniti. Sed vulgus imperitum, magis quia quod orationi legatorum opponeret non haberet, quam quod probaret dicta, silentio sauciam ægramque mentem protegebat. At vero Diæus & Critolaus, ille postremo pratura functus, hic tum quoque prætor, & quotquot consilia cum his sociaverant (erant autem tanquam de industria delecti ex unaquaque civitate pessimus quisque) quum ipsi per se existimabant, tum aliis persuadere studebant, *fictitiam eam & temporis caussa adsumptam Romanorum mansuetudinem esse, omnia facere paratorumque, ne super Africanum & Hispana bella etiam Achaos concitarent*. Tamen in præsentia satis modeste respondent: *se nihilominus Thearidam ad Senatum missuros, ut crimen de legatis dilueret: interea conventum indicturos Tegeam, ut ibi cum Lacedæmoniis de pace ageretur*.

Pausanias. Polybius.

Responsum Achæorum principum:

LVIII. Cæterum hæc ad fraudem tantummodo comparata, longe dissimilem quam pro specie quæ preferebatur eventum habuere. Quum enim Romani adductis etiam Lacedæmoniis Tegeam constituto tempore venissent, Achæorumque principes adeo exspectassent diu, & eorum adventum jam ferme desperarent, solus postremo Critolaus venit, non ut ulla in re promissa præstarentur; sed elusis quæ fuerant postulata negabat *nisi de sententia populi quidquam iis de rebus constitui posse. expectandum igitur proximum concilium* (id secundum leges Achæorum post semestre futurum erat) *in eo se de præsentibus negotiis relaturum*. Ferunt *ea quoque fraude Critolaum usum, ut palam quidem mitteret, ad arcessendos Tegeam Achæos: secreto autem moneret; ne vocati accederent*. Romani aperte videntes, homini incredibiliter arroganti ludibrio se esse, dimissis domum Lacedæmoniis in Urbem redierunt.

Critolaus Romanos eludit. Pausanias. Polybius. Pausan. Polybius. Pausan. Polyb.

LIX. His digressis, Critolaus tota deinde hyeme ad obeundas civitates usus, specie narrandi quæ Tegeæ forent acta, Romanos calumniando, leve vulgus odio, & cupiditate rerum novarum inflammabat. Idem mandabat magistratibus, *ne quem æris alieni caussa exeuti, aut in vincula duci paterentur: utque debitorum solutio differetur, donec appareret quis eventus belli Lacedamoni, futurus esset*. His blanditiis delinita plebs, & futuri improvida, quidquid illi placuisset, facile & credebat dicenti, & imperanti obsequebatur.

Populum sibi conciliat.

LX. Quod ubi Q. Metello Macedoniam administranti cognitum, legatos ad gentem Achæorum Cn. Papirium, & Ælium Lamiam juniorem, cumque his A. Gabinium & Fannium misit. Qui ubi ad eamdem ferme formam, ut Sex. Julius nuper, humanissime placidissimeque monuissent, *caverent Achæi ullo modo tam necessariam genti cum Romanis amicitiam abrumpere*; non lenivit vulgi temeritatem, sed accendit legatorum modestia. paucis exceptis, qui quid ageretur intelligebant, cætera multitudo, & ante omnes Corinthii (concurrerat autem forensis turbæ numerus quantus alias nunquam) tanto furore correpti sunt, ut non modo irriderent Romanos, sed etiam cum tumultu & clamoribus maximis concione ejicerent. pulsatos fuisse, aut hos, aut qui cum Oreste fuerant, neque adfirmare possis neque refellere, aliis auctorum aliter eamdem rem referentibus: superbius appellatos, atque adeo à quibusdam quorum

Legati Romanorum violantur Corinthi. Liv. Epitom. Florus 2.16. Cic. pro L. Manil. Strab. lib. 8. Polyb.

ædes præteribant, sordibus consperso, certior fama est.

LXI. Quidquid eorum fuerit, Critolaus quum sibi destinata supra votum videret procedere, magistratus, maxime quos adversarios in Republica habuerat, perstringere cœpit: non jam abstinens gravioribus & apertioris consilii etiam in Romanos verbis; *Quousque*, inquit, *verba nobis dari patiemur, Achæi aut quem modum finemque imprudentissimi mortales, opprimendæ libertatis vestræ statuent. Proximis annis, quum Rempublicam nostram contemptui, fœdera ludibrio haberi, principes nostros ad caussam dicendam, quasi captivos in externas oras trahi, alia etiam relatu indigna pateremur; Callicrates & pauci alii incusabantur: hi in ore atque odio omnium erant: absque his si foret, retineri dignitatem publicam, vitari servitutem posse putabamus. Quid igitur factum est? quieverunt post illorum fata injuriæ, simulque cum illis pericula nostra extincta sunt? an vero multos pro uno Callicrates nacti, postquam ille periit, perniciosius etiam, quam donec salvus esset laboramus?*

Critolai seditiosa oratio.

LXII. *Scilicet hæc nostra culpa fiunt, Achæi, qui juris à majoribus traditi parum memores, quos adfici pœnis oportebat, honoribus atque magistratibus extollimus: eorumque in hominum manus tradimus Rempublicam, in quibus illa si fuisset, modis omnibus ad recuperandam illam liberandamque erat contendendum. Sunt adhuc deorum beneficio, qui commune Achæorum justa cura prosequantur: qui antiquiorem divitiis fidem habeant, & patriæ charitatem objectare se periculis non dubitent, quorum equidem rationem haberi oportebat, sed si tantum à veteri virtute descivimus, ut vel nullos ejusmodi viros reperiamus, vel repertis nolimus uti; ponamus illos liberæ opulentæque gentis indebitos nobis spiritus, & saltem eorum quibus servituri sumus, gratiam occupemus, sponte nos imperiis offerendo, nam si quo cœpimus ire pergimus, sub inani libertatis umbra, proditione paucorum ignari invitique vendimur; ut vilissimorum mancipiorum instar, ne heris quidem continuo, sed communium herorum servis famulemur.*

Adversarios suos in republica criminatur.

LXIII. *Lubenter equidem in hoc negotio mentione Romani nominis abstinerem, sed quia illud semper in ore habent, quorum opera libertas nostra perit, dissimulare non possum, jam olim cordatos apud nos viros mirari, cur hanc invidiam, aut immeriti ferant Romani, aut meriti ferantur à vobis? Etenim potentiam utrorumque justa æstimatione metior: sed ipsi quoque vidimus non semper pro modo virium belli fata dispensari, & interdum magnis apparatibus plus valere modicos, ubi concordia adsit, & morti quam servituti promptior animus. Sed de futuris viderint Dii! ego quemadmodum minime lacessendos esse Romanos arbitror, ita (dicendum enim semel est) amicos pati possum, dominos non possum: vobis autem, siquidem viri futuri estis, socios non defore scitote; sin semiviri, dominos.*

Romanos traducit.

LXIV. His atque similibus multis stimulare Critolaus ferocitatem amentis plebeculæ non desinebat. Quoque fortius omnes permoveret, interjiciebat voces, quibus *non temere ad hæc consilia ferri, sed esse sibi Regum, esse civitatum aliarum conscientiam, & fore auxilia*, significabat. Quum ad hæc seniores coërcere hominis intemperantiam vellent, & ab hujusmodi deterrere sermonibus, ille armatis advocatis ultro minabatur *malum, si quis accedere ad sese, prehendere, aut omnino chlamydem attingere auderet*. Tandem quum furiata mente regere se plane non posset, *Atqui*, inquit, *nimis jam diu sileo, ne quod in rem commu-*

Critolai rixa cum aliis principibus.

C 2

nem est, edam. neque enim vel Lacedæmonii nobis, vel Romani æque cavendi sunt, quam ex nostris civibus, qui potius illorum voluntati, quam patriæ utilitatibus serviunt. quoque fidem dictis faceret, *Evagoram Æginensem, & ex Tritæa Strategium, quidquid in consilio magistratuum secreto tractaretur, id eos insimulat Cn. Papirio prodere.*

LXV. Quum ad hæc Strategius *sibi quidem cum Papirio aliisque Romanorum colloquia fuisse, & futura tanquam Achæorum sociis amicisque* diceret: *quidquam autem arcani protulisse* cum jurejurando infiiciaretur, potior apud corruptam multitudinem criminantis auctoritas, quam defendentis innocentia fuit. Qua inclinatione animorum abusus Critolaus, perfecit ut decretum fieret *de bello cum Lacedæmoniis prosequendo*: quo ipso arma adversum Romanos sumi, quanquam dissimulata eorum mentione, obscurum nemini erat. Atque sic quidem ille modis omnibus, ut ingenti malo patriam mactaret, laborabat. Legati autem Romanorum Cn. Papirius Athenas, inde Spartam profectus est, ad observandas temporum opportunitates; Ælius Naupactum: dum reliqui duo Metellum, quem adfuturum esse non dubitabant, Athenis præstolantur.

Pausanias. Polyb. Achæi decretum de bello Lacedæmoniis faciunt.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



UM Achæis, qui in auxilium Bœotios & Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit, quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit. in cujus locum Diæus Achaici motus primus auctor ab Achæis dux creatus, ad Isthmon à L. Mummio Consule victus est. qui, omni Achaja in deditionem accepta, Corinthum ex Senatusconsulto diruit; quia ibi legati Romani violati erant. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egit. nec quicquam ex iis opibus, ornamentisque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit. P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus, de Carthagine & Asdrubale. Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, è venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit. M. Vitilium prætorem, fuso ejus exercitu, cepit: post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit, tantumque terrorem is hostis intulit, ut adversus eum Consulari opus esset & duce & exercitu. Præterea motus Syriæ, & bella inter reges gesta referuntur.

Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. hunc Demetrius, Demetrii filius, qui à patre quondam ob incertos belli casus, ablegatus Gnidon fuerat, contempta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Ægypti rege, cujus filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit: atque in locum ejus frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem quam per tormenta in suos exercebat, à Diodoto quodam uno ex subjectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam confugit. L. Mummius de Achæis triumphavit. signa ærea, marmoreaque, & tabulas pictas in triumpho tulit.

DUM Critolaus inter Achæos omnia turbat miscetque, Thebis altera fax rerum novarum Pytheas Bœotarchus haud remissiore impetu cives suos in bellum Romanum impellebat. Is adolescentia turpiter transducta, mox etiam in Republica per audaciam atque avaritiam multa designabat in perniciem civitatis erupturа: sed ubi Metellus, cui negotium hoc Senatus dederat, *mulctam pro illatis Phocensium populo Amphissensibusque, & parti Eubææ injuriis solvere* jussit; ibi Pytheas exulceratos molesto imperio animos adeptus, prius exstimulare non destitit, quam professis contra Romanos odiis, ad arma eum Achæis conjungenda incitaret. Trahuntur in societatem Chalcidenses; tam infirmis subnixus amicitiis in Romanos sumere bellum Critolaus audet: ne ulla quidem in eventum sequiorem sibi excusatione relicta. Quippe impingere & vinci, etiam post consilia non inepte capta, humanum est, & fortunæ solet imputari: at audacia cum imbecillitate, non infortunium, sed amentia recte vocatur. Itaque non difficilior Romanis victoria fuit, quam in tanta hostium stultitia oportuit.

Thebani ad bellum Romanum concitantur. Pausan. Polyb. apud Vales. Pausanias. Liv. Epit. Pausanias.

II. Metellus, ut pondus legatorum suorum verbis adderet, eodem fere tempore, quo profecti illi erant, & ipse exercitum per Thessaliam præter Lamiacum sinum instituit ducere. Jam Critolaus, adjutus etiam Bœoticis auxiliis, Heracleam obsidebat; in Thessaliæ finibus sitam urbem, & Achæis contribui recusantem. Sed adventu Metelli cognito, Sperchiumque fluvium ab eo superatum, ex insana illa ferocia subito in tantum pavorem incidit, ut neque eodem loco exspectare hostem, neque saltem in angustiis ad Thermopylas auderet consistere; unde contra ingentes Persarum Gallorumque copias Græci magna olim virtute, magnaque gloria dimicaverant.

Critolaus adventu Metelli cognito fugit. Orosius 5.3. Zonar. Pausanias.

III. Ad Scarphæam Locridis urbem itinere fugæ simillimo contendens, non tamen attingere illam potuit, quin à Metello, qui festinanter insequutus fuerat, pugnare cogeretur. Magnam ibi cædem fuisse non ambigitur; circiter mille vivi capti. Critolaus post res perditas judicii sui errore primum agnito, ut se præsentibus malis exsolveret, venenum in fuga bibit. Apud alios *neque vivus neque mortuus repertus esse post pugnam* traditur: quum ad montis Oetæ radices fugam urgeret, in locis paludosis & profundis subsidisse creditus. Ex cætera multitudine mille Arcades, delecta juvenum manus, Elateam Phocidis urbem concessit, & ab Elatensibus pro veteris amicitiæ jure hospitaliter excepta est. Sed [fa]ma prœlii ad Scarphæam vulgata, metuentes iram Romanorum Phocenses [e]xcedere finibus suis Arcadas jubent.

Magna vis hominum cæsa. Vellejus 1.11. Pausanias. Liv. Epitom. Pausan. Vincitur & perit.

Dissensus auctorum in hac historia. Orosius. Florus 2 16. Orosius.

IV. Hos reditum per Bœotiam tentantes, haud procul Cheronea Metellus delevit. Hæc rerum à Metello contra Achæos gestarum proxima vero videtur esse narratio. neq; enim aut de numero prœliorum, aut de loco, similia apud scriptores traduntur. *Achæorum ad Thermopylas viginti millia, iterum in Phocensibus septem occisa millia* Claudius refert. *In Achaja quidam & Elidis campis pugnatum* produnt: etiam de duce hostium ambiguum Valerius Antias facit, qui *cum Diæo pugnasse Metellum* (si tamen fidi sunt codices) scripsit. At Polybius qui res domesticas ignorare non potuit, cum plerisque omnibus, *Critolaum* nominat : neque dubium habetur, eo demum sublato, imperium ad Diæum revertisse. Hoc enim jure Achæi utebantur, ut ubi prætor fatis concessisset, qui proxime prætor fuisset, is magistratum usque ad tempus comitiorum gereret,

Auct. de Vir. Illustr. cap. 60. Pausan. Polyb. Liv Epitom. Polyb. Pausan.

Diæus Critolao succedit.

V. Igitur Diæus belli, cujus primus auctor ipse fuerat, administratione suscepta, præsidium Megara misit, ad hominum millia quatuor Alcamene duce, qui videlicet irrumpentem Metellum repellerent, quem modo cum florentissimo exercitu prætor Achæorum Critolaus sustinere nequiverat. Ipse Argos profectus, inde literas ad omnes Achajæ civitates dedit, *ut ex vernis ad millia duodecim manumissi cum armis Corinthum mitterentur. quibus vernæ ad numerum non essent, ex aliis mancipiis supplere* permissum. ea quoque descriptio inæqualiter, & magis ut prætori placuerat, quam ex opibus civitatum impetrata. Quod etiam ob bella Lacedæmonia in magna difficultate pecuniariæ rei versabatur respublica, opulentiores quosque viros matronasque privatim aurum argentumque conferre coegit. Simul *omnes qui ætate militari essent ex Achaja Arcadiaque Corinthum armatos convenire* jussit.

Polyb. Pausan. Polybius.

Metus apud Achæos maximus.

VI. His omnibus de caussis maxima per Achajam trepidatio maximusque cum desperatione metus erat. neque tamen ad sana consilia poterant adjicere animos, sed quod perculsis semel mentibus evenit, principum suorum dementiam damnabant simul & sequebantur. Præ cæteris Eleorum Messeniorumque & Patrensium flebilis erat conditio. Illi metu torquebantur, ne ad mare objectis regionibus, primum Consulis Mummii cum classe venientis impetum excipere cogerentur. Patrenses cum circumjectis oppidis accepta clades fregerat, magna parte juventutis in prœlio amissa. tantaque illis locis consternatio fuit, ut multi necem sibi consciscerent, in puteos aut ex præcipitiis desilientes; plures desererent patriam, non quia ubi vitam acturi essent scirent, sed quia scire videbantur, in patria se non posse vivere. Erant qui ad Romanos proficiscebantur, alii alios ut auctores novarum rerum accusantes: ne propinquis quidem parcente metu, quanquam nemo erat, qui adhuc aut exigeret delationem aut quæstionem exerceret.

Pausanias. Polyb. Pausan. Polyb.

Nec apud Thebanos minor. Pausan. Polyb. Pausan.

VII. Neque alia rerum apud Thebanos facies erat; imo aliquanto fœdior, quia fugientibus universis vacua urbis ædificia relicta fuerant. Inter cæteros & Pytheas cum uxore liberisque in exsilium profectus, tota Peloponneso oberrabat. Metellus enim cæsis apud Chæroneam Arcadibus, ad Thebas cum exercitu victore accedebat. Quo ubi pervenit, laudabili mansuetudine usus non templis modo domibusque pepercit; sed etiam quenquam Thebanorum vel manentem occidi, vel fugientem capi vetuit, uno Pythea excepto, *quem ad se adduci* jussit, *ubicumque repertus esset*. captusque is post aliquod tempus, supplicio capitis ico-

lerum suorum furorisque pœnas luit. Thebis receptis ad Peloponnesum Romanus convertit iter. jamque Megaris adpropinquabat, quum Alcamenes ne tentata quidem urbis defensione, cum præsidio suo Corinthum in castra Achæorum se recepit. Megarenses urbem sine certamine dediderunt.

VIII. Jam & Diæus Corinthum venerat: neque multo post accessere missi à Metello Andronidas & Laglus & Archippus viri nobiles, ut ad pacem accipiundam Achæos hortarentur. Magno enim studio Metellus agebat, si qua ante Consulis adventum componere res Achajæ posset. Neque temere sumpta spes erat, quod post infelicem pugnam multis jam displicebat bellum, positisque armis parati erant per conditiones transigere. Sed vicit Diæi factio, qui diu ante quos venturos noverat, tanquam fautores hostium calumniatus, postquam accessere, multitudinis odio temeritatique objecit. comprehensi igitur statim, & cum omni genere contumeliarum in vincula rapti sunt.

Pacis hortatores à Diæi factione violantur. Polyb. Pausan. Zonar. Polyb.

IX. Sub idem ferme tempus etiam Philo Thessalus Corinthum se contulit, adeo manifesta salutis eorum cura, ut multos jam Achæorum flecteret. Ex quibus Stratius Tritæensis præter cæteram dignitatem ætate quoque reverendus, Diæum amplexu blanditiisque rogabat, *ut conditionibus à Romano propositis adsentiretur*. At consilii principes neque rationibus neque prece movebantur: desperata ab Romanis salute, quos atrocius offendisse rebantur, quam ut expectari venia posset. neque tamen ad exitum viris dignum se parabant, aut quidquam moliebantur, quod hominibus gloriæ imperiique cupidis dignum esset. non tamen mirabitur vilitatem & amentiam hominum, quisquis meminerit neque alia decreta fieri posse, quam velint consilii publici moderatores; neque alios tum fuisse principes, quam Diæum & Damocritum, nuper exules, mox fatali temporum imprudentia in civitatem receptos, cumque his Alcamenem & Theodectem & Archicratem: prudentia ac probitate nihil iis quos dixi præstantiores.

Principes Achaici concilii eo tempore.

X. Fit igitur decretum non de Andronida modo & cæteris; sed etiam Sosicrates in carcerem compingitur, hoc crimine, *quod quum Prætoris vicem concilio præesset, auctor, legatos ad Metellum mittendi fuerit, omniumque caussa malorum, quæ deinceps incidissent*. sed & constitutis postridie judicibus, condemnatum vinctumque acerbo eum cruciatu interemerunt: nihil eloquutum quale ipsi voluissent. Lagium autem & Archippum & Andronidam missos fecere, quia supplicio Sosicratis irritatam multitudinem senserant: simul favente Diæo, qui talentum ab Andronida, ab Archippo quadraginta minas acceperat. adeo his sordibus ille adsueverat, ut ne in tali quidem tempore posset à captandis undecumque muneribus desistere.

Sosicrates auctor legationis ad Metellum, supplicio adficitur. Pol, b.

XI. Idem paulo ante hæc tempora crudele quoque in Philinum Corinthium facinus ediderat, *mittere illum nuncios ad Menalcidam, & Romanorum sectam sequi* criminatus: verberibusque & tormentis ipsum & adolescentes filios, ut alios aliorum quoque dolore cruciaret, in mutuo conspectu occiderat. Unde quum tales haberet Achaja duces, qui & domi crudelitate avaritiaque omnia corrumpebant, neque militiæ cognitionem ullam, aut lectione aut auditione, aut usu, (qui soli res eas discendi modi sunt) paraverant: nihil potuit accidere felicius, quam quod accidit, ut quam celerrime victi, neque sæviendi in Achæos caussam dare Romanis, neque ipsi haberent facultatem: agnoveruntque hoc ipsi mox Achæi

Polyb. Fragm: in Edition. Casaub. p. 1014. Polyb. apud Valesium.

Achæi perierant, nisi periissent. apud quos per ea tempora Themistocleum illud proverbii vicem usurpatum est, *perieramus nisi periissemus*.

Plutarch. Themistocl. cap. 41. Zonar. XII. Inter hæc L. Mummius summa contentione ad exercitum festinabat, audito jam prospero Metelli prœlio, ne post confectum bellum exsors gloriæ imperium haberet, veritus. Nam rerum illarum non modo fama celeriter est evulgata, sed etiam nuncii literæque Romam venere: ante omnes A. Posthumii, qui primus omnium de victoria Metelli ad senatum scripserat. Namque homo ingenio vanus, quum sub tempus conserendæ pugnæ per simulationem valetudinis Thebas Phthioticas concessisset; post eventum omnia perscripsit diligenter, eoque verborum genere, tanquam interfuisset. Inde quæ historiis ejus habenda sit fides, haud difficile arbitratu est, in quibus & ipsis quemadmodum à Catone sit illusa puerilis in viro consulari jactantia, multorum scriptis adnotatum est.

A. Posthumii vanitas. Polyb.

Agellius 11. 8. Plutarch. Caton. Major. cap. 23. Florus 2. 16. Orosius 5. 3. Pausanias. XIII. L. igitur Mummius, quum jam ad Isthmum castra Metellus admovisset, lictoribus tantum, & paucis equitum comitatus, non die, non noctu intermisso itinere, cum Aurelio Oreste, qui in Achaica legatione fuerat, in castra sub lucem venit. Inde Metello in Macedoniam dimisso: ipse in Isthmo substitit; donec universæ copiæ convenissent. Summa exercitus fuit equitum tria millia, His accessit sagittariorum ex Creta manus: & duce Philopœmene Attali Regis auxilia. Ex his partem Consul, adjunctis etiam nonnullis Italicis cohortibus ad mille quingentos passus ante castra locum capere stationibus jussit. Hos quum negligentius agere viderentur, subito effusa hostium manus turbat, occisisque nonnullis, cæteros usque ad castra persequitur. unde submota, & ad sua vicissim castra repulsa, tamen scuta circiter quingenta ex hostibus capta refert.

L. Mummii adventus in Achajam & copiæ.

Pugna cum Diæo & victoria. Zonar. Pausan. Zonaras. Pausanias. Zonaras. Justin. 34. 2. XIV. Post hæc Diæus contracto quod ubivis habebat virium, potestatem pugnandi Consuli facit: Consul, ut hostium augeat væcordiam, in castris suos continet. crescit hinc Achæis animus, adeo intemperanti alacritate, ut non modo priores in vallem inter diversa castra mediam descenderent, sed etiam vehicula secum ducerent, ad hostium reportanda spolia, conjugesque suas cum liberis in vicinis montibus spectare dimicantes juberent: cito de spectatoribus prædam hostium futuros. Apud Leucopetram, sub ipsis Isthmi faucibus concursum est. Equitatus Achæorum statim fugit, vix prima exspectata impressione Romanorum equitum, quos Consul ex occultis latebris subito in latus hostium immiserat. pedes aliquanto constantius restitit: quanquam nudatus equitum fuga, minutoque animo, etiam multitudine hostium urgeretur. Tandem mille fortissimi viri conglobati, transversam aciem perrupere. Tum vero effusa fuga, ubi quisque potest, salutis præsidium quærunt. Ipse Diæus recta Megalopolin patriam suam intendit cursum. qui si Corinthi munitionibus seque & qui ex fuga potuissent colligi, esset tutatus, potuisset Consulem tædio obsidionis ad conditiones non iniquissimas adducere. nunc vero statim atque inclinare suos sensit, tota spe abjecta, refugit domum; eaque incensa, conjugem, ne in hostium veniret potestatem, interfecit, ejusque corpus in incendium misit, ipse veneno epoto vitam posuit.

Auctor. de Vir. Illustr. cap. 60. Pausan. Zonar. Pausan.

Auctor. de viris illust. cap. 3.

Corinthus à suis deserta capitur. XV. At qui in urbem Corinthum confugerant, absentia ducis perterriti, nocte proxima omnes dilapsi sunt, excesserunt etiam Corinthiorum præ pavore plurimi, omnes quos in urbe sua non videbant, captos cæsosve rati: neque tamen Consul licet vacuam apertisque portis indefensam continuo ingredi voluit,

insidiarum metu. Tertio demum die omnibus exploratis, Corinthum Romana signa intraverunt: puberes reliqui à militibus interempti ferme sunt; mulieres puerique sub corona væniere. *multos etiam flammis consumptos esse* traditur: dum urbs crudeliter prius direpta, præcinente tuba deletur. *Tantum enim fuisse incendium* ferunt, *ut quum omni ex parte subjectæ ædificiis faces essent, quidquid comprehensum intra mœnia fuit, eundem in apicem coeuntibus flammis, tanquam unus ignis arderet.* Atque is deinceps etiam quum cineribus ruderibusque sopitus & oppressus videretur, diu retinuit fervorem, perieruntque eo fato multi Romanorum, quos ad scrutandum aurum argentumve flammis liquefactum, avaritia in fumantes adhuc ruinas miserat.

Pausan. Auctor de V. ir. Illust. Pausanias. Zonaras. Florus. 2. 16. Pausanias. Orosius 5. 3. Justin. Oros. Florus. Orosius.

XVI. Muri deinde, qui soli remanserant, funditus sunt diruti, etiam lapidibus in pulverem comminutis. Ita Corinthum L. Mummius evertit ex Senatusconsulto, quod ibi violatum in legatis gentium jus fuerat; post annos nongentos quinquaginta, quam ab Alete Hippotis filio, qui sextus ab Hercule numeratur, condita fuerat. Hac acerbitate pœnarum opus videbatur, ut quod imperium hactenus clementia commendasset populis, id etiam adversus mansuetudinis contemptum, terror severitatis defenderet. Atque hanc rationem augendi res suas firmandique priscis etiam imperiis placuisse credibile est, ut incipientem potentiam facilius lenitate putarent crescere, ad summa perductæ non esse firmiorem metu custodiam. Nam ad modicas opprimendas opes, si per sævitiam timeri meruerunt, haud difficulter concurritur: validioribus rebus majus à facilitate periculum est; viresque non quasi infirmæ, sed quasi otiosæ spernuntur.

Suidas in τετάκος. Funditus diruitur à Mummio. Plinius. 35. 12. Liv. Epitom. Vellejus. 1. 13. Vellejus 1. 3. Diodor. apud Valesium.

XVII. Cæterum Mummius reliquis Græcorum concessa libertate, Corinthios omnes, & ex servis quos Diæus armaverat, quotquot superstites prœlio erant, sub corona vendidit. Ad quos sine ulla aliorum injuria, certo comprehendendos, hac arte dicitur usus. Convocatis promiscue omnibus, dissimulatoque interim proposito suo, armatos circumfudit: deinde edicere præconem jussit, *Corinthios & qui manumissorum cum his militassent, in servitutem peti: cæteris periculum non esse. jubere autem Consulem, ut quisque adstantem sibi teneat.* Ita quum effugium aut latebræ nullæ essent, facile qui quærebantur, sunt agniti. Cæteræ quoque prædæ magnam partem vendidit. Vis erat incredibilis signorum, tabularum vestiumque pretiosarum, præter ea omnia, quæ incendio hausta, aut à diripientibus confracta conculcataque perierant.

Paosio. Frontin. Strat. Mummii astutia in deprehendendis Corinthiis. Florus 2. 16.

XVIII. *Militaris insolentiæ cum imperitia conjunctum grande specimen vidisse* Polybius refert, qui tum ad sublevandam si qua posset patriæ calamitatem, ex Africa recens advenerat. *Aristidis enim summi pictoris Liberum Patrem, qui admiratione perfectissimi operis proverbio, nihil ad Dionysium, dederit locum, humi jacentem, ludentibus aleam militibus alvei vicem præstitisse.* Eadem mox tabula, quum præda venderetur, Attalo Regi sex millibus nummum empta est. quum Proconsul pretium admiratus, rescidit venditionem, ex alieno judicio pulchritudinem tabulæ suspicatus: quam mox in templo Cereris posuit, ubi spectata fuit magno visentium studio, donec ædis ejus incendio, postquam annos centum quindecim ibi fuisset, periit. Et quoniam ad hoc genus elegantiæ delapsi sumus, ex eo quoque tempore frequentatum æris Corinthii nomen est: magis quia fluentibus in unum auri, argenti ærisque me-

Militaris ferocia rudis & contemptrix artium. Strab. l. 8. Plin. 35. 4. Plin. 35. 10. Strab. Diod. lib. 30. Orosiu 5. 3. Florus. Plin. 34. 3. Athenæus 4. 1.

tallis, magna simul ejus materiæ copia exstitit: quam quod tum primum ejus mixturæ reperta sit ratio. nam & multis ante ætatibus celebrata Corinthii operis nobilitas fuit.

Thebæ & Chalcis diruuntur. Zonar. Strab. Liv. Epitom. Polyb. apud Valef. Paufan. Machab. 1. 8. Paufan. Corinthi. Zonar. Cic. in Ver. 4. 2. Paufan. Achai.

XIX. Ad hunc modum excisa Corintho, ager publicatus est, cujus maximam mox partem Sicyonii obtinuerunt. Itum deinde ad aliarum urbium supplicia. Thebarum & Chalcidis eversis urbibus; Chalcidensium equitibus multis occisis, *Bœotii Eubocensesque centum talenta Heracleotis pendere* jussi: *Achæi ducenta Lacedæmoniis*. Sed horum deinde gratiam civitatibus Senatus fecit. Cæterum aliarum quoque Græcarum urbium, quæ cum Achæis senserant, mœnia sunt dejecta, armis ademptis. Sed & donaria statuasque multis ex civitatibus sustulit Consul, ut tamen consecratis ad cultum abstineret, ex his, quæque Corinthi fuerant capta, magnam partem Philopœmeni qui Attali auxilia duxerat dedit; quæ longa deinde ætate spectata Pergami fuerunt.

Decem legati res Græciæ constituunt. Zonar. Cic. ad Attic. 13. 6.

XX. Convenere deinceps decem legati, consilium à Senatu imperatori additum, ad res Græciæ constituendas. In his A. Posthumius, & C. Sempronius Tuditanus fuerunt. Patrem Mummii, quamquam sit qui referat, fuisse non puto: quum etiam de Sp. Mummio fratre Proconsulis M. Tullius dubitet, quem in Achaja tum fuisse constat, fratris potius legatum, quam in decem fuisse: quod non soliti essent majores legare in decem, qui imperatorum necessarii essent. Hi ubi venerunt, popularis status ubique per Græciam sublatus

Paufan. Zonar. Paufan.

est, magistratibus ex censu constitutis. Libertas tamen urbibus, & suæ de cætero leges relictæ. Vectigalia deinde imposita; possessionibusque, quas extra fines urbium suarum habere locupletes consueverunt, interdictum. Concilia nationum in Achaja, Bœotia, Phocensibus, & per universam Græciam abolita. quæ tamen & ipsa paulo post supplices clementia Senatus recepere. Prætor sane quotannis in Græciam mittitur, sub nominis Achaici præscriptione, quia quum in provinciæ formam redigeretur, penes Achæos principatus gentis fuerat.

Polybii eo tempore merita in Græciam. Plutarch. Præcept. Politic. Polyb. Plutarch. cap. 7. Polyb. Paufan. Polyb.

XXI. Multum eo tempore Polybii virtus atque gratia, præcipue ex Africa in Scipionis amicitia profuit Græciæ: nam & pro Philopœmenis honoribus, qui per Achajæ civitates clarissimo viro constituti fuerant, quum abolerentur, prospero successu egit: & statuas Achæi, unde genti nomen, Aratique & Philopœmenis, quæ jam in Acarnaniam erant translatæ, obtinuit, rem multitudini gratissimam; unde & ipsi statuam ex marmore candido mox posuere, cum insigni titulo; *neque offensuram fuisse Græciam, si Polybii consilius paruisset; & post offensam illum unum adflictæ levamen exstitisse*. Idem quum quæstori bona Diæi aliorumque damnatorum vendenti (bona enim eorum qui conjuges aut liberos non habebant, vendi placuerat) à decem legatis præceptum fuisset, *ut quæ ex illis Polybius postulavisset, gratis addicerentur*, non modo pro se petiit

Paufan.

quidquam, sed etiam amicis auctor fuit, nihil ex spoliis istis attingendi. Hæc omnia quum intra semestre tempus decem legati perfecissent, in Italiam redierunt. Polybius ex eorum mandato civitates obiit, respublicas ad formulam ab ipsis præscriptam composuit: lites sustulit, brevique perfecit,

Zonar. Polyb. Paufan.

ut statu præsenti non adquiescerent modo Græci, verum etiam lætarentur. Unde vicissim omnibus illum eximiis honoribus per singulas urbes colere insti-

fuerunt. Quos inter in foro Megalopolis statua fuit, cum inscriptione, quæ *Polybium Lyrtæ filium Romanorum in Græcos iram mitigasse* testaretur.

XXII. At Romæ per idem tempus à duobus imperatoribus triumphatum est. Prior Q. Cæcilius Metellus de Macedonibus Achæisque speciosissimum triumphum in Capitolium duxit. Inter multos captivos qui currum ejus præcesserunt, insignis maxime Andriscus fuit, qui se pro Philippo aliquandiu & Macedoniæ Rege gesserat; magnum ad utramque sortem fortunæ mutabilis exemplum. Tertius hic de Macedonia triumphus fuit. in quo inter cætera spolia transvexit turmam, Alexandri Magni imperio à præstantissimo artificum Lysippo factam. Quinque & viginti ex amicorum ala in pugna ad Granicum ille Rex amiserat: eorum equestres statuas expressa singulorum similitudine fieri jussit, suamque inter illas. Hæ omnes in urbe Macedoniæ Dio locatæ fuerunt: inde Metellus Romam transtulit. Metello cognomen ex provincia debellata *Macedonici* hæsit: non quidem virtuti ejus indebitum; sed aliqua mutatio morum Romæ ex talibus quoque colligi potest: quum Q. Metellus cognomen adsumeret, quod ex eadem Macedonia neque T. Quintius primum, neque deinde L. Æmilius majoribus aliquanto rebus & contra veros Reges gestis, adsumpserant.

Q. Metelli Triumphus de Macedonibus, & Achæis. Liv. Epitom. Val. Maxim. 7. 1. & 7. 5. Eutrop. Florus 2. 14. Appian. Punicis. Vellejus 1. 1. Plutarc. Alex. cap. 26. Arrian. 1. 5. Plin. 34. 5. Vellejus.

XXIII. Justioribus aliquanto caussis Æmilianus Scipio *Africani* cognomentum, quod hactenus hereditarium habuerat, suis meritis adscripsit: hostibus exstinctis acerbissimis, excisa urbe æmula, amplissimisque regionibus in provinciæ formam redactis. De quibus rebus quum reportato in Italiam exercitu apud Patres disseruisset, *triumphus ei de Carthagine & Asdrubale*, magno cum honore decretus est, quem longe amplissimum duxit, translata statuarum & donariorum magna vi, omnique illo apparatu opum, quas tanto tempore multarum nationum Regumque victrix Carthago ex toto orbe congesserat. Argenti translatum reperio quater millena quadringenta septuaginta millia pondo. Duxit ante currum inter alios Asdrubalem & Bithyam, qui mox cum nobilissimis deditorum per Italiæ municipia distributi, vitam in libera custodia exegerunt. cæterorum pars in servitutem vendita: plures in carcere interierunt.

Zonar. Eutropius. Liv. Epitom. Appian. P. Scipionis Triumphus de Carthagine. Eutropius. Plinius 33. 11. Zonaras.

XXIV. Inter ista tot prospera (nec enim uti singulis hominibus, ita populis imperiisque ulla sine tristitiæ temperamento solida felicitas est) res in Hispania non difficiles modo erant, sed etiam magis ac magis adversæ dureque. Precipuus ibi Romanorum exercituum terror Viriathus erat, ex humilibus initiis, ad ingentem potentiam famamque profectus. Nam ex pastore venator, ex venatore latro, quum & audacia patientiaque ad omnes belli labores duratus, & cum accuratissima notitia locorum, pernicitatem viresque corporis eximias consequutus esset, post Galbæ in Lusitanos facinus, quod ipse periculum astu & robore effugerat, hominum quibus neque res neque spes certa usquam erat, manu collecta, multa feliciter audendo cœpit inclarescere: donec confluentibus ad eum quotidie plurimis, justi jam exercitus ductor, castra in aperto ponere, & cum populi Romani prætoribus acie congredi ausus est.

Silius 3. 354. Liv. Epitom. Viriathi initia, & profectus. Diodorus. 32. 5. Appian. Hispan. Diodorus. Florus 2. 17. Liv. Epitom.

XXV. Primus eorum C. Vetilius collatis signis victus, & quum in potestatem hostium pervenisset, interfectus est. Res ad hunc modum gesta traditur. Turde-

Diodorus. Appian. Orosius. Appianus.

tantam vastabat Lusitanorum exercitus, ad hominum millia decem. In hos recens Roma egressus cum supplemento C. Vetilius, adsumptis veteribus copiis, strenue movit: adeptusque pabulantes, magno interfecto numero, cæteros in locum adeo iniquum compulit, ut manentibus à fame, abeuntibus ab hoste certissima pernicies imminere videretur. Ergo legatos cum velamentis supplicum mittunt. horum talis oratio fuit.

C. Vetilius contra Viriathum proficiscitur.

Lusitanorum legatorum oratio.

XXVI. *Non equidem eo proposito, Romani, bella nobiscum geritis, ut innoxia gente deleta, solitudinem faciatis, aliter neque supplicatum venissemus, & si nihil potuisset melius, hoc certe egissemus, ne inulti occideremur. haud secus atque certamine cum feris inito, quod pacem ac fœdera nescit, nec nisi victoria aut morte terminatur. Vos autem late per omnes terras non modo rebelles populos victrici Marte domuistis, sed etiam plerosque æquis conditionibus illigatos, de hostibus socios amicosque fecistis. Hi ipsi populi, pro quorum tuitione castra ista hoc loco posuistis, aliquando hostes vestri neque minori vobis odio, quam hodie Lusitani fuerunt.*

Necessitatem excusant.

XXVII. *Igitur in caussa haud multum dispari quid parem à vobis exspectare humanitatem vetat? præsertim quia vobis notissimum est, non ingenii ferocia aut odio imperii vestri, sed fame ac necessitate cogente arma nos induisse, quo alimenta, quæ nobis à vicina & consanguinea gente denegantur, quando per amicitiam potiri non possumus, vi extorqueamus. Neque si belli ulla justa caussa est, aliis armis rectius ignoscas, quam quæ nulla imperii aut opum cupidine, tantummodo extremi exitii prohibendi gratia sumitur. Natura enim quæ rerum omnium mater atque domina est, ideo nimirum tanta frugum copia terras aliquas ditavit, ut exinde sterilitati aliarum solatium esset, & populi, quos ipsa genuisset, necessariarum rerum inopia interire ne cogerentur. Multis jam ab annis, inopia commeatuum incursare provinciam vestram soliti, magnam agrorum partem vastavimus: magna pars, metu cultorum otiosa jacet, remotiora quoque quo nos penetrare non possumus, à vestris & sociorum exercitibus exhauriuntur. Horum non maximam portionem, si nobis incolendam dederitis, jam omnia hæc bella quiescent. pacata fidaq; provincia vobis erit, & his apparatibus ubi plus gloriæ præmiorumq; apparebit, utemini.*

Utilem Romanis pacem fore docent.

XXVIII. *Neque gratuitum id beneficium poscimus, quæ sola habemus corpora atq; arma offerimus invicem, omnibusque bellis vestris fortem fidelemque operam navabimus. Id vobis utilius erit quam per invios montes pecora nostra consequi, & aut difficili bello multos viros fortes amittere, aut etiamsi victoria quæsita sit, nihil inde præter vanos titulos & inanem triumphum reportare. Sexaginta amplius anni sunt, ex quo pulsis Hispania Pœnis nostris exercitibus ducibusque signa conferre cœpimus: quæ toto eo tempore casuum varietas fuerit, commemorare nihil attinet. hoc utique tanto temporis experimento cognosci potuit, gentem Lusitanam neque exscindi facilem, neque servitii patientem esse. Denique sic habetote, libertatem nobis vita dulciorem, ad vitam porro ducendam agro, & frugibus opus esse. hæc si tribueritis, illam reliqueritis intactam, Diis bene juvantibus, efficiemus, ne quem sociorum vestrorum fide atque virtute ante Lusitanos esse opinemini.*

Viriathus pacem dissuadet suis.

XXIX. Non displicuit prætori conditio: jamque pacta sanciebantur; quum Viriathus: *Ecquæ hæc insania est*, exclamat, *viri. Quotquot hodie hic sumus, Romanæ perfidiæ, vitata Galbæ fraude, vitata Luculli, reliquiæ sumus: multiplicem nostrorum numerũ, idem ille, quo nunc petimur, dolus hausit. Nocentior Romani dextra*

est, quam posito ferro pacis & fidei ministram simulat. Neque adhuc eo deventum, ut si deditione tuti esse possemus, tantum dedecoris sit subeundum. Si obsequi salutaribus imperiis potestis, parata mihi ratio est, qua incolumes simus. Omnibus promptissime operam obsequiumque pollicentibus, exercitum eductum velut ad pugnam instruit: mille ex his delectos manere secum, cæteros *ut primum vidissent equo insilientem, dispersos in omnem partem contente fugere* jubet, admonitos, *ut ad urbem Tribolam se opperirentur*. Frontin. Strateg. 2.13. Appian.

XXX. Vetilius abeuntes metu resistentium insequi non ausus, suosque pene dedititios parato instructoque eripi dolens, tandem in Viriathum vertitur. At ille pernicibus equis conatum hostis omnem eludens, modo fugienti similis, deinde restitans, nonnunquam ultro minatus impressionem, & ea die & sequenti tota Romanos iisdem in campis detinuit. Tum vero suis abunde spatii ad securitatem fugæ fuisse conjectans noctu per ignotas vias equorum celeritate ablatus, Romanos armis onustos, imperitiaque locorum & imparibus equis tardatos, frustravit. Hoc tam callidum & felix consilium, maximam apud barbaros admirationem Viriatho, maximamque auctoritatem peperit: magnaque deinde multitudo ad eum, tanquam unicum ducem sese aggregavit. Vetilio elusos suos abducit incolumes.

XXXI. Cæterum Vetilius Viriathum persequens, quem Tribolæ esse audiverat, eodem cum exercitu proficiscitur. Iter per saltus faciundum erat, in quibus Viriathus partem copiarum absconderat: ibi cum paucis conspectus, deinde velut pavore refugiens, Romanum pudore & ira incautius instantem in paludes & voraginosa loca pertrahit: ipse solidis notisque semitis quum evasisset, repente conversus, simul à lateribus exsurgentes qui occultati fuerant, Romanum agmen cœno impeditum adoriuntur, & in loca magis magisque difficilia detrusum fundunt fugantque. Vetilium qui ceperat barbarus, senem videns & obeso corpore, tanquam vile mancipium interfecit. Cæsi cum eo captive fuere millia quatuor: sex millia Carpessum (quæ celebris illa veterum carminibus Tartessus esse creditur) cum quæstore perfugere. Is trepido adhuc militi non injuria diffisus, a sociis tum nationibus Bellorum Tithorumque impetrato quinque millium auxilio, eam manum Viriatho opposuit. à quo sic internecione deleta est, ut ne nuncius quidem effugisse tradatur. Tanto major quæstori metus, majorque necessitas fuit, ut intra mœnia urbis, haud multum ab obsessi fortuna distans, copias contineret. Romanos insequentes fundit fugatque. Diodorus. 32. 5. Appian. Frontin. Strateg. 2.5. Appian. Frontin. Appian.

XXXII. Unde C. Plautio, qui provinciam eam sortitus fuerat, major exercitus, millia peditum decem, mille trecenti equites dati. Huic etiam infelix & multis prœliis adversa expeditio fuit. Quum enim ad suas artes Viriathus sese retulisset, ex Carpetania, quam post Vetilii cladem impune vastaverat, velut terrore advenientis cum prætore exercitus, discessu facto; Plautius ad insequendum illum quatuor militum millia præmisit: quos ex inopinato conversus ille, paucis exceptis, occidione occidit. Inde Tago flumine superato, castra in monte quem Veneris vocant, oleis consito, posuit. Ibi cupiditate ulciscendi cladem acceptam Plautius eum eo congressus, nihilo pugnavit felicius, amissaque magna parte copiarum, quod superfuerat, per oppida distribuit, media æstate in hiberna militibus deductis. Unde Viriathus sociorũ populi Romani agros obibat, ne corrumperet messem, tributum exigens, & in renitentes ultione parata. Vincit deinde C. Plautium prætorem. Orosius. 5. 4. Appian. Orosius. Appianus. Livii Epit.

Segobrigenses adfligit. Frontin. Stratagem. 3.11.

XXXIII. Tum etiam Segobrigenses adflicti, gemino Viriathi dolo. Quum enim locum insidiis opportunum haud procul mœnibus observasset, cohortibus in eo dispositis, paucos misit, qui pecora Segobrigensium abigerent. Quos illi fuga recedentes quum avide insequerentur, ad insidiarum locum deducti, cæsique sunt. Iterum, quum itinere tridui discessisset, omne illud spatium uno die remensus, securam urbem & sacrificio cum maxime intentam, improvisus oppressit. Quæ res ubi Romæ sunt auditæ, Consulari duce exercitoque opus esse Senatus censuit; quo utraque simul Hispania defenderetur. Q. Fabio Maximo Æmiliano ea sors evenit, qui L. Hostilium Mancinum collegam in Consulatu habuit. Sed priusquam hic ire in provinciam posset, Claudii Unimani prætoris ductu denuo infeliciter cum Viriatho dimicatum. Exercitus Romanus propemodum occidione cæsus est. Viriathus trophæa in montibus suis posuit, trabeis, & fascibus imperatorum quos fuderat ad ignominiam Romani nominis exornata.

Liv. Epitom. Chrarx X. Chronicon apud Constan. ti. orphirog. Appianus. Auct. de Vir. illust. cap. 71. Florus 2.17. Adoois Chronic. Orosius. Auct. de Vir. illustr. Oros. Urb. cond. an. 608. Claudium Unimanum prætorem superat.

XXXIV. *Etiam C. Nigidium à Viriatho victum* reperio apud unum auctorem non ex optimis, cæterum neque quo omnino tempore, neque quo res gesta modo sit, additur. Quod magis constat, maximus ea tempestate terror ex Lusitanis fuit. quum dux callidus & audax genere hominum durissimo bellicosissimoque uteretur. Apud Claudium scriptum est, *quodam in saltu per ea tempora mille Romanis Lusitanos trecentos occurrisse, pugna commissa ex his septuaginta, Romanorum trecentos & viginti cecidisse. deinde Lusitanis sparsim & secure abscedentibus, unum eorum peditem ab aliquot Romanis equitibus circumventum, unius equum lancea perfodisse, tum sessoris caput uno ictu gladii dissecuisse. ita factum, ut cæteris attonitis & metu constantibus ille ad suos otiose & contemptim sese reciperet.*

Q. Fabius Æmilianus in Hispaniam proficiscitur. Diod. apud Valesium. Tacit. 1.72. Diod. Appian.

XXXV. Inter hæc C. Plautius die ad populum dicta, damnatus Lege Majestatis, quod rebus male gestis imperium populi Romani minuisset, exilii caussa solum mutavit. Q. Fabius Æmilianus Consul, cui Senatusconsulto decretum erat, uti legiones duas scriberet, tirones scripsit: ut iis qui modo Africam aut Græciam aut Macedoniam subegerant, pro navata utiliter opera aliquod ex vacatione præmium foret. Cum his & auxiliis sociorum in Hispaniam profectus, Orsone copias recensuit. quindecim millia peditum, equites ferme bis mille reperti. Hos quotidianis exercitiis confirmare instituit, priusquam hosti non spernendo novum militem objiceret. Id quoniam per legatos agi poterat, ipse trajecit in Gaditanam insulam, Herculi sacra facturus, quem etiam gentili religione colebat, quod Fabiorum progenitor ille credebatur.

Ejus legatus funditur à Viriatho. Plutarch. Fabi. cap. 1. Appianus.

XXXVI. Per absentiam Consulis Lusitani lignatoribus Romanorum insidiati, multos occiderunt; etiam legatum Consulis collatis signis dimicare ausum fuderunt, ingenti præda potiti. Ad horum famam quum Fabius adcurrisset, Viriathus victoria ferox, & ut cum tironibus pugnaret, subinde instructis copiis Consulem ad pugnam provocabat. Sed ille consilii tenax cum universis quidem copiis in prœlium descendere recusabat; per crebras velitationes modo hos modo illos suorum ferendo hostium conspectui vulnerumque & mortis terrori adsuefacere contentus. Pari solicitudine ne inter pabulandum improviso hostis incursu opprimerentur, providebat; ipse plerumque cum equitibus circumcursitans, & armatorum custodia metentibus adposita. Hanc enim diligen-

tiam à Patre Paullo, cautissimo imperatore, Persei bello didicerat. Cujus etiam severitate in tuenda militari disciplina usus, clarissimam exinde famam reportavit.

XXXVII. Sed in Urbe C. Licinius Crassus tribunus legem promulgavit, *uti sacerdotes non ut antea cœptione collegarum, sed suffragiis tribuum crearentur.* Erat plane populare legis argumentum: populi enim beneficium fiebat, quod hactenus in potestate fuerat paucorum. Non placebat res Senatui, cujus in contumeliam tribunus mutato veteri more, non in curiam & comitium, sed in forum versus agere cum populo instituit. Dissuasit legem C. Lælius Sapiens prætor; nobilique oratione religionem injecit populo, si quid in rebus ad cultum deorum pertinentibus temere mutaretur. Eumdem Lælium in Hispania res gessisse, quanquam annalibus exciderit, magni tamen auctoris testimonio constat. Nam egregium illum Viriathi bello fuisse, ferocitatemque illius in prætura comminuisse, ita ut facile bellum reliquis traderet, in M. Tullii Ciceronis lucubrationibus scriptum est.

Lex Licinia de Sacerdotibus creandis. Vellejus. 2.3. Cicer. Lælio cap.26. Var. de re Rust. 1.2. Cicero Bruto. cap.21. Cicero de Nat. Deorum 3.2. Cicero Bruto. Cic. de Offic. 2.11. Liv. Epitom.

XXXVIII. Sub hæc tempora magnæ iterum mutationes rerum in Syria fuere. Alexander non melior quam pro obscuritate generis sui Rex, amicos neque ferre neque regere prudens, pluribus interfectis, opera reliquorum personam principis, sine auctoritate sustinebat. Ex quibus Hieracem, & Diodotum Apamenum (qui deinceps sub Tryphonis cognomento tyrannidem exercuit) Antiochenæ urbi præfecit. Adversus hunc ob stultitiam invisum populo Demetrius Rege Demetrio genitus bellum excitavit. Illum cum fratre Antiocho pater hospiti Gnidio cum magna vi pecuniæ commendaverat, ne universam domum periculo belli, quod cum Alexandro gerebat exponeret. Audito patris exitu in Cretam perfugit adolescens; donec hortante Lasthene Cretensium duce, & ex eadem insula suppeditante auxilia, repetendis avitis opibus animum adjecit. Alexander intellecto Demetrium ex Creta in Ciliciam trajecisse, magis metu suo quam hostis robore pulsus Antiochiam recessit, relicta Cœlesyria, cujus prætor Apollonius, quum Demetrii partes sequutus, hujus auspiciis contra Jonathanem Judæorum ducem male pugnavisset; meliori spe sublatus Alexander, viribusque potior conatus hostium haud difficulter eludebat.

Alexandri & Demetrii bellum de Regno Syriæ. Diodorus. apud Vales. Eusebius. Trogi Prolog. 35. Liv. Epit. Justin. 37.2. Epitom. Liv. Sulpicius Severus. Joseph. 13.8. Machab. 1.10. Josephus. Machabæi. Eusebius. Justin. Sulpic. Sever.

XXXIX. Ergo Demetrius majoribus auxiliis opus esse cernens, Ptolemæum Philometorem Ægypti Regem excitat. Quanquam enim is filiam Alexandro uxorem dederat, tamen sive infensus genero, sive occasionem invadendi regni vicini amplexus, cum ingentibus pedestribus equestribusque copiis in Syriam venit, tanquam genero suppetias laturus. itaque civitates ei portas, ut amico aperiebant, jubente Alexandro, sive credebat sinceram soceri mentem esse; sive simplicitate sua putabat illius obligari fidem & pudorem posse. nisi tamen dissimulatione ista occasio quærebatur tollendi per insidias, quem viribus non erat repellere. Nam & quæ sequuta sunt, hanc suspicionem vehementer adfirmant.

Ptolemæus Alexandri socer in Syriam venit. Machabæi. Joseph. Machab. Joseph. Machab. Zonar.

XL. Quum enim Ægyptius per Azotum & Joppen (ubi Ionathan ei Judæorum dux occurrit) Ptolemaida venisset, firmatis præsidio quas relinquebat urbibus, propemodum interfectus est Ammonii dolo, qui omnia apud Alexandrum poterat. Ergo per literas petito ad supplicium, nec dedito Ammonio, generum insimulans *conscium insidiarum in caput suum fuisse*. cum Demetrio socie-

Joseph. Machab. Insidiis generi appetitus. Demetrium juvat. Plin. 5.21. Josephi

tatem amicitiamque pangit. Habebat jam in potestate totam oram maritimam, ad Seleuciam usque, quam cognomento Pieriam vocant. inde Antiochenos sollicitans, & ipsos Alexandro iratos, ob scelera Ammonii, in partes suas attrahit. Commodum aberat cum meliori parte copiarum Alexander, ut Cilicum nonnullos qui defecerant, ad officium armis revocaret.

Liv. Epitom. Sulpic. Sever. Joseph. Polyb. apud Valef. Joseph.

XLI. Ita licentius mutantibus fidem Antiochenis, Ammonius in muliebri stola, quam ad dissimulandam personam induerat, interficitur: uxor Alexandri ad patrem redit, statimque Demetrio in matrimonium traditur. Ptolemæus Antiochiam ingressus, à populo militibusque *Rex Syriæ* salutatur, & omnibus magno studio tendentibus, gemino diademate insignis, utriusque Regni dominum profitetur. Sed ut erat natura bonus & æquitatis amans, ad hæc futuri non improvidus, neque recte se facere neque prudenter arbitrabatur, si alienum imperium invitis Romanis occuparet: quos utique æmulatione potentiæ certos hostes putabat habiturum, quisquis Ægypti Syriæque regna conjunxisset. Quare convocatis in concionem Antiochensibus, post enumerata beneficia sua, in hunc maxime modum disseruit: *Erant hæc omnino talia, ut nemo præstaturus alteri videretur: ideoque plerique ad Regnum Syriæ comparandum hæc à me fieri sentiebant & loquebantur. Quorum ego opinionem quia factis refellere decreveram, verba verbis coarguere supersedi. Nunc autem & illis respondebo, & meorum factorum omnium rationem vobis reddam; hujus postremi maxime, quod & accipere Syriæ regnum mihi placuit, & reddere acceptum placet.*

Syriaci Regni diadema sumit. deinde deponit.

XLII. *Non enim aut cæca cupidine raptus hoc diadema cepi: aut coactus à quoquam, vel aliqua perperam facti pœnitentia depono: sed utrinsque temporis justissimis rationibus inductus. Quum enim in Syriam eo tempore descendissem, quo divisæ mutuis dissensionibus opes, suum in exitium velut ruina ferebantur, & illum quem benevolentia mea Regem generumque fecerat; ipsius ingratus animus, compositæque in caput meum insidiæ hostem effecissent; nihil tam nocere rebus animadverti, quam quod honesta pars civium, qui in pace & Republica constituenda suam incolumitatem, suorumque fortunas omnes consistere intelligebant; non tam præsentibus mœsti, quam de futuro soliciti erant; neque quo se verterent, aut in quo deinde spes opesque suas ponerent, reperiebant.*

Facti sui rationem reddit.

XLIII. *Alexander neque ab initio justus legitimusque Rex à plerisque creditus, tanta sævitie superbiaque egerat, ut eo salvo neque publicam rem, neque privatam cuique salvam esse posse confiderent. Demetrium paterna odia prægravabant, & quia neque qualis futurus esset, præsciri, neque quantam potentiam ad defendendos quos adplicuisset, habiturus foret, provideri poterat. Idcirco temere permixta fortunæque permissa omnia neque consilium certum, neque propemodum voti copiam relinquebant. Nam ubi vi agitur neque recte aut secus factis idoneus ultor propositus est, boni mores illico extinguuntur. Hoc ego rerum statu meum nomen, meamque auctoritatem accommodandam censui, qui probos pariter improbosque adverterem, & finem aliquem calamitatis ac maleficiorum, expectare alii auderent, alii facere cogerentur. Sic*

Rebus turbatis caput deesse meliori parti populi doluisse.

erectis

erectis civitatum animis, ingens statim ad meliores partes transitio facta; & ipsa caput Syriæ Antiochia decidit litem: abdicatoque Alexandro, cæso ministro scelerum Ammonio, & filiam mihi restituit, & insignia Regni dedit.

XLIV. *Hactenus ego nihil pristina mea abstinentia indignum feceram, quod meritum virtute præmium ratio non erat aspernari. Sicut enim Olympicis Isthmicisque certaminibus victores virtutis caussa coronantur, idque longe præcipuum tota Græcia decus est, sic ego non alienum nec injustum arbitrabar, me quoque laborum aliquam mercedem capere: sed hanc, quæ semper summa ab omnibus æstimata est laudis & gloriæ. Nam opes, potentiam, Regna immodice augere velle, non tam magni clarique, quam cupidi animi opus est. & hæc interdum à fortuna etiam infantibus deferuntur. Mihi sicut minime dolet, quod summa voluntate vestra Syrorum Rex appellatus, ad tuendam ejus nominis dignitatem animorum opumque satis habeo: ita majoris me viri specimen daturum arbitror, si honore contentus, Syriam, cui & dii destinarunt, & vos non invidebitis, restituam.* Honorem regni delati, ut virtutis præmium accepisse.

XLV. *Gener meus Demetrius, bonus & fortis adolescens, Seleucidarum haud dubius sanguis, unus & hodie, cui diis hominibusque approbantibus possim hoc imperium reddere. Neque vos moveat, quod cum patre ejus iras atque bellum habuistis. Sepultis cum mortuo inimicitiis potiora nova merita erunt. neque si in me quidquam auctoritatis esse putatis, clementis imperii magister duxque deero. Te quoque Demetri, ne paternorum temporum memoria ita subeat, ut illud incitamentum potius irarum, quam mansuetudinis habeas. Crebra mutatio Regum nec imperantibus nec quibus imperatur læta esse potest. Jam à multis annis triste documentum Syria dedit, quid inter populum Regemque discordiæ possint: & quam invictos si consentiant, inter simultates exiguæ sæpe & inopinatæ caussæ possint evertere. Igitur quod mihi vobisque faustum sit, quod à vobis accepi diadema, en restituo, ut huic Demetrio imponatis. Mihi sufficiunt Ægyptiæ opes, quæ Magno Ptolemæo, cæterisque majoribus meis suffecerunt. Et tamen quantum abest, quin in parte imperii esse videar, cujus & filiam Reginam relinquo, & Reges spero nepotes?* Demetrium commendat Syris. Justin. 35. 2. Joseph. Justin.

XLVI. Ità persuasis Antiochensibus Demetrius in regnum recipitur. Neque milites, quorum plerique sub patre Demetrio meruerant, signa cunctanter ad eum transferebant. Redit inter hæc ex Cilicia Alexander, cum numeroso exercitu, finesque Antiochenos igni ferroque pervastat. Occurrunt ei Reges totis viribus. in campis ad Oenoparam amnem pugna committitur, duorum Regum exitio. Nam Alexander, quum ex adverso prœlio ad regulum Arabiæ Zabdelum (Græci Dioclem interpretantur) cum quingentis ferme equitibus in urbem Abas perfugisset; suorum proditione & hospitis perfidia trucidatur. Ptolemæus paucos post dies ex vulneribus obiit. Quum enim equus ejus elephanti barritu exterritus regem excussisset, hostes multis in caput plagis prostratum convulnerarunt. Unde raptus à custodibus corporis in tabernaculum, quum medici terebrare ossa capitis contenderent, toto quatriduo sine voce & sensu jacuit. quintus demum dies utrumque, sed in perpetuum ablaturus reddidit; conspecto ante mortem Alexandri capite, quod Zabdelus ad eum miserat. id ergo sumptæ Eusebius. Pugna inter Reges, exitiosa Alexandro & Ptolemæo. Joseph. Strab. lib. 16. Joseph. Eufeb. Diodorus. 32. 1. Polyb. Ioseph. Liv. Epitom. Ioseph. Eufeb. Diod. Strabo. Diod.

ab inimico ultionis imagine postremum exspiranti solatium gaudiumque fuit.

XLVII. *Oraculum in Cilicia paulo ante hanc expeditionem ab Apolline Sarpedonio* (sive Dianæ potius hoc cognomento fanum fuit) *redditum Alexandro* dicitur, *caveret locum, ubi biformis esset editus. Hac ambage significatas Abas*, putant, *ubi nata quadam Herais fuerit, quæ postea mutato cum sexu nomine Diophantus, ex acie cum Alexandro in patriam suam refugerit*. Demetrius ob victoriam cognomine Nicatoris à Syris honoratus mortem duorum Regum in occasionem suam convertit, nihilo magis iis parcens qui in iisdem partibus, quam qui in adversis steterant. statim enim & auxilii quod à Ptolemæo acceperat, & quam cum eo contraxerat, adfinitatis oblitus, exercitui ejus insidias struere cœpit: passimque præsidia Ægyptiorum à civitatibus sunt interfecta. Reliquæ copiæ Alexandriam se recepere, relictis tamen elephantis, quos Demetrius cepit. Alexandrini fratrem exstincti Regis Physconem cognomento, Cyrenis, ubi regnabat, arcessitum Ægypti regno præficiunt. Quod homo omnium facinorosissimus per annos quindecim quibus Alexandriæ regnavit, maximis implevit ralamitatibus.

Appianus. Syriac. Ioseph.

Demetrius ingratus in Ægyptios.
Machab. l. 1.
Ioseph.
Livii Epitom.
Ioseph. contra
Appian. lib. 11.
Diodorus. ap Vales.
Iustin. 38. 8.
Diodor. apud Eusebium.

XLVIII. Nam eodem die, quo ad accipiendum regnum Alexandriam intraverat, multos ex principibus, quos fratris filio favere cognoverat, interemit. Nuptiis deinde matris ejus Cleopatræ, quam sororem suam, fratris alterius viduam matrimonio sibi jungebat, ipsum quoque puerum, mox illorum etiam, à quibus vocatus in regnum fuerat, quotidie multos occidit. Hinc exacerbatis omnium animis, odioque simul ac metu ægris, vulgo jam occasio deficiendi circumspiciebatur: plenaque omnia inter infensos & suspectos, diffidentiæ & irarum erant.

Physcon Ptolemæo succedit, homo facinorosus.
Iustin. Diod.

XLIX. Igitur Demetrius, quum sublato in Syria æmulo, rebus Ægypti per intestinas discordias invalidis, omni se periculo exemptum esse crederet, in segnitiem pariter fastumque prolapsus, magnitudinem quam fortuna adstruxerat, suis consiliis factisque cœpit demoliri. Sed duobus maxime rebus graviter impegit, quod & despiciebat suos, nec ex peregrinis legebat ut quisque aliqua re excelleret, sed qui suas virtutes impudenter jactarent, & inepte prædicarent Regias. Non tam proclive est bono quam sequiori principi similem sui aulam efficere: sponte ferimur in deteriora; virtutum exercitatio difficilis est etiam cum præmio placendi.

Demetrii segnities & fastus.

L. Igitur Demetrio hominis Regisque officium negligenti, non defuere, qui magis magisque præcipitem ad prava facta consultaque agerent. Maxima præ cæteris auctoritate Lasthenes erat, non levi merito, reducti in avitum solium Regis, illum Demetrius etiam in publicis edictis patrem vocare solitus, gravissimis regni negotiis præfecerat. ipse ad otium & voluptates applicabat animum, etiam meretriciis amoribus deditus. Quippe Myrinen Samiam quæ corpore quæstum fecerat, ita diligere dicebatur, ut nihil in regio præcipuum ipse præter diadema haberet, in cæteris haud inferior Myrinæ potestas esset.

Iosephus.
Diod. apud Valesium.
Nicolaus Damascenus apud Athenæum. lib. 13.
Myrinen meretricem amat.

LI. Lasthenes igitur homo pravus & temerarius juvenem blanditiis & adsentationibus impelli facilem, primum ad tollendos è medio, qui adversati ei fuissent, impellit. mox persuadet, ut exauctorato domestico in lite, tantummodo Cretensibus, cæterisque insularium, qui sequuti eum in militiam

A Lasthene ad sævitiam impellitur

fuerant, stipendia præstentur. Ea res non modo plerosque privato dolore commodorum ereptorum urebat, sed reliquis etiam novi nec probandi exempli videbatur: quia prioribus Regum ad servandam vulgi benevolentiam, etiam in pace alere exercitus consuetum fuerat. Diodorus. Iosephus. Herodian. lib. 11.

LII. Accedebat & sævitiæ odium, quo ipsum quoque patrem vincere videbatur. Igitur, Antiocheni, pronum ad seditiones genus, non diu temperare animis potuerunt, quin dictis factisque contumeliosis Demetrium lacesserent. Contra ille mercenariis copiis conductis, arma tradere Antiochenos jubet. Illi magis irritati quam fracti hoc imperio, centum viginti hominum millibus regiam circumdant mortem aut vincula Demetrio minitantes. Facit in hos impetum cum mercenariis Rex, & à majore oppidanorum numero repellitur; eratque in magno & evidenti periculo, nisi auxilia Judæorum (tria millia Jonathan miserat) tecto arcis conscenso, in oppugnantes impune jaculati, ex vicinis domibus eos abegissent, domosque super incendissent. Antiocheni rebellant. Ioseph. 13.9. Diodorus. Machabæorū. 1.11. Ioseph.

LIII. Plena ædificiis, maximam partem ligneis, erat Antiochia; quare brevi tempore sumptis viribus tota fere urbe incendium pervagatum est. Rex oppidanos partim igne exstinguendo, partim eripiendis uxoribus liberisque occupatos prælium omisisse videns, repente per angiportus erumpit: multisque cæsis arma ponere ceteros, & clementiæ victoris se permittere cogit. atque illa magis promissa dedentibus sese, quàm deditis præstita est. Multi tanquam concitores seditionis excruciati tormentis, suppliciоque adfecti sunt, bonis publicatis. plures metu odioque Regis patria relicta passim per Syriam oberabant, occasionem vindictæ quæritantes. In ipso porro tumultu hominum interiisse dicuntur millia centum. Diodorus. Ioseph. Sed victi duriter tractantur. Diodorus. Livii Epitom. Diodorus. Machab. 1.11. Eusebius. Ioseph. Euseb.

LIV. At Demetrius, quasi parum inimicorum haberet, etiam amicos cœpit infestare. ducique Judæorum minaces literas misit, *ut tributa omnium annorum, ex quo pendi desiissent, repræsentarentur*. Lætus hæc Diodotus Apamensis audiebat: qui fidus adhuc Alexandro, sub quo ad amplissimas præfecturas fuerat provectus aut propriis caussis, Malchum Arabem, apud quem Alexandri filius Antiochus educabatur, exorat, *ut sibi puerum tradat, tempus enim adesse, quo in patrium ille regnum restitui possit*. Bimulus admodum puer erat; quem in Syriam adductum, protinus deficientibus ad eum quas Demetrius sacramento solverat copiis, regiis insignibus ornat. Occurrit & cum suis Demetrius: sed pugna commissa vincitur. Diodotus elephantos, & mox Antiochiam urbem in potestatem redigit: sponte oppidanorum, quibus Antiochus Epiphanes, & qui ab eo jactabant genus, comiter præfuerant; Demetrius patri avoque similis, ut propria illi familiæ superbia crudelitasque videretur, effecerat. Demetrius quum Laodiceam perfugisset, ne adversis quidem factus temperantior, per voluptates & suorum injurias, luxuriosus simul, & sævus, ingenio obsequebatur. Iosephus. Diodotus Alexandri filium reducit, Demetrio pulso. Livii Epit. Ioseph. Machabæi. Diodorus.

LV. Postea quum ibi quoque tutum se fore desperaret, in Ciliciam concessit; Seleuciæque (ad Calicadnum amnem sita urbs est) aliquandiu Regiam habuit: quum veluti divisis Syriæ opibus Antiochus puer cum tutore Diodoto Antiochæ regnaret. De his rebus crebræ per id tempus legationes à Regibus civitatibusque Asiæ Romam venerunt. Inter quos & ab Jonathane Judæorum Principe quidam missi, fœdus quod populus Romanus cum fratre Jonathanis Juda pepigerat, re- Livii Epitom. Eusebius. Strab. lib. 14. p. 321. & 161. Casaubon. Ioseph. Machabæi. Jonathan fœdus renovat cum Romanis.

novarunt. Magnus hic vir & industrius habebatur, & illo quoque bello quum injuriis Demetrii coactus, cum hostibus ejus societatem iniviſſet, magna illi damna intulerat, ſæpe fuſis regiis prætoribus, & præter Aſcalonem, Gazam, Damaſcum, nobiliſſimas urbes pleraque Phœniciæ parte abſtracta.

L. Mummius Macedoniam & Græciam ordinat. Polyb. ap. Valeſ. Pauſan. lib. 5. Polyb. Polyb. Liv. Epitom. Frontin. Strata. 4 3.

LVI. Dum hæc in Syria geruntur, L. Mummius profectis ex Achaja legatis, donec præſens ſtatus coaleſceret, ſimul ne forte motibus Orientis recens ſtabilita Græciæ Macedoniæque pax ſolicitaretur, aliquantiſper ſubſtitit, quo tempore & quod in Iſthmo delubrum eſt, inſtauravit, & Delphicum templum ornavit, etiam Olympiæ Jovem æneum, itemque clypeos inauratos unum & viginti, de manubiis Achæorum dedicavit primus Romanorum: nam ante illum donum in aliquo Græciæ fano, Romanus nemo privatim poſuerat. Poſtea civitates pleraſque obeundo, exquiſitis ubique honoribus exceptus eſt. Meruerat enim coli non tantum victoris auctoritate, ſed magis etiam ob manſuetudinem, & abſtinentiam: qua virtute illis etiam temporibus, quum adhuc multum antiquæ ſeveritatis in moribus eſſet, admirationi fuit. quum enim longe opulentiſſimam urbem cepiſſet, omniſque generis ornamentis inſtructiſſimam, ex iis plane nihil in ſuam domum intulit, adeoque pauper deceſſit, ut *exemplo majorum filiæ ejus dotem ex publico* Senatus *dari* juberet.

Vellejus 1.13. Appian Puni. Virg. Æneid. 6 Eutropius. Val. Max. 7.5. Vellejus. Strab. lib. 8. Plin. 5. Cicer. Officior. 2.2. & in Verrem. 1. 21. Auctor. de Vir. illustr. c. 40. Diod. apud Valeſium. Strabo. Diodor. Cicer. in Verrem 4.2. Triumphus Mummii, magnorum artificum tabulis ſtatuiſque decoratus. L. Luculli aſtus & Mummii magnanimitas. Tacit. 14.21. Polyb. apud Athenæum 8.31.

LVII. Et erat alioqui ad intelligenda magnorum artificum opera rudis in tantum, ut cum tabulas ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, edixerit conducentibus, *ſi eas perdidiſſent, novas eſſe reddituros*. Sed ille ſatis habuit his talibus triumphum ſuum inſtruere, quem de Achæis in Capitolium duxit; quo nullus neque antea neque poſtea rerum iſtarum ſpectaculis ornatior fuit. Hic etiam licet delibata per Metellum victoriæ gloria fuerat, cognomen *Achaici* acceperat, favente Urbe, quæ non minus magnificis ejuſmodi civium ſuorum titulis creſcere videbatur, quam ductu illorum auſpiciove creviſſet. Illi victoriæ maximam pulcherrimamque partem ornamentorum ſuorum in tabulis ſtatuiſque Roma debuit: ſed & vicinæ circum urbes liberaliter excultæ ſunt: etiam in ceteram Italiam, ipſaſque adeo provincias exundante copia,

LVIII. Vir enim magnanimus, & qui majoribus ex rebus quærendam ſibi gloriam arbitrabatur, non erat ſane in concedendo talia difficilis: ferturque L. Licinio Lucullo, qui votam bello Hiſpano ædem dedicabat, commodato acceptas ſtatuas reddere detrectanti, quod *conſecratione templi exemptas hominum commercio* diceret, neutiquam ſucceníuiſſe, manubiaſque ſuas ſub alieni nominis inſcriptione conſpici, æquo animo paſſum. Atque hic tam ſeverus cetera, ludorum tamen Græcorum in Urbe elegantius edendorum (nam L. Anicius incompte fecerat) primus exemplum dedit: quod vulgo deinceps ſequuti homines ſunt, quum probitas & abſtinentia viri pauciſſimos imitatores inveniret.

FINIS LIBRI LII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



P. Claudius Consul Salassos, gentem Alpinam domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia à L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est, Q. Cæcilius Metellus Proconsul Celtiberos cecidit. à Q. Fabio Proconsule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis aliquot urbibus, recepta est. C. Julius senator Græce res Romanas scribit.

I. SER. Sulpicius Galba, L. Aurelius Cotta Consules sequuntur. Quorum in magistratu, aut circa hæc tempora, quum innovatum esse de provinciarum administratione haud absurdis rationibus conjiciatur, utile erit, veterem circa prætorum imperia morem, & qui deinceps obtinuerit, exponere. Et quidem de initio magistratus hujus, & quomodo ab uno prætore ad binos, postea ad quaternos numerus auctus sit, adjectis deinde Hispaniis seni creari cœperint, suis quodque temporibus relatum est. Tum igitur quum adhuc seni quotannis prætores fierent, neque plures creari placeret, eveniebat, ut plures essent provinciæ, quam qui in illas cum imperio mitterentur. Urb. Cond. ann. 609. Provinciarum administrandarum ratio mutatur. Polyb. in Annalib. Roman.

II. Nam & nuper adjectis Africa, Macedoniaque & Achaja, magnis imperium auctibus creverat. Igitur ista deinceps ratio placuit, ut non prætores, sed ex prætura provincias regerent, annum præturæ in Urbe exigerent, præter consuetas inter cives peregrinosque jurisdictiones, aliis etiam quæstionibus rerum capitalium, quæ exinde perpetuæ haberi cœperunt, in sortem missis. Hoc modo fiebat, ut quum uno anno prorogatum imperium provincias obtinentibus esset; & sequente deinceps sex earum, quas Senatus censuisset, iis qui modo prætura essent functi, sorte darentur. Sed hæc quidem, quo maxime pacto, quoque tempore sint introducta, parum exploratum. illud non jam ambiguæ conjecturæ, sed ex probatis monumentis certæ fidei est, neutrum ex Consulibus ejus anni ad Hispanienses exercitus mitti placuisse, quum de eo inter ipsos gravis contentio incidisset. Prætores annum in Urbe exigunt: deinde proficiscuntur in provincias. Cic. Brut. cap. 17.

III. Quo tempore quum Senatu in diversas opiniones scisso, P. Africani sententia ab omnibus cupide exspectaretur, *neutrum*, inquit, *placet mitti: nam alter nihil habet, alteri nihil est satis*. Ea vox utrique speratam provinciam ademit. nam & Galbæ in maximis divitiis nota avaritia erat, per quam in prætura quoque multa prava facta fecerat: & Cotta obæratus, vixquemadmodum creditoribus suis honeste satisfaceret, reperiebat. Igitur Patres conscripti æqualiter infensam esse imperatoris innocentiæ magnam inopiam sine magna probitate, atque in maximis opibus majorem cupiditatem existiman- Valer. Max. 6. 7. Neuter Consulum in provinciam mittitur.

tes, imperium Hispaniarum Q. Fabio Æmiliano prorogarunt.

Q. Fabius Viriathum vincit. Appianus, Hispan.

IV. Ergo Q. Fabius, quum eousque studiose exercitas copias viribus animisque confirmasset haud dubitavit eum Viriatho congredi: duobusque prœliis superior, urbem quandam, quæ in societate hostium erat, diripuit; deinde aliam incendio delevit. ipsum quoque Viriathum ad locum cui Bæcor nomen est, fugientem consequutus, multos interfecit. rebusque his perfectis, quum interim exiisset æstas, Cordubam hibernatum abiit. In Urbe M. Titius prætor, qui inter cives & peregrinos jurisdictionem fuerat sortitus, negotium à Senatu accepit, Aniensis Appiæque aquæductus vindicandi: qui vetustate aut privatorum fraudibus minuebantur eidem injunctum, ut novas quoque aquas curaret inducendas. majorem enim aquæ modum incrementa Urbis postulabant: quum à tot hominum millibus incredibilis ejus vis non potu solum, sed etiam abluendis corporibus, eluendis vestibus, quotidie absumeretur.

Frontin. de Aquæ ductibus.

Lips. de magnitud. Romanorum. 3. 11.

V. Pecunia ad hæc ex ærario decreta, sestertium millies octingenties. Consularibus deinde comitiis Ap. Claudius Pulcher, Q. Cæcilius Metellus Macedonicus facti. Metellus post geminam continui biennii repulsam difficulter obtinuit, majore civitatis pudore, quam suo. nam uti tertio ante anno Q. Fabius fratri Scipioni, L. Mancinus rebus ad Carthaginem utcumque gestis debere Consulatum potuit: ita proximum par Consulum, cui neque provincias credi Senatus censuerat debere, nihil habebat, cur nobilissimo viro, fortissimoque imperatori anteferretur: sed videlicet quemadmodum alia externa, sic honores atque magistratus, non continuo virtutis argumentum sunt: quia nonnumquam deterioribus cupide tradita, bonis, ob hoc ipsum quod sunt boni, denegantur. Idque Metello nocuerat, quem ob integritatem morum, & in Macedonia Achajaque antiqua severitate actum imperium, corruptior in dies plebes, ut iniquum & tristem aversabatur. Sed ipsam hanc injuriam civium incitamentum ille virtutis habuit, ostensurus, non leviori damno civitatem tali Consule, quam se talem virum Consulatu caruisse.

Metelli gemina repulsa in petitione Consulatus. Auct. de vir. illustr. cap 61.

Val Max. 7. 5.

Urb. cond. ann. 610. Ap. Claudius Salassis infert bellum. Diod. apud Valesium.

VI. Æquiorem ad hæc, inito Consulatu, sortem expertus, quam ad obtinendum eum populi suffragia fuerant, Hispaniam accepit, in qua bellum gerebatur; quum Appio Italia evenisset. In qua quia pacata erant omnia, Metello invidens vir inquieti animi, & triumphi avidus, undique materiam belli captabat. Evenitque ei levis occasio, cui adeo non defuit, ut ex hac mox prætextum exsculperet, arma Salassis inferendi. Salassi gens Alpina vallem amplam incolebat, partemque montium quibus ea claudebatur. Iis erat ipsis perpetua cum populis infra eos habitantibus ob Duriæ amnis fluenta; qui ad usum metallorum (nam in Salassis aurum provenit) varie divisus intercipiebatur, ne rigare inferiora colentium agros posset. Eam injuriam qui læsos se putabant, apud Senatum questi, obtinuerunt, ut Appio Consuli disceptatio ista mandaretur. Ille gentem innoxiam lacessendi arrepto titulo, regionem late vastando, capere arma Salassos omissa cunctatione cogit. Sed quum in locis impeditis & difficilibus non minori cupiditate gereret bellum, quam concitaverat, ad quinque millia hominum adverso prœlio perdidit.

Liv. Epit. Strab. lib. 4. Diodorus. Strabo Diod.

Orosius 5. 4. Jul. Obseq.

VII. Ejus rei nuncio Romam perlato Decemviri M. Æmilium Lepidum prætorem adeunt, nunciantes, se quum prodigiorum caussa libros Sibyllinos in-

spexissent, reperisse, quoties bellum Gallis inferendum esset, sacrificari in eorum finibus oportere. monuerunt etiam ex iisdem libris, aquam non Marciam, sed Anienem in Capitolium perducendam esse. De aqua M. Titio negotium datum: ad Consulem ex Decemvirorum collegio missi duo, qui nunciarent simul, quid fieri oporteret, curarentque faciundum. Ita velut placatis numinibus majori omnium spe redintegratum est bellum: collatisque signis quinque millia hostium cæsa. In pari utrinque clade, quum haudquaquam par ad reparanda damna facultas esset, perculsa gens Salassorum legatis ad Consulem missis imperata facturam ostendit. Consul aurifodinas, & quod agrorum in planis erat, ademit: superiora relicta; ut tamen aquarum ad metalla copiam redemptoribus pretio concederent, pactum.

Front. de Aquæ-ductibus. Eosque vincit. Liv. Epitom. Strabo.

VIII. Ea victoria tumens Appius quum ad Urbem revertisset, non à Senatu, non à populo petita potestate triumphandi, tantum *pecuniam ex ærario ad sumptus triumphi*, tanquam suo jure, postulavit. Quod ubi ob detrimenta quæ passus fuerat, una cum ipso triumpho negatum est; *legis beneficio* dicens *usurum*, *qua triumphum daret ei, qui hostium quinque millia una acie occidisset*, privatis sumptibus, majore cum infamia quam gloria triumphavit: filiæ pietate adjutus. Nam quum intercedere ac vetare tribuni plebis vellent, essetque qui prætervehentem de curru detracturum minitaretur: adversus sacrosanctam potestatem, sacerdotii haud minus inviolabilem reverentiam filia Consulis (alii sororem faciunt) virgo Vestalis opposuit: simulque conscenso curru, in Capitolium usque triumphantem prosequuta est.

Diodorus. Orosius. Val. Maxim. 7. 8 Orosius. Injussu Senatus populique triumphat. Sueton Tiber. cap 2. Cic. pro Cælio cap. 14. Sueton.

IX. At in Hispania longe prosperiore fama Metellus agebat, quamquam validiorem hostem, & gravius bellum nactus. Viriathum enim adversæ cum Fabio Æmiliano pugnæ monuerant, ne solis armorum viribus confideret. Ergo consiliis & legationibus apud Arvaccos Titthosque & Bellos, pugnacissimas gentes, in tantum connisus est, ut animos eorum ab Romana societate abalienaret. Unde seorsim aliud bellum in Hispania citeriore ortum, quod à præcipuæ virtutis urbe Numantia celebratum historiis nomen habuit. In quo administrando dum strenue vigilanterque Metellus se gerit, adversus Viriathum male pugnatum est à Quintio, qui Æmiliano successerat.

Appian. Hispanicis. Metellus in citeriore Hispania res prospere gerit. Val. Maxim. 3. 2. 21.

X. Læta huic principia belli fuerant, conjectusque in fugam Viriathus, & ad Veneris montem repulsus; haud exiguam spem dabat gloriosæ laureæ. sed, ut infida hominibus expectatio magnæ fortunæ esse solet, conversa fors est eruptione subita hostium, qua multis pugnando cæsis & signis quibusdam ereptis militaribus, Romanum exercitum in castra sua rejecerunt. Inde Viriathus Itucam deflexit, oppidumque istud expulso præsidio Romano cepit: inde vastavit Bastetaniam, non prohibente Quintio, qui per imperitiam & ignaviam medio adhuc Autumno in Cordubensia hiberna concesserat: quanquam subinde manum quamdam emitteret, C. Marcio duce: qui ex Italica Hispaniæ genus ducens, locorum & belli peritus habebatur.

Quintius à Viriatho vincitur.

XI. Mirum videri queat, unum hominem nullis suis viribus, nulla cognatorum potentia fultum, ne populi quidem judicio electum, tot per annos arma populi Romani sustinuisse: verum enimvero tantum in eo virtutis robur fuit, ut à se explere posset, quidquid fortuna dare neglexerat. Animus adversum pericula

Viriathi virtus & mores. Justin. 4. 47.

intrepidus, sagacitas ingens, peritia militaris rei summa, corpus edoctum animi imperia sequi. His omnibus justitiam, humanitatem, abstinentiam incredibilem addiderat. Partas armis opes inter suos æquissima partitione dividebat: ipse nihil inde locupletior, eodem armorum, vestium, corporisque cultu quo bellare cœperat, post tot insignes victorias agere perseverebat.

Cic. de Officiis 2.11. Justin.

XII. Hunc tenorem vitæ nulla solemnitas festorum, nulla remissio animi, ne nuptiarum quidem omnibus gentibus hominibusque probata hilaritas ulla ex parte interrumpebat. Quum enim ditissimi cujusdam viri filiam matrimonio jungeret, multisque poculis aureis argenteisque, multaque stragula veste eximii operis adornatum triclinium esset, hæc allevans lancea, *ab hac pendere ista omnia* dixit. Multum deinde rogatus, *ut lotus accumberet*, non paruit; sed ex instructissimis mensis nihil nisi panem, & carnes tollens, dabat comitibus suis; & ipse stans comedebat haud diu: deinde *sponsam adduci* jussit. Quam peractis Hispano more solemnibus, equo impositam, statim ad montes, in quibus eo tempore præsidia sua habebat, secum abduxit. Hac disciplina intentam negotiis mentem, & valida membra, & illibatum virtutis robur ad extremum usque retinuit.

Temperantia & contemptus opum. Diod. apud Valesium.

Cic. Academ. quæst. 4. 2. Justin. 38. 8. Athenæus l. 6. Strab. lib. 15. Justin. 36. 1. Demetrius Parthis infert bellum. Orosius.

XIII. Interea Romam Æmilianus Scipio, Sp. Mummius, L. Cæcilius Metellus, ex Ægypto Asiaque redierunt. Miserat eos Senatus ad res Regnorum componendas, quæ vitio dominantium, aut ambitione dominationem adfectantium variis motibus vexabantur. Demetrius amissa majore parte regni, quum socordiam suam contemptui esse videret, tanquam ex diuturno somno excitatus, bellum adversus Parthos sumpserat. neque caussa improbabili, neque parum idonea occasione. Nam Mithridates Parthorum Rex paulo ante victo Demetrii præfecto Babyloniam Syris eripuerat. Idem omnibus vicinis terribilis, Medos, Hyrcanos, Bactrianos, & quidquid inter Hydaspen, & Indum gentium colit, partim subegerat; partim subacturus videbatur. Itaque superioribus in præfecturis incolentes Græci continuo missitabant nuncios ad Demetrium, omnia polliciti, *si ad liberandos à superbo Parthorum dominatu venisset*.

Joseph. 13. 9.

Græcorum civitatum legationis incitantibus.

XIV. *Alexandri expeditiones, quibus primum apertus Oriens Græcorum colonias accepisset* memorabantur: *civitatesque à successoribus ejus, ut essent fræna domitarum gentium conditæ. Sed jam versa vice servire illas quibus imperaverint. Id adeo Græcorum accidisse discordia, bellisque civilibus, ut ignobilis ante gens Parthorum, quæ sub Persarum imperio contemptissima servientium pars fuisset, primo libertatem arripuerit, mox adfectarit dominationem, & sane processurum ei propositum, ni Seleucidarum oppositis viribus coërceatur. Ad hos enim solos id decus pertinere. Demetriique hanc velut à majoribus relictam hereditatem esse belli gloriæque. Sic autem Antiochum, sic proavum Seleucum arma rebellibus Parthis intulisse. Neque perventuros ad tantam potentiam fuisse Arsacidas, nisi pater Demetrius aliis bellis impeditus, deinde suppositiitius Alexander ignavia socordiaque sua fiduciam spatiumque crescendi præbuissent.*

Et Parthorum insatiabilē cupiditatem incusantibus.

XV. *Hinc adeo Mithridatis inflatos esse spiritus, ut ultro contemnere Macedonas, eisque nuper Mesopotamiam ausus sit adimere. Qua victoria si expletas esse barbari cupiditates Demetrius putet, pernicioso in errore versari. Nam apud tales animos irritamenta non satietatem plura desiderandi parere, quidquid haustum*

esset

esset. Neque illud ignorare Demetrium debere, ferocius in cæteras ejus provincias incursurum Parthum esse, nisi rebus ipsis ostendat, superesse Syriæ vires, quibus & quæ teneat defendere possit, & quæ amissa sint repetere. Audacia Regem esse factum; ne dubitet, quibus artibus tuendum amplificandumque imperium habeat. Attamen non vocari ad tantum periculum, ut non pleramque ejus partem sustinere possint velintque à quibus vocetur. Omnes eas regiones Græcis civitatibus maximis opulentissimisque ita distinctas esse, ut has tenenti minime magnæ molis futura sit barbarorum expugnatio. Esse sibi viros, arma, naves, commeatum, pecunias: sed sub custode. eum qui tantillum submoverit, & velut alligatas liberaverit manus, iisdem quum voluisset, usurum.

XVI. His atque talibus auditis Demetrius, si bellum istud successisset etiam ad recuperanda amissa vires inde fore reputans, strenue in Parthos movit. Erant eæ nationes tum adsuetæ Macedonum imperio, tum Parthorum, ut novi populi, fastum ac sævitiem nequaquam lætis animis tolerabant. Igitur præter Græcas urbes, etiam Persæ, & Elimæi Bactrianique auxilia Demetrio misere. quibus auctus multa prospera prœlia fecit, multasque occupavit provincias: donec insidiis circumventus (quippe pacis studium simulantibus improvide crediderat) in potestatem hostium vivus pervenit, omni exercitu amisso. Demetrius capitur à Parthis Justin. Justin. 36. 1. Justin. 36. 1. Joseph. Oros. Justin. 38. 9. Machab. 1. 14. Strab.

XVII. Nec occasioni Diodotus defuit, quin per absentiam Demetrii cætera Syriæ invaderet: & alia parte Judæi propinquas sibi regiones infestabant: alia Cilices, multis prædonum exortis manipulis ducibusque, latrocinia continua exercebant, regum discordiis tuti. Nec in Ægypto minus turbarum erat, per sævitiam Ptolemæi, quæ nulla fortunæ indulgentia mitigabatur. Nuper enim, quum Ægyptiorum lege Regalo Memphi solium conscendisset, natus ei filius erat, quem inter solemnia Regiæ inaugurationis editum, etiam omine lætus, *Memphiten* appellaverat. Neque tamen aut hilaritas ista, aut natalitiis pueri debita celebritas impedimento crudelitati fuit, quin per eosdem dies Cyrenensium amicorum principes occideret, quorum opera perductus in Regnum Alexandriæ fuerat. Caussa tantæ sævitiæ fuit, quod Regem amice monuerant, *ne uxorem, à qua & regnum paulo ante, & nunc stirpem haberet, pellicis Irenes blandimentis posthaberet.* Ægyptus miserabilis ob scelera Physconis. Diod. apud Vales. Justin. 38. 8. Epit. 59.

XVIII. Sed ille flagitia flagitiis cumulans, paulo post filiam uxoris per vim stupratam ducit, Cleopatram sororem repudiat. Inter hæc cædes continuantur, non Regis tantum imperio, sed multa peregrinorum militum libidine fieri. Quibus malis Alexandrini fatigati, jam ubivis tolerabiliorem sibi vitam, quam in patria, futuram rati, passim urbem deserunt. Ptolemæus quo solitudini subveniat, peregrinos ut in vacuis ædibus habitatum veniant, edicto sollicitare cogitur. Hæc & alia quum & Regum & civitatum continuis legationibus in Senatu exponerentur, quod is quum aliorum, tum Ægypti & Syriæ Regnorum quasi perpetuus quidam tutor longo jam tempore fuerat; legatos ad inspiciunda sociorum Regna Scipionem atque cæteros mitti placuit. Alexandria civium cædibus & fuga vacuatur.

XIX. In ea legatione, qua magnæ orbis terrarum partis arbitrium acturus erat, vir tantæ dignitatis atque gloriæ, contentus uno comite Panætio, quem domi peregreque secum habere præstantis ingenii caussa consueverat, & septem servulorum ministerio, ex quibus quum unus in itinere esset mortuus, domesticis Scipionis Africani legatio in Ægyptum Plutarch. Apoph. Rom. 24.

Scipionis Africani legatio in Ægyptum

Vellejus c. 13. Auct. de ill. illust. cap 58. Athenæus l. 6. Plutarch. Justin.

scripsit, *ut alium sibi domo transmitterent*: emere enim nolebat, ne quis domini disciplina non institutus, aliquid committeret, quod ad heri probrum posset ullo pacto pertinere. Postquam Alexandriam perventum, & ex navi digressus Scipio caput pallio tegebat: circumfusa multitudo Alexandrinorum rogavit *ut conspiciendum se præberet hominibus*: impetratoque, ingentem clamorem atque plausum præ lætitia edidit.

Honores à Rege ei habiti. Diod. apud Fulv. Ursin. Justin. Posidonius apud Athenæum. lib. 12. Diod. apud. Vales. Justin. Plutar. Diod. apud Fulv. Ursin.

XX. Rex quum ad excipiendos honorandosque legatos nihil studii prætermitteret, magnam impendit curam, ut exquisitis epulis acciperentur, & quidquid in regia visu dignum, artificioque aut opulentia eximium esset, insi icerent. Ipse etiam eum iis circumibat, ostendens singula, vir deformis habitu, vultuque, & obesi ventris prominenti mole, belluæ quam homini similior: unde *Physconis* ei cognomen impositum fuerat. Ob eam corporis gravitatem quum vacillante gressu Romanos obambulantes ægre consequeretur, ridiculus iis est visus, Panætioque in aurem insusurravit Scipio, *jam tum aliquem adventus nostri fructum ceperunt Alexandrini*; *nobis enim debent, quod Regem suum ambulantem videre*,

Ægyptum perlustrat.

XXI. Cæterum contemptis quæ maxima Ægypto videbantur, gulæ atque oculorum deliciis, ad ea quæ vere digna spectatu erant, consideranda haud perfunctoriam operam contulere: situque & magnitudine urbis, & quæ circa Pharum admiranda erant, perlustratis, Memphin adverso Nilo vecti, bonitatem agri, commoda fluminis, multitudinem urbium, frequentiam innumerabilem populi, munimenta regionis, totius denique Regni excellentiam tantam repererunt; ut minime dubitarent, cujuslibet magnitudinis imperio sedem eam idoneam esse potuisse, si dignos se rectores invenisset.

Peracta legatione Romam redit.

XXII. Ex Ægypto in Cyprum, deinde per Syriam & continentes regiones domum reversi, de rebus suis in Senatu exposuerunt. Plurimas adjerant gentes, ubivis excepti dimissique cum benevolentia & laudibus. Controversias, alias sponte partium composuerant, alias adactis ad æquiora, qui pertinaciores in faciunda injuria fuerant, plerumque verborum admonitionibus, partim etiam armorum metu intentato. Quod vero ob difficultatem negotiorum, aut alias caussas, relinqui voluerunt, ad Senatum rejecerunt. Ita passim apud Reges atque civitates, renovatis quæ unicuique cum populo Romano erant fœderibus, reique publicæ majestate vehementer aucta, plurimum ubique venerationis Romano nomini conciliarunt.

Sequuntur Regum Nationumque legati gratias agentes. Strab. lib. 14.

XXIII. Sequutæque sunt undiquaque legationes gratulantium gratiasque agentium Senatui Populoque Romano, *quod tantos ad se viros, Scipionemque non unius modo urbis, sed omnium gentium virtutibus gloriaque principem misissent*. Res Regnorum in priori fere statu relictæ. Certum enim erat imperantium culpa pleraque peccari: neque illos removendi caussa ulla justa erat: Ægyptii Regibus semper amicis: Syris eo quoque nomine tutis, quod contra fœderis cum progenitoribus eorum initi leges, pudebat in pace sociis & amicis auferri, quod à majoribus relictum bello victis fuerat.

Lex Didia sumptuaria: Macrob. Saturnalium 3.

XXIV. Eodem anno rogationem de sumptibus tribunus plebis Didius tulit: qua pœna L. Fanniæ in cæteram quoque Italiam, & ad eos etiam qui sumptuosioribus quam lex sinebat epulis interfuissent, extendebatur. Triste videba-

tur & obscœnum, inter famem & funera, pœnasque irati numinis, quorumdam in luxuriam conviviorum impensis sine modo & pudore grassari. Magna enim sub id tempus annonæ caritas, & quæ hanc ferme sequitur, pestilentia fuit: cujus caussa quum novi Consules L. Metellus Calvus, Q. Fabius Maximus Servilianus iniviissent, per decemviros supplicationes habitæ. neque tamen aut hæc remedia, aut sævius aliud, androgynus aruspicum jussu mari mersus, ad averruncanda mala præsentia profuerunt. Usitatum id magis antiquitus Romæ, quam probabili ratione nixum, ut in prodigiis ambigui mares habeantur, putant, qui caussas rerum attentius consideravere. neque ambiguum est, complura tanquam à mundi legibus abhorrentia, cum horrore adspici, non quia nullæ sint earum à natura legitimæ causæ, sed quia quæ sunt ignorentur. Urb. cond. ann. 611. Iul. Obseq. Orosius 5.4. Androgynus mari mergitur. Diod. l. 32.

XXV. Sed nos ad ordinem rerum gestarum Q. Fabius Consul vocat, qui in ulteriorem Hispaniam (citerioris Q. Metello prorogatum erat imperium) duas legiones Romanas, sociorumque auxilia, in universum ad octodecim millia peditum, mille sexcentos equites induxit. Quorum adsumpta parte quum Itucam festinaret, objecit se in itinere Viriathus cum sex millibus suorum: & cum clamore tumultuque barbaris solito, impetum in Romanos fecit. Erat quum voce strepituque dissono, tum etiam adspectu horrida acies: non cætero modo ornatu, sed comis quoque muliebrem in morem obumbrantibus vultum: accedebat summa hominum diuturno jam bello exercitorum pugnacitas. Sustinuit tamen irrumpentes Consul, neque infecta discedere coactis, ipse institutum iter prosequutus est. Fabii Serviliani pugna cum Viriatho. Liv. Epitom. Appian. Hispanicis. Strab. lib. 3. Appianus.

XXVI. Ut deinde reliquus exercitus advenit, decemque ex Africa elephanti, quos Numidiæ Rex Micipsa miserat, castris pro magnitudine copiarum auctis, prior pugnandi potestate facta hostem splendide vicit: sed inter insequendum quum distracti ordines essent, Viriathus, ut erat ad omnia præsenti animo, suis repente ex fuga collectis victores aggreditur: tria eorum millia prosternit; reliquos compellit in castra, tanto ex subita fortunæ conversione metu, ut vix paucis ad portas resistentibus, magna pars in tentoriis se absconderent, neque ab imperatore & tribunis ad pugnam capessendam adigi possent. Insignis ea die C. Fannii virtus exstitit, qui C. Lælii gener, iis tum in castris militabat. Per hunc maxime retenta munimenta sunt: & nox superveniens diremit certamen. Alia cum eodem asperior: Iul. Obseq. Appian. Cic. Lælio cap. 1. Appianus.

XXVII. Neque tamen postea Viriathus destitit, modo noctu modo fervidissimo tempore diei negotium Consuli facessere; quum leves agilesque & homines & equos habens, parvo suo incommodo hostem indesinenter fatigaret: donec motis castris Servilianus concessit Itucam. Tum Viriathus quoque, cui minor exercitus, neque huic sufficiens commeatus erat, noctu incensis castris in Lusitaniam est profectus. Servilianus quum velocissimum hostem adsequi nequidquam contendisset, in Bæturiam impressione facta, quinque oppida, quæ cum Viriatho senserant, ordine expugnata diripuit; inde in Cuneos hiematum abiit. Viriathus discedit in Lusitaniam.

XXVIII. Eodem anno censores in Urbe fuerunt P. Cornelius Scipio Africanus, L. Mummius Achaicus. In eumdem cum Scipione locum Ap. Claudius petierat; qui quum nobilissimis viris stipatus, Africanum populari turba circumfusum in forum descendere vidisset, alta voce exclamavit, *ingemisce apud manes, Paulle Æmili, filium tuum sentiens ab Æmilio præcone, & Licinio Philonico* Censura Scipionis & Mummii. Capitolinæ Tabulæ. Plutarch. Æmilio c. 64.

Plutarch. in præcept. gerendæ Reip. cap. 30. Agel. 4. 20. Val. Maxim. 6. 4. Auct. de Vir. illust. Iul. Obseq.

Censorium candidatum deduci. Cæterum ille censuram populariter adeptus, non ideo minus incorrupte ac severe egit: illud moribus civitatis, hoc suæ magistratusque dignitati tribuens. Ergo & populum ad mores antiquos gravissima oratione hortatus est: & L. Mummii facilitatem gravatus, pro rostris dixit, *omnia se ex majestate populi Romani gesturum fuisse, si sibi cives vel dedissent collegam, vel non dedissent*.

Pseudo-philippus Macedoniam turbat. Liv. Epitom. Hist. Miscel. 4. 14. Eutropius.

XXIX. Interim in Macedonia denuo turbatum: non minus improviso fine motuum, quam initium fuerat. Alter Pseudophilippus, qui Persei se filium ferebat, quum subito incremento ex servis aliisque perditis hominibus, quales recens Macedoniæ Græciæque rei mutatio magno numero pepererat, ad septemdecim hominum millia contraxisset; castra Romana tentare est ausus. Spem dabat absentia Licinii Nervæ prætoris, qui certas ob caussas nuper ex Macedonia discesserat, Cn. Tremellio quæstore in castris relicto. Is vocatos ad concionem milites in hanc sententiam est cohortatus.

Varro de re rust. ica 2. 4. Eutropius. Cn. Tremellii oratio ad milites.

XXX. *Est quod fortunæ gratias agamus, milites, novam & insperatam gloriæ materiam objicienti. sæpe querelas audivi, immo, fateor enim, inter querentes de sorte nostra fui: dum alii Romani exercitus justum hostem, & ex eo præmiorum uberem occasionem habeant, hunc in agro pacato, paucos rebellium Macedonum, aut latrunculos Thracas persequentem, non modo copiam, sed ne spem quidem habere majoris alicujus rei. At nunc subito se offert ita comparatum agmen, ut multitudo hominum speciem, nomenque prælii sit factura, genus armorum militumque, ad hæc conditio ducis certam nobis & incruentam polliceatur victoriam.*

Romanorum & hostium collatio.

XXXI. *Quid enim contra legionarium militem, lorica clypeoque tectum, pilo ac gladio terribilem, tot insuper stipendiis exercitum, servorum agrestiumve tumultuariæ manus possit, nullis militaribus armis legibusque neque caussam neque spem idoneam ad bellum adferens? Quid autem Rex ille scenicus; quem paulo ante natum esse nesciebamus? sane nuper etiam sic insanivit Macedonia, sed tum majore ingenio apparatuque instructa erat fabula, multi potentes in provincia viri, nonnulli quoque externi Reges, audaciam Andrisci clam palamque magnis auxiliis fulciebant. At hic præter miseram egenorum turbam, quæ non tam ipsius promissis, quam tædio vitæ ad periculum properat, nec spem nec rem usquam ullam habet: nec quia victoriam sperat, sed quia alteri facere non potest, ad castra nostra successit, animam supplicio debitam, rebus suis desperatis; lubentius armis nostris daturus.*

Tremellii victoria de Pseudo-philippo. Liv. Epitom.

XXX. Quum deinde quid fieri vellet, ostendisset, & inter tribunos & præfectos loca milites que esset partitus, admonuit, *ut signo dato secundum ea quæ præcepisset*; *erumperent*, additque, *se celeriter disjecturum hostes, ut porcellos scropha soleret*. Quod quum factum esset, victoria illustri parta, qua cum exercitu Pseudophilippus cæsus est, Licinius *Imperator* est appellatus, Quæstori *Scrophæ* cognomentum hæsit, quod posteri quoque retinuerunt.

Q. Metellus Contrebiam capit, severitate disciplinæ usus.

XXXIII. Difficilius in Hispaniis bellum erat; hinc Celtiberis, inde Viriatho Romanos duces exercentibus. Sed ut adversus Viriathum dubiæ Serviliano res, ita Q. Metello Proconsuli prosperæ magnificæque fuerunt. Vir acer & intentus nihil neque apud hostes inexploratum, neque apud suos remissum patiebatur:

digno, quod referatur, severitatis saluberrimæ exemplo. Quum ad Contrebiam res gereret, cohortes legionarias quinque, quod loco cessèrant, indignatus, ad eundem locum recuperandum continuo remisit. edixit etiam, *ut qui eorum nisi victor in castra revertisset, pro hoste caderetur.* neque mutavit sententiam, quum omnes, ut certam ad mortem ituri, testamenta in procinctu facerent. Ea necessitas acuit virtutem: & qui modo multitudini hostium cesserant, ii eumdem licet victoria recenti animatum, repulerunt: quæque inexpugnabilis habita fuerat civitas, capta est. Hæc disciplina Romanum militem confirmavit, Celtiberos fregit: qui & collatis signis cæsi sunt à Proconsule; & egregias urbes amiserunt, Arvaccorum majori parte domita: quibus tempore messis, quum frumento convehendo intenti cætera incuriosi agerent, improvisus incubuerat.

Jul. Obseq. Florus 2.17. Val. Max. 2. 7. Frontin. Strategem. 4. 1. Val Maxim. Vellejus. 2. 5. Auct. de vir. illustribus c. 41. Appian. Hispanic.

XXXIV. Ista quum severitate perfecisset, haud minorem ex clementia fructum tulit; utriusque enim clara exempla edidit, illustri testimonio, non sævitia, sed ratione rebusque cogentibus duriora nonnunquam imperasse. Nertobrigam obsidebat, unaque parte oppidi, qua sola subiri poterat, murum admotâ machinâ erat disjecturus. Opponunt obsessi primis hostium ictibus Rhetogenis filios, viri inter suos primarii, qui ad Metellum transierat. neque movebatur pater, sed ultro hortatus imperatorem, nullam esse viam aspernandam dicebat, quæ ad victoriam duceret; ex ea sibi postmodum solatium fore. Tum Metellus parentis duritia damnatam liberorum vitam sua mansuetudine redemit, solutaque obsidione urbis unius, multas alias admiratione hujus facti sponte ipsarum in populi Romani ditionem redegit. Duæ maximæ restabant urbes Termantia & Numantia, situ locorum & viribus feroces, adversus quas tum quidem quoniam hiems aderat, nihil movendum ratus, quam primum anni tempus sineret, has quoque ad imperata faciunda coacturus videbatur.

Ejusdem clementia & ab ea fructus. Florus. Val. Max. 5. 1. Florus. Val. Max. Appian.

XXXV. Interea Consularibus Romæ comitiis Q. Pompejus A. F. designatus est, qui primus è gente Pompeja summos honores, nulla commendatione majorum adsequutus, amicitia Scipionis excidit, quia Lælio suffragantem astute fefellerat. Interrogatus enim an petere constituisset, negavit, ultroque Lælio opem suam gratiamque ad petendum obtulit. interea ipse profectus in forum, ambire strenue cœpit. Id quum exspectantibus eum esset renunciatum, cæterique stomacharentur; *Nos vero ineptos*, inquit Africanus, *qui tanquam non homines sed deos essemus precaturi sedemus tibicinem exspectantes!* nam mater Pompeji indecora fama laborabat, tanquam tibicini corpus prostituisset. Q. Pompejo collega Cn. Servilius Cæpio fuit. qui quum magistratu inito de provinciis retulisset, certamen de Hispaniis ortum, eas retinere qui ibi Proconsules erant cupientibus. ad extremum Q. Fabio Maximo Serviliano prorogatum est imperium in ulteriore provincia, citeriorem Consul Q. Pompejus obtinuit.

Q. Pompeji astutia in petitione Consulatus. Vellejus 2. 1. Cic. Bruto. 125. Plutarch. Apoph. Rom cap. 21. Urb cond. an. 612. Certamen de provinciis. Eutropius. Val. Maxim. 9. 3.

XXXVI. Quod ubi Q. Macedonico nunciatum, vir cætera cum maximis comparandus, iræ dolorique temperare non potuit; non eo maxime offensus quod omnino successor sibi, sed quod Pompejus mitteretur, quocum simultates exercebat. Ne igitur illi suis laboribus quæsitum obtingeret præmium, modis omnibus exercitum imminuere studuit: missiones & commeatus petentibus promiscue dando; horrea remotis custodiis ad rapinam relinquendo: eo etiam profe-

Q. Metelli indignatio ob provinciam Pompeio datam.

Flonus 2.17.

ctus, ut *sagittas Cretensium fractas in amnem abjici* jusserit; *elephantis cibaria dari* vetuerit, qua indignatione non solum inimico laudem victoriæ, sed populo Romano fructum, sibique meritum cæteris factis triumphum eripuit. Res enim eas gesserat, ut non minus hac expeditione *Celtiberici*, quam priore *Macedonici* cognomen meruisse videatur. Adeo nimirum plures aliis quam sibi bene imperant: faciliorque adversus armatos exercitus, quam vitiosos animi motûs contentio est.

Fabii Serviliani gesta adversum Lusitanos. Appian. Hispan. Epitom. Liv. Appian. Cic. de fin. 4. 14. Cic. ad Attic. 12. 5. Cic. de fin. 2. 16. Cic. de fin. 5. 22.

XXXVII. Atqui ut hunc ereptum imperium ad moram rebus injiciendam sollicitavit, ita prorogatum in altera Hispania Fabio Serviliano stimulos addebat prosequendi alacriter belli. Quippe ex Cuneis exercitu moto, Viriathum, quia se non offerebat, in sua Lusitania quærere instituit. Per viam dimicandum ipsi cum latronum ducibus Curio & Apuleio fuit; qui opportunis locis insidiati prætervehentia impedimenta abstraxerunt. Occisus tamen in prœlio est Curius: præda quoque paulo post à Serviliano recuperata. Venerunt etiam in potestatem urbes multæ, quæ præsidiis infessæ Viriathi fuerant: quarum Escadia & Gemella & Obulcula fuere. Hæ pro meritis singularum diversimode tractatæ; aliis venia data, quædam direptæ sunt. Ex captivis etiam ad quingentos supplicio capitis adfecti: novem millia quingentos Proconsul sub corona vendidit.

Cic. de Nat. Deor. 1. 30. Cic. de fin. 2. 16. Cic. pro M. Scauro. L. Tubuli judicium & mors. Asconius Pædian. in Scaur.

XXXVIII. In Urbe interea P. Scævola tribunus plebis de judicio L. Hostilii Tubuli ad populum tulit, qui proximo anno prætor quæstionem de sicariis exercuerat, homo pudoris ita profligati, ut *palam & aperte pecuniam ob rem judicandam cepisse* diceretur. accepta rogatione, Senatus quæstionem Cn. Servilio Cæpioni Consuli mandavit: qua re intellecta, reus quum manifestissimo crimine teneretur, non exspectato judicio disparuit. Interesse tamen publici exempli visum, ne homo ex omni memoria sceleratissimus & audacissimus, tam levi pœna defungeretur. Itaque revocari ab exsilio ad caussam dicendam placuit. Sed ille qui nullum alium eventum sperare poterat, quam ut in carcere necaretur, veneno epoto necem properavit.

Historia apud Romanos accuratius scribi cœpta. Cic. de Orat. 2. 12. Justin Præfat. Liv. Epit. Athenæus lib. 4. F. L. Lucul.

XXXIX. Sub hæc tempora, ne tantummodo armis præstare cæteras gentes Romani crederentur, ingenio tardiores: quum alia se studia erexere, tum etiam historia scribi accuratius cœpit; hactenus enim qui ei admoverant manum breviter exposuisse res contenti, annalibus similiora scripserant. Neque tamen adhuc Latini sermonis ea copia & venustas esse putabatur, ut ejusmodi operibus dignitate & gratia responderet. multique res Romanas Græcorum lingua tradiderunt; ab illis majestatem, ab hac decorem magis petendum arbitrati. quos inter eum C. Julius Senator fuit: quum etiam A. Posthumius idem tentaret, quos deinde P. Rutilius, L. Lucullus, & alii plerique sunt imitati.

FINIS LIBRI LIII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



. Pompejus Consul in Hispania Thermestinos subegit. cum eisdem & Numantinis pacem ab infirmitate fecit. Lustrum à censoribus conditum est. Censa civium capita trecenta viginti octo millia, trecenta quadraginta duo. Quum Macedonum legati conquestum venissent de D. Junio Silano prætore, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, & Senatus de querelis eorum vellet cognoscere; T. Manlius Torquatus, Silani pater, petiit impetravitque, ut sibi cognitio mandaretur. & domi caussa cognita, filium condemnavit abdicavitque. ac ne funeri quidem ejus (quum suspendio vitam finiisset) interfuit: sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius Proconsul, rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriatho æquis conditionibus facta. Viriathus à proditoribus, consilio Servilii Cæpionis, interemptus est, & ab exercitu ejus multum comploratus ac nobilissime tumulatus; vir duxque magnus, & per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

I. IN Hispania quum grave molestumque Romanæ civitati per aliquot annos bellum fuisset, intolerabilior pax excepit. Nam & Arvacei prius ab instituendo fœdere resilierunt; & postea pacem geminis cum hostibus pactam, neutrubi ratam Senatus esse voluit. Q. Pompejus Consul quum primo vere in provinciam venisset, exercitum accepit genere numeroque cuilibet bello parem. Triginta millia peditum erant, equitum duo, sub aliquot imperatoribus, & novissime sub Q. Macedonico præstantissimo ad omnia armorum munia diligentissime exercitata juventus. Q. Pompejus Consul in Hispan. venit. Appian. Hispan.

II. Neque tamen perinde fortuna belli se dedit. Quum enim principio magna spes pacis & victoriæ fuisset, parvo momento sors omnia retroegit. Territi tanto belli apparatu Arvacei legatis ad Consulem missis eas in conditiones fœdus impetraverant; *ut certa die utramque urbem, Thermestinam Numantinamque, in fidem populi Romani dederent: obsides trecentos, saga novem millia, coria tria millia, equos bellatores octingentos, arma omnia traderent: hæc ubi fecissent, socii ac amici haberentur.* Quum dies venisset, cetera quidem prompte alacriterque sunt factitata: ubi ad arma tradenda ventum, inter homines bellicosos virilis fremitus oriri animique à turpitudine præsenti ad pristinæ libertatis decus pudore accendi. Igitur sese mutuo respicientes interrogabant, *idne facinoris subire viri possent, ut arma vivis detrahi patiantur?* neque virorum modo hi questus erant; pueri quoque ac mulieres negabant *sibi pro patribus aut* Arvacei pacem petunt, nec servant pacta. Diod. apud Fulv. Ursin. Florus. 2. 18. Diodorus.

maritis futuros, qui tantum dedecoris adivissent. Itaque consensu retentis armis, *vitam potius quam hæc omissuros esse* confirmarunt.

Numantiam, deinde Termantiam Consul obsidet frustra. Appian. Vellejus. a. 1. Appian.

III. Consul his cognitis castra juxta Numantiam ponit. Ea in obsidione, quum per absentiam Consulis, equites incaute transcurrentes excepti ab hostibus essent; in planitie quadam instruit aciem de summa rerum dimicaturus. descenderunt eodem & Numantini, at quum iniquior pugnæ futura conditio videretur, (nam de millibus virorum decem, quot initio belli Numantia armaverat, magnam partem tot certamina absumpserant) paulatim se subducentes sine detrimento intra munimenta refugerunt. Pompejus difficultate locorum & quotidianis velitationibus fatigatus, quum à multo paucioribus carpi suas copias nullo operæ pretio videret: Termantiam faciliorem oppugnantibus fore ratus, eo transducit exercitum. Sed & ibi neque mollior hostis, neque faventior fortuna inventa: eodem die tribus incommodis acceptis. nam & pugna amissi milites septingenti fuerant; & tribunus militum qui commeatum in castra advehebat repulsus: & quum ira ac cupiditate ultionis fervidius institisset, protrusis ad præcipitia loca Romanorum ordinibus, multi pedites equitesque cum ipsis equis per præcipitia devoluti perierunt. Tenebræ intervenientes magis periculum, quam periculi opinionem distulere: totaque nox in armis exacta est.

Liv. Epitom. Appian. Strab. lib. 3. Appian. Ptolemæus. Diod. ap. Val. Sedetaniam latronibus purgat.

IV. Neque secus atque conjecerant, cum luce simul hostes adfuere: is quoque dies totus certando consumptus; & neutro inclinante victoria prælium nox diremit. Acrior tamen, ut in angustiore numero damni sensus Termestinis fuit: quo prope ultimam desperationem adacti sunt. Inde Pompejus ad parvum oppidum Maliam movit. Sed Malienses occiso præsidio Numantinorum locum Pompejo tradiderunt. Ille armis obsidibusque acceptis, in Cedetaniam perrexit, ut eam regionem ab incursionibus Tangini cujusdam, latronum ducis, liberaret. Ibi felix expeditio fuit: multi latrones occisi; multi capti. Sed tanta fuit hominum feritas, ut servitutem nemo ferret: alii semetipsos, usitato gentibus illis facinore, alii emptores occiderent: quidam dum transportantur, navibus perforatis seque & cæteros profundo mergerent. At Pompejus urbem quam Lanci vocant, haud procul Maliacis, quum obsidere esset aggressus, Numantini vicinis auxilium juvenes quadringentos noctu submiserunt. Hos illi primum *servatores suos* appellantes, donisque prosequentes, summa lætitia excepere. paucos post dies quum vehementius instaret hostis, de exitu rei dubitare cœperunt, missisque legatis *urbem dedituros* dicere, *corporibus salvis*.

Lanciensium perfidia in Numantinos ab hoste punita.

V. Negabat Consul *ullam deditionis, nisi traditis prius Numantinis, conditionem esse*: quod quum inhumanum factu & fœdum ad famam videretur, omnia potius experiri, quam bene de se meritos ad exitium dedere decreverunt. Mox ubi spes omnis salutis quotidie magis magisque decedebat, inque oculis extrema omnia erant; legatos ad Consulem secreto mittunt, *aliorum potius exitio quam suo severitati illius satisfacturos esse* nunciantes. Non fefellit perfidia sociorum Numantinos: qui priusquam occiderentur vindicta se satiaturi, noctu impressionem in Lancienses faciunt, magnumque eorum numerum occidunt. Concurritur & ab oppidanis ad opprimendos hospites: magnoque cum clamore certamen atrox conseritur. Consul caussæ non ignarus *inter eum tumultum scalas adplicari mœnibus* jubet: transcensisque iis oppido potitur: cives ad unum omnes inter-

interficit: Numantinis, qui ad ducentos superarant, abeundi ad suos facit potestatem. sive virtutis indigne circumventæ, sortem misertus: sive ut invictam armis civitatem, ad Romani imperii patientiam, lenitatis exemplo solicitaret.

VI. Eo tempore P. Africanus & L. Achaicus varia & inter ipsos ratione, & apud cæteros fama censuram exercebant. Erat enim par hoc censorum plane diversis inter se moribus: quum alter intentus & rigidus officii exactor, nullius rei cuiquam gratiam faciebat: sed multorum ex Senatu, multorum ex equestri ordine, de plebe autem longe plurimorum vitas exacta diligentia expenderet: Mummius contra neq; ipse notaret quemquam, & notatos à collega, quos posset, ignominiæ eximeret. Unde parum concors ea censura fuit: & Scipio quum Herculis ædem dedicaret, non vocato ad epulum collega, sermonibus hominum est reprehensus. Ita nullius aut virtus tanta aut dignitas est, quin judiciis etiam longe inferiorum sit obnoxius; vulgoque homines etiam de suis censoribus censuram agunt.

Scipionis & Mummii censura discors. Cic. Somnior. Diod. apud Valesium. Vellejus. 2. 11. Diodorus. Cic. de Orat. 2. 66. & pro Cluentio. cap. 41. Plutarch. in præcept. Reip. cap. 41.

VII. At Scipio ingenii pariter animique non egens, partim facetiis discutiebat notandorum querelas, partim severis vocibus retundebat. Neque de tanto viro etiam leviora referri indignum aut inutile Polybius judicat; quia & optimorum artificū licet minutiora signa admiramur. Igitur quum tribu moveret quemdam, qui sub patre Paullo ordines ducens prœlio non interfuerat; interrogaretque ille *cur notaretur, qui custodiæ caussa remansisset in castris?* respondit, *non amo nimium diligentes*. Equum ademit adolescenti, qui obsidione Carthaginis lauto convivio diripiendam sub figura & nomine urbis placentam proposuerat; quærentique caussam, *quia*, inquit, *me prior Carthaginem diripuisti*.

Scipionis facetiæ. In Fragment. Cic de Orat. 2. 67. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 22.

VIII. Idem in equitum censu C. Licinium sacerdotem videns accedere, clara voce testatus est *se scire, perjurium à sacerdote factum: seque teste usurum esse, quisquis eo nomine sacerdotem esset accusaturus.* quum autem omnes tacerent, *traduc equum*, inquit, *C. Licini: non enim possum idem & accusatoris implere vicem & judicis*. Cæterum censu perfecto, lustrum condidere censores. id septimum atque quinquagesimum fuit. Censa sunt civium Romanorum capita trecenta viginti octo millia, trecenta quadraginta duo. Inter condendum lustrum, quum ex publicis tabulis scriba solemne precationis carmen censoribus præiret; quo dii immortales, *ut res populi Romani meliores amplioresque facerent*, rogabantur: ibi Scipio, *satis*, inquit, *bonæ ac magnæ sunt. itaque precor ut eodem in statu perpetuo servent.* atque protinus ad hanc formulam emendari in tabulis carmen jussit: neque posteri mutavere.

Pro Cluentio. cap. 48. Val. Maxim. 4. 1. Plutarch. Capitolinæ Tabulæ. Epitom. Liv. Val. Maxim. Lustrum conditum.

IX. Censuræ publicæ non minus severe patriam potestatem exercitam (nam & temporibus hæc conjuncta fuere) subjiciam. Macedonum legati de D. Junio Silano querebantur, *quod quum prætorio imperio Macedoniam obtineret, pecuniis acceptis provinciam spoliasset*. Eam cognitionem quum suscipere Senatus vellet, T. Manlius Torquatus Silani pater impetravit, ne quid eo in negotio constitueretur, priusquam ipse caussam cognovisset. Id viro summæ dignitatis, omnisque publici ac privati juris peritissimo lubenter concessum. Itaque domi suæ cognitione instituta, audivit accusatores, audivit defensiones rei: testes utrimque productos diligentissime examinavit. Id quum triduo continuo fecisset, tertio die pronunciavit *reum fecisse videri, & in conspectum suum venire* vetuit. Non tulit ignominiæ dolorem juvenis, suspendioq; finivit vitam, adeo nulla commiseratione parentis, ut neque funeri interesset; & de jure consulentibus domi sedens, ut solebat, respōderet.

T. Manlii Torquati severitas in filium. Liv. Epitom. Val. Max. 4. 8. Liv. Epitom. Val. Maxim. Cic. de Finib. Liv. Epitom. Val. Maxim.

Fabii Serviliani sævum factum in deditos. Orosius. 5.4. Appian. Hisp. Frontin. Stratag.4.1. Val. Maxim. 2.7.

X. At in ulteriore Hispania Q. Fabius Servilianus Bacciam urbem, obsidione Viriathi liberatam, in deditionem accepit. Accessere multa castella: & quidam prædonum ductor Connobas: qui quum ejus potestati se permisisset, huic soli pepercit Proconsul; sed eorum qui cum illo fuerant (erant autem magnam partem transfugæ, qui ex præsidiis Romanis ad latrones se receperant) dextras amputavit. Id vero, licet adversus tale genus hominum nihil nimium aut atrox habetur; tamen quia non tam bello capti, quam in fidem dediti fuerant, crudelius quam pro mansuetudine aut populi Romani, aut ipsius imperatoris visum. Inde Erisanem ductus exercitus: eaque urbs quum portas venientibus clausisset, operibus est circumdata.

Orosius. Valer. Max. Appianus.

Pugna, & deinde pax cum Viriatho. Auctor. de Vir. illustr. cap.71. Constanti. Porph.cap.24. Appian. Diodorus. lib.32. Liv. Epitom. Appian. Jul. Obseq. Appian.

XI. Quæ dum fiunt, Viriathus, qui per noctem in oppidum ignorantibus Romanis venerat, cum luce erumpit; eos qui in opere erant, projectis dolabris & ligonibus fugam inire cogit, cæterum quoque exercitum subsidio suis venientem profligat. Ventum plane ad ea loca erat, unde difficilis exercitui receptus esset; quod fortunæ munus Viriathus, ut erat futuri non improvidus æstimator, non victoriæ magis ad incendendum bellum quam finiendum valituræ, sed perpetuæ pacis occasionem facere maluit. Convenit, *ut pax amicitiaque populo Romano ac Viriatho Lusitanisque esset, utrique quibus in præsentia finibus, iisdem in posterum possiderent*. Id fœdus quamquam parum honestum nomini Romano, rerumque hactenus à Serviliano gestarum macula turpis haberetur: à populo tamen tædio diuturni belli acceptum est. In eo statu res Hispaniæ erant, quum C. Lælius Sapiens, Q. Servilius Cæpio Consulatum inivere.

Urb. cond. an.613. Ætna mons ignem vomit.

XII. Prodigii loco tum acceptum, quod Siciliæ mons Ætna copiosum ignem evomuerat: idque postquam majoribus hostiis quadraginta procuratum est, alteri Consulum ulterior Hispania provincia decreta: Q. Pompejo prorogatum in citeriore imperium est: datumque Senatoribus quibusdam negotium, ut novum exercitum ex tyronibus conscriptum ad eum adducerent, quo Proconsul ad id bellum, unaque consultoribus iis qui adduxissent uteretur. Postquam in provinciam Cæpio venit (nam huic ulterior Hispania evenerat) literas ad Senatum *de fœdere, quod frater ejus Q. Fabius cum Viriatho icerat*, dedit: *indignum id majestate principis populi videri*. Permissum *ut quantum dissimulanter facere posset, Viriatho noceret*. Ut vero *rationem illam nullam esse* Consul rescripsit, *quæ tantundem invidiæ, quam si palam fœdus rumperetur, multo minus commodorum esset allatura*; continuis ejus literis expugnati Patres *pacem irritam videri* decreverunt, hostes aperto bello prosequendi potestate Consuli facta.

Eutropius. Appian.

Cæpio Viriathum persequitur renovato bello. Diodorus. Appianus.

XIII. Hoc decretum ubi in provinciam perlatum, lætus successu consiliorum Cæpio confestim adversus Viriathum ducit. Arsæ is tum erat, sicut non plane securus ut in fida pace, ita neque satis instructus ad pericula subito resurgentis belli. Optimum ex præsentibus visum, ut Arsa cito agmine se proriperet, omnia, qua incedebat, vastans, quo minor hosti copia sequendi foret. Consul urbe recepta contentis itineribus ad opprimendum Viriathum festinans, tandem in Carpetanorum finibus eum attigit. Viriatho non ita vires suæ placebant, ut fortunam prœlii tentare cuperet: neque videbatur hoste tam propinquo discedere citra summum periculum posse. Quare ad suas artes conversus in tumulo quodam velocissimos suorum tanquam pugnaturus instruxit: hoc

Frontin. Stratagem.2.13.

agmen reliquos per sinuosam vallem se subducentes texit, ne ab Romanis fraus animadverteretur.

XIV. Mox quum eos jam satis itineris præcepisse crederet, ipse palam effuso cursu discessit; certus pernicitate equorum sibi tutam ab hoste quantumvis propinquo fugam fore. Sequuti sunt Romani: sed celeritatem Lusitanorum adeo æquare non poterant, ut ne quidem, qua illi via profugissent, deprahendere ullo indicio possent. Consul in Vectones & Gallæcos effudit iram, lateque populatus agros, Viriatho spem auxiliorum ex istis gentibus abstulit. Qui ubi gravius in dies bellum fieri videt, multosque sociorum alios vi, alios sponte à partibus suis deficere, interesse arbitratus integer an victus pacem peteret, antequam signa conferrent, ad conditiones respicere cœpit: missis qui *quando prius fœdus displicuisset, quid addi demive Consul vellet, quærerent*.

Viriathus se & suos eripit Romanis.

Florus. 2.17. Vuthor de Alt. illust. cap.71. Diodor. apud Valesium. & Fulv. Vrsin. Diodorus.

XV. Eorum talis oratio fuit: *Quartusdecimus jam annus agitur belli, quod vobiscum gerimus. Nec memorare clades opus est: ne vel acceptas commemorando, dolorem nostrum augeamus; vel illatas, animos eorum exacerbemus, quibus cum maxime placatis propitiisque opus est. Pacis enim petendæ caussa adsumus, quam ita desideramus, ut excepta libertate, nihil habituri videamur antiquius. Idcirco cum his mandatis principes nostri nos miserunt, ut nihil eorum quæ fieri possent, recusaremus. Sperabant autem æquiores ideo conditiones fore, quod rebus nostris integris, & si verum audire vultis, jam amici sociique vestri, pacem quærimus. Anno superiore fœdus cum fratre tuo pepigimus, Q. Servili, ratumque id populus Romanus habuit. Cur post illud iterum in arma fuerit itum, quanquam nesciamus, quærere nolumus, ne cum potentioribus litigare velle videamur.*

Diodorus. Legatorum Viriathi oratio.

XVI. *Si tamen prioribus conditionibus adjectum aliquid demptumve cupitis, non resistimus, dum toleranda viris imperentur. Quid opus est bello, si præcipere alteris quod volunt licet, alteris nullius rei major quam imperata faciundi cura est? Non enim ut gentem nostram exscindatis, ideo bellum à vobis susceptum crediderim. absit, abestque hæc à vobis: etiam apud feras gentes damnata inhumanitas. Vos autem nihil tam imputare diis immortalibus audio, quam quod favorem illorum, justis tantummodo piisque bellis suscipiendis mereamini: neque adversus homines alia ulla re magis gloriari, quam quod metuendi rebellibus, iidemque supplicibus mites estis. ajuntque vobis haud pauciores populos æquitatis vestræ mansuetudine inductos, quam armis coactos obedire. Quo in numero si Lusitanos etiam habere visum erit, operam dabimus, ut vestra lenitate nequaquam indigni habeamur.*

Prioribus conditionibus adjicere Consulem aut demere quod velit jubent.

XVII. Ad ea Servilius de consilii sententia hæc ferme respondit: *Non est nova hæc quam nunc audistis oratio, Lusitani. Olim jam & postulatis pacem, quasi belli tæderet; & bellum geritis, quasi pœniteret quietis. Toties imperatores nostri icerunt cum orantibus fœdus: nec unquam satis certa pactorum apud vos fides fuit. Sed priora mittantur. nec cum fratre meo fœdus initum memorari attinet; quod Senatus irritum esse censuit. Neque ego ut ea de re disceptarem vobiscum, sed ut vi armisque ad satisfaciendum de injuriis cogerem, in provinciam veni. Quapropter in veteri pertinacia manentes omni clade belli persequi certum est, nec ante finem imponere labori, quam dignam Romani nominis majestate ultionem à vobis exegerim.*

Consulis responsio.

XVIII. *Quod si vere consiliorum pœnitet, frustraque vos obniti decreto deorum, qui penes Romanos imperium terrarum gentiumque esse voluerunt, agnoscitis: non ita sum sanguinis vestri cupidus, ut in amicitiam vos recipere nolim, dum imperata prompte faciatis. Sed quia multas his annis civitates a societate nostra Viriathus abstraxit, illarumque principes quorum proditione patrata res est, secum in honore habet: illos ante omnia dedi necessum est. Hæc erit sponsio pacis, quæ deinde vobis haud gravate, nec malis conditionibus dabitur. Quamquam enim capta egregia urbe, vastatis aliquot populis, Vettonumque & Gallæcorum sic accisis viribus, ut non sint tam cito reparaturi, quantum vobis decesserit non sim nescius, non sic amabo victoriam, ut odisse videar pacem. Quod si vero parcere illis potius quorum deditio poscitur, quam vobis ipsis voletis, ad me venire legatos postea veto. parate vos ad bellum, sortem quam armatorum fortuna dederit habituri.*

Principes civitatum, quæ defecissent ad Viriathum, postulat dedi.

XIX. Viriathus, quum ante omnia principes civitatum, qui à Romanis ad ipsum defecissent, postulari videret, partem eorum, inter quos & socerum suum, proprii agminis ductorem, interfecit; alios Consuli tradidit: quorum omnium amputatæ manus sunt, nec per ipsum stabat, quo minus solida pax conveniret: nisi quod arma petebantur. hæc tradere neque ipse, neque qui cum eo erant, sustinuere. Ita renovato bello, quum vicina inter se castra haberent, & Consul omni conatu bellum finire contenderet, minus aliquanto hostem, quam se suosque fatigabat. Unde primum indignatio & odium Consulis, mox etim periculosa ipsi seditio in castris exstitit. Duro & superbo imperio cæterum exercitum, duriore equites habebat.

Auct. de Vir. Illustr. Diodorus. Appian. Diod. apud Vales. Bellum Viriathi cum renovatur.

XX. Unde quum noctu multorum sæpe conviciis proscinderetur; neque deprehendere certos auctores posset, iratus universis, quod ex eo utique corpore contumeliosos istos esse autumabat, præcepit aliquando: *ut duarum legionum equites (erant omnino sexcenti) transmisso qui castra præterfluebat amne, ad montes Viriatho insessos, cum solis agasonibus lignatum proficiscerentur.* Quum res manifestissimi periculi videretur, legati tribunique Capionem oravere, *ut ne tantum numerum honestissimorum civium in perniciem certam mitteret.* Inter hæc equites, qui paulisper responsum Consulis exspectaverant, postquam obstinatum audivere, ni ipsi rogarent; mortem levius supplicium rati, ut imperatum fuerat, ad montes contenderunt. Ivit una sociorum equitatus, aliique voluntarii, clamitantes *indignum esse, si tot fortissimi viri tanto in discrimine destituantur.*

Equites à Consule lignatum in maximo periculo missi.

XXI. Id validior effecta manus, quam aut lacessere auderet hostis, aut obterere facile posset: cæsique lignorum fasces referebantur. Inter redeundum, quum furentes ira plerique *Consulis iniquum imperium* conviciis & querelis traducerent, exorta vox à paucis, statim excepta probataque est communiter, *dignum esse lignis sic petitis uri, qui talia imperasset.* Igitur protinus ad tentorium Consulis itur; strues lignorum cum tumultu & minis circumponuntur: & nisi ardentibus vindictæ cupiditate animis velox fuga tutæque latebræ destinatam victimam eripuissent, à suis militibus, suis in castris, Romanus imperator, inaudito temporibus omnibus exemplo, fuisset concrematus.

Iisdem lignis exurere ipsum in tentorio volunt.

XXII. Id periculum, & quod Viriathus aliter vinci non posse videbatur, animum aperuit ignobili consilio, ut quosdam amicorum Viriathi pecunia, & spe

Cæpio Viriathum per proditores tollendum curat.

impunitatis ad ducem per insidias tollendum corrumperet. Audacem quemdam & Ditalconem, cumque his Minurum militare ad Consulem Viriathus solebat, de conditionibus pacis acturos: ii hoc modo destinatum scelus perfecere. Parcissimus somni Viriathus, laboribus aut curis diurnum pariter nocturnumque tempus extrahebat. plerumque, ubi soporem extorsisset lassitudo, cubabat armatus, ut simul evigilasset, agendis quæ se offerrent rebus nulla mora injiceretur. nihil igitur vetabat, quin amicis etiam ad quiescentem aditus esset. Hac occasione proditores usi, quum per caussam subiti negotii tentorium ejus intravissent, dormientem in armis, jugulo, quod solum patebat, hausto, interficiunt. egressique nemine sentiente, quod sine voce aut strepitu cædem vulnus opportunum peregerat ad Cæpionem transfugiunt, exposito facto præmium navatæ operæ postulantes. Cæpio concessis quæ hactenus obtinuissent, *de cætero Senatus arbitrium esse oportere* respondit; *imperatorem enim à militibus suis interfici, Romanis numquam placuisse*. Florus 2. 17. Auct. de Vir. illust. cap. 71. Val. Max. 9. 6. Appian. Eutropius. Orosius. 4. Florus. Diod. Apud Fulv. Ursin. Appian. Liv. Epit. Appian.

XXIII. Hic finis Viriathi fuit. cujus interitum quum numero & fide præcellentes auctores consilio Cæpionis adscripserint, alios sequi nolui, qui sequentis anni Consuli Popillio facti hujus ambiguam laudem transcripserunt. At in exercitu Viriathi, quum multa jam luce nondum dux conspiceretur, primo rem insolitam omnes admirari: mox cognita caussa gemitu luctuque complere castra, nunc *illius* dolere *vicem*, nunc miserari *suam*, *quibus in tali periculo tantus invidia deorum ablatus imperator esset*. Augebat dolorem nova rabies, quod auctores facinoris frustra requirentibus, ne ultionis quidem relictum solatium erat. Quod unum poterant, cadaver interempti pretiosissimo cum cultu sublimi rogo impositum, multis super hoc cæsis victimis, combusserunt. Exsequiæ Viriathi. Liv. Epit. Diod. apud Valesium. Appian. Diod. Appian. Diod. Appian. Diodorus.

XXIV. Inde peditum cohortes equitumque alæ, barbaro more laudes defuncti celebrantes circa bustum decurrebant; nec ante discessum est, quam ignis prorsus exstingueretur. Magnifico deinde tumulo cineribus reconditis, ducenta gladiatorum paria dederunt, eximiam viri virtutem enixo studio honorantes. Fuit enim haud dubie sicut in certando fortissimo militi, sic in providendo sagacissimo cuique imperatori comparandus. quodque bonis etiam ducibus haud perpetuum est, tot imperii sui tempore benevolentia omnium militum & amore singulari usus est. quem moderatione beneficiisque provocabat, virili prædæ parte contentus, quum semper exercitus ipse ampliorem capere juberet; atque hinc etiam multa præmiis meritorum, aut necessitatibus inopum decerpens. Præter hæc cibi vinique parcimonia viro incredibilis fuerat: neque plus aut somno, aut cuiquam generi voluptatum indulgebat. Quantus autem ille vir fuerit, ex ipsis rerum argumentis promptum est colligere. Nam continuis contra Romanos quatuordecim annorum bellis, quorum amplius decem totius ferme Lusitaniæ imperatorem egit, non modo concordes inter se & adversus ducem copias continuit: sed etiam ab hostibus propemodum invictas præstitit. consilio conatuque & tantum non successu, Hispaniæ contra Romanam potentiam assertor: votique futurus compos, si paulo infirmiores hostes, & firmiores amicos habuisset. Ejusdem Encomium. Liv. Epitom. Justin. 4. 2. Appian. Diodorus. Eutropius. Diodorus.

XXV. Magnitudinem illius illustrarunt etiam sequentia, quoniam orbata incomparabili ductore Lusitana res, e vestigio est pessumdata, quum enim ab exercitu Tautanus quidam creatus imperator, ad Saguntum oppugnandam se contu- Eo amisso Lusitana res perit. Diod. lib. 32. Appian.

Diod. Appian. Strab. lib. 3. Diodor. lisset, repulsus inde mox circa Bætin fluvium, dum transire amnem conatur, à Cœpione superveniente in tantum defatigatus est, ut seque & exercitum quibus victori placeret conditionibus dedere cogeretur. Humaniter usus est Cæpio deditis, exarmatosque, ne iterum ad latrocinia per inopiam prolaberentur, in agro satis amplo, & commoda ad habitandum urbe collocavit. Hunc exitum Viriathici belli formidabiles diu motus habuere. Quorum ut finis gratissimus Senatui populoque erat, ita qua perventum ad illum fuerat, via displicebat. neque triumphum ex eo bello decernere Senatus voluit, cujus victoria, quod empta fuisset, magis erubescendum populo Romano, quam gloriandum judicabat.

Vetus inscrip. Veronæ apud Anton. Aug. dialog. X. Antiquit. Val. Max 9. 6. Auct. de vir. illustr. cap 71.

Diod. apud Vales. Appian. Diod. apud Valesium. Appianus. Diodorus. Appianus. Q. Pompejus iterum obsidet Numantiam.

XXVI. Erat omnino cursus ille temporum, quo nihil ex Hispania satis gratum accideret civitati. neque bellum ex commodo reipublicæ erat, neque pax ex dignitate: jam etiam victoriæ ipsius tædebat. Auxit indignationem hominum de Q. Pompejo sequior fama, qui Lanciensium urbe diruta, iterum Numantiam adsedit, & temere susceptum consilium de fluvio qui Numantinum agrum rigat, in messem eorum immittendo, quo fame domari civitas posset, post maximas difficultates postremo quidem exsequutus est, sed nullo neque suo commodo, neque hostium detrimento: quum ipse interim crebra & acerba pateretur. Quippe Numantini militibus in opere occupatis sæpe se inferebant, tacito agmine, quo nec opinantes impensius turbarent: exibantque tam validæ ab oppido manus, ut etiam qui à castris Romanis auxiliatum suis venerant, repellerentur. quod quum sæpius accidisset, vix quisquam munimentis audebat excedere. præterea frumentationes efficiebant periculi plenas; multique per eam caussam castris egressi, cum tribuno militum Oppio, sunt ab hoste interfecti. iterumque alia ab parte, eorum qui fossam ducebant subito hostium incursu quadringenti, atque inter hos præfectus, oppressi.

Novo accepto exercitu clades multas patitur.

XXVII. Dum ista maxime geruntur, adfuerunt à Senatu delecti, cum exercitu tyronum, ut quæ sextum jam annum sub signis fuerant legiones deducerentur. Consul quamquam novo militi confidere minime poterat, tamen eluendæ ignominiæ cupidus, simul ut ad labores belli exercitum duraret, hiemem sub tentoriis agere instituit. Ibi per frigus hibernum, quum parum adsueta illis aquis cœloque corpora sub dio agerent, morbo tentata sunt castra, & pars aliqua militum ventris torminibus interiit. Major mox ab hoste clades fuit, nunquam segnibus ad struendas insidias Numantinis. Noverant ad convehendum in castra frumentum multas cohortes exivisse. igitur non longe à castris manu valida occultata, quidam propius suggressi, velitari cum stationibus cœpere. donec Romani hostium insultum non ferentes, confertim munimentis proruperunt.

Orosius 5. 4. Appian.

XXVIII. Ibi consurgentibus insidiis circumventi, plurimos militum & quosdam egregios clarosque viros amisere. neque hic stetit damnum; sed etiam commeatum advehentibus obviam profecti hostes, magnam eorum partem occiderunt. His incommodis depulsus instituto Pompejus, reliquam hiemem sub tectis agere decrevit, distributis per oppida cohortibus, curaque præsidiorum inter legatos, qui Roma venerunt, divisa. Quod autem ob rem male gestam successorem venturum rebatur, unaque judicium & accusatores metuebat; clam ad Numantinos misit, qui *ad pacem petendam* eos hortarentur, æquissimarum conditionum spe ostensa. qui & ipsi, quamquam debellare Pompejum facile videre-

Pacem facit cum Numantinis. Eutropius.

tur, tamen multos alios duces exercitusque Romanis superesse reputantes; ad hæc bello fessi, multis fortissimis civibus amissis, & ad magnam annonæ difficultatem redacti; quod ager tam diu coli non potuerat cupide quod offerebatur, accepere. Missis deinde legatis quum pro concione Consul respondisset, *non alia se digna majestate populi Romani fœdera nosse, quam ut in jus potestatemque ejus se suaque omnia Numantini dedant*: secreto cum iis quid esset acturus composuit. Summa colloquii quæ fuerit, res ipsæ docuere. captivos perfugasque reddidere Numantini, miseruntque obsides.

Florus 2. 18. Appian.

XXIX. Pacta erant & talenta triginta argenti. eorum repræsentata pars est; partis in diem dilata solutio. Interea successor Pompejo M. Popillius Lænas venit, qui cum Cn. Calpurnio Pisone Consulatum acceperat. Ibi Pompejus metu belli jam exsolutus, quum reliquam Numantini pecuniam offerrent, negat *sibi quidquam de pace conventum*. ipsis contra deos hominesque, nam senatores quidam equitumque præfecti ac tribuni militum negotio interfuerant, testes invocantibus: Consul *Romam eos ire* jussit, *coram Senatu cum Pompejo disceptaturos*. ipse, quia induciæ cum Numantinis manebant, donec Senatus de Pompejana pace statuisset, per quietem aut leves expeditiones (in Lusonas vicinos Numantinis, & fluminis Tegi fontibus moverat) annum exegit.

Orosius 5. 5. Appian. Urb. cond. ann. 614. Deinde factam inficiatur.

XXX. Eodem anno in Urbe peregrinarum religionum professores diligentiam magistratuum & Senatus animadverterunt. Inoleverat solitum magnis civitatibus malum; externi numinum cultus, & ad quaslibet suscipiendas ceremonias stultissimi cujusque propensa superstitio. Celebrari præcipue Jupiter Sabazius cœperat, cultu absurdo, & ad corruptionem morum pertinente. Itaque negotium C. Cornelio Scipioni Hispallo, cui peregrina jurisdictio evenerat, datum. isque proposito edicto rituum illorum doctores discedere ex Urbe coegit. Erat & alia pestis, Chaldæi, qui ex siderum inspectione fortunam singulorum casusque venturos explicari posse asserentes, pellectis levibus & ineptis ingeniis, plurimos fallaci spe metuve dementabant: magna plerumque accepta à credulis hominibus mercede mentiendi. Ex qua temeritate quum & patriæ religiones sperni inciperent, & vana plerumque fiducia futuri corruptæ mentes, magna sperando, nimia concupiscere discerent; idem prætor edictum proposuit, quo decimum intra diem Chaldæi ex Urbe atque Italia abire jubebantur.

Jovis Sabazii cultores, itemque Chaldæi Urbe pelluntur.

V al. Max. 1. 3

XXXI. Tum etiam in suffragiorum ordine nova res introducta est, adspectu parva, effectu non aspernanda. Gabinius tribunus plebis homo ignotus & sordidus rogationem tulit, *ut in magistratibus mandandis suffragia non voce, sed per tabellam ferrentur*. Id adversus optimatium potentiam repertum, qui contra suam sententiam euntibus terribiles erant: ut sine metu offensionis tabella occultante suffragium, quilibet animi sui indicio libere uteretur. Sed huic commodo non leve vitium suberat, quod nullo pudore nullaque meliorum reverentia deterritum vulgus, animique plerumque inconsiderato impetu sine rectore in deteriora ferebatur; multitudinisque arbitrio res maximæ fiebant.

Lex Gabinia. Tabellaria. Cic. de legib. 3. 16.

XXXII. Nescio hoc anno an sequenti Claudius Asellus Tribunus plebis fuerit: in tribunatu certe diem ab hoc esse dictam constat P. Africano, quod equum ei Censor Africanus ademerat. Atque ille quidem in hoc judicio non aliter quam pro solita animi magnitudine se gessit. Nam neque barbam radi desiit, neque

Cic. Lælio cap. 12. Agell. 3. 4. P. Africanus accusatur ab Asello.

Agel. 2. 20. Vellejus 2. 9. Cic. de Orat. 2. 64. Lucilius apud Agellium 4. 17. Cic. de Orat. 2. 67.

vestem mutavit, aut quidquam fecit, quod ad misericordiam conciliandam rei solent. Verum alias festivitate jocorum, alias pondere orationis, erat enim dicendi minime rudis, accusatoris improbitatem exagitans, simul ingenti gloria pariter innocentiaque fultus, calumnias inimici non ægre depulit. Inter alia gloriante Asello, *omnes se provincias stipendia facientem peragrasse*, vulgare proverbium Africanus recitavit, *asellum, licet per omnes mundi plagas agatur, non ideo cursum discere*.

Magnorum virorum felicitas non extra ipsos posita.

XXXIII. Atque alio tempore, quum Asellus objecisset, *lustrum illud ab eo Censore malum atque calamitosum populo Romano fuisse*: *noli mirari*, inquit: *nam qui te ex ærariis exemit, lustrum condidit, & taurum immolavit*. Talis in periculo suo Africanus fuit: atque ut sane ista referens indignari cogor, in ea magnitudine meritorum & integritate vitæ, pati civitatem clarissimi principis vexationem potuisse: ita deberi aliquid fateor iis moribus, per quos ingenti exemplo patefacta est via, quod summorum hominum felicitatem non in alieno vel adfectu vel officio, sed ipsorum virtute atque magnanimitate repositam & fundatam esse admoneret.

Q. Pompejus cum Numantinis de fœdere disceptat.

Cic. de Fin. 2. 37. Cic. de Officiis 3. 30. Vellejus 2. 1.

XXXIV. At sicut iste generosæ gravitatis, ita sub idem tempus illiberalis versutiæ documentum Q. Pompejus dedit. Quum enim à legatis Numantinorum multis argumentis convinceretur, fœdus cum eorum civitate fecisse, essetque res manifestissima; tamen instare confitenti certam damnationem videns, homo callide improbus ad extremum pernegavit. Atqui plus adhuc apud bonos turpitudo notissimi delecti, quam infitiendi impudentia valebat: ferebaturque ad populum, *ut ad expiandum, quidquid iis pactis contractum religionis publicæ esset, auctor eorum hostibus dederetur*. Tum vero ille totis blanditiarum artibus, & infimarum precum vilitate omni adhibita, perpulit incuriosum publici decoris vulgus, ut potius unius improbi hominis, quam communis civitatis misericordia tangeretur; illiusque vitam, quam dignitatem reipublicæ salvam esse mallet. Non accepta lex est: Pompejus pro insonte dimissus: Numantinis responsum, *fœdus à Pompejo factum non videri*. Tantum mali patrare gratia potest, quoties arbitris iis, qui naturam utriusque juxta nesciunt, cum justitia committitur.

Absolvitur judicio repetundarum. Val. Max. 8. 5. Cic. pro Fonteio cap. 7. Cic. in Verr. 5. 70. Val. Max.

XXXV. Neque hic favor hominum stetit. Subinde enim quum repetundarum postularetur Pompejus, premereturque clarissimorum virorum testimoniis, nam Cn. & Q. Cœpiones, aliudque par fratrum Q. & L. Metelli testimonium in eum dixerant, plus gratia Pompeji, quam fides auctoritasque summorum virorum valuit. *Oppressum videri hominem novum inimicorum potentia noluerunt judices*; ut ajunt, quibus omnia majorum facta excusare moris est: tamquam alia quam repetundarum lege quæstionem esset, aut in illa quæstione novitas sua vel fraudi cuiquam, vel utilitati esse debuisset. Scilicet corruptis jam per ambitionem luxumque moribus, & pristina innocentia vix inter paucos reliqua, cæteri judicum similes sibi reos absolvendo, suam securitatem stabilitum ibant.

Itemque L. Cotta, accusante Africano. Cic. divin. cap. 21.

XXXVI. Neque aliam fuisse caussam sentio, cur per eadem tempora gravissimorum criminum reus L. Cotta, P. Africano accusante condemnationem effugeret. qua in quæstione antiqui pudoris reliquiæ ita cum improbitate recenti certaverunt, ut quum insontem pronunciare contarentur judices, sontem eripere cuperent, septies ampliatum, octavo judicio absolutus sit reus. Id factum & similia,

milia, quum uno hoc colore defendantur, quo homines videlicet sapientissimi committere noluerint, ut accusatoris potentiæ dignitatique tribuisse quidquam viderentur; manifestum est tam malam excusationem, non nisi meliorum inopia placuisse. Nam si leges exercendæ non sunt, cur sanciuntur? aut præstat accusandi munus, in quo præ aliis gravitas & sanctitas & cum constantia fides requiritur, ademptum principibus viris, ad odia cupiditatesque sordidorum hominum demittere. Val. Max. 8.1. Cic. pro Murena cap. 28.

XXXVII. Nempe aliud & illis temporibus, & proximis, judicium civitatis Romanæ principum fuit: quum nec paulo ante M. Cato, neque aliquanto post M. Scaurus, deforme aut fastigio suo indignum ducerent, ut defensionem innocentium civium, ita accusationes improborum suscipere. Interpretentur ut volent, qui artibus quibuslibet favorem bene quæri putant; certe quemadmodum ferendi non sunt qui temere periculum cuilibet creant: ita pereuntis reipublicæ minime fallax indicium est, si vile opus, & hominibus honestis inconveniens habeatur, pro bonis civibus adversum malos mores prœliari. Olim summi viri accusationes suscipiebant improborum civium; Tacit. 3. 66.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



PUBLIO Cornelio Nasica, cui cognomen Serapioni fuit, ab irridente Curatio tribuno plebis impositum, & D. Junio Bruto Consulibus delectum habentibus in conspectu tyronum, res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset: damnatusque sub furca, diu virgis cæsus est, & sestertio nummo venit. Tribuni plebis quia non impetrarant, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, Consules duci jusserunt. Junius Brutus Consul in Hispania, iis, qui sub Viriatho militaverant, agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam fieri censuerat, cum exercitu fusus fugatusque. C. Hostilio Mancino Consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt. conscendenti deinde in navim ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri, Mane, mane Mancine: qua auspicia tristia fuisse, eventu probatum est. Victus enim à Numantinis & castris exutus, quum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse Senatus vetuit. Triginta millia Romanorum à Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Junius Lusitaniam, triginta urbium expugnationibus, usque ad Occasum & Oceanum, perdomuit: & quum fluvium Oblivionem transire nollent

milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, & sic ut transgrederentur persuasit. Alexandri filius, rex Syriæ, decem annos admodum habens, à Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est: corruptis medicis, qui ipsum calculi dolore consumi, ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.

Appianus. Hispanicis.

I. ABROGATA Numantini fœderis mentione, quum ulterius bellari Patribus placuisset, acrior diligentia præparandi quæ ad bellum pertinerent, duo magna, sed dissimilis valde exempli documenta peperit, quum altero non minus everti Urbana disciplina, quam altera stabiliri militaris videretur. P. Scipione Nasica, D. Junio Bruto Coss. delectum habentibus, in conspectu tyronum, C. Matienius sub furca diu virgis cæsus est, deinde sestertio nummo vænit. Jussu Tribunorum plebis id factum, apud quos accusatus fuerat Matienius, quod exercitum in Hispania deseruisset. Ob hanc tam salubrem severitatem quum in ore omnium tribuni essent, iniquissimis adversum Consules contentionibus, prioris facti gloriam turpavere.

Urb. cond. ann. 615. Liv. Epitom. Frontin. Strategem. 4. 1. Liv. Epitom. Desertor sub furca cæsus, venit.

Tribunorum plebis contentio cum Consulibus.

II. Volebant à necessitate delectus eximere denos singuli, quos delegissent. neque ignavius Consules renitebantur, quam tertium decimum ante annum eadem postulanti collegio Tribunorum L. Lucullus, A. Posthumius restiterant. At illius certaminis mitior eventus fuit: hic ad novi & ad eum usque diem inusitati exempli fœditatem Tribunitia processit improbitas. Quum enim constantiam optimorum Consulum homines importunissimi precibus minisque diu frustra versavissent; ad extremum, incitante cæteros C. Curiatio, qui ex sordidissima origine, ad Tribunatum plebis pervenerat, *Consules utrumque duci in carcerem* jussere. Dolebant non boni modo, sed etiam vulgo jam plerique tanto summi imperii dedecore. sed neque resisti sacrosanctæ potestati poterat, neque ex collegio quisquam, ut intercederet, exorari. ea omnibus in pravi consilii obstinatione erat consensio. At Nasica Brutusque, ut fama & virtute tantorum virorum dignum erat, pati quidlibet, quam cedere Tribunitiis furoribus in caussa honestissima maluerunt.

Cic. de Legib. 3. Liv. Epitom.

Plinius 7. 44. Cicero.

Nasicæ Consulis constantia & vox memorabilis. Val. Max. 3. 7. 3.

III. Neque minori deinceps fiducia Tribunorum aliis actionibus repugnavere. qua in re Nasicæ Consulis nobilitata vox est, ingentis animi constantiæque invictæ plenissima. Productos in concionem Consules C. Curiatius, *referre ad Senatum* jubebat, *ut adversus invalescentem annonæ caritatem frumenti emendi caussa legati decernerentur*. Ibi Nasica docere populum orsus parum probabile illud institutum esse, quum interpellaretur, maxima fiducia, *tacete*, inquit, *Quirites, nam ego quid conducat reipublicæ rectius quam vos intelligo*. His auditis, tamquam venti posuissent, concitatum istud populi murmur conticuit, Consulisque oratio non modo cum silentio, sed etiam cum approbatione audita est. In hoc Consulatu *Serapionis* ei cognomen ab irridente Curiatio impositum, deinceps hæsit. Erat enim Serapioni cuidam vilissimo homini, quippe Suario negotiatori, vultu simillimus: quum genere nobilissimos, virtute optimos, dignitate clarissimos æquaret.

Val. Max. 9. 14. Plin. 7. 12 & 21. 3. Cicer. Bruto. cap. 22.

IV. Non omittam referre judicium cædis, quod his temporibus actum est: quum tanti hoc Senatus fecisset, ut Consulibus mandandum existimaret. In Sca-

tia sylva noti quidam homines interfecti fuerant: insimulabaturque familia, quidam etiam liberi, societatis ejus, quæ pecuarias de Censoribus proximis redemerat. Contra hos quum accusatores auditi essent, deinde C. Lælius pro publicanis accurate dixisset, ampliata à Consulibus res est. paucos post dies, quum idem dixisset, etiam melius elegantiusque itidem ampliatum. Ibi deducentibus eum sociis, orantibusque *ne defatigaretur*, C. Lælius, ut erat eximiæ probitatis, dixisse fertur, *sibi in caussa illorum neque diligentiam neque fidem defuisse: cæterum existimare, caussam illam à Ser. Galba, quod is acrior in dicendo fortiorque esset, defendi melius posse*. Sic auctore Lælio caussæ patrocinium ad Galbam delatum: atque is tanta vi tantaque gravitate dixisse dicitur, ut nulla fere pars orationis sine clamoribus & plausu prætermitteretur. omnibusque approbantibus instituta quæstione societatem illa dies illaque actio absolveret.

C. Lælius clientes suos ad Ser. Galbam meliorem oratorem remittit.

V. Hæc domi gesta. At delectu interim acto, D. Brutus cui ulterior Hispania obvenerat (in citeriore prorogatum imperium M. Popillio erat) in provinciam proficiscitur. Duas maxime res Senatus ei mandaverat, unam *ut eos qui sub Viriatho militassent, atque à Q. Cæpione accepti in deditionem essent, certis in sedibus collocaret*. alteram, *ut quod in Lusitania nondum pacatum esset, armis reducere ad quietem studeret*. Igitur quum dediticiis agrum jam urbisque locum à decessore suo adsignatum reperisset, condendi oppidi auctor adjutorque fuit opportuno situ, tribus à mari passuum millibus. Valentia id oppidum appellatum. In hoc opere quum pars magna ejus anni circumacta esset, deinde latronum globos persequi instituit, qui locis istis passim grassabantur. Nam quia ex similibus initiis magna potentia Viriathi, magnumque nomen fuerat: plures illius exemplo incitati, parem sibi fortunam haud operosa rudibus animis improbitate spei augurabantur.

Appianus. Hispanicis.

D. Brutus Valentiam in Hispania condit. Liv. Epitom. Plin. 3. 3. Liv. Epitom. Appian.

VI. Hi quidquid agrorum Tagum inter & Oblivionis flumen, Durium itidem ac Bætin comprehensum est, solita genti pernicitate pervagantes, curam injiciebant Consuli, qua potissimum via incertum hostem & nusquam facientem copiam sui opprimeret. Velocissimos homines statario exercitu insequi, difficile erat: insequentem non consequi, ignominiosum. ne in ipsa quidem victoria quidquam aut laudis aut fructus futurum apparebat. Rectius visum, civitates, unde orti latrones dicerentur, bello aggredi.

Latrocinia compescere nititur.

VII. Sic & ultionem sumi à meritis, & expleri militem præda posse: neque defuturos latrones, quin ad ferendam suæ quisque patriæ opem spargerentur. Sic in proxima quæque incendium belli inferenti, primo acriter ab indigenis resisti cœpit, non viris modo, sed etiam mulieribus, impigre pro defensione rerum suarum arma capientibus, quarum quum diversis locis interfectæ plurimæ essent, nullius aut lachrymas aut etiam vocem vulneribus ac morte elici potuisse, traditum est. Sed certamine frustra tentato, quum vinci se multitudine viderent, in montes cum rebus quas auferre potuerant refugerunt. inde ut subversionem oppidorum suorum anteverterent, missis ad Consulem oratoribus, *veniam delicto* petivere. concessit eam Brutus, & parte facultatum mulctatos in suas quemque sedes dimisit.

Strab. lib. 3. Appian. Mulierum Lusitanarum fortitudo.

VIII. Jam etiam ad Numantiam certabatur, quod bellum M. Popillius proconsule, cognita Senatus voluntate resumpserat. Ibi quum ad oppidum copias adduxisset, lentæ primum obsidionis species fuit: quum procul solita ferocia Nu-

Popillius ad Numantiam male rem gerit.

Liv. Epitom. Frotio. Strateg. 3. 17.

mancini non ut antea consueverant, ingredienti fines occurrissent: ne pro muris quidem exercitu, adeo metum simulabant, opposito. Hoc ita constanter per aliquammultos dies factum, ut Proconsuli jam fides fieret, domitam malis & desperatione virtutem hostium esse. ideoque eo profectus est fiduciæ, ut etiam scalas admovere mœnibus auderet. neque tamen illum adhuc omnis providentia deseruerat, quin dolum latere suspicaretur, quia ne tum quidem ad tuenda mœnia excitari Numantinos animadvertebat. Signum itaque receptui dari jussit: cui dum à spe occupandæ urbis segniter miles paret, neque etiam servatis ordinibus recedere tam expeditum est, erumpunt in aversos & à scalis descendentes Numantini, magnaque strage edita totum exercitum fundunt fugantque.

Prodigia. Urb. cond. ann. 616. Liv. Epitom. Julius Obseq. Liv. Epitom. Val. Maxim. 1. 6. Jul. Obseq.

IX. Hujus cladis fama nunciisque perculsam civitatem terruerunt & prodigiorum minæ, vix ullo anno crebriorum, quam qui M. Aimilium Lepidum, C. Hostilium Mancinum Consules habuit. Nam & Lanuvii, quum ibi Consules ex more auspicarentur, pulli è cavea in sylvam Laurentinam evolarunt: quæsitique non comparuere. Præneste fax ardens conspecta in cœlo erat, & sereno tonuerat. Lacus Fucinus per millia passuum quinque, caussis non apparentibus, in omnem partem exundavit. in Græcostasi & comitio sanguine fluxit. Exquiliis equuleus cum quinque pedibus natus: multa Urbis loca fulmine percussa fuere.

C. Mancinus malis ominibus contra Numantinos profectus nec eventus meliores habet. Orosius 5. 4. Jul. Obseq. De his D. August. de civit. Dei 3. 21. Val. Maxim. Auct. de Vir. illust. cap. 59. Liv. Epit. Val. Max. Jul. Obseq. Liv. Epitom. Orosius 5. 5. Auct. de Vir. illust.

X. Atrocius visum, quod M. Claudius prætor, qui in provinciam iturus Terracinæ navem conscenderat, nave fulmine icta, conflagravit. His terroribus ex aruspicum responso procuratis C. Hostilius Mancinus, cui bellum Numantinum evenerat, per Latium & Etruriam in Ligures profectus est, ut à portu Herculis Monœci in Hispaniam navigaret. Sed consilium mutare coegit ominosæ vocis ex improviso auditæ terribilis religio: his ipsis verbis auctore non conspecto resonantibus, *mane Mancine*. Itaque nave quam conscenderat, relicta, Genuam ivit, ut inde solveret. Ibi repertum in mari serpentem ferunt, interque manus comprehendentium effugisse. Tristissimorum eventuum hæc signa fuisse, tum quoque creditum: sed indubitanter post res auspicio ductuque Mancini parum prospere gestas. Quamquam enim acceptum à M. Popillio exercitum, priusquam disciplina corrigeretur, haudquaquam parem hosti ferocissimo ratus, in castris, quæ & paulo ante fugientes texerant, continere studuisset; tamen quia propinqua oppido castra erant, vitari nequibat, quin sæpius aliqua parte copiarum confligendum necessario esset. quibus prœliis plerisque omnibus Numantina res superior, Consulem exercitumque Romanum haud magis præsentibus damnis, quam in futurum desperatione fatigabat.

Appian. Hispan. Gracch. c. 8.

Lex Cassia Tabellaria. Cic. de Legib. 3. 16. Cic. Lælio cap. 12.

Cic. Bruto cap. 21.

XI. Interea non minoribus animis, quanquam civili & incruento certamine, in Urbe depugnatum. L. Cassius Tribunus plebis legem promulgaverat, *ut exemplo legis Gabiniæ, quæ biennio ante lata de comitiis erat, etiam in judiciis suffragia per tabellam ferrentur*. Jam Gabinia lex potentioribus displicuerat, quorum in suffragiis moderandis regnum enervabat. Nunc si idem in judiciis fieret, plane in ordinem redigi, nihil magnopere pro infimis quibusque valituros haud obscure indignabantur. Itaque M. Aimilius Consul clara temporibus illis eloquentia, contrariis actionibus, vindicare jus antiquum conatus, inimicitiarum cum Cassio semina caussasque inde collegit; sive dudum contractas acrius irritavit.

XII. Neque absonum vero est, quum à L. Cassio accusatum esse constet, ab illa caussa profectis odiis judicium rarissimi criminis conflatum ipsi fuisse. Nam *in agro Alsiensi villam habere* dicebatur, *nimis in sublime editam*. Hoc in magnam invidiam accusator rapuit, *non villam ibi, sed arcem ab homine libertatis æqua minime patiente structam esse* dictitans. Neque aliud caussæ video, cur gravi mulcta populi judicio adfectus sit eo tempore, quo jam sæpe atrocia crimina impunita manebant, quam quia dolorem suum populus, iisdem suffragiis, quorum impugnari libertas videbatur, cupide vindicarit. Sed præter Consulem resistebat adhuc tabellariæ legi M. Antius Briso tanto potentior adversarius, quod ipse quoque Tribunus plebis, actionibus Cassii jure sacrosanctæ potestatis intercedere poterat. Cæterum hic ad extremum non perstitit, auctoritate P. Scipionis Africani de sententia deductus (sic enim creditum fuit) quo facto lex perlata est.

Cassius Aimilium accusat, ob villam altius ædificatam. Val. Max 8.1. Cic. Bruto. Cic. de Legib. Florus 2. 18. Plutarch. Gracchis cap 17.

XIII. Interea C. Hostilius Mancinus assiduis velitationibus omnia nequidquam expertus, quum perpetuo superiores Numantini essent, tædio assiduarum cladium subactus relinquere castra noctu decrevit: ut longius abductum à conspectu hostium militem, qui jam nec vocem viri Numantini, nec oculos ferre poterat, quiete & securitate ad recipiendum animum data confirmaret. Eo consilio per tenebras educto castris exercitu solitudinem petit, locumque ubi Fulvius Nobilior castra nuper habuerat. Hanc profectionem Numantinis casus prodidit, velut ad firmandam prodigiorum fidem quærente viam fortuna. Tempus erat anni, per quod more Numantino puellæ nubiles elocabantur. Ambibant unius formosæ nuptias duo, genere ac virtute pares. eos ut contentionibus, & molestia exsolveret virginis pater, *eum sibi generum fore* dixit, *qui dextram hostis prior retulisset*. Nam dextras hostium amputare, diisque dedicare iis regionibus solitum. Geminato instinctu accensi juvenes, quum hinc amoris, inde virtutis æmulatio faces admoveret, ocyus arma capiunt, & silentio versus castra Romana procedunt, deinde, postquam in via occurrit nemo, propius subinde propiusque suggressi, solitudinem in castris esse vident: mirabundique, rem ad suos referre statuunt.

Mancini fuga à Numantia miro casu detegitur. Auctor. de Vir. Illustr. Appian. Auctor de Vir. illust. Strab. lib. 3. Auct. de Vir. Illustr.

XIV. Numantini, quod res erat, fugere profecto Romanos arbitrati, sine mora coacti, ad millia hominum quatuor, sequi abeuntes cœpere. Tanta enim in his virtus, tantusque hostium ex præteritarum rerum recordatione contemptus inerat, ut hac tam parva manu Consulem Romanum triginta millia militum ducentem adoriri nihil contarentur. Et castra quidem à suis deserta obiter occuparunt. cæterum fugientium agmen Numantini adsequuti, consistere quum coëgissent, trepidantes & consilii incertos adorti, quum proximos quosque, cæteris haudquaquam subvenientibus, circumvenirent, magnum numerum occiderunt: peritiaque locorum adjuti, licet multis partibus pauciores essent, totum exercitum ita concluserunt, ut orta die nullam spem effugii, sed aspera & invia alibi loca, alibi his formidabiliores Numantinorum cuneos ostendente; victus ultima desperatione Consul (nec enim servandi exercitus alia ulla ratio apparebat) in leges hostium fœdera ferire cogeretur. Hoc enim ipsi, quum ad internecionem infelicis exercitus sævire liceret, maluerunt.

Numantini insequentes in summas angustias redigunt hostem. Plutarch. Florus. Epitom. Liv. Appian. Plutarch. Orosius. 5.4. Liv. Epitom. Auct. de Vir. Illustr. Orosius. Florus. Plutarch. Vellejus. 2.8. Auctor. de Vir. Illustr. Appian.

XV. De conditionibus quum per alios tractaret Mancinus, negarunt Nu-

Audoin. 7.9. Appian.

Diod. ap. Val. Cic. de Harusp. resp. cap. 20.

Mancinus per Tib. Gracchū pacem facit cum Numantinis.

mantini, *nisi Tib. Gracchο fidem habituros*. nam patris Tiberii magnam in Hispania famam & bellum fortiter gestum, & pax Celtiberiæ data effecerat: ipsius etiam juvenis clarum virtute & probitate nomen erat. accedebat ex magistratu auctoritas, nam in eum annum Quæstor creatus, Numantinam militiam & Consulem Mancinum sorte acceperat. Gracchus igitur ad hostes profectus, quum in præsentia nihil obtineri melius posset; pepigit, *ut æquis legibus populo Romano Numantinoque fœdus ac amicitia esset*. quo facto quum haud obscure viginti millia civium Romanorum, præter lixas & extraordinarios conservasset; non dubitabat, quin illa opera sibi non modo nulli detrimento, sed etiam laudi gratiæque futura esset.

Cl. Quadrigarius apud Priscianū lib. 7. Appian. Valer. Max. apud Agel. 8. 9. Florus. Plutarch. Pax jurejurando Consulis sancitur.

XVI. Qua spe postea falsus, ad civitatem seditionibus agitandam in Tribunatu præceps ferri cœpit, ut suis locis exponetur. Tunc autem quum inter ferendas conditiones commemoratum à Numantinis esset, *quod fœdus Pompejanum sibi servatum non foret; eo se parem hujus quoque negotii eventum metuere*: convenit *ut Consul jure jurando, Quæstor & cæterorum honestissimus quisque sponsione se adstringerent, mansura quæ pepigissent*. Ita Numantini, dimissis Romanis, castra diripuerunt. in qua quia tabulas, Tiberius reliquerat, quæ rationes Quæsturæ continebant, cum tribus aut quatuor familiarium Numantiam rediit, *reddi sibi eas rogans, ut adversus inimicorum calumnias, uti hoc integritatis suæ testimonio posset*. Numantini comiter exceptum, atque in urbem suam invitatum, restitutis tabulis, *sumere præterea jusserunt de præda, quidquid optavisset*. ille tantummodo thure, quo ad sacra publica utebatur, recepto, ad consulem rediit. quem licet illa calamitate miserrime perculsum depressumque, non ideo minori honore atque pietate prosequebatur.

Romæ indignatio oritur ob pacem Numantinam.

XVII. Ab hoc in Urbem quum venisset, totum istud negotium aversis auribus acceptum est: indignantium, *eo decidisse virtutem famamque civitatis, ut post tot annorum bella, par demum, etiam sancitâ per fœderis religionem confessione, Romæ Numantia judicaretur*. Neque crebrior per eos dies sermo apud iratos erat, quam *Caudini fœderis pœnam in hos esse renovandam, qui fœderis illius infamiam retulissent*. At parentes propinquique eorum, qui in exercitu erant, quod Tiberio se debere salutem suorum intelligebant, de consule quidem dedendo non dissensere: Tiberio parci volebant; hujusque in gratiam, cæteros etiam, qui in pari caussa esse videbantur, eripere tendebant.

Mancinus ex Hispania revocatus. Appian. Diod. apud Fulv. Ursin.

XVIII. Cæterum Senatui placuit, *extemplo ad caussam dicendam ex Hispania Mancinum revocari; collegamque ejus M. Aimilium cum imperio ad exercitum proficisci*. Mancinum decedentem etiam Numantinorum legati sunt sequuti. His *extra Urbem manere* jussis, ne recepti pacis approbatæ hoc argumentum facerent: munera nihilominus missa; ut spes maneret, componi, quod controversum esset, posse.

Mancini oratio in Senatu.

XIX. Die Senatus, Mancinus multa *de necessitate pactorum* præfatus, *quando ita diis*, inquit, *immortalibus placuit, ut hæc sola tantam civium Romanorum multitudinem servandi ratio superesset; eadem mihi justa piaque videri debuit. Triginta hominum millibus hinc armis hostium, inde locorum iniquitate clausis, suprema dies aderat, si fastidire perrexissem fœdera, quæ tali in sorte ultro ambienda videbantur. Viderint quibus parentes, liberos, propinquos servavi,*

quid de hoc consilio judicaturi sint, per quod effectum est, ne ingens pars civitatis luctu & mœrore mergeretur. Neque tamen magna jactura salus exercitus constitit. nihil amissum est eorum, quæ ante me Consulem in Hispania tenuistis.

XX. *Vos autem oro quæsoque, Patres Conscripti, quum de hoc facto deliberabitis, ne præsentem potius animorum habitum, postquam metus omnis decessit: quam illius temporis faciem, quum periculorum & terroris plena omnia erant, in consilio habeatis: neve potius quæ facta maluissetis, quam quæ potuerint fieri cogitetis. Neminem equidem lacesso, quod & à moribus meis, & ab hoc tempore meo alienissimum est: sed quis ignorat quanta superiorum Consulum culpâ nostras legiones ignavia, quantus disciplinæ contemptus incesserit. Quam ego ignaviam quotidianis velitationibus corrigere, animumque confirmare conatus, quum in me nihil desiderari passus essem, frustra fui, quod neque pudore jam poterant, neque periculi magnitudine excitari. & rebus perditis licentiosius à me flagitabant, ut quia nihil esset melius, ad eamdem pacem descenderem, quam ante me Pompejus impune pepegisset; cujusque non servatæ, vindictam irata numina exigerent.* Culpam in exercitus ignaviam confert.

XXI. *Et profecto si verum amamus, minus est mirandum, si in bello parum certæ æquitatis, acerbiores paulo eventus fuerint. Diis enim, diis, inquam, prodentibus discessum nostrum, quod calamitatis omnis caussa fuit, senserunt Numantini. Quid enim tam incredibile, quam duos omnino viros id noctis ad castra nostra succedere ausos? deinde amor, æmulatio, accedens à patre amatæ stimulus, & hæc omnia in id temporis momentum concurrentia; quid aliud quam voluntatem consiliumque deorum arguunt.* tem in vindictam deorum ob pacem priorem non servatam. Orosius. 5.9.

XXII. *Atque utinam illorum aut credidissem auspiciis, aut voce revocantium paruissem! Quamquam si recte rem putamus, proficisci me & adesse rebus istis oportuit; ut si necessum sit, in meum caput, quidquid tempestatis inde impenderet, salvo exercitu recideret. Sane patrum nostrorum memoria, quum florentissimis populi Romani copiis alienissimo tempore perditis Varro Consul in Urbem solus revertisset, gratiæ sunt ei ab Senatu actæ, quod de Republica non desperasset, quam prope desperationem sua temeritate adegerat. Mihi servato exercitu venia facti sufficerit: quamquam & istam si quorumdam negavit severitas, dum mea opera viginti alios civium Romanorum millia salva vobis esse memineritis, lætus ac libens quam dederitis sorte defungar.* Cum Varrone se comparat.

XXIII. Numantini deinde acciti, hunc in modum verba fecerunt: *Quid hoc tempore de nobis judicetis, Patres Conscripti, hostiumne an amicorum numero habeamur, Urbe prohibiti, muneribus adfecti dubitamus. at illud nequaquam nobis ambiguum est, quocumque apud vos numero simus, post pacem cum Tib. Graccho initam semper amicorum & animos habuisse, & præstitisse opera, Vestris imperatoribus non solum annonam & milites ex formula, sed etiam & hæc sæpius supra numerum, & alia quæ non erant fœderibus expressa, ultro dedimus. Etiam his sedecim annis, ex quo Segidensium negotio impliciti, arma non contra vos, sed pro pace vestra cepimus, neque acerbi implacabilesque hostes fuimus: & simul atque spes aliqua pacis ostensa nobis est, pecuniam, vestem, commeatum, & quidquid jubere ducibus vestris placuit, præbuimus.* Numantinorum Oratio in Senatu.

XXIV. *Pro his meritis aliud fere nihil quam contumelias injuriasque experti,* De injuriis queruntur.

quum earum rerum pigeret puderetque, modum quem facere auctores illarum noluerant, in armis quaerere coacti sumus: quod ultimum mortalitati beneficium natura dedit, uti ubi consumpta spes omnis est, desperatione animentur, quicumque asperiora sibi imponi putant, quam mortem non timenti ferre necessum est. Quid jam commemorem quoties Consulibus vestris foedera nobiscum icta, deinde rupta sint: quia tanto pacis desiderio tenebamur: ut prudentes plerumque scientesque falleremur, & toties experta fraude ad cautionem fugeremus eruditi. Antea quoque non semel decepti, tamen Q. Pompejo habuimus fidem: quae si apud illum aliqua esset, neque postea venisset in periculum exercitus vester; neque in praesentia nos laboraremus.

Eventum ad deorum consilium referunt.

XXV. *Nisi forte diis immortalibus ita visum est, ut claro documento minime sibi placere violata temere pacta ostenderent. quo & nos ad feriendum foedus callidiores ab experimento essemus; & vos ad illud deinceps servandum, non jus tantum, fasque, sed etiam pudor obligaret. A majoribus natu sic accepimus, duabus maxime rebus populum Romanum excellere, virtute ac justitia. ab altero habere, ut bello superari nequeat; ab altero, ut nolit beneficio vinci. Quum servare aut perdere vestrum exercitum in manu nostra esset, quod humanius erat fecimus, ut dimitteremus incolumem.*

Postremo preces adhibent.

XXVI. *Pro hoc merito, ut jam pristinae foederum sponsiones sileant, nostro jure pacem amicitiamque postulare poteramus: sed maluimus precibus agere, vosque per jurata toties numina, per ipsos illos tam certos ultores perjurii deos, per liberos, propinquos, cives denique vestros, qui nostro beneficio lucem hanc vident, obtestamur: ne perditum excisumque eatis civitatem, cujus ea in populum Romanum reverentia, is animus est, utne tot quidem annorum injuriis belliquе tam acris quam iniqui cladibus, ad vindictam rapiendam occasionem potuerit commoveri. Si fas gentium respicitis; foedus est, quod pepigimus: si religionem numinum, dii sunt per quos juratum est. non debemus timere, ne factam pacem servare nolitis, quam, si res adhuc integra foret, ita & meritis & mereri cupientibus praestare debuissetis.* At Senatus, quodlibet pretio pacem tam indecoram bene abrumpi credens, censuit, *ut quamprimum novi Consules magistratum inivissent, de foedere rescindendo, & auctoribus ejus populo Numantino dedendis referretur.* Dum haec in Urbe fiunt, M. Aimilius Consul accepto exercitu, quietem ut infructuosam aspernatus, belli causas adversum Vaccaeos quaerere instituit, quia Numantinos sua virtus, & incerta adhuc Senatus voluntas ab injuria protegebat.

Florus 2. 18. Vellejus. 2. 9. Diodorus. Appian. Eutropius: Auct. de Vir. Illustr. Plutarch. Gracchis. c. 9. Appian.

Aimilius Vaccaeis inferre bellum prohibetur:

XXVII. Criminatus igitur *commeatu juvisse Numantinum hostem*, agrum eorum populatur, urbem Pallantiam, locis illis maximam, obsidet: vocato in communionem belli D. Bruto, quocum affinitatem contraxerat, ulterioris Hispaniae proconsule. Jamque copias illi conjunxerant, quum ab Senatu legati Cinna Caeciliusque venerunt, prolatoque Senatusconsulto quo *bellum inferre Consul Vaccais* vetabatur, *ingratissimum molestissimumque Senatui facturum videri* dixere, *si tot in Hispania incommodis acceptis, novum insuper bellum cum Vaccaeorum ferocissima gente conciret.*

Nec paret Senatus legatis.

XXVIII. Aimilius *multa in re praesenti facilia apparere, quae absentibus ardua videantur* dictitans, *minime se dubitare* respondit, *quin consilia sua probaturi Patres forent, quamprimum coeptum jam a duobus imperatoribus bellum militem-*

temque & frumentum & pecuniam à Vaccæis Numantiam missa accepissent: præsertim quia revocatis exercitibus, universæ Hispaniæ, tanquam in confesso Romanorum metu, rebellaturæ viderentur. Cum hoc responso irritos Senatus legatos remisit datis literis, quibus eadem illa perscribebantur. Gravius hæc ab Senatu accepta: quod inter alias difficultates publicas, etiam in vicina Sicilia servile bellum se commoverat: Prætorque Manilius victus à fugitivis, castrisque exutus, non modo detrimento rempublicam, sed magis etiam pudore adfecisse videbatur.

XXIX. Unus D. Brutus rerum clarissime gestarum nunciis spes animosque civitatis recreabat. Quippe maximam Hispaniarum partem pervagatus, urbibus triginta in potestatem redactis, Celticos Lusitanosque ad Oceanum & Occasum usque perdomuerat. Maxime insigne habitum, quod Oblivionis flumen vix auditum antea, primus Romanorum cum exercitu transiit. Formidabilem illum amnem militibus superstitio, quod inferni fluvii nomen referret fecerat; transgredique non secus atque certissimi exitii limen verebantur: quum Brutus signo è manu signiferi rapto, *Jam*, inquit, *hoc signum & vester Imperator trans flumen erunt. vos, quid facturi sitis, videritis.* atque cum dicto transiens, non ultra recusare obsequium sinente pudore, universos transduxit.

[Florus 3.19. Vellejus 2.5. Liv. Epitom. Florus. 2.17. Vellejus. Appian. Hispan. Plutarch. Quest. Rom. cap. 34. Florus. Liv. Epitom. D. Brutus Oblivionis flumen transit.]

XXX. Neque prætereatur utilis vitæ admonitio: quam etiam ad res gerendas opportunum sit mentem bonis artibus excoluisse. quæ disciplina quanto in unaquaque natione latius diffundi potest; inepta superstitio, & per vanam credulitatem objecta negotiis impedimenta minuuntur. Quis enim hodie non rideat inanem tot millium metum, fortissimum exercitum ferocissimarumque gentium domitorem, unius non maximi amnis ne fluctus quidem aut vortices, sed solum nomen atque nudam appellationem horruisse. Scilicet evenit rudibus hominum animis, quod in belluarum quarumdam natura miramur; quæ quum inani robore polleant, nullaque vi sint superabiles, contemptissimorum animalculorum terrore coërcentur. Leo quæ formidare dicatur, vix dignum relatu est: elephantus armatas acies obterere solitus, ad conspectum muris, aut grunnitum suis expavescit.

[Digressiuncula, de utilitate studiorum in rebus gerendis.]

XXXI. Quibus haud dissimilis eorum exercituum pusillanimitas fuit, qui per ignorantiam ad res innocuas exterriti, robur veris periculis indomitum, inanibus terriculamentis evilescere passi sunt: qualia classem Atheniensium sub Nicia, Macedonicum exercitum sub Perseo pessum dedere: idemque periculum sub ea tempora, quæ nunc describimus ad Numantiam exercitibus Romanis fuit, donec à Scipione vates & arioli à castris amandarentur. Atqui his malis cæterisque plerisque certa sunt à sapientiæ studiis & rerum gestarum scriptoribus remedia. nam & illa mentem cognitione veri munitam vanis terroribus liberant, & isti paucorum experimentis animos omnium ad incommoda paria vitanda instruunt.

[Magni exercitus vanis terroribus pessumdati. Plinius. 8.16. Plin. 8.32. Freinsh. ad Curtium 4.11. 2. Strab. lib. 1. Appianus. Hispan. Plinius 5. 32. Strab. lib. 3. Appian.]

XXXII. Sed ad rerum ordinem redeamus. Brutus Oblivionis fluvio superato, transiit & Minium amnem, ultra quem Bracari colunt; qui omnium Lusitaniæ fluminum maximus esse creditur; ut barbarorum audaciam castigaret, quia partem commeatuum, qui in castra Bruti vehebantur, interceperant. His etiam armare fœminas moris erat; neque segnius hæ quam viri prœliabantur: non fugæ, non ejulatus inter dura memores, sed uno metu servitutis, quam

[Feminæ bellatrices.]

Strab. Appian.

adeo tristiorem morte judicabant, ut captæ seque & liberos interficerent, hoc solo placente ipsis genere manumissionis. Venere tamen in deditionem aliquot urbes, & inter cæteras insignis Talabriga: neq; diutius in fide mansere, quam præsentis exercitus terror exigeret, digresso illo, iterum ad priora consilia revoluti.

Talabricenses oratores ad Brutum mittunt.

XXXIII. Ea defectio retraxit Brutum, suntque de integro domitæ, quæ jugum excusserant civitates. Hæc suorum fortuna Talabricenses coëgit, ut iterum oratores humillimis cum precibus mitterent, omnia facere paratos, quæ imperaturus esset. Sciebant præ aliis iratum infensumque sibi Romanum esse, quod sæpius petitam acceptamque fidem, ludibrio contemptuique habuerant.

Is acriter castigatos in fidem recipit.

XXXIV. Brutus *captivos perfugasque & arma omnia tradere: deinde, cum uxoribus liberisque oppido excedere* jussit. quod ubi ab hominibus extrema necessitate subactis obedienter factum est, armato milite circumfusos acriter increpuit, *quoties mutassent fidem, ad quot bella se coëgissent* enumerans. additis deinde conviciis multis quum ad ultimos metus adduxisset; subjecit *nihilominus se potius in eos pro moris Romani lenitate, quam ipsorum debito consulturum.* equis deinde, & quod in publico frumenti pecuniæque & rerum aliarum fuerat, ademptis, oppidum ipsis incolendum præter omnem exspectationem reddidit. Hæc prius à Bruto gesta, quam cum M. Aimilio in Vaccæos irrumperet, existimavi: nam interdum in scriptorum incuria aut pugna difficillimum fit, suis quæque gesta temporibus reddere.

Diod. apud Fulv. Ursin. Diodotus Jonathanem occidit.

XXXV. Quum tanti per Europam ubique motus essent, haud leviore tumultu concussa Orientis Regna intremuerunt. quas ob res frequentes in Urbem legationes ex Asia, & à Diodoto ex Syria venere, qui Regnum illud recens occupaverat. Quippe Demetrio Nicatore, ut supra memoravimus, à Parthis capto, quum uxor ejus Cleopatra sexu, frater Antiochus annis & inopia invalidi, parum adferre præsidii rebus adflictis possent, Diodotus animum adjicere cœpit, ad Regnum Syriæ, puero Rege interfecto, sibi comparandum. In eo consilio quum adversaturum sibi Jonathanem Judæum intelligeret, fallacibus promissis Ptolemaida evocatum vincit, deinde occidit.

Mox Antiochum puerum Syriæ Regem. Joseph. 13. 10. Macchab. 1. 2. Sulpic. Sever. Liv. Epitom. Justin 36. 1. Liv. Epitom. Joseph.

XXXVI. Neque multo post Antiochum Regem, puerum decennem opera medicorum interficit, qui ad populum valetudine Regis anxium, calculi dolore consumi eum fingentes; dum secant, interemerunt. Diodotus amicis circum præsidia militum dimissis, homines de præsenti tantum utilitate solicitos precibus & promissis prensare instituit. neque decora in speciem argumenta deerant. *Neminem, aut melius de Regno exercitibusque meritum, aut tanto fastigio digniorem esse. Neque ad Seleucidas respiciundum: sæpius hostes exercituum, quam duces patronosque. præterea Demetrium in potestate Parthorum agere. Antiochum inimicitias iramque tanquam adversus defectores profiteri: atroces ab invisis pœnas exacturum, si quam facultatem ejus rei habuisset. ne bene quidem merentibus digna sperari præmia ab inopi posse: at in Diodoti manu æraria thesaurosque esse, quibus & alias haud parce usus, nunc tanto liberalius daturus pecunias esset, quanto majorem ad spem suffragia militum pararentur.*

Ipse invadit Regnum.

XXXVII. At illi olim omnia suis commodis metiri adsueti facile adsentiuntur: neque civitates abnuunt. promptis præsertim Apamensibus, apud quos educatus fuerat Diodotus; quum Cossianis, quod agri Apameni castellum est,

lucem primum adspexiſſet. Sic igitur Syria potitus, continuo quidquid hactenus vitiorum honeſtiore perſona obtexerat, explicuit. Quamdiu enim privatum egerat, inſigni ſpecie comitatis & modeſtiæ ductare vulgum ſolitus; tum aperte ſuo ingenio uti cœpit, verumque Tryphonem agere, quod cognomen occupato regno ipſe delegerat. Quamquam autem ſatis ſe munitum potentia putabat adverſus æmulos: tamen ad ſecuritatem ſuam decuſque plurimum pertinere videns, ſi Senatus Romani decreto titulum Regni munire potuiſſet; legatos miſit qui auream Victoriam denum millium aureorum pondere, donum populo ferrent. Id enim commentus fuerat: ea ſpe, futurum ut ſimul compendii, ſimul ominis cauſſa acciperet Senatus donum, Regemque ſe & amicum appellaret. Sed iſta calliditas prudentia Patrum eluſa effectu caruit. accepta enim Victoria, dedicataque eſt ſub Antiochi, quem Tryphon occiderat, titulo, tanquam ipſe donaviſſet; intelligique potuit, curæ fuiſſe ſenatui, ne quis ab eo probatam pueri cædem, & ab impiis hominibus accepta munera judicaret.

Strab. lib. 1 . Appian. Syriac. Joſeph. Appianus: Diod. apud Fulv. Urſin.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

DECIMUS Junius Brutus in ulteriore Hiſpania feliciter adverſus Gallæcios pugnavit. diſſimili eventu M. Æmilius Lepidus Proconſul adverſus Vaccæos rem geſſit: cladem que ſimilem Numantinæ paſſus eſt. Ad exſolvendum Numantini fœderis religione populum Mancinus, quum hujus rei auctor fuiſſet, ded.tus Numantinis, non eſt receptus. Luſtrum à Cenſoribus conditum eſt. Cenſa civium capita trecenta viginti tria millia. Fulvius Flaccus Conſul Vardeos in Illyrico ſubegit. M. Coſconius Prætor in Thracia cum Scordiſcis proſpere pugnavit. Quum vitio ducum bellum Numantinum non ſine publico pudore duraret, delatus eſt ultro Scipioni Africano à Senatu populoque Romano Conſulatus: quem quum illi capere ob legem, quæ vetabat quemquam intra decem annos iterum Conſulem fieri, non liceret, ſicuti priori Conſulatu, legibus ſolutus eſt. Bellum ſervile in Sicilia ortum, quum opprimi à Prætoribus non potuiſſet: C. Fulvio Conſuli mandatum eſt. hujus belli initium fuit Eunus ſervus, natione Syrus, qui contracta agreſtium ſervorum manu & ſolutis ergaſtulis, juſti exercitus numerum implevit. Cleon quoque alter ſervus ad ſeptuaginta millia ſervorum contraxit: & copiis junctis, contra populum Romanum exercitumque ejus, bellum ſæpe geſſerunt.

Urb. cond. an. 617. Prodigia; Jul. Obseq. Orosius 16. Jul. Obseq.

I. P. Furio Philo, Sex. Atilio Serrano Coss. puer ex ancillâ natus geminato pedum, manuum, oculorum, auriumque numero, sed & pudendo duplici, jussu aruspicum crematus est, cinisque in mare sparsus. Eorumdem de sententia procurata fulmina sunt, quibus multa Urbis loca quassata fuerant: & ostentum sanguinis, qui Puteolis inter rivos aquarum calidarum fluxerat. Etiam incendium Rheginæ urbis inter prodigia relatum est, quæ sine ullo humanæ fraudis & negligentiæ vestigio penè tota conflagravit. Tanto majore cura rempublicam capessi placuit, quæque ad stabiliendam ejus incolumitatem pertinerent, festinari.

Mancinus legem suadet, quâ jubebatur dedi. Agell 7. 9. Cic. de Offic. 3. 30. Tib. Gracchus eamdem oppugnat. Plutarch. Grach. cap. 9. Auct. de Vir. Illustr. Plutarch. Valer. Anel. lib. 12. Appian. Hispanic. Eutropius. Plutarch.

II. Nihil prius neque instantius habitum, quam ut de caussa C. Mancini referretur: uti Senatus censuerat, factumque est Senatusconsultum, *Tribuni plebis ad populum ferrent, uti pax injussu populi cum Numantinis pacta pro infecta esset: auctores paciscendæ hosti dederentur.* tulerunt ex Senatusconsulto L. Furius Sex. Atilius. Magnum eo tempore virum, dignumque meliori fortuna Mancinus præstitit, legem suo capiti exitiosam suadendo: retulitque vultum ejus diei, quo Posthumius Veturiusque Consules in simili noxa haud dispari animo usi, non minus misericordiam omnium procurando pœnam suam meruere, quam indignationem culpa commoverat.

III. At non eadem Tib. Graccho voluntas erat: quin ille quantum favore populi, quantum eloquentia valeret, contendere: *indignam sibi cæterisque pro servato exercitu referri gratiam* vociferari: animos hominum anxietate, pudore, miseratione complere. neque pauci; quorum cognati adfinesque eadem in caussa erant, tanquam suo periculo movebantur. Tandem populus *de fœdere, uti rogatus erat*, jussit: *dedi neminem præter Mancinum*. Ferunt & Scipionem Africanum, quocum nupta Gracchorum soror erat, summa potentia & gratia virum, periculo adfinis adfuisse, neque tamen effugit, odia multorum, ipsiusque postremo Tiberii, quod non etiam Mancinum, & initum auctore propinquo suo fœdus defendisset.

P. Furius inimicos suos secum legatos ducit. Val. Maxim. 3. 7. 5. Diod. apud Valesium.

IV. Mancinum in Hispaniam deducendum P. Furius Consul accepit, cui ea provincia evenerat. quam quia exambitam ei duo Quinti Metellus atque Pompejus viri Consulares objecere, multis & vehementibus verbis, inimici enim ejus erant, *cupiditatem Consulis acerbam fore civitati* vaticinantes: *ille ut*, inquit, *sciatis, quo animo quoque proposito rempublicam gerere aggrediar, vos mecum legatos ducam*: neque destitit quin sequi eos cogeret. magno bonæ conscientiæ argumento, quum hominum secum & inter se discordium usurus ministerio, neque impedimenta rerum gerendarum ex æmulatione neque obtrectationem gestarum ex malignitate formidaret.

D. Brutus Gallæcos vincit. Vellejus. 2. 5. Plinius. 36. 5. Orosius 8. 5. Liv. Epitom.

V. Sed priusquam in Hispaniam hi pervenissent, D. Brutus & M. Aimilius Proconsules, divisis iterum copiis consiliisque, dissimiles etiam eventus habuerunt. Bruto felix, expeditio fuit, multisque urbibus & hominum vi magna raptis, gloria ingens, & *Gallæci* cognomen partum. Lusitanis, qui à Bruto premebantur, gens ea suppetias venerat, maximus exercitus, nam sexaginta eorum millia fuisse invenio. Non erat par aperto robore Brutus, nisi auxilium viribus ab astutia doloque petivisset.

VI. In ulteriore Hispania res gerebatur: estque dumetis sylvarumque ac callium anfractibus opportuna ad struenda celandaque belli furta regio, & ille Moronem oppidum communiverat, ad æstuaria Tagi situm: inde dispositis in utraque ripa castellis, navigatione libera, & subvectione necessariorum tutus, locum insidiis quæritabat. In quas haud difficulter præcipitati barbari, suopte ingenio feroces, & multitudinis fiducia incauti, tantam cladem acceperunt, ut quinquaginta millibus occisis, sex captis, de tanto numero minima manus incolumis ad lares suos reverteret. Strab. lib. 3. Orosius. Maxima strages barbarorum. Val. Max. 6.4.

VII. Post hanc cladem tota fere Lusitania deditionem fecit: quo majus mirum est unius urbis incolas animorum ferociam exuere necdum potuisse, Cinninienses enim, quum pecuniam Brutus imperasset, legatis ejus respondere sunt ausi, *ferrum sibi ad tuendam libertatem suam, non aurum ad emendam relictum à majoribus esse*. Cæterum inutilis sine viribus contumacia est: nec ambigitur, quin ad pacandos universæ Hispaniæ populos tantæ pugnæ victoria valere potuisset, ni male à M. Aimilio gesta respublica sub idem tempus in Vaccæis foret. Cinniniensium ferocia.

VIII. Is neglecto Senatus mandato, quo *abstinere vim innocentibus* jubebatur in obsidione Pallantiæ, machinisque compingendis, & frumento convehendo totus erat. Vaccæi contra nihil inausum relinquebant, quo infensi & importuni hostis conatus & consilia frangerent. tamen à neutra parte pugnandi copia fiebat: tantum per occasiones levibus prœliis certabatur, captabanturque nocendi tempora, contra frumentatores maxime dispositis insidiis. Fuissetque aliquando magnum detrimentum acceptum, nam palam circumventi Romani erant, ni Flaccus qui eam manum ducebat utili mendacio stuporem hostibus incussisset: dedito per manipulos rumore, *Pallantiam à Consule captam esse:* quam ad vocem quum accensi lætitia milites conclamassent, perturbati hostes, verumque nuncium rati, præ mœrore & tædio falsæ cladis, certam victoriam è manibus dimiserunt. M. Aimilius Pallantiam obsidere parat. Liv. Epitom. Jul. Obseq. Orosius. Appian. Hispan.

IX. Flaccus cum copiis & frumento in castra rediit. Non tamen ideo fames & inopia diutius à castris Romanis arceri potuit: consumptis circa omnibus, aut metu barbarorum intactis: jamque non modo jumenta passim, sed homines quoque multi moriebantur. donec omni patientia speque consumpta Proconsul repente sub quartam vigiliam indici profectionem jussit. Ibi longinqua miseria & terrore subito, cui licentia noctis accesserat, nihil ordine, nihil consilio gestum. Urgebantur à tribunis & centurionibus per castra discurrentibus ut ante lucem iter ingrederentur: ea festinatio tumultum mirifice auxit, quum subito discedere coactis, nihil in usum itineris, nihil adversus hostem provisum esset. Deinde repente relinquit.

X. Sua sponte trepidos magis etiam consternebantur sauciorum ægrorumque fletus & querelæ, qui circumfusi vasa colligentibus, complexi abeuntes, omnia necessitudinum sacrorumque nomina ciebant, *invalidos ac indefensos barbaro irritatoque hosti ad extrema crudelitatis exempla relinqui* deprecantes. Ubi timor occupavit animos, nullus pietati locus esse potest: pro se quisque vicinum periculum exire properi, dum sua corpora servarent, nihil pensi habebant aliarum rerum omnium amissione pacisci. Unde maximè in castris turbæ.

XI. Ergo nullo cujusquam imperio, nullis ordinibus servatis, quum trepidi atque semermes, fugæ simili profectione abirent, acrem & vigilantem hostem haud Orosius. Appian.

Et Pallantinis insequentibus pericula. Diod. apud Valesium. Appian.

diu latuerunt: effusa summis viribus Pallantinorum juventus, ab ortu diei usque ad occasum in tergo aut lateribus agminis hærebat: multique subinde, quum animo & viribus impares, simul submovere objicientem se hostem, simul iter facere cogerentur, ab Hispanis interficiebantur: neque Proconsul his malis occurrere aut subvenire poterat, nimia mole corporis ineptus ad imperatoria munia & propemodum immobilis. Sustentata tamen utcumque acies est, donec tenebræ obortæ certamini intercesserunt. harum beneficio Romani se per globos, ut quemque nox & desperatio tulit, in campos ejecere. neque ultra institerunt hostes, contentique victoria domum redierunt.

Postremo similis Numantinæ clades. Orosius Liv. Epitom. Appianus.

XII. Servati exercitus gloriam hominum nemo tulit. diis egere gratias, *quorum profecto aliquis hanc hostibus mentem injecisset, ut dissipatos, ac fame & labore confectos, quum delere nullo negotio possent, superesse paterentur*. Millia tamen hominum sex desiderata, similisque Numantinæ habita clades: quum utrobique frustra oppugnatis urbibus castra deserta, in itinere pugnatum, & amissa copiarum parte, pars illic misericordia hostium, hic negligentia evasisset. Neque dissimilis imperatorum sors fuit: namque & Aimilius abrogato imperio privatus in Urbem rediit. Accusatio deinceps & judicium sequutum. Sed ad extremum pecunia lis æstimata est. In Sicilia quoque male cum fugitivis hoc anno pugnatum à Cornelio Lentulo Prætore: magnaque pars exercitus cum ipsis castris amissa est.

Mancinus deditur. Florus 3. 19. Florus 2. 18. Cic. de Orat. Vellejus 2. 90.

XIII. Inter hæc in Hispaniam P. Furius Consul venit, qui dedendum Numantinis C. Hostilium deducebat. Mirabile spectaculum, & ad arguendam ingenii humani securitatem efficax, ille modo Consul, numeroso exercitu, & tota imperii majestate stipatus, nunc solemnibus cærimoniis à patre patrato hostium in potestatem nudus vinctusque tradebatur.

Nec receptus ab hostibus, Romam redit. Orosius 5. 4.

XIV. Neque hic miseriarum & ignominiæ finis. quum à Numantinis non reciperetur, vilem fraudatæ pacis victimam aspernantibus, ante portas expositus est; ibique in oculis civium hostiumque, ab illis relictus, ab his non admissus, ab utrisque desertus despectusque in noctem usque perstitit. Tum demum quasi propitiata jam fortuna respexit, Romanique velut omni sua obligatione defunctum recipiendum censuere. Ne tamen inde piaculum aliquod exercitui populoque Romano contraheretur, consulere aves visum, iisque addicentibus in castra reductus, ei vitatique redditus, postea etiam Senatorium recepit ordinem, petiit Præturam & consequutus est. Neque tamen sine certamine res transacta.

Auct. de Vir. illustr. Fin. de Legat.

Curiam intrantem P. Rutilius educi jubet. Cic. de Orat. 1. 4. 3. Fin. de Legat.

XV. Quum enim reversus domum Mancinus, introire curiam non dubitasset, P. Rutilius M. F. Tribunus plebis, *Cuperem*, inquit, *C. Mancine ultro potius abstinuisses curia, quam indebitum honorem usurpando, durius me quam vellem agere coegisses. Ego te cum hoc in Rempublicam animo, dignissimum esse putem, qui summo patriæ consilio interesses, nisi religio & leges vetarent, contra quas ne meis quidem charitatibus integrum esset parcere. Quo tempore pater patratus, ad solvendam religione civitatem, hostibus te populi Romani dedidit, civis noster esse desiisti. neque tibi prodest, quod non es receptus. excludere te sua civitate Numantini potuerunt; non potuerunt in nostram restituere*.

Cic. de Orat.

De jure postliminii disput.

XVI. *Postliminium autem frustra appellas: quum sit memoria proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum post-*

liminium esse. Invitus hæc, eoque lenius quam pro caussæ magnitudine dico: qui sermonis omnem acrimoniam contra malos potius, quam contra calamitosos cupiam effundere. Tu vero talis in ea tua fortuna fuisti, ut sis misericordia, quam odio dignior, sed misericordiæ jus non dedimus. Salvum te sospitemque ad tuos revertisse gratum est: neque conspectum hujus Urbis, propinquorumque & amicorum solatio invidemus: usurpari à te jus alienum, & pro Senatore esse, qui civis Romanus non sit, minime patimur.

XVII. *Te quoque pro cætera tua verecundia deceat, non ultra appetere, quam retinere salvis moribus & jure populi Romani queas; paullo ante magno animo non solum hanc curiam & Urbem reliquisti, sed quidquid in ea charum atque jucundum fuit; ut corpus animamque in eorum manus traderes, quos acerbissimos tibi infensissimosque existimare debuisti. Sed hoc fecisti, quo salvæ religiones essent. nunc igitur eamdem ob caussam pro qua tam aspera subiisti lubens, carebis hoc ordine, cui te contra fas & religiones inseris. Nobilissimo apud nos genere natus, ignorare non potes, quam indigna res sit visa majoribus, in Senatu quenquam peregrinum esse.* Ipsius appellat verecundiam.

XVIII. *Hæc ideo sum præfatus, ut pudori tuo consulerem, Mancine. Quod si neque amplissimum ordinem dedecore, neque te ignominia ultra exsolvis, educi te de Senatu jubebo.* Vicit tamen sententia mitior, quod vir optimus adversæ fortunæ culpam satis luisse tanta ignominia miseriaque videretur. Aderat & juris species, poteratque defendi, nihil videri traditum posse, quod ab eo cui traderetur acceptum non esset. Itaque ne aut homini aut legi injuria fieret, auctore Senatu ad populum latum est, *uti C. Mancinus civis Romanus haberetur: neque deditio ei fraudi foret.* Consecravit utramque hanc fortunam suam Mancinus, posita sibi statua eodem habitu quo deditus fuerat. Cic. Topicorum cap. 8. 2. Fin. de Legat. Lex lata ut C. Mancinus civis Romanus esset.

XIX. Eodem anno Censores Ap. Claudius Pulcher, Q. Fulvius Nobilior lustrum duodesexagesimum condidere. Censa sunt civium capita trecenta viginti tria millia. Magistratus temperatus fuit, atque præfervido alterius Censoris, alterius leni ingenio bene mixtus. Quippe Fulvius præcipitem collegæ iracundiam obsequio frangebat; sicut intractabilem contra tendentibus, ita dum cedi sibi credit, ultro cedentem. Sub eadem tempora quum Illyricum ab Ardyæis, Macedoniæ confinia à Scordiscis vexarentur, Senatus sortiri novos magistratus, & mature in provincias proficisci jussit. Ardyæi vicinas nationes, quæ in ditione Romanorum & ipsæ erant, incursionibus damnisque multis adfecerant. ipsius etiam Italiæ, qua propinqua Illyrico est, populatores. ne legationem quidem reveriti erant, *abstinere injuriam à civitatibus quæ in fide populi Romani essent*, jubentem. Datum igitur negotium magistratibus est, uti peditum millia decem, equites sexcenti ad coercendam Ardyæorum insolentiam scriberentur. Liv. Epit. Diod. Apud Valesium. Ardyæi Illyricum populantur. Appian. Illyricis.

XX. Illi, quod nondum satis ad bellum parati erant, oratoribus missis avertere periculum tentaverunt, *in potestate Senatus Populique Romani se fore polliciti*. Senatus ob res in Hispania & Sicilia parum prosperas, lubens veniam petentibus dedit: imperata mulcta, quam civitatibus queis damnum injuria datum esset, exsolverent. Barbari, quia primus metus decesserat, mandata Senatus insuper habuerunt. Itaque quum de his rebus novi Consules retulissent, Ser. Fulvio Flacco Ardyæi evenerunt. Q. Calpurnio Pisoni citerior Hispania. Macedo- Pacem petunt nec præstant. Urb. cond. ann. 618.

Ju. Obseq. Orosius 5. 6. Appian.

niam M. Cosconius Prætor est sortitus. Reliquorum magistratuum tam nomina, quam provinciæ ignorantur. nisi quod Sex. Atilium Procos. ex S. C. Atestinis & Vicetinis tollendarum inter finitimos discordiarum caussa, terminos statuisse reperio.

Prodigia. Obseq.

XXI. Frequentia illo anno prodigia nunciata: bos loquutus, Ætna majoribus solito ignibus exæstuans, & puer Romæ natus, nullo ad purgandam alvum exitu. in Bononiensi agro fruges in arboribus natæ sunt. bubo cujus vox in Capitolio, deinde circa Urbem audita fuerat, præmio proposito ab aucupe captus, cinisque combusti in amnem sparsus est. His de more procuratis, profectus in Illyricum valido cum exercitu Ser. Fulvius, quum hostes impares robore, & ob hoc egredi ad æquam pugnam non ausos, arctis locis premeret, postremo ad arma tentanda compulit: & eruptione pugnantes, uno vix justo prœlio vicit subegitq;

Ardyæi semel domiti. Liv. Epitom. Strab lib 7.

XXII. Ablatis, quæ ad mare possederant, in mediterranea loca relegari gentem placuit: ut sine vicinorum injuria, victum agricultura quærere cogeretur. Nihil deinde Ardyæi valuerunt. ita non modo ferocia hominum, sed robur etiam ac multitudo vehementer hoc consilio attrita est; quum adsueti maritimo latrocinio, ad rusticum opus segnes essent; & terræ steriles, etiam quum diligentius subigerentur, labori speique colentium minime responderent.

Q. Piso nihil memorabile gerit in Hispania. Appian. Hispan.

XXIII. Collega Ser. Fulvii Q. Calpurnius Piso, quum in Hispaniam venisset, Numantiam quidem omittendam censuit; at Pallantinam regionem vastare aggressus est. Illis vero contra exeuntibus, nam res bene gestæ spiritus viris addiderant, Consul exigua quam ceperat præda contentus, in Carpetaniam abiit; eaque in regione totum imperii tempus exegit. Ea res mœrorem atque tædium, quod ex lento & ignominioso bello dudum Senatum Populumque Romanum ceperat, auxit. respici inde ad P. Scipionem cœptum. *illum unum à diis immortalibus ducem civitati datum, qui difficilia & pudenda bella omnia tolleret. Sic Carthaginem, post multorum Imperatorum infelices, omnium irritos conatus, non ante cessisse, quam ad exercitum cum imperio missus Scipio foret.* idque tam firmiter mentibus omnium inhæsit, ut in annum sequentem minime petenti Consulatum deferrent,

Liv. Epit. Eutropius. Vellejus 2. 4. Florus 2. 18.

Scipioni non petenti defertur Consulatus. Val. Max. 3. 15. 4. Orosius 5. 7. Appian. Epit. Liv. Cic. Lælio cap. 3.

XXIV. Quippe comitiis, quum Scipio in campum descendisset, ut Q. Fabium Buteonem fratris filium tribubus commendaret quæsturæ candidatum; consensu omnium Consul designatus domum rediit. Quod quia contra leges actum videbatur, rogationem ad plebem Tribuni tulere, uti lege de magistratibus non iterandis Scipio solveretur. Ita singulari virtutis testimonio solus omnium, quum numquam petiisset Consulatum, bis adeptus est: non consuetudine, non scriptarum legum potestate ad impediendos viri justissimos honores satis valida. Collega ei additus Q. Fulvius Flaccus. Hi quum magistratu inito de provinciis retulissent; Hispania & Sicilia Consulibus provinciæ decretæ: nam Macedoniæ res tranquilliores per Cosconium effectæ erant, qui Prætor Scordiscos in Thracia vicerat.

Urb. cond. ann. 620. Provinciæ. Marmora Capitolina. Liv. Epitom. Val. Max. 9. 6. Liv. Epitom. Florus 3. 19. Servile bellum in Sicilia.

XXV. De Hispania dubitatio non fuit: quin P. Scipioni extra sortem traderetur: Siciliam C. Fulvius accepit, quum Prætores ortum in ea insula servile bellum opprimere nequivissent, nam & Piso nuper, & modo Hypsæus victi à fugitivis fuerant. Ejus originem initiumque belli referendum esse duxi, ut constaret, nullum esse genus hominum, unde periculum non sit etiam validissimis imperiis, ni sic

sit in legibus & moribus, quod in reipublicæ perniciem itura mala, diu ante providere, & in ipso semine opprimere possit.

XXVI. Postquam Hannibalici belli fine accisa Carthaginensium potentia, & intra suam Africam cohibita; per annos ferme sexaginta Siciliæ tranquillam pacem, atque in fertilissima insula securas opes reliquit; & Romani cives qui latifundia ibi possidebant, & Siculorum multi, aucta in immensum re familiari maximam servorum multitudinem undique coemere cœperunt; eos notis crudeliter compunctos ad varia ministeria destinabant: validissimis quibusque & juventæ robore florentibus ad pecora pascenda ablegatis. Hi quum ab hominibus superbis & avaris, inter durissimos labores, famelici nudique haberentur; necessitate victi ad latrocinia convertebantur: utque magnus erat passim perditorum numerus, brevi cædibus & rapinis omnia complebant. Et conabantur quidem obviam ire Prætores. Sed metu dominorum etiamsi deprehendissent sontes, supplicio non audebant adficere.

E jus origo & caussa. Diod. apud Photium. Florus. Diod. apud Valesf.

Diod. apud Photium.

XXVII. Quod enim jam tum in manu Romanorum equitum judicia erant, ejusque ordinis homines multos in Sicilia fundos, magnamque vim servitiorum obtinebant; verebantur magistratus, ne post Præturam quoquo modo accusati ab infensis judicibus, etiam innocentes condemnarentur. His rebus fiebat, ut in dies magis magisque convalesceret latrociniorum impunitas; jamque non modo singulis aut paucis viatoribus fierent insidiæ; verum etiam villæ pauperiorum nocte expugnatæ, cum cæde resistentium diriperentur. Pastores enim clavis & lanceis armati, & corpora lupinis aprugnisque pellibus tecti, haud procul militari specie, terrorem incutiebant aliis, ipsi inter sese visu adspectuque, & impunitorum facinorum memoria firmabantur.

Equites Ro. Prætoribus terrori sunt, propter judicia. Diod. apud Valesf. Cic. contra Rullum. Diod. apud Photium. Diod. apud Valesf.

XXVIII. Accedebant acerrimorum canum agmina: atque ipsa ciborum, vitæque sub dio agendæ natura, eosdem efferabat animis, & corporibus ad quosvis labores robur addebat. Hac disciplina perfectum tandem est, ut quum neque numeri nec audaciæ & virium pœniteret, clandestinis per occasionem colloquiis de vindicanda libertate cogitarent. *Servire tot egregios juvenes, paucis & luxu enervatis hominibus, non magis re importunum, quam ratione absurdum esse. Non se natura deteriores aliis, sed vi hanc in conditionem adactos, vim eam alia vi repellere, & exire iniqua imperia, vindicando se in libertatem posse. Ne gentium quidem jure setum ab inhumanis heris agi; quod utique operas & obsequium servis, sed tamen & necessaria tolerandæ vitæ reliquisset. at se deteriore loco apud dominos, quam jumenta aut canes esse: sibi ærumnas intolerabiles perferendas, sibi contumelias & atrocia verbera perpetienda; nullo neque fine neque modo, nisi quem herorum immanis libido dictavisset.*

Diod. apud Photium. Servorum inter se clandestina colloquia.

XXIX. *Præstare semel per virtutem mori, quam per tot supplicia miseram invisamque vitam ducere. licere tamen & melius ominari, reputantibus, quot & quales contra quos essent arma sumpturi. Paucis & luxuria diffluentibus, quot servi forent, tot hostes futuros: eoque acriores, quod & laborum patientia adsit, & maximus inter mortales stimulus recuperandæ libertatis. Etiam aliquando sermonibus se interfuisse, referentium, quoties servis rebellare ausis fortuna favisset. Non longe abhinc abest (ajebant) Hetruria, cujus magnam urbem Vulsinios aliquando servi, dominis subactis, dicuntur tenuisse. Cum Scythis*

Servorum exempla qui feliciter rebellarunt dominis.

Claudian. Eutropius. 1. f. Justin. 18. 3.

servi dominarum mariti gesserunt æquo Marte bellum: Tyrios deleverunt suæ familiæ. ductisque itidem eorum uxoribus, alios procrearunt Tyrios. Sibi quoque non desperandam similem fortunam, simul his qui hanc essent adepti, similes esse cœpissent.

Euni historia. Marcellin. lib. 14. f. Diodorus.

XXX. His inter se sermonibus incitatos, maxime quidam Eunus permovit, *placere diis consilium, & opem ipsorum adfore* prædicando. De quo homine, quia tanti deinceps belli non aliud initium fuit, plura dicenda sunt, ut ludibrium rerum humanarum, & summa quæque, quam ab exiguis concuti possint, plenius noscatur. Syrus erat natione, ex Apameno agro, servitutemque apud Antigenem Ennæ habitantem serviebat. hic quum magicæ vanitatis studio addictus videri vellet; à diis se per somnium de futuris fingebat moneri: quumque eo artificio nomen apud multos comparasset, ut sunt proclives ad ejuscemodi ludibria rudiorum animi, sensim eo processerat, ut etiam vigilans & interdiu numinum colloquio frui, & ex iis eventura discere jactaret. Forte evenit, ut in magna responsorum copia, quibusdam veræ prædictionis speciem fidemque eventus accommodaret. Ea quum, ut fit, sola prædicarentur, vana autem & irrita nemo redargueret, brevi pro fatidico homine in honore & admiratione esse cœpit.

Flammam inter verba fundit. Florus 3. 19. Diodorus.

XXXI. Augebat opinionem vafer nebulo ignis miraculo, quem vaticinando inter verba emittebat. nucem enim utrimque perforatam materia igni alendo apta complebat, accensamque clam inserebat ori, sic agitata spiritu flamma inter labra loquenti emicabat: ipse *Syriæ deæ præsentiam hoc efficere* jactabat, *illius imperio se agi, illam Regale sibi fastigium Regalesque opes promittere*. idque constanter non aliis modo, sed etiam hero præsente prædicabat. Antigenes igitur his ineptiis haud indelectatus, ad convivia secum ducebat balatronem, & subinde quum hilaritate incaluissent præsentium animi, *quid facturus in Regno, & quomodo quemque tractaturus esset*, interrogabat. ridebantque ad responsa clemens imperium pollicentis convivæ: nonnullique porrectis è mensa partibus *meminisse* jubebant, *quum Regnum accepisset*.

XXXII. Atque ista jocorum levitas, paulo post in serium vertit: summaque potentia potitum mancipium pro ludicris beneficiis non ludicram gratiam retulit. Maturuerat enim jam in pastorum animis defectionis consilium, nihilque præter occasionem quæritabant: quum hunc ad modum casus aperuit. Habitabat Ennæ quidam nomine Damophilus, affluens opibus, & perinde ingenio elatus. Hic quum late araret pasceretque, non modo cæterum luxum Italicorum in Sicilia degentium, sed etiam servorum numerum, & erga ipsos inhumanitatem æmulabatur. Igitur per insulam ornatis equis carpentisque magna famulorum stipatus caterva ferebatur, aderat & formosorum puerorum agmen, & assentatores parasitique magno numero comitabantur. Domi autem suæ, & in prædiis argentea vasa cælata & stragulam vestem conchyliatam ostentans, superba convivia, & plane Regii sumptus instruebat: ut decantatos illos Persarum apparatus opulentia & luxuria supergrederetur. Sed eosdem etiam anteibat arrogantia. quippe homo nullius bonæ disciplinæ particeps, quum neque potentia sua, neque divitiis uti didicisset, ad extremum sibi ipsi perniciem, & calamitates maximas patriæ comparavit.

Occasio belli servilis. Diodorus. Arist. de Rep. 2. 9. Diod. apud Valesf. Possidon. l. 8. apud Athen. l. 12. Diodorus.

Damophili sævitia in servos.

XXXIII. Quum enim ingentem vim servorum coemisset, hominum fortem, qui bello capti pristinam libertatem insueta servitute mutaverant, minime miser-

bus, corporibus eorum notas ferro incidebat, & alios in ergastula conjectos agro colendo atterebat: alios ad pecus pascendum dimittebat, parcissime præbitis sine quibus duci vita non potest. Præterea quum esset superbia & immanitate summa præditus, nullum elabi diem patiebatur, quin aliquos servorum, minimis plerumque de caussis torqueret, Sed & uxor ejus, Megallidi nomen erat, pari crudelitate in ancillas, servosque qui offerebantur, sæviebat. Quibus rebus exacerbatæ miserorum mentes quum in summa se calamitate versari crederent, neque pejus sibi quidquam accidere posse, de defectione, & cæde dominorum consilia inire cœperunt. Diodorus apud Pho. Diod. apud Valesium. Diod. apud Phot.

XXXIV. Profecti deinde ad Eunum, *utrum cordi esset diis, quod molirentur*, consulunt. Is in habitum vaticinantis, ut adsueverat, compositus, *faventes eis deos, & incœpta secundaturos* canebat, *modo nullam audendi moram facerent, sed ante prorumperent ad facinus, quam obviam iri à dominis posset*. Confestim rapiunt arma quæ tempus offerebat juvenes ex eadem familia quadringenti: & ductore Euno, qui flammas ore fundens incedebat, in urbem Ennensem irrumpunt, domosque pervagati promiscuam edunt cladem, ne primæ quidem ætati parcentes: quam ab uberibus matrum raptam humi adfligebant. Servi deficiunt auctore & duce Euno.

XXXV. Neque minore libidine quam sævitia grassabantur: multaque extremæ fœditatis exempla in matronas etiam inspectantibus viris sunt edita. Concursus ad hos fiebat urbanorum servitiorum: quæ & ipsa suis prius heris non sine cruciatu interfectis, ad aliorum deinde supplicia provocabant. Interea nunciatur Euno, Damophilum & Megallidem in suburbanis hortis agere. mittuntur è vestigio qui vinctos adducant: ita religatis post terga manibus, multasque in via contumelias passi sistuntur. Filiæ tamen eorum quæ adhuc in puellari ætate constituta erat, modis omnibus pepercerunt: quod ingenio mitis sævitiam parentum qua poterat humanitate emendabat; fomenta verberatis, alimenta nexis dilargiendo. quibus rebus eam apud omnes comparavit gratiam, ut inter hanc conversionem fortunæ, in tanta illa hominum agrestium & perditorum licentia fuerit nemo, qui ulla eam injuria vel adficere vellet, vel adfici pateretur. Damophilum cum uxore capiunt. Diod. Apud Valesium.

XXXVI. Sic inter eos per aliquot tempus modeste verecundeque servata, mox consensu cæterorum ab Hermia quodam, cujus in ea defectione primaria auctoritas erat, in urbem Catinensium, ubi propinquos habebat, deducta est. Laudabile hoc factum, magnique ad caussam fugitivorum momenti fuit; quum ostendere videretur, eos non tam insita crudelitate, quam vindictæ studio, acerbius in alios consuluisse. Quippe Damophilum & Megallidem in theatrum productos confluentibus eodem fugitivis, tamquam apud populum accusarunt. illumque defensionem orsum, quum multi vel misericordia subito mutatæ sortis, vel oratione rei flecterentur, Hermias & Zeuxis, qui eum acerrime oderant, veteratorem appellantes, non exspectato multitudinis judicio duobus vulneribus confecerunt. Filiæ propter ejus mansuetudinem parcunt. Diod. apud Photium.

XXXVII. Atque ille quidem gladio latera transfactus, securi in collo percussus cecidit. at fugitivi protinus Eunum Regem proclamant, non quasi audacia aut imperatoris artibus præstaret, sed quia præstigiis ceperat animos, auctorque defectionis fuerat: & sicut leves animi quantumvis parvis capiuntur, ipsum etiam nomen hominis placuit, clementis & benevoli Regis præsagium capientibus. Ille accepta potestate, quum *advocari concionem* jussisset, *Ennenses* Eunum constituunt Regem. Plutarch. Sylla cap. 72. Diodorus. Florus. 3 19. Diodorus.

Diod. apud Valesf. Diod. apud Photium.

quotquot comprehensi à servis, nec dum interfecti erant, occidi omnes imperavit: exceptis qui antea ipsum in conviviis vaticinantem benigne tractaverant. etiam opifices, quorum ad arma fabricanda utilis est industria, servati, & in vinculis opus facere coacti sunt.

Ejus instituta & expeditiones. Florus 3. 19. Diodorus. Plutarch. de pythiæ Oracul. cap. 12. Diodorus.

XXXVIII. Megallis ancillarum potestati permissa post varios cruciatus ex præcipiti saxo dejecta periit. Antigenem & Pythonem heros suos Eunus ipse percussit. Sumpto dein diademate, cæterisque Regum insignibus, etiam contubernalem suam, & ipsam Syram natione, Reginam appellavit: servorum ex variis gentibus promiscuam colluviem, in honorem suæ originis *Syros*, se *Antiochum* vocari voluit. Ex iis qui prudentia excellere credebantur, consiliarios legit: quorum & Achæus fuit, patriæ suæ nomen gerens, vir consilio manuque promptissimus. Horum auxilio intra triduum hominum amplius sex millia quo potuit modo armavit: accesserunt deinde alii partim asciis aut securibus instructi, partim fundis, aut falcibus, aut sudibus præustis; erant & qui coquinariis verubus pro hastis uterentur. cum his excursione facta, solutisque passim ergastulis, quum majores quotidie copiæ fierent, castella primum & vicos, mox etiam oppida expugnabat diripiebatque. prætoribus quoque Romanis congredi ausus, quum multitudine longe superior esset, crebras de iis victorias reportavit.

Liv. Epitom. Orosius 5. 6. Diodorus. Diod. apud Valesium.

Cleon alius dux fugitivorum.

XXXIX. Dum hæc aguntur, Cleon quidam ex Cilicia quæ circa Taurum est oriundus, qui à pueritia latro fuerat, quum captus & in Sicilia pascendis armentis equorum præpositus easdem artes diu exercuisset; audita Euni defectione, successuque, similem ad audaciam adjecit animum: persuasisque nonnullis eorum qui juxta serviebant, Agrigentinum agrum & finitima loca infestare incursionibus cœpit. Ea res, quamquam geminatum periculum videbatur, non tamen ingrata Siculis accidit, discordiam inter diversos fugitivorum exercitus, & mutuam exinde perniciem sperantibus.

Diod. apud Photium.

Liv. Epitom. Diodorus.

XL. Sed spem eam irritam Cleon fecit, qui nudo Euni præcepto ad se vocantis statim obsequutus, copias cum eo conjunxit: sub ejus tamquam Regis auspicio, deinceps exercitum ducturus. Habebat autem proprii militis ad hominum millia quinque: tantumque numerum intra sexagesimum à defectione diem coegerat. In hoc rerum statu L. Hupsæus Prætor Roma venit, contractisque militum octo millibus, fugitivos, quorum jam numerus ad millia viginti excreverat, adortus eumdem quem priores aliquot Prætores exitum habuit, fusus prœlio, & castris exutus. Tum vero passim ad felix facinus concurrente servorum turba, exercitus ad septuaginta millia hominum adauctus est. diversis per totam insulam locis, ad ducenta servorum millia in armis fuisse creditum.

L. Hupsæus vincitur à servis. Florus.

XLI. Non igitur injuria dignum Consulari duce exercituque periculum visum mandataque C. Fulvio collegæ Scipionis Africani, sicuti diximus, provincia est. Commovebantur etiam animi crebris prodigiorum minis; quod in Amiterno Sol noctu visus fuerat. Anagniæ servo tunica arserat, nullo post exstinctum ignem flammæ vestigio. In Capitolio noctua gemitus humanis similes ediderat. in æde Junonis Reginæ scutum Ligusticum fulmine tactum dicebatur. ad hæc sanguineæ pluviæ, & bos humana voce loquutus metum intenderant.

Diodorus. Jul. Obseq. Prodigia.

XLII. Sed apud plerosque quovis monstro formidabilior erat ipsa servilium motuum novitas: quam ignari rerum, quasi rem incredibilem & improvisam mira-

bantur. At quibus olim notatus ex copia divitiarum luxus atque fastus erat, neque fatum neq; fortunam incusantes, ad veras caussas, quibus diu ante obsistendum fuisset, eventum referebant. Et sane facile ab initio fuerat tantorum bellorum fomitem exstinguere per remedia quibus avaritiæ luxuriæque modus ponitur: nisi ferme ea rerum humanarum conditio esset, ut inevitabilia nobis mala fiant, dum nascentia pro parvis contemnimus, adulta numquam satis mature coërcentur. Ex copia divitiarum luxus atque fastus calamitates producit. Diod. apud Valesium.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

SCIPIO Africanus Numantiam obsedit: & corruptum licentia luxuriaque exercitum, ad severissimam militiæ disciplinam revocavit. omnia deliciarum instrumenta recidit: duo millia Scortorum castris ejecit: militem quotidie in opere habuit, & triginta dierum frumentum ac septenos vallos ferre cogebat: ægre propter onus incedenti dicebat: Quum gladio te vallare scieris, vallum ferre desinito. Alii scutum parvum habiliter ferenti, scutum amplius justo ferre jussit: neque id se reprehendere, quando melius scuto quam gladio uteretur; Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, virgis cecidit. Jumenta omnia, ne exonerarent militem, vendidit. Sæpe adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit. Vaccæi obsessi, liberis & conjugibus trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho Rege Syriæ missa, quum celare aliis imperatoribus Regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit, eaque omnia referre quæstorem in publicas tabulas jussit: ex iis, viris fortibus dona se daturum. Quum undique Numantiam obsidione clausisset, & oppressos fame videret urgeri, hostes qui pabulatum exierant, vetuit interimi: quod diceret, velocius eos absumpturos frumentum, quod haberent, si plures fuissent.

I. SCIPIONI ad Numantinum bellum proficiscenti nullæ ex novo delectu copiæ datæ. nam & pluribus tum locis bellabatur: & Hispania (nam erant in ea priorum Consulum legiones) non tam exercitu quam duce indigere videbatur. Submoleste id ferebat Consul, & quum etiam pecuniæ præsentis nihil, sed vectigalia quorum dies nondum venerat, decreta essent: *boc quidem incommodum suis & amicorum copiis levari posse* dicebat: *cæterum de negato delectu durum esse, eo bello quo toties victus exercitus esset, sive virtute hostium,* Scipioni ad bellum Numantinum nec pecunia, nec exercitus novus datur. Appian. Hispan. Appian. Plutarch.

five sua ignavia hoc ei contigisset. Igitur permissum Senatusconsulto, *ut à volentibus sociis acciperet auxilia:* civitates enim Regesque privatim ei amicos ac hospites, honoris ejus caussa lubenter missuros apparebat. Etiam ex necessariis ac clientibus delectos ad quingentos unam in alam, quam amicorum vocabat, contribuit.

Luxus & ignavia Hispanici exercitus.

II. Sic ad millia hominum ferme quatuor effecta. quæ fratris filio Buteoni, quæstori suo, quum in Hispaniam ducenda tradidisset, ipse cum paucis ad exercitum citatis itineribus perrexit. Nam ibi omnia luxu & discordiis fervere comperetat: præter infamem illam adversus hostes ignaviam, quæ per tot annos timiditate aut ambitione ducum, pene in consuetudinem evaluerat. neque igitur dubitabat pari omnino vit sibi ad Numantiam struendum iter, qua usus in Carthaginis obsidione fuerat, neque prius sibi de hoste sperandam victoriam esse, quam exercitus sui vitia devicisset.

Florus 2. 18.

A Scipione corrigitur. Val. Maxim. 2.7. 1. Liv. Epitom. Appian. Florus; Polyb. apud Val. 206. 215. Appian. Liv. Epitom.

III. Itaque ut primum in castra venit, statim omnia luxus instrumenta removit: institores atque lixas ingenti numero: duoq; præterea scortorum millia castris expulit.expulit & sacrificulos vatesque metum militum vana superstitione augentes. edixitque *ne in posterum victimas divinationis causa, neve alia non necessaria importare liceret: Sed & plaustra majoremque partem sarcinarum, item jumenta; exceptis maxime necessariis, ne militem onere levarent, vendi* jussit. *vasa cibi caussa, præterquam veru & aeneam ollam, & poculum unum habere* vetuit: *itemque alium cibum, nisi carnem assam elixamve parari.*

Appian. Frontin. Stratag. 4.1.1. Florus. Appian. Polyænus. Stratag. lib. 8. Plutarch. Appian.

Lecti, muli, calones à castris removentur.

IV. Prohibuit & lectos, primusque dedit exemplum, humili toro recubando. neque passus est inter eundum mulis insidere milites; quin etiam fluminum vada pedibus cogebat trajicere: *quid enim exspectes*, ajebat, *in bello ab eo homine, qui ambulare non possit?* *Calones etiam dimitti* jussit: & quum nonnulli caussarentur *in balneis ad fricandum & ungendum famulorum opera indigere*, Scipio, ut erat acuti ad jocos ingenii facetique, *multis quidem*, inquit, *ignoscendum est, si alieno labore fricantur, manibus enim carent: sed tamen & horum solertiam imitantes, alter alterum defricate.* His rationibus factum est opinione citius, ut totis castris intemperantia luxusque pelleretur: sensimque ad laborem & parcimoniam homines reverterent.

Auctoritati conservandæ studet Scipio.

V. Neque minus studebat conservandæ auctoritati suæ, conciliabatque sibi reverentiam difficili aditu, neque promiscua in meritos immeritosque liberalitate, Solebat enim dicere, *austeros & tenaces recti duces suis, faciles ac liberales hostibus utiles. nam apud hos læta quidem adspectu, cæterum ignara obsequii castra esse. apud illos tristia, sed morigera, & ad omne imperium intenta.* Quumque hac ratione magnam partem vitiorum in exercitu rescidisset, ne sic quidem ad Numantinos propius accedere ausus, multo prius labore durandum sibi militem existimavit. Igitur quotidianis ferme itineribus propinquos agros obeundo, *ut luto inquinarentur, qui sanguine nollent* (sic enim dixisse ipse traditur) nova subinde castra communiebat, quæ mox dirueret; fossas ducebat profundissimas, & statim complanabat; muros struebat, pauloque post iterum demoliebatur. his omnibus ipse ab incipiente luce ad desinentem præerat.

Orosius 5.7. Appian. Liv. Epitom. Florus. Vegetius 3.10. Appian. Vegetius. Appian.

Ordines servare cogit militem.

VI. In itineribus autem, ne quis, ut antea solebat, ordines relinqueret, agmine quadrato semper ducebat: ita quem quisque primum acceperat locum

deserere non poterat, quin statim deprahenderetur. deprahensus, si Romanus esset, vitibus; si sociorum aliquis, virgis cædebatur. Circumibat agmen imperator, & inter postremos plerumque incedens, infirmos in equis collocabat, descendere jussis equitibus: jumentis quæ nimium gravata videbantur, demebat onera, imponebatque militum cervicibus: quos alioquin complurium dierum cibaria portare cogebat, & interdum triginta dierum frumentum, ac septenos palos ferre.

Liv. Epitom. Appian.

VII. Annotataque vox est, quum militem propter onus ægrius incedentem vidisset, dicentis, *quum gladio vallere te scieris, vallum ferre desinito.* aliique scutum elegantius solito gestanti dixit, *se non reprahendere, quod tanta cura ornasset, in quo plus spei, quam in gladio haberet*; jussitque *scutum amplius justo ferre*. Ita subinde timiditatem & mollitiem exprobrando, simul labore subigebat, simul contumelia stimulabat ad desiderium recuperandæ per virtutem famæ, quam per ignaviam perdiderant. Ne à nobilioribus quidem severitatem abstinebat; ex quibus C. Metello, quo tribuno militum utebatur, stomachabundus aliquando dixit, *si quintum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram.* & C. Memmium tribunum increpans, quod in expeditione vasa delicatioris usus secum ferret, *mihi*, inquit, *paulisper: tibi & Republicæ semper nequam eris.*

Dictis acutis exprobat ignaviam. Frontin. 4.11: Livii Epitom. Polyæn. Strateg. lib. 8. Florus. Front. 4.1.5. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 16. Liv. Epitom. Front. 4.1.1.

VIII. Nam & hoc more utebatur, ut inter proficiscendum, sarcinis suspectiorum replicatis, reperta vitæ mollioris instrumenta confringeret abjiceretque. Stativorum porro ponendorum hic erat ordo. ut quique inter proficiscendum in primo agmine fuerant, ita locum ubi castra erant ponenda, armati cingebant. circum hos laxiore paulum spatio campos circumibat amicorum equitum ala. interius, diviso inter se opere reliquus exercitus ducebat fossas, ædificabat muros, tentoria erigebat. eratque præfinitum tempus, intra quod quamlibet operis partem perfici necessum esset. instabat enim Imperator jubebatque *segnes ad alia belli munia, vili labore defungi*.

Stativa caute ponit.

IX. His artibus quum obsequentem sibi militem, patientemque laboris, & ad imperia promptum effecisset, cum vero propius Numantiam cœpit accedere: quumque in ipsorum agro castra posuisset, omnes copias intra vallum habuit, nullis per castella, ut adsolet, præsidiis aut stationibus antepositis. valde enim vitandum putabat, ne inter initia, quamquam modico incommodo accepto, contemptibilis hosti fieret: quia in re maximum victoriæ impedimentum fore providebat, contra fortissimos viros, & militaris rei peritissimos. sed neque tentare ullius certaminis fortunam volebat, donec ab diuturno contemptu vindicare exercitum suum potuisset. id vero, quo maturius adsequeretur, rationem totius belli, suasque occasiones, & hostium consilia quo vergerent attente speculabatur.

Florus. Appian. Propius accedit ad Numantiam.

X. Inter hæc à tergo castrorum pabulatum mittebat, frugesque licet nondum satis maturas ubivis desecabat. quod ubi perfectum est, ulteriusque promoveri castra placuit, ut reliquus etiam ager, unde Numantinis copia aut spes commeatus erat, vastaretur, *consilium vocari* jubet. ibi quum plerique *præter urbem Numantinam ducendum* censerent, *quod ea brevissimum in campos qui petebantur iter erat: non repugnarem*, ait Scipio, *nisi mihi non de eundo tantum, sed etiam de redeundo deliberandum videretur. nam certe uti viam istam ingrediamur, in nostra manu est. sed ingressos nisi fortuna servet, quod in nostris cōsiliis est, perire metuimus.*

Consultat an præter urbem ducat.

Florus. Pugnandum forte docet idque conditione iniqua. Appian.

XI. *Ducimus exercitum, qui paulo ante vix conspectum aut vocem hostis Numantini sustinebat: neque dubitari potest, quin acerrimi mortalium non patiantur nos præter muros urbis suæ quietum iter facere. pugnandum igitur erit: sed qua utrorumque conditione considerate. Illos leves & expeditos, ubi occasionem suam viderint, emittet urbs munita, & ubi voluerint, recipiet: nos a frumentatione adhuc fessi, multumque impedimentorum trahentes, non incipere pugnam, non finire, nisi ex hostium commodo poterimus.*

Magnum periculum exigui commodi caussa suscipere dementiam est.

XII. *Unde neque æquum nobis aut periculum certaminis, aut præmium erit. victis enim immanis exspectanda clades est, victoribus perquam modica utilitas. magnum autem periculum exigui commodi caussa suscipere, extremæ dementiæ esse puto. mihique magnus semper imperator visus est, non qui ante occasionem cum hoste properat confligere; sed qui provisis omnibus, tum demum experitur armis, quum ulterius differri ratio non patitur. Ne medici quidem ferrum & ignem, nisi solicite prius perpurgatis corporibus admovent, & nos adversus pracocem vim contumaces hostes, inopia prius & fame attenuemus.*

Scipio agrum hostilem vastat.

XIII. Hæc ubi dixisset, longiore circuitu duci copias jussit: statimque qui castris oppositus erat ager, vastatus est: flexit deinde in Vaceæos, qui Numantinis forum rerum venalium præbebant: ibi quoque demessa omnia, servatisque in usum exercitus quæ idonea erant, cætera in fasciculos collecta, igniquе supposito consumpta sunt. Accidit autem, ut in campo Pallantini agri, cui Coplanio nomen, quum messoribus hostes improvisi incubuissent, Scipio tribunum militum P. Rutilium Rufum, qui rerum harum historiam scripsit, cum equitum alis quatuor subsidio frumentatoribus mitteret. ibi Rutilius pulsos acriter insectatus, quum ad sublimiora loca & impeditiora pervenisset, consurgentibus insidiis, quas hostes ibi collocaverant, subito in periculum incidit.

P. Rutilium ab hostibus circumventum servat.

XIV. Neque succurrebat alia ratio, nisi ut eodem in loco projectis hastis consistentes, exciperent irruituros: ipsi neque lacesserent hostem; neque cedentem persequerentur. Nam secus si fieret, distrahebantur ordines, quod summa contentione Rutilius, tanquam præsentis exitii, vitabat. Sed immoti equites à velitibus Hispanis impune vulnerari poterant: neque diu restitissent, nisi diligentissimi Imperatoris providentia fuissent erepti. Quippe Scipio, simul atque Rutilium longius justo provectum vidisset, id quod erat suspicatus, confestim sequi instituerat. Viso igitur præsenti statu rerum, bipartito divisis equitibus, *alternatim procurrere, & confertim tela conjicere, deinde se recipere* jubet; *non eumdem in locum unde prorupissent, sed aliquanto versus campum longius.* ita quum semper altera pars submoveret hostem, altera retro legeret viam, evolvit se locorum difficultatibus, planitieque recuperata incolumes suos abduxit.

Insidias hostium evitat.

XV. Moventi deinde castra, quum *ad vadum amnis, quem transiturus videbatur, exspectare eum hostiles insidiæ* dicerentur; nolens in difficili & cœnoso trajectu cum hostibus confligere, flexit iter, & longiore via, minusque insidiis opportuna, nocturnis itineribus regressus est. urgebat enim æstus & aquarum penuria, cui ut subveniretur, passim fodi puteos imperavit, in quibus amara plerumque aqua reperta. Quare magno cum labore servatis militibus, equorum tamen aliorumque jumentorum pars interiit.

Vellejus. 2. 9. Appian.

XVI. Hinc ad Caucæorum fines perventum: hic, quia profugerant incolæ, Lu-

Luculli memores, à quo decepti vastátique fuerant, proclamatum est, *Caucæos reverti ad sua, fide Scipionis posse*. Transiit deinde in Numantinorum fines, ut eos potissimum hibernis premeret. ibi Jugurtha ad eum venit Masinissæ nepos, quem auxilio Scipioni cum duodecim elephantis, & contributo his sagittariorum & funditorum numero Micipsa miserat: non honori ejus studens, sed ut gravem ætati suæ liberorumque juvenem, asperrimis hostibus objectum, citra invidiam suam periculumque amoliretur. Sed id consilium seni in contrarium vertit: & Jugurtha consilio manuque strenuus brevi permagnam virtutis opinionem sibi peperit: & ab imperatore multis honoribus adfectus est. Saluft. Jugurt. Iugurtha cum auxiliis Numidis ad Scipionem venit.

XVII. Mira enim humanitate viros ille fortes complectebatur: & prout tempus aut occasio erat, modo munificentia donisque, modo verborum honore laudibusque eximiis liberaliter efferebat. Nam & C. Marium, qui fatalis mox hostis Jugurthæ, tum iisdem in castris tyrocinium & ipse ponebat, ob singularem viri virtutem & ad pericula ac labores impigram alacritatem vehementer charum habebat: multaque ejus erga Marium honorifica memorantur. Nam proverbio quo *muli Mariani* appellantur, hanc originem fuisse volunt, quod inspicere volente Scipione, quemadmodum ab unoquoque jumenta curarentur, Marius optimum equum, pulcherrimeque habitum, & mulum robustissimum eumdem mansuetissimumque produxisset: inde factum, ut Imperatore Marii jumenta mirifice commendante, *Mariani muli* pro præstantissimis dici cœperint. Et C. Marius eodem tempore stipendia meret Scipioni charus. Vellejus. Plutarch. Mario, c. 3. Plutarch. Mario, c. 13.

XVIII. Sed longe amplissimi testimonii excepta vox est, quum forte post cœnam sermones sererentur; dixissetque aliquis, *si quid Scipioni accidisset, ecquemnam alium similem imperatorem habitura respublica esset*? Scipio enim, percusso leniter humero Marii, *fortassis istum*, respondit, ajuntque ab illa voce tanquam divinitus emissa Marium erectum, dignos rebus quas postea gessit jam tum spiritus concepisse. Et honorifico imperatoris testimonio excitatur.

XIX. Dum ad hunc modum in Numantinis hibernatur, P. Mucius Scævola, L. Calpurnius Piso Frugi Consulatum inierunt, magnarum rerum eventibus nobilem. Nam & belli expugnata Numantia est, & domi seditionibus tribunitiis ultra veterum turbarum exempla laboratum. Tib. enim Gracchus & M. Octavius inimici tribuni plebis totam civitatem odiis contentionibusque miscuerunt. Sed antequam domesticæ calamitates referantur, externa bella memorabimus. Igitur P. Mucio Italia, L. Pisoni Sicilia provinciæ evenerunt. *P. Scipio, D. Brutus imperatores* (nam & Brutus nondum ex Lusitania decesserat) *Hispanias Proconsulari imperio obtinere* jussi. Urb. cond. an. 620. Provinciæ.

XX. Quorum Scipio qui tempore & inopia commeatuum frangendam sibi Numantinorum pugnacissimam gentem statuerat, quum per hiemem & sequenti vere, quicquid ad propositum suum facere videbatur diligentissime administravisset; in multam æstatem usque hoc unum maxime agebat, ut omnem non copiam modo, sed etiam spem annonæ hostibus corrumperet. Itaque Numantini, quum agros suos impune vastari non ferrent, insidias ad vicum quendam collocarunt, maxime opportuno ad ejusmodi fraudes situ. quum enim majori ex parte vicus limosa palude cingeretur; qua sicco itinere adibatur, vallis profunda subsederat. in hac occulta hostium manus occasionem exspectabat. Orosius 5. 7. Appian. Hispanic. Numantini Romanis insidias ponunt.

XXI. Romani quum ad eum locum venissent, alii relictis ante vicum signis

ad diripiendas domos irrumpere; alii, manus non adeo magna, eminus circum-equitabat. in hos impetum fecere, qui conditi in insidiis fuerant: neque difficulter ut paucos & tale nihil opinatos pepulerunt. Sed Scipio qui forte apud signa restiterat, revocatis classico qui vicum intraverant, quum pauciores mille accurrissent, opem ferre laborantibus cœpit. conserta pugna, pari aliquandiu Marte certatum est, donec subinde pluribus ex vico succurrentibus, hostes fugerunt: neque cedentibus institit Scipio, contentus à se tandem effectum esse, ut rem prodigio similem, Numantini militis terga victor Romanus adspiceret. Pauci utrimque desiderati referuntur. Numantinos, quum ad urbem refugissent, acriter increpantibus senioribus, *quod ab iisdem illis pelli sustinuerant, quos toties superassent*, responsum à quodam esse dicitur; *oves quidem easdem esse, sed alium habere pastorem*.

A Scipione repelluntur. Orosius. Appian.

Florus 2.18. Appian. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 25.

XXII. Sed Imperator his successibus lætus, & militi jàm fidens, proxime urbem Numantinam adducere exercitum instituit; geminisque castris dispositis, alteris fratrem Q. Fabium præfecit, altera servavit sibi. Numantini, frustra tentata spe pacis & conditionum, certare prius cupientes, quam hostibus magis etiam (ut quotidie fiebat) animi crescerent, instructa acie progressi, copiam pugnandi per multos dies facere non destiterunt. Fixum contra hæc destinatumque Scipioni fuit, ferre potius suum publicumque dolorem, quam ancipiti remedio sollicitare malum, quod patientia moraque non dubitabat expugnari posse.

Scipio gemina castra ad Numantiam ponit. Orosius. Appian. Florus. Appian. Seneca de ira 2.11.

XXIII. Didicerat enim eos non tàm ad pugnam quàm mortem ruere destinasse: convivatos prius inter se tanquam postrema voluptate, repletosque potu celiæ: sic vocant Hispani potionem ex frumento. Igitur & hostium convicia, & suorum preces facetiis eludebat: *insanorum esse, manus conserere cum desperatis, quam inclusos penuria & inedia consumere malle. Sibi quidem mire probari patris sui L. Paulli sententiam, qui negaverit cum hoste pugnandum esse, nisi summa necessitas, aut summa occasio adfuisset*. Quod ex ore Scipionis exceptum Sempronius Asellio, qui tribunus in illis castris meruit, annotavit. Huic rationi tam constanter tamque certa fiducia adhærescebat, ut aliquando pabulatum egressos hostes, quum opprimere posset, interfici vetuerit, *citius absumpturos esse quod haberent frumenti* dictitans, *si plures fuissent*.

Cum desperatis pugnare non vult. Florus. Orosius. Appian. Agell. 13. 3.

Liv. Epitom.

XXIV. Eum ad finem circumvallare urbem instituit, missis circum socios populos, qui auxilia imperata cogerent. singulis enim quantum ab unoquoque hominum, cujusque generis mitti vellet, præceperat. funditores maxime sagittariique petebantur: quos, ubi venerunt, suo quoque exercitu varie diviso, omnibus non cohortibus tantum, sed etiam centuriis interposuit. Adsignata deinde cuique manui parte operis, quam deberet perficere, fossa valloque circumvenire urbem cœpit. Erat in colle sita Numantia, tria passuum millia complectente ambitu: sive totum illud spatium refertum ædificiis fuit; sive verior est opinio, habitatam urbis partem pro paucitate hominum longe minorem fuisse: cætera belli tempore pecoribus alendis, aut exercendo securius agro destinata.

Seneca: App. annos. Circumvallare obsessos instituit.

Frontin. Stratagem. 4. 7. Appian. Orosius.

XXV. Etiam muro cinctam fuisse Numantiam sunt qui negent: iis forte credentes, qui *quosdam ad Durium amnem colentium, Laconicis institutis vivere* tradiderunt. Utcumque fuit, certum habetur, vallum circa urbem ductum esse supra sex millia passuum in orbem patens. In ejus præsidium copias, prædicto cui-

Florus 2.18. Strab. lib. 3. Appian. Ejus operis ratio.

que loco quem defenderet, distribuit imperator, *jussis extollere signum, qui hostili incursu premerentur. interdiu purpuream chlamydem in hasta longa, noctu ignem: ut ipse, fraterve Fabius, ut cuique proximius esset, ad suppetias ferendas accurrerent.*

XXVI. Ut vero confectum hoc opus est, & erumpentes ad impediendum hostes submovere facile fuit; aliam fossam modico à priori intervallo effodit, latam pedes decem, & bis totidem altitudine: quam undique sudibus præmunivit: & post eam exstruxit murum octo pedes latum, altum decem, in rationem non veniente pinnarum fastigio. totum hunc ambitum turres distinguebant, spatio centum viginti pedum inter proximas quasque relicto. quà vero murum duci palus objecta non patiebatur, moles jacta est, cujus pari altitudine crassitieque murus committeretur. Ea tum ratio belli Africano fuit, qui primus omnium, quantum scimus, urbem quæ pugnam minime detrectaret, operibus amplexus est.

Fossam murumque circa Numantiam ducit Scipio: Orosius. Appian.

XXVII. His ita perfectis quum nec emitti oppido, neq; recipi terrestri itinere quidquam posset; tamen Durius amnis, qui per munimenta labebatur, adhuc viam dabat, natatu aut exiguis scaphis urbem petentibus; poterantque cum commeatu & supplemento, aut flante vento velis, aut ponente remis secundo flumine perrumpere: nec jungi ponte latus & præceps amnis poterat. itaque ad aliud ingenium conversus Imperator, ab utraque parte fluvii singula castella exædificat: ab his trabes longas funibus firmissime vinctas in amnem ita porrigit, ut in medio jungantur. porro in iis trabibus crebras falces atque mucrones fixerat. ita fiebat ut cursu fluminis rotatæ assiduo trabes, neque navigando quemquam, neque nando transire, neque urinando subterlabi paterentur.

Etiam Durii amnem novo ingenio præcludit.

XXVIII. Atque id maxime studebat Scipio, omnimodis ignaros cunctorum, quæ exterius gererentur, tenere hostes: quo non modo commeatu omni, verum etiam consilio excluderentur. Paratis omnibus, quum jam in turribus telorum varii generis immensa vis congesta, catapultæque & aliæ machinæ quibus hastæ aut saxa jaciuntur, dispositæ essent, & in castellis sagittarii ac funditores collocati: crebros per universum operis circuitum homines constituit, qui noctu diuque quidquid accidisset, clamore significarent: quem alter ab altero exceptum, & proximo cuique statim traditum, momento temporis ad Imperatoris aures perferebant; similiter *signum erumpentis hostis dari è muro jussit, eo modo, ut si quando proxima periculo turris signum sustulisset, in omnibus turribus idem continuo fieret;* sic futurum erat ut ex signis quidem statim intelligeretur alicubi turbari, clamor autem, quid rei & ubi esset, aperiret.

Inventum Scipionis ad celeriter significandam hostium eruptionem.

XXIX. Porro ad omnes istos usus copia hominum superabat: contractis enim Hispanarum gentium auxiliis, & suo cum exercitu conjunctis, ad sexaginta millia armatorum effecerat. Ex hoc universo numero triginta millia disposuerat ad murum quem exstruxerat observandum, & cætera, quæ postulasset usus, obeunda militiæ munia: Alia viginti millia ita se paraverant, ut quum aliqua ex parte pugnari ad murum sensissent, ad opem ferendam præsto essent. Reliqua multitudo tanquam in subsidiis erat locata: neque movere se cuiquam, aut excedere loco, injussu Imperatoris licebat: signum exspectabatur. id ubi fulserat, ad prædictum quisque munus emicabat.

Dispositio copiarum Scipionis.

Liv. Epitom. Appian. Numantini sæpe eruptionem tentant, sed frustra.

XXX. Tanta cura diligentiaque Scipionis castra ad Numantiam permunita fuere. neque sequior eventus fuit. nihil enim adversus hæc acerrimorum hostium impetus valuit: qui sæpius eruptione tentata, neque fallere intentos, neque perrumpere confertos possent, frustra omnia conati, nihil nisi vulnera & desperationem in urbem retulerunt. Qua enim eumque parte impetum fecissent, è vestigio propugnatores formidabili specie concurrebant: quum omnibus & turribus signa momento efferrentur, nuncii parati discurrerent, & tubis undiquaque concinentibus, armatorum globi loco diu ante unicuique præscripto, sine mora conspicerentur. Neque ulla pars castrorum impeti poterat, quin statim universus ambitus, sex amplius millia passuum, certatim ad sua munia se parantium studiis & festinatione ferveret.

Numantinorum solicitudo.

XXXI. Nemo interea plus aut laboris aut curarum duce ipso capessebat: qui neque diem, neque noctem sinebat abire, quin totas illas tam late patentes munitiones castrorum per se obiret, ne quid usquam remissum neglectumve pateretur. Unde simul ipsi spes, simul apud Numantinos solicitudo crescebat; neque diu repugnaturi videbantur, quum arctiora in dies fierent omnia, & minuentibus præsidiis, neque commeatus importari, neque arma, neque ullum introduci auxilii genus poterat.

Rhetogenes per opera Romanorum elabitur.

XXXII. Igitur rebus ad desperationem vergentibus, Rhetogenes summa inter suos virtute, re eum senioribus communicata, ex omnium familiarium numero quinque fidissimos, quibus ad eadem tentanda animum verbis addiderat, cum pueris equisque totidem adsumit: & noctu quadam obscura delecta, cum tabulis ita paratis, ut in usum pontis subito compingi possent, ad murum hostium ignoratus accedit. quem ubi vigilibus qui ea parte excubabant oppressis conscendissent; eodem silentio & festinatione alios quoque vigiles, altera ex parte muri, qua campum spectabat, locatos obtruncarunt.

Arvaccorum implorat opem.

XXXIII. Tum attractis per pontem equis, quum quos adduxerant pueros felicis ausi nuncios in urbem remisissent, citato cursu per urbes Arvaccorum feruntur, cum habitu & vocibus supplicum *miserrimæ civitati à consanguineis & fratribus suis auxilium* orantes. Apud alios plus miserationis quam præsidii repertum: pronos ad subveniendum animos, torpescere cogebat Romanæ potentiæ reputatio, & pene in oculis cum Imperatore maximo validissimæ copiæ. Lutiæ nonnihil adfulsit spei (oppidum est intra decem millia passuum à Numantia distans) ubi juventus, ut cui plus animi quam consilii esset, civitatem ad socianda cum Numantinis arma impellebat. Seniores quum se frustra obluctari cernerent, statim in castra Scipionis miserunt, indicatum quæ in sua civitate gererentur.

Lutiam rebus novis studentem opprimit Scipio.

XXXIV. Ille, quum hæc hora diei octava nunciata essent, nihil cunctatus cum expedita parte copiarum postridie mane ad Lutiam fuit; principesque juventutis tradi imperavit. Caussabantur oppidani, *erupisse illos ex urbe sub adventum Romanorum, & fuga sibi consuluisse*, donec excidium minitante Romano, Vaccæorum popularium suorum exitum veriti, qui nuper in urbe quadam obsessi, seque liberosque & uxores trucidaverant; partem civium, quam civitatem perire maluerunt. Ita dediti sunt ad quadringentos, quibus ad terrorem aliorum manus amputari Scipio jussit. abductoque secum præsidio iterum cum sequentis lucis exortu in castra reversus est.

Liv. Epitom. Appian.

XXXV. Dum ita ad Numantiam Scipio sedet, venerunt ad eum in castra Regis Antiochi legati, cum amplissimis muneribus. Erat ferme jam in more positum imperatoribus, ut ejusmodi dona occultarent, suas manubias auctura; sed Scipio qui nihil non ad rempublicam referebat, negavit *se nisi inspectante exercitu accepturum: referrique in tabulas à Quæstore* jussit, *inde munera se fortibus viris daturum*, insigni ad virtutem stimulo, professus. Caussa legationis non traditur: sed ex fortuna Regis colligi fortassis potest. Antiochi legatos audit. Liv. Epitom. Cic. pro Dejot. cap. 7. Liv. Epitom. Cic. Liv. pit.

XXXVI. Quippe res istius Antiochi paulo ante ea tempora subita mutatione, ex angustiis florentissimæ redactæ fuerant: quemadmodum non ita multo post, quum firmissimæ viderentur, inopinata clade corruerunt. Cæterum interitus adolescentis ad sequentia tempora pertinet: incrementa narrari præsens locus postulat: ut quo interim loco res Orientis fuerint, compendio cognoscatur. Postquam insessor Syriaci Regni Trypho superbia & luxu militum animos abalienasset, ad Cleopatram, Demetrii uxorem, quæ cum liberis Seleuciæ se incluserat, plerique se contulerunt. Unde illa resumptis animis, quum Antiochum viri sui fratrem toto Regno oberrare cerneret (metu enim Tryphonis civitas cum nulla recipiebat) ad rationes utriusque mirifice pertinere credidit, si societate Regni simul thorique jungerentur. impulerant eodem quum amicorum consilia; tum quorumdam Tryphoni studentium metus, à quibus una cum urbe tradi in tyranni potestatem timebat. Ejus Antiochi varia fortuna. Joseph. 13.12. Justin. 36. 1. Joseph. Zonar. Joseph. Appian. Syriac. Joseph. Front. Strab. 2.13. Ioseph. Eusebius. Macchab. 1.15.

XXXVII. Antiochus cupide accepto insperatæ fortunæ munere, quum Seleuciam venisset, viresque suas augeri quotidie videret, bello petere Tryphonem ausus est: victumque prœlio tota superiore Syria ejecit; ne vivum caperet, avaritia suorum equitum præpeditus, qui sparsum à fugiente aurum colligendo, tempus, quod hac arte quærebatur, effugiendi concesserunt. Tryphon in munitum Phœniciæ Castellum, *Dara* nomen est loco, quum refugisset, Antiochus cum exercitu pedestri centum viginti millium supervenit. admota etiam classis est, maritimum enim erat oppidum, machinisque confectis summa ope expugnatio cœpta. Antiochus Thryphonem vincit.

XXXVIII. Cæterum Trypho clam elapsus, Orthosiada haud procul Marandro urbem, deinde Apameam perfugit, patriam suam. Erat enim urbis istius quum situs munitissimus: tum eximia temporibus istis potentia. Sed Antiochus haud segniter oppugnata urbe, tyrannum eo necessitatis adegit, ut quum urbem capi videret, in ejus incendium se immitteret, postquam sceleris sui præmio non ultra triennium esset gavisus. At Antiochus elatus successu, Judæos, quamquam auxiliis eorum enixe fuisset adjutus, per Cendebæum ducem bello petiit: iniqua fortuna donec princeps gentis superfuit. ast illo fraude generi (Ptolemæus vocabatur, Abubi filius) interempto; spem nactus perdomandæ gentis contumacissimæ, cum ingenti exercitu in Judæam venit. Iosephus. Plinius 5. 19. Iosephus. Strab. lib. 16. Ioseph. Zon. Eusebius. Iosephus. Macchab. 1. Tryphonis interitus.

XXXIX. Joannes Simone genitus, quum paternum principatum suscepisset, in urbem Hierosolyma se inclusit, præpotentis hostis vires, quum armis morari non posset, objectu munimentorum cupiens eludere. Antiochus septem castris circum urbem positis, tamen propter firmitatem murorum, & propugnatorum virtutem parum proficiebat. ad hæc aquarum penuria laborabatur. Cæterum sub occasum Plejadum copiosus imber arentes exercitus fauces refecit. Itaque meliori jam spe fretus, à boreali parte urbis (nam Ioseph. 13.16. Antiochus Hierosolyma obsidet.

ea facilior accessus erat) actis operibus, turres plurimas ternorum tabulatorum extruxit, implevitque militibus, qui defensores urbis arcerent missilibus, neque consistere in propugnaculis paterentur.

Diod. lib. 34. Joseph.

XL. Sic inter quotidianas velitationes, duplici fossa haud exiguæ latitudinis altitudinisque circumdata urbs est. Neque ideo spes aut animus obsessos deservit: quin crebris eruptionibus hosti pro viribus nocerent: graves si incautis incidissent, & adversum paratos insigni ad receptum celeritate. Sed sævior omni bello fames metuebatur. quam ut differrent, si effugere nequirent, Joannes inutilem bello turbam urbe excedere jussit. Ex diverso Antiochus, nec enim fallebat eum consilium hostis, neque recipiebat expulsos, neque trucidabat: sed versus urbem rejectos, solicitare cogebat misericordiam suorum precibus & lachrumis, & postremo fœditate exitus, quum ante ora civium infelicissimi mortales crudelem in modum fame contabescerent.

Inutilis turba urbe ejicitur.

XLI. Instabat tabernaculorum festum, quod apud Judæos quotannis accuratâ religione celebratur. ea fregit animorum duritiem, ne perire communium sacrorum sanguinisque participes paterentur. Ergo receptis in urbem expulsorum reliquiis, oratores ad Regem mittunt, cum his ferme mandatis. *Numen quod colimus, Rex Antioche, quum majoribus nostris leges, quibus adhuc utimur, daret; tria quotannis tempora festa celebritate consecravit: quorum quod tabernaculorum appellamus, cum maxime imminet. Et nos quidem, quamcumque fortunam dederit Deus in ea quantum poterimus, solemnitati huic faciemus satis. sed ut rite ac ordine fiant omnia, quiete & tranquillitate septem admodum dierum erit opus.*

Judæorum oratio ad Antiochum.

XLII. *In hoc tantillum tempus inducias ab æquitate tua petimus, Rex Antioche; bona cum spe, fore ut desiderio nostro annuas, quando nihil pro nobis, nec adversus rationes tuas postulamus. Externa subsidia nulla scis intra tempus hoc exspectari posse: famem nobis objicitis, & nos de ea quasi confessos creditis, quod inutilem turbam ex civitate submovere conati sumus. Si ita est, nihil optatius esse tibi queat, quam ut sine tuorum periculo gentem nostram sedendo debelles, idque adsequeris, quum per inducias, neque vos lædemus, & receptis intra mœnia quos expuleramus, etiam plus solito cibariorum, per festi hujus lætitiam absumemus.*

Inducias petunt ad festum Tabernaculorum celebrandum.

XLIII. *Præterea quidquid hoc erit humanitatis, non tam populo Judaico, quam religionibus dabis tam antiquis, ut doctissimis viris demonstrantibus, legislator noster omnibus Græcorum diis sit antiquior. Ergo maxima semper apud alienigenos quoque Reges sacrorum nostrorum veneratio fuit. Cyrus imperii Persarum auctor, incensam ab Assyriis urbem nostram cum templo jussit instaurari: vasaque sacra quæ olim inde ablata fuerunt, cum aliis multis pulcherrimisque donis reddidit. Darii deinde beneficio, qui post Cambysen regnavit; absoluta templi structura est: quod deinde Magnus Alexander, Ægyptiorumque Reges, ut quisque virtutum omnium laude præstantior est, ita impensiore pietate coluerunt.*

Sacrorum Judaicorum antiquitas, & apud peregrinos Reges veneratio. Scalig. ad Eusebium. Esdra 1. 3.

XLIV. *Tuorum quoque in eodem delubro donaria visuntur: quæ duo Demetrii, pater primum, deinde frater tuus, diversis temporibus obtulerunt. Proavus autem tuus Antiochus Magnus, eximiis honoribus atque privilegiis templum ea pietate coluit, ut à nostris principibus exspectari majora vix potuisent. Quid jam de te loquemur, neque enim hæc circumposita mœnibus nostris castra, fremitusque tot millium & admotarum machinarum terror, illius temporis nobis excutiet memo-*

Etiam apud Syriacos. Josephus 13. 3.

riam, qua contra communem hostem auxilia prompte ferentes, socii amicique vocabamur. Tu vero sive pristini fœderis apud te recordatio valet, sive religione animus tangitur, inducias tibi non obfuturas, nobis cærimoniarum caussa gratissimas, saltem in ejus Dei honorem concede, quem conditorem omnium, quemadmodum cunctis gentibus communis Rex & pater est, ita nostro quoque in templo adorari à quolibet, propitiarique sinimus.

Joseph. c. 3. 15. Joseph. 8. 1.

XLV. Erat Antiocho sicut adversus pervicaces celsus animus, ita supplicibus mite ingenium. quare Judæorum mores admiratus, quos in tanto suo periculo, plus tamen de religionibus patriis solicitos videbat, non modo concessit inducias, verum etiam ad sacrificium boves auratis cornibus, & cum omni genere odorum pocula aurea ac argentea multa, ipse ad portas urbis honorifice detulit: & quum ea omnia sacerdotibus tradidisset; exercitui suo epulum in honorem Hierosolytani Dei præbuit. Vere dictum est, sæpe majorem mansuetudinis quam severitatis fructum fuisse: beneficioque subactos, quos nulla vis armorum ad obsequium coegisset.

Antiochus dat inducias, & munera templo. Diodorus. Joseph. Plutarch. Apoph. cap. 55. Joseph.

XLVI. Itaque Judæi Regis animadversa lenitate, quamque dissimilem se quibusdam majoribus suis, sacrorum Judaicorum infensissimis hostibus præstitisset, publica omnium voce laudatum. cognomento *Pium* vocaverunt, & Joannes adolescentis generosa natura captus (& jam necessaria defecerant) legatos misit, *fidam Regi gentem fore* pollicitus, *si vivere suis legibus sineretur*. Eo tempore plerique Regis amicorum suadebant, *ut diis hominibusque cæteris omnibus inimicam gentem exscinderet; Antiochum, qui Epiphanes cognominatus est, cientes: illum eadem urbe victa, spurcorum hominum sacrilega sacra & absurdos ritus dignis ludibriis traduxisse.*

Judæi legatos de pace mittunt. Diod. Joseph. Diodorus.

XLVII. Nihil hæc magnanimam Regis mentem, & ab acerbis consiliis naturæ bonitate aversam moverunt. igitur *veniam delictorum pacemque* dedit, *si armis traditis, accipere in urbem præsidium vellent, & pro Joppe nonnullisque civitatibus quas extra fines Judææ possidebant, vectigal Regi pendere.* Cætera non recusarunt; *præsidium ne ritus sui conversatione alienigenarum pollueretur*, deprecati, *pecuniam & obsides* obtulerunt. Itaque trecenta talenta pecuniæ præsentis accepta, ducentis in diem dilatis: obsides quoque traditi, quos inter & frater Joannis fuit.

Eamque certis conditionibus impetrant. Isid. 15. 3. Diod. Ioseph. Iustin. 36. 1.

XLVIII. Muro deinde urbis dirupto, obsidionem solvit, quum gentem validam, & quæ post eum nulli Macedonicorum Regum patuit, magna cum gloria subegisset. Igitur adolescens hoc fortunæ obsequio magnificus, & bellum adversus Parthos animo volvens, quo sibi Romanam amicitiam munificentia conservaret, publice privatimque donis eos prosequutus, in primis Scipionem colere constituit: tum ob eximiam viri gloriam, tum quia neque potentior alius domi, neque in amicitia constantior credebatur; quum jam Romæ non apud singulos modo fides atque gravitas rarior in dies fieret, sed ipsa quoque Respublica contentionibus odiisque privata commoda publicis anteponentium, horrenda seditione quassaretur.

Judæi nulli Macedonicorum Regum postea patuerunt.

FINIS LIBRI LVII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LVIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



I. Sempronius Gracchus tribunus plebis, quum Agrariam legem ferret adversus voluntatem Senatus, & equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus quam quingenta jugera possideret;in eum furorem exarsit,ut M.Octavio collegæ, causam diversæ partis defendenti, potestatem lege lata abrogaret: seque & fratrem Cajum, & Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit & aliam legem Agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut iidem triumviri judicarent, qua publicus ager qua privatus esset. deinde quum minus agri esset, quod dividi posset sine offensa etiam plebis (quoniam eos ad cupiditatem ampla modo sperandi incitaverat) legem se promulgaturum ostendit, ut iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quæ Regis Attali fuisset, divideretur. Heredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, Rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignationibus commotus graviter Senatus, ante omnes P. Mucius Consul, qui quum in Senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Quum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus: auctore P. Cornelio Nasica, in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum: & inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen projectus. Res præterea in Sicilia vario eventu adversum fugitivos gestas continet.

Romanorum internæ seditiones.

I. HACTENUS egregiam Romanæ rei formam, ingentium bellorum lætos semper exitus, raras interea clades, rara armorum dedecora, sed melioribus statim correcta consiliis satisque enarravimus; nunc internæ seditiones, quæ à Graccho graves atque plenæ discriminis ortæ sunt, ad tristiora, sed non minus utilia vocant: quando hinc maxime veteris reipublicæ mala, & quibus initiis collidi inter sese diversæ in civitatibus potestates queant; ejusque morbi certiora post eventum remedia cognoscuntur.

Tacit. 4. 32. Salust. Frag. Dionys. l. 11.

Diod. apud Vales. Diod. apud Vales. Auct. Tib. Graccho. Cic. Bruto: cap 27. Diodorus.

II. Igitur Tiberius Gracchus Tiberii bis Consulis & Censoris filius, postquam sub matre Cornelia prioris Africani filia florentem bonis artibus,& pari omniũ spe adolescentiam exegisset, in Mancíniani temporis adversa tamquam in scopulum impactus est. quippe invidia quorumdam optimatium,quos adversarios in negotio suo senserat, dolorem suum ulturus,adfectasse modis omnibus creditur, ut supra omne priorum exemplum popularis haberetur. neque sane aut materia res novare volenti,aut speciosus obtentus deerat: palam iniqui in rempublicam in plebem, agrorum possessores erant,qui inter aliorum paupertatem & famem, latissimorum prædiorum reditus voluptatibus & luxu consumebant.

Materia ex agro publico. Appian. Civil. lib. 1.

III. Nam antiquitus subactis per partes Italorum civitatibus aliquam agri portionem victor Romanus ademerat. in eam ex Urbe aut Latio colonos mitti obtinuerat. & in singulos certum agri modum distribui. Veniebant autem in eam

for-

fortem culta maxime: sed quia bello ut adsolet, vastata squalebant, quoniam impensa & cultu longiore, & primis annis parum fructuoso egebant, sub tolerabili tributo publice elocabantur. de frugibus decimæ, de arboribus quintæ pendebantur: eratque etiam in armenta & greges vectigal constitutum.

IV. Ita putabant fore, ut possessores quum ipsi tantum agrorum colere nequirent, per mercenarios generis Italici colerent, quod quum laboris militiæque patientissimum esset, ea potissimum ratione contineri simul alique posse ad continuorum bellorum auxiliares delectus arbitrabantur. Sed res alio vertit, avaritia & astu divitum, qui publicos agros, ut longissimo tempore possessos, pro suis retinebant, augebantque. Submotis enim paulatim aut vi aut pretio veteribus dominis, non jam agros, sed latifundia colentes, ingenuorum operam aspernabantur, servitiisque coemptis rura exercebant. id enim erat multo quæstuosius, tum quia liberi homines ab agricultura stipendiis militaribus sæpe avocabantur; servis in eodem tempore manentibus: tum quia etiam ex partu ancillarum aucta familia, ad heros lucrum ingens redibat.

Quem possessores paulatim sibi mancipabant.

Luc. r. 167. Plutarch. Gracch. c. 10. Appianus.

V. Hoc modo fiebat, ut possessorum res familiaris, servorumque numerus in immensum augeretur: paucioribus in dies ingenuis, qui præter inopiam domesticam, tributis etiam & delectibus atterebantur. Quin & quoties à bellis vacatio erat, pigrum ipsis infructuosumque tempus abibat, quum agros proprios non haberent, & abundante servorum numero, conductitia istorum opera nemo uteretur. Non erat obscurum, quanto reipublicæ periculo sociorum quotidie minor copia fieret, servi orti ab hostibus, & ipsi futuri hostes, si occasio venisset, augescerent.

Et per mancipia colebant neglectis ingenuis. Plutarch. Appian.

VI. Sed adversus ditiorum potentiam diu frustra sunt quæsita remedia: neque, licet vehementibus quorumdam studiis instaretur, vim ullam prius obtinuerunt, quam sub annum Urbis CCCLXXX. rogatione Licinia caveretur, *ne quis ultra quingenta agri jugera possideret: neve plus quingentis capitibus pecorum, centum. que majoris armenti pasceret: utque certus mercenariorum numerus ex ingenua plebe à possessoribus aleretur.* Hæc non modo tribuum suffragiis sancita, sed etiam jurejurando confirmata, egregie pauperibus & publicæ rei subvenerant, ni apud homines opum dulcedine captos validior legum deorumque metu cupiditas, imbecilla juris claustra fraude vique perrupisset.

Liv. 6. 35. Appian. Quod Licinia lege correctũ.

VII. Nam sub initia multi dolo malo partem agrorum in propinquos transferebant, sub illorum nominibus sibi possidentes: ex quibus ipse legis auctor C. Licinius Stolo fuit. mox, ut elusæ aliquamdiu leges tandem pro abrogatis contemnuntur, ne colore quidem quæsito, palam à divitibus agri longe supra statutum auctoritate publica modum retinebantur. Crebræ inter hæc tenuiorum querelæ, sed & ipsa boni decorisque publici cura multos egregios viros advertebant, ut mederi cuperent: verum cuncta reputantibus tutius visum est, relinquere intacta civitatis ulcera, quam impari remedio solicitare ad acerbitatem atrocioris mali.

Sed cito legi fraus facta. Livii 7. 16. Appianus.

VIII. Ferturque non alia prudentia C. Lælius *Sapientis* cognomen quæsivisse, quam quod in tribunatu movere talia conatus, ubi majora spe pericula vidit, destiterat. Majore deinde perseverantia, sed multis & ante omnes sibi exitiosa caussam eandem agere Tib. Gracchus instituit, quum adolescens nobilis, facundus, & jam Tribunatum plebis gerens, auctoritatem quam genus adferebat, eloquentiæ præsidiis, & jure magistratus communitam, ad contentionem de tantis rebus attulisset.

Plutarch. Gracch. c. 11. August. de civit. Dei 3. 24. Appian. Cic. de Orat. 2. 9.

Plutarch. Quam vindicare conatur Gracchus, Amicis & matre Cornelia impellentibus.

IX. Accedebant ad hæc quotidiani ab amicis, ab æqualibus, à matre stimuli: nam & Corneliа sæpe reprehendisse filios dicebatur, *quod à populo Scipionis socrus, nondum Gracchorum mater vocaretur*: & Sp. Posthumius æmulus laudum, & dum militiæ Gracchus abest, forensi gloria multum provectus, juvenilem animum urebat. Præcipui tamen incensores Diophanes Mitylenæus, & C. Blosius Cumis Căpaniæ oriundus fuerunt: alter disertissimus ea tempestate Græcorum, & dicendi Tiberio magister, alter Antipatri Tarsensis familiaris, & ab eo sapientię studiis eruditus.

Cicero Bruto cap. 27. Plutarch. Itemque populo.

X. Movebatur etiam misericordia plebis, maxime quod calamitatem pauperum dedecusque reipublicæ, ipse per Etruriam transiens viderat, quo tempore ad bellum Numantinum erat profectus. neque desinebat populus omnibus eum modis impellere, passimque in porticibus parietibusque & monumentis scripta proponebantur, quibus *Tib. Gracchi Tribunatus, unica spes ereptos sibi agros repetentium invocabatur*. Hæc tamen variæ & tam efficaces machinæ vel senilis animi maturitatem expugnare potuissent, quo magis mirum fuit, ab acerrimo juvenũ in re tanta nihil sine magno consilio, summaq; moderatione gestum fuisse, donec adversariorum iniquitate & contumacia irritatus, ipse quoq; ad duriora deflexit.

Gracchus rem à principio leniter aggreditur.

XI. Tum vero adhuc non suo ipse arbitratu concepit legem, sed de sententia principum civitatis, qui sapientia & amore publicæ rei excellere credebantur, quorum P. Licinius Crassus fuit Pontifex Maximus, tum P. Mucius Scævula, quo nemo juris publici privatique peritior habebatur, tum maxime Consul, & App. Claudius cujus filiam Tiberius in matrimonio habebat. Quanta igitur in tam gravi injuria locum habere lenitas poterat, adhibita est: neque modo pœnæ legum remissæ, sed ultro præmium oblatum possessoribus: quo æquiore animo partem alieni agri ad justiores dominos redire paterentur.

Inter jus populi & consuetudinem possessionis media via.

XII. *Quamquam enim haud dubiæ æquitatis esset, quæ quisque contra mentem legis Liciniæ possedisset, ea cum fructibus & omni caussa restitui, tamen dare se concordiæ civitatis* ajebat, *ut inter jus populi, & consuetudinem possessionis media via decidatur, per quam nec adimantur omnia locupletibus, nec omnia relinquantur. Itaque se legem laturum, qua populus egenus agros recuperaret: possessores qui filios in potestate haberent, supra legitimum modum, ducena quinquagena jugera in singulos retinerent. ad hæc administranda triumviros annuos creari placere, qui præterea animadverterent, ne quis portionem alienam, sicut antea in fraudem legis factum frequenter fuerat, redimeret.*

Liv. Epitom. Appian. civil. lib. 1.

Plebi grata intoleranda locupletibus. Plutarch. Gracch. c. 13. August. de civit. Dei 3. a 4. Plutarch. Diod. apud Vales.

XIII. Hæc plebi grata, quæ facile præteriti temporis ferebat jacturam, dum in posterum sui ratio haberetur; intoleranda locupletibus erant, quamquam injuste possessa, tamen quia longo tempore possederant, pro suo patrimonio impudenter defendentibus. multaque passim adversus Tiberium aspera & falsa jactabantur, *juvenem factiosum, & nimiæ potestatis avidum, nihil aliud hac largitione, nisi viam ad regnum quærere*. Facile refellebat ista Tiberius non caussa minus quam eloquentia superior, graviterque *inhumanam possessorum iniquitatem* accusabat, *qui cives suos, quorum labore illæ opes accumulatæ essent, & nunc quoque defenderentur, eos extorres agerent iisdem arvis, quorum jus atque ditionem illorum sanguine respublica paravisset*.

Tiberius plebem miseratur.

XIV. *Etiam feræ, quibus per Italiam repletæ sylvæ sunt, cubilibus & habitaculis non carent, quo se recipiant: at hi quorum laboribus Italia quies, quorum*

mortibus cæterorum vita redimitur, nisi quod eamdem cum locupletibus lucem vident, eumdemque aerem trahunt, commodis communibus arcentur: non tectum sub quo latitent, non locum ubi pedem in suo ponant, obtinent: vagi cum uxoribus & liberis in ipsa patria exilium agunt.

Locupletes increpat. Appian. Plutarch.

XV. Conversus deinde ad locupletium agmen invidiose interrogabat, *qua tandem caussa iniquum putarent, quod populi esset, id populo dividi? cur servos civibus, militibus inhabilem militiæ turbam, postremo suis alienos præferrent? Vestra denique opera effectum est, ut mentiantur imperatores nostri, quum acie instructa pro aris & focis dimicare homines jubent: quotus enim quisque aram paternam, aut larem familiarem usquam habet? sed pro alieno luxu, proque alienis opibus spiritum vitamque prodigit Romanus ille populus, quem orbis terrarum dominum magnifico sed inani titulo vocant, omnium egenum, & ne glebam quidem agri, paucis exceptis, possidentem.*

Saluſt. Catil. cap. 20. Plutarch.

M. Octavius Agrariæ legi intercedit.

XVI. Hæc ab ingenti animo, & dolore non minori librata fulmina nemo adversariorum sustinere poterat. quare ad M. Octavium conversi, collega is in Tribunatu, idemque familiaris Graccho erat, auxilium implorabant: atque ille verecundia amicitiaque retinentibus cunctabatur. postremo magna virorum illustrium frequentia orante convulsus intercedere legi, & collegæ obnunciare instituit. Tum vero accensus ira Tiberius priore illa & leniore lege relicta, aliam ferre contendit majoris severitatis, tantoque gratiorem in vulgus, quanto acerbior futura possessoribus erat: simpliciter *excedere* jubens *agris, quos contra leges quisque occupasset.*

Inde contentiones & jurgia. Plutarch. Gracch. c. 14.

XVII. Sic irritatis utrinque animis quotidiana quum in Rostris tum Senatu oriri certamina: singuli, multi, ut locus tempusve tulerat, inter se jurgiis conviciisque rem gerere: nihil usquam sanum aut concors, sed velut in adversis castris suspecta omnia & infensa esse. Inter ipsa tamen factionum capita, licet sane studiis & æmulatione acriter contenderent, modestior, & contumeliarum expers rixa fuit: insigni documento quantum in animis hominum præclara indoles cum recta institutione valeat, cui uterque horum à pueritia adsueverat.

Tib. vetat prius quidquam agi, quam lex lata esset.

XVIII. Rogabat Octavium Tiberius, quando & illum agri publici haud exiguam possidere partem compererat, *ut omissa contentione ferri legem sineret, &* *quamquam ipse haud sane abundaret opibus, pretium ex suis bonis offerebat.* Immoto ad hæc Octavio, vetuit Tiberius *quidquam prius publicæ rei agi, quam perlata lex esset.* etiam ærarium, ne adiri à quæstoribus posset, annulo suo clausit, & Prætorum quosdam jus dicere pergentes, proposita mulcta coercuit: tanta omnium trepidatione, ut possessores mutata veste sordidati & supplices in foro obversarentur. etiã insidias Tiberio structas fuisse, cõductosq; in caput ejus percussores traditur.

Florus 3. 14. Sempron. Asell. apud Agell. 2. 13. Tumultus tempore legis ferendæ. Appian. Civil. lib. 1.

XIX. Post hæc ipse quoque dolone haud dissimulanter accinctus, in forum ventitabat, magna prosequente turba, quum prodeuntem domo numquam minus terna aut quaterna hominum millia stiparent. Aderat interea dies, quam ferendæ legi prædixerat. tum vero tumultu & ira fervere animi, nihilque fas ex præscripto legum aut sanæ civitatis institutis fieri. Post multa invicem jurgia quum jussu Tiberii scriba recitare legem, silentium ei M. Octavius injunxit, multum conquerente Graccho, & quia nihil proficiebat, *in posterum diem adesse concionem* jubente, *tum enim se modis omnibus perlaturum legem esse.*

Plutarch. Gracch. c. 15.

XX. Quum ita majus etiam solito agmen, tamquam ad ultimam dimicatio-

nem, in foro confluxisset, Tiberius *recitari legem* cum minis imperat, intercedit Octavius: vetanti Tribuno, sicuti oportebat, contra jubentem paretur. ea res, & quia divites urnas ad suffragia colligenda paratas abstulerant, certamen ingens excitavit. ventumque ad sæva omnia foret, ni Consularium quorumdam interventu, animorum motus paulisper consedisset. ii dextra Tiberii prehensa cum precibus & lachrumis obtestabantur, *ne misceri omnia seditione, & tumultu sineret*. isque reverentia virorum, & obversante jam animo malorum quæ imminebant specie, *quid igitur se facere vellent* interrogabat; *aut quid adferrent ad rem exulceratam consilii*.

Consularium quorumdam interventu consedet.

XXI. Negantibus *ex se quidquam opis esse*, & *ut referri negotium ad Senatum pateretur*, orantibus ad extremum adsensus est. nam & Patrum optimo cuique, & publicæ rei studiosissimo non ingratam fore legem confidebat. Sed quum in curiam venisset, ibique à plerisque Senatorum, nam hi plurimum agri publici possidebant, conviciis & jurgiis exagitatus est, ut inter paucos, & destituto concione sua Graccho liberius; in forum recurrens, orare collegam supplicibus verbis instititit, *remitteret obstinatum animi rigorem, plebemque commodis tantorum laborum periculorumque pretio comparatis aliquando frui sineret*.

Tib. exagitatus in curia. Appian. Plutarch.

XXII. Nihil ad hæc moto collega, *nullum igitur*, inquit, *remedium video, quam ut alteruter nostrum magistratu abeat. Tu M. Octavi, de me roga populum prior, is si jusserit, privatus repetam domum*. Atque hanc quoque conditionem illo recusante, *Quando nihil*, inquit, *æqui à superbis & avaris hominibus impetrari potest, in crastinum adeste Quirites. ille dies si viri estis, hæc certamina finiet nam & de lege, & de Tribuno vos in suffragia mittam: ut intelligant homines, majorne populi Romani auctoritas esse debeat, an tua M. Octavi, qui Tribunitiæ potestatis telum, tuendæ plebi à majoribus comparatum, ad opprimendam illam perdendamque intorsisti*.

Se aut Octavium abdicare, necessum autumat.

XXIII. Postridie conscenso suggestu *rogationem se de M. Octavio laturum* dixit; *ni incœpto desisteret*, eumque *ut jam sibi quoque, non tantum populo parceret*, denuo accuratis precibus solicitavit. Sed Octavio generosa mens erat, cœptique ad extremum tenax: quam puderet fidem tot illustribus viris datam, & in se uno spem possessorum recubantem destituere. Tum ad suffragia itum, *deos hominesque* testante Tiberio, *invitum se & ultima necessitate coactum, ad remedium tam tristis exempli descendere*.

Liv. Epitome Plutarch. Octavius non flectitur.

XXIV. Jam sententia unius tribus adempta Octavio potestas erat, neque ille, quamquam renovante preces Tiberio flectebatur; jam pluribus pluribusque auctoritatem prærogativæ sequentibus, de quinque & triginta tribubus septendecim, uti rogas, jusserant; & si una præterea accederet confectum negotium erat: quum iterum inhibito paulisper suffragiorum ordine Tiberius tam propinquo periculo per ultimas obtestationes obfirmatum collegæ animum expugnare conatus, propalam complexu omnibusque blanditiis oravit, *contra populi voluntatem niti, sibique ignominiam, amico & collega dura consilia non lubenter amplexo, invidiam procurare desineret*.

Tribus abrogare magistratum Octavio incipiunt. Appianus. Plutarch.

XXV. Versabat inter hæc ancipitem Octavium hinc periculi magnitudo, si persisteret in incœpto; inde pudoris, si absterreri se pateretur. feruntque deliberantis animi haud dubia signa, inter diuturnum silentium lachrumas erupisse. Verum ubi ad possessorum agmen deflexit oculos, apud hos existimationem par-

Appian. Plutarch.

tam amittere, eorumque conviciis proscindi, quorum ornari laudibus sueverat, haud sustinens, id modo, *ageret sane Gracchus quod collubitum animo ejus esset*, respondit. Hunc ad modum perrogato jussoque privilegio, viatorem Gracchus mittit, *privatumque detrahi de suggesto* jubet.

Octavius de Rostris detrahitur.

XXVI. Erat hæc quum sua sponte tristis & indigna species, egregium juvenem paulo ante sacrosanctâ potestate præditum subito de Rostris deturbari: & augebat invidiam, quod à liberto maxime Gracchi manus injecta homini foret. Gracchus enim more cætera non improbabili apparitoribus libertinis suis utebatur. Neque tamen Octavii fortuna populum commiseratione permovit, plus valebat in iratis animis recentis offensæ dolor: magnaque in illum manu coorta, nisi vim accursu suo locupletes avertissent, in foro esset discerptus. servus tamen ex fidissimis, qui pro domino corpus opposuerat, oculis effossis cœcatus est; ipse quum ad tumultum etiam Tiberius accurrisset, suique reverentia plebis impetum inhibuisset, ægre effugit.

Florus 3.14. Plutarch.

Et à populo pene discerpitur.

Vellejus. 2.2,3. Epitom. Liv. Vellejus Appian.

XXVII. His ita gestis, neque ullo jam obsistere audente, lex agraria continuo perfertur. Triumviri dividundis agris, colonisque deducendis, Tiberius ipse cum socero Ap. Claudio & C. fratre qui tum admodum juvenis ad Numantiam militabat, creantur. Neque enim quemquam sibi satis fidem extra Gracchi domum, commodisq; suis propensius faventem populus rebatur. Surrogatus etiam in locum Octavii tribunus plebis est, ex clientibus Gracchi, cujus ne nomẽ quidẽ satis constanter traditur, Q. Mucium aliis, aliis Minucium, aut Mummium tradentibus.

Triumviri dividundis agris.

Plutarch: Gracch. c.18. Orosius. 5.8. Appian.

XXVIII. Hæc victoria plebis animos vehementer sustulit, magnoque hominum concursu auctor tam gratæ legis, non tanquam unius oppidi, sed totius Italiæ conditor parensque, domum reductus est. At Senatus & Equites Romani, quibus ex ordinibus plerique agros hac lege amittebant, palam indignati, quibus poterant modis dolorem suum ulciscebantur. & ingressus curiam Tiberius, quum ex more *tabernaculum, divisuris agrum dari solitum* peteret, cum conviciis repulsam tulit; etiam in diurnum sumptum ex sententia P. Scipionis Nasicæ, haud amplius sestertios senos ei decreverunt.

Senatus & Equites oderunt Tiberiũ. Liv. Epitom. Plutarch.

XXIX. Nasica enim, quod magnum agrorum modum possidebat: moleste ferens, auctore Graccho expelli, ad suscipiendas cum eo inimicitias cupide proruperat. Tanto avidius inceptum persequutus juvenis, immensam multitudinem agros sperantium ab Urbe secum eduxit. Quo liberius iram & minas spirantes cæteri, negabant *impune laturum, qui sacrosancta potestate violata, tantam in Italia seditionum tempestatem excitatum iret*. Neque inanem periculi metum ei quum alia indicia fecerant, tum unius amicorum subito defuncti suspecta signa præferens corpus; concursuque quum efferretur facto, *hominem veneno interisse* creditum conclamatumque est, & *ob amicitiam Gracchi plebisque sublatum* interpretati, subierunt lectum, rogumque circumsteterunt.

Appian.

Amicus quidam Tiberii veneno sublatus.

Appian. Plutarch. c.19.

XXX. Atque erat haud multum aberrans à similitudine veri suspicio. namque disruptum in igne corpus, tantam vim humoris effudit, ut flammam exstingueret, neque iterum igne accenso uri potuit, donec alium in locum translatum, sic quoque ægre, cremaretur. Ea res occasionem Graccho dedit, magna divites invidia onerandi, qui mutata veste, productisque in forum liberis, *horum, matrisque suæ curam* populo commendabat, quandoquidem *his moribus intelligeret*

Unde timens Tiberius suos commendat populo.

vitam sibi minime tutam aut diuturnam fore.

Epitom. Liv. Aliam legem agrariam promulgat:

XXXI. Sic in dies magis magisque exacerbatis rebus, quum possessoribus ægre facere, & populum demereri summopere studeret, aliam promulgavit agrariam legem, qua majorem agri modum complecteretur, *ut iidem triumviri qui dividundis agris creati essent, qua publicus, qua privatus ager esset, judicarent.* Erat egenorum ingens in Urbe multitudo: & repetiti à possessoribus agri, quum ad offensam divitum satis valerent, necessitatibus speique plebis non sufficiebant.

Aliam item de Attali Regis pecunia. Auct. de Vir. illustr. in Gracch. Appian. Mithrid. Plutarch: Gracc. c. 20.

XXXII. Itaque jam utrobique malam inire gratiam Tiberius cœperat, quum alteri *nimium ademptum sibi*, alteri *parum datum* quererentur. Hic velut ipsa fortuna munus hoc offerente, avide arripuit occasionem ex Attali Pergameni testamento pauperibus gratificandi. Nam Asiæ Rex Attalus, cui ab amore matris cognomentum *Philometor* fuit, per eos dies hærede populo Romano decesserat. Igitur Tiberius legem se promulgaturum ostendit, qua *iis, qui Lege Sempronia agrum accipere deberent, pecunia quæ Regis Attali fuisset, divideretur. De urbibus autem quæ Attalo paruissent*, negabat *Senatum statuere posse, verum populi de iis cognitionem esse oportere.*

Livii Epitom. Plutarch. Q. Pompejus Tiberio minatur. Orosius. 5.

XXXIII. Id vero longe omnium gravissime Senatus tulit: neque umquam infensius aut plurium conviciis laceratus Tiberius est, præter alia quæ certatim ingerebantur, surgente Q. Pompejo, *accusationemque* minitante, *quamprimum magistratu Gracchus abivisset. Quod enim vicinus Gracchi esset, comperisse adseverabat, ex instrumento Regio eum diadema & purpuram, quasi Romæ regnaturum, ab Eudemo Pergameno accepisse.*

Q. Metellus Tiberium objurgat. Cic. Bruto. cap. 21. Festus in Saturnal. Plutarch.

XXXIV. Q. autem Metellus, (cujus in C. Fannii Annalibus exposita est oratio) exprobravit, *quod patre Tiberio Censore, quoties ille domum à cœna se conferret, extinguere lumina cives sint soliti, ne tanquam præter justum modum conviviis & vino indulgentes gravissimi viri opinione notarentur: ejusdem autem filio audacissimus quisque & egentissimus de plebe præluceret.* Sed acerbissima cum T. Annio Lusco contentio fuit, qui sponsione provocare Gracchum ausus est, *ni sacrosanctæ potestatis violatæ reus esset.*

Contentio Tiberis cum T. Annio. Epitom. Liv. Plutarch.

XXXV. Ibi multis adstrepentibus Tiberius in forum accurrens, convocata concione prehendi Annium jussit. Is ubi adductus esset, videretque accusatum se iri ab homine, cui neque facundiâ, neque gratiâ par esse posset, ad suas artes conversus, erat enim ut in dicendo minime copiosus, ita ad interrogandum acutissimus, petiit *ut pauca prius sciscitari liceret, quam concionari Gracchus inciperet:* neque abnuente illo, quum silentio ab omnibus audiretur: *quæro*, inquit, *Tiberi, siquidem à te exagitatus, quemlibet collegarum tuorum appellavero, isque auxilio mihi fuerit, ira commotus ei quoque magistratum abrogabis?*

Ad interrogationem Annii Tiberius obmutescit. Auct. de Vir. illustr. In Gracch. Plutarch.

XXXVI. Ad hanc interrogationem ferunt ita perturbatum esse hominem alioquin ad dicendum juxta audendumque paratissimum, ut prorsus obmutesceret, concionemque statim dimitteret. Inde haud obscure perspiciens, quantæ sibi invidiæ abrogata Octavio potestas esset; neque jam divites tantum, sed ipsam quoque plebem molestius ferre, magistratum ad eum usque diem inviolabilem habitum, novo prorsus exemplo imminutum esse; referre ratus, de jure Tribunorum, & quam non inique depulsus potestate Octavius esset, populum edoceri: hunc in modum pro concione disseruit.

XXXVII. *Intelligo, Quirites, passim in Urbe sermones adversos esse, quod abrogata M. Octavio lege mea potestas est. quæ res ad vestram potius quam meam accusationem pertinet: atque ideo qui privatus injurias contemnere quam ulcisci soleo, non possum pro meo erga plebem Romanam studio hac ejus contumelia non graviter commoveri. Ecquid enim esse caussæ potest, cur judicium ejus incusent, qui vestram scilicet vicem indignantur, uni Tribuno jus ademptum esse, homines, qui numquam illud natum, & nunc quoque, si qua possent, eversum exstinctumque modis omnibus mallent.*

Tiberii concio de jure tribunatus.

XXXVIII. *Non temere, neque festinanter tanta res acta est: atque utinam alia tuendæ plebis ratio fuisset! neque auctoribus istis tantum ille juvenis contumaciæ induisset, ut velut indicto sine missione certamine, aut illi cadendum, aut vobis pereundum esset! Nec ignari quid ageretur ad suffragia venistis; multa in ea caussa ultro citroque dicta sunt: quæ invidia est, si tandem utilior eademque justior sententia vicit? sed quia de utilitate minus dubitari video, quæ sese ultro ingerit, omnemque criminandi ansam evidentiâ commodorum amputat; quo jure factum sit, quamquam ignorare non deberent, qui legem sciverunt, tamen ut obviam eatur eorum astutiæ, qui spem suam omnem in animis vestris quacumque demum arte turbandis dissociandisque posuerunt, non modo quod factum est, quia factum est, finiendum; sed etiam, si res foret adhuc integra nunc quoque fuisse faciundum ajo.*

Utiliter juste que contendit Octavium remotum esse.

XXXIX. *Non est profecto, ut isti me doceant, sacrosanctam Tribunorum plebis potestatem esse: scio enim meminique, neq; vereri debent, ne aut ego obliviscar, aut quemquam oblivisci patiar: sed errat prorsus pueriliter, quicumque existimat, tantam illam reverentiam hominis esse, non populi, cujus ille commodis inservire debet, quoque fortius & securius id faciat, eam nempe ob rem inviolabilis & sacrosanctæ potestatis jure munitur. Sic utrimque veluti pacto quodam inter se devincti Tribunus populo fidem, populus Tribuno honorem præstat: ut tamen semper populi major habenda sit ratio, qui non propter Tribunum, sed propter quem Tribunus est.*

Tribunatus reverentiam non esse hominis, sed populi.

XL. *Quæ igitur major vel noxa noceri, vel injuria vobis inferri, Quirites, potest, quam si Tribuni potestas supra jus populi adeo extollitur; ut populi quidem voluntatem atque commoda negligere, quid negligere? ludificari, spernere, obterere Tribunus impune queat, populus de Tribuno statuere nequeat. Sacrosanctus enim est! certe. si conditioni quam accepit paret, si non solo nomine Tribunum, sed fide operaque præstat, sacrosanctus esto. at si hæc omnia pro nihilo habeat, sic quoque sacrosanctus erit?*

Tribunus quatenus sacrosanctus.

XLI. *Quid si quem in hac potestate furor invaserit, ut Capitolium diruere, navalia incendere velit, non coercebitur? ratio habebitur sacrosanctæ potestatis? Et tamen qui hoc auderet facinus, malus sane Tribunus, at tamen Tribunus foret. sed qui M. Octavii exemplo hoc ageret, ut deleret jus populi, vim eriperet tribubus, libertatem opprimeret; is ne quidem Tribunus jam esse posset plebis, quam hoc utique pacto funditus sustulisset. Quid autem stultius quam potestatem æqui juris tuendi caussa repertam, in tantum extollere, ut jam ipsis illis Consulibus, quorum nimiæ potentiæ opposita fuit, ipsis regibus major atque intolerabilior fiat?*

Tribunus plebis non est, qui plebem tollit.

XLII. *Consules in carcerem à Tribuno duci vidimus: exactum à majoribus nostris Regem scimus, eamque potestatem ob unius hominis delictum ex Urbe nostra sublatam esse, sub qua & cœperat Urbs ipsa & creverat. Quid autem jure*

Etiam Reges exactos esse ob delictum.

Regio, quod omnium & magistratuum, & sacerdotiorum religionem unum complectitur, reperiri potuit sanctius? Etiam Vestales, cujus sacerdotii vel præcipua apud nos veneratio est, quæ cærimoniarum sanctimoniam incestu polluunt, vivæ humantur. neque enim ratio erat, eum ipsis præstari honorem lædentibus deos, quem colendorum eorum gratia accepissent.

Liv. 28. 12. Plut. Tiber. cap. 22.

XLIII. *Ergone Reges nullo plebiscito Brutus exegit: à quolibet Tribuno in carcerem duci Consules jubentur: flagris cædi Vestales Pontificis jussu fas est: Tribuno quem aliquot tribuum suffragia dare magistratum potuerunt, eum universæ non poterunt abrogare? Egregios vero plebiculas, qui dum extulisse populi potestatem videri volunt, sustulere! Donaria diis dicata, transferri quoque populo visum est, nemo vetat, magistratu se abdicare homines, translatitium est: sive cærimoniam in Tribunis, sive honorem esse volumus, quidni voluntate populi hæc religio, ut alia consecrata moveri queat, & hæc potestas exemplo cæterarum abdicari?*

In cærimoniis & magistratibus populi voluntatem omnia posse.

XLIV. Hæc inter certamina quum æstas venisset, comitiis Tribunitiis instantibus, cura studiisque fervebant omnia. Quippe divites omni ope adnitebantur, ut quam infestissimi Graccho legibusque ejus Tribuni crearentur. ejus rei caussa quum palam coitiones fierent, amicos Tiberii metus incessit, ni continuata illi potestas foret. Ab his inductus, ut populi studia recentibus meritis sibi pignoraret, omnia miscere legibus promulgandis cœpit, minus jam boni decorisque publici, quam irarum & simultatis cum Senatu memor. nam & militibus stipendiorum minuebat tempora: & provocationem à judicibus ad populum dabat: & quum antiquitus ex Senatu lecti judices essent, legem judiciariam, quæ deinceps à Cajo fratre perlata est, ferebat, *ut Senatores equitesque Romani pari numero judicarent.*

Appian. Civil. lib. 1. Diodorus. apud Vales. Appian. Plutarch. Liv. Epitom. Val. Max. 3. 2. 17. Plutarch. Diodorus. Plutarch. Florus. 3. 17. Tiberius omnia miscet legibus promulgandis

XLV. Etiam Italicis populis, ne quid ad conciliandas modis omnibus vires intentatum sineret, civitatem Romanam pollicebatur. Circum hæc tempora nihil à Graccho prætermissum ferunt, quo miserabilior populo fieret. cum atra veste prodire in publicum, supplicare, flere, commendare matrem populo, commendare parvos liberos, eum etiam quem virilis sexus habebat, producecere ut conspectu ejus magis etiam animi commoverentur. Agebat autem non modo ut ipse Tribunus reficeretur, sed Cajo fratri eamdem potestatem, Appio socero Consulatum dari cupiebat. Hanc unam ad perpetranda cœpta viã rebatur.

Vellejus. 2. 2. Diodorus. Plutarch. Asellio apud Agell. 2. 13. Diodorus. Tribunatum sibi & fratri ambit.

XLVI. Nitebantur adversus hæc summa contentione locupletes, gratiaque & clientum studiis effecerant, ut in ferendis suffragiis quum vinci partem suam Gracchus animadverteret (plebis enim magna portio, intenta operi rustico aberat) commotus ira ac metu, jurgiis adversum collegas, *qui commoda plebis, ipsi divitum satellites sui quæstus caussa proderent,* tempus eximere; deinde dimittere tribus cogeretur, edicto, *ut postridie vellent adesse.* Tum digressus à Rostris, & per forum obambulans, supplici voce lachrymisque manantibus populo se commendavit; periculo quod illius utilitatibus serviendo subiisset, gravibus verbis exaggerato. quibus ita permovit homines, ut quum inter alia forte jecisset, *sibi ab insidiis inimicorum ne domi quidem suæ securam noctem fore,* magna pars plebis circum fores ejus custodiæ caussa pernoctaret.

Florus 3. 14. Plutarch. Appian. Plutarch.

Domi suæ custoditur à plebe.

XLVII. Ubi dies adfuit, postrema vitæ ejus futura, non jam magnitudine modo susce-

susceptі negotii, & imminentis certaminis obversante specie tardior, sed etiam prodigiis quæ adversa multa evenerant turbatus, quid capiendum consilii foret, addubitabat. Quum enim auspicia prima luce peteret, neque pulli ad pastum prodire voluerant, neque unus qui prodierat pasci, sed ala sinistra sublata, extensoque pede rursus in caveam refugerat. Sic aliud quoque recordatus omen, eo impensius cohorruit. quippe quum haberet galeam, qua solebat in prœliis uti, eximie comptam ornatamque, in eam clam omnibus irrepserant angues, ibique posuerant & excluserant ova: id tamquam fatale suæ familiæ prodigium timuit: quum & Graccho qui in Lucanis interfectus est, & patri suo Tiberio, paria serpentum omen interitus fecissent.

Turbatur prodigiis. Val. Maxim. 1. 4. 2. Plutarch. Val. Maxim. 1. 6. 8. & 4. 6. Plutarch.

XLVIII. Quia tamen *in Capitolio jam convenisse populum* nunciatum erat, spem suorum prodere non sustinens, domo profectus est. Ibi eum alia exceperunt terrueruntque portenta: nam in ipso statim egressu sinistrum pedem tanta vi impegit limini, ut pollicis ungue perfracto, sanguis per calceum emicaret. Neque longe processerat, quum in sinistro domus stillicidio corvos conspexit pugnantes; deinde in adversum ipsum occinentes, etiam fragmento tegulæ ante pedes ejus projecto. Id vero non ipsum modo Tiberium, sed totam illam, qua stipatus ibat, multitudinem conterruit: neque erat tam obfirmata mente quisquam, quin magnum aliquod instare malum ominaretur.

In Capitolium pergit. Jul. Obseq. Plut. 1. Val. Maxim. 1. 4. 2. Jul. Obseq. Plutarch.

XLIX. Unus C. Blosius, perpetuus Tiberio comes, & consiliorum socius, negabat *decorum fore, si Gracchi bis Consulis & Censoris filius, P. Africani nepos, idemque plebis Romanæ patronus, corvi metu deterritus esse dicatur, ne civibus tanto studio vocantibus se præberet*. & aderant eodem tempore frequentes, ab amicis nuncii, *properare jubentes, omnia qualia vellet reperturum*. *Hoc* inquiebat Blosius, *non tacitum tibi abire probrum inimici sinent, quin a te ludibrio haberi populum, regio more tempus tibi commodum operiente, vociferentur*.

Confirmatur à C. Blosio

L. Ita quum in Capitolium adscendisset, multo favore plebis exceptus est, cingentibus eum notissimis quibusque, quia periculum ab adversariis ei metuebant. Neque urgebant illi segnius, turbæ immixti: quamquam agniti sæpe repellerentur. Ita factum, ut iterum citante tribus Q. Mucio, nam is comitia, concedente Rubrio, cui ea sors evenerat, habebat; nihil jam rite atque ordine fieret, trudentibus invicem hominibus, & strepitu impellentium impulsorumque crebrescente. Dum hæc in Capitolio geruntur, Senatus in ædem Fidei à P. Mucio Scævola Consule vocatus, ut ex propinquo molitionibus tribunitiis resisteret, quid tali in tempore faciundum esset, consultabat.

Comitia turbulenta. Appianus. Civil. lib. 1. Val. Maxim. 3. 2. 17. P. Victor. de Regionib. Urbis. Val. Maxim.

LI. Plerisque omnibus placuerat, *ut Consul armis rempublicam tueretur* sed is ut erat animo leni ac tranquillitatis studioso, *quidquam se vi acturum* pernegabat. Ergo segnitiem ejus incusantes ceteri, *quando Rempublicam Consul timiditate proderet, alia capienda esse consilia* conclamantes, negotium suis dederunt, ut servos & clientes in armis haberent.

Senatus arma parat invito Consule.

LII. Id ex amicis Tiberii Fulvius Flaccus Senator renunciaturus accurrit in concionem, & ex superiore loco innuens manu, *esse de quibus certiorem Tiberium faceret* significabat. Vix jubente Tiberio permissus ad eum aditus est, cognitoque quid attulisset, qui proxime Tiberium stabant, præcingunt togas, frangunt apparitorum hastilia, denique ad vim repellendam quibus modis possunt se

Plutarch. Appianus. Appian. 1. 3. de Voce Hastil. An faxes An Virgæ?

Appianus. Plutarch. Ea recognita concio tumultuatur.

comparant, diffugiunt è comitio Tribuni ceteri: templum à sacerdotibus clauditur. Ea species commovit longius remotos, ut *quid ageretur*, cum trepidatione sciscitantes, omnia clamore tumultuque confunderent.

LIII. Ibi Tiberius, nam audiri non poterat, capitis instare discrimen indicans, admovit vertici manum. Hoc sic exceptum ab inimicis, tanquam diadema posceret: additumque, falso ut existumem, *palam dictitare eum, Senatu interempto omnia per plebem agi oportere*. Tum vero accensis omnibus, P. Scipio Nasica petit à Consule, *ut servet rempublicam, & tollat tyrannum*. Atque ille, *Video*, inquit, *Patres conscripti, plerosque magis ira, quam ratione permotos, egregium in Rempublicam animum, turbulentius agendo corrumpere.*

Flor. 3. 14. Auctor. de Vir. Illust. Val. Maxim. Plutarch. Consulis oratio in Senatu.

LIV. *Nam si de actionibus Tib. Gracchi quæritur, tam lenis profecto nemo erit, quin præfervidi spiritus juvenem, ad fæda & flagitiosa prolapsum fateatur. Sed ideo nimirum leges feruntur, mores servantur, & consilium publicum est, ut si quid peccatum in civitate fuerit, non impetu, qui plerumque cæcus est & improvidus, sed ratione & jure corrigatur. Interesse aliquid inter seditiosum tribunum, & populi Romani Senatum æquum est; ut in illo audacia repræhendatur: Curiam maturitas ornet, & numquam amica festinationi prudentia. Quod si subita nos indignatio præcipitet ad vindictam, quid deinde respondebimus caussæ nobis fuisse, cur Gracchum plecteremus? Allegabimus leges ab eo violatas, jura convulsa civitatis? neque enim aliud quidquam crimini dabimus.*

Jure agendum censet, non impetu.

LV. *Non igitur & quæ civem indemnatum necari vetant leges sunt: atque illæ tanto majori cum periculo perrumpentur, quanto chariores populo Romano sunt, qui suæ libertatis illa maxime præsidia esse arbitratur. Sed fac, deum aliquem promittere nobis impune futurum quod agimus: hoc igitur in Rempublicam introducemus exemplum, ut simul aliquid admissum esse à quopiam dicetur, is incognita caussa, inauditus, indemnatus opprimatur? Quid festinatione opus est, ubi contatoribus & consideratis esse licet? At vero Gracchum diadema poscere, Senatum tolli jubere dictitant. Oro vos, Patres Conscripti, quis vidit vestrûm? quis audivit? aut cui venire in mentem, dum sit adfectibus vacua, possit, quemquam haud extreme furiosum, nullis ad eam rem paratis præsidiis, hoc sedente consilio, hoc populo circumstante, tam avido libertatis, tam tenaci, tam etiam ab omni servitutis mentione & umbra abhorrentem, ea die claro, loco tam celebri postulaturum esse.*

Indemnatum necari nefas. M. Cat. 5. 16.

Calumniam de Graccho refellit.

LVI. *Scilicet inconditum hoc vulgus, & viatorum baculi rem tantam conficient: & hic, quemcunque tamdem videri fas est, homo certe non excors neque fatuus cogitabit? Certe, Scipio vir clarissimus patriæque amantissimus modo tolli eum continuo jubebat. Quod si integrum est facere, certe non ea potentia Gracchi est, ut periculum sit, ne Respublica per eum opprimatur. neque dubium, si possit armis opprimi, etiam ad caussam dicendam cogi, modisque aliis, quales jura civitatis patiuntur, coërceri posse.*

Scipionis Nasicæ sententiam refutat.

LVII. *Apud majores nostros multæ à Tribunis seditiones motæ sunt: nec umquam eo decursum, ut indicta caussa trucidarentur. Idcirco quod neque sapientissimis optimisque viris placuit, neque legibus permissum est, id ego me acturum nego. ceterum si quid contra leges Tiberius fecerit, id neque ratum*

Exempla majorum allegat.

habebo, & quod Senatus more ac lege censuerit: ita exsequar, ut omnes sentiant, Reipublicae diligentem, atque etiam fortem Consulem minime defuisse.

LVIII. His auditis, exsiliens Nasica, dextramque tollens, *quoniam*, inquit *Consul, dum juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, qui rempublicam salvam volunt, me sequuntur.* His dictis lacinia caput obvolens ibat, sequebatur optimatium agmen, togis sinistro brachio circumdatis, obvios quosque disjiciens: quippe dignitatem virorum reveriti homines non resistebant, sed qua quisque poterat, se proripientes, locum dabant ruentibus. At illi raptis subselliorum fragmentis, nam subsellia multa fugientis turbae impetus ruperat, Tiberium petebant: clientum mancipiorumque multitudine, cum sudibus & clavis, quas domo attulerant, comitante, jamque caede obviorum coepta, tanto intentius caeteri fugere. quum in turba Tiberius, quum jam comprehenderetur, dimissa toga tunicatus effuso cursu, per gradus, qui sunt super Calpurnium fornicem, abibat, nisi corporibus jacentium retinentibus, oppressus necatusque esset.

Nasica privatus Tiberium opprimit. Val. Maxim. Auctor. de Vir. illust. Velleius a. 2. Plutarch. Livii Epitom. Plutarch. Orosius 5. 9. Plutarch. Diod apud Valesf.

LIX. Haud equidem crediderim *Nasicae manu cecidisse*, quamquam traditum à quibusdam est, qui forte, quod oppressum à P. Scipione Tiberium compererant, ejus non consilio tantum & auctoritate, sed etiam vulnere patratam caedem esse putaverunt. Apud diligentiores invenio, quum ex prolapsione se attolleret, pede subsellii à P. Satureio occupatum esse: altera deinde plaga L. Rubrium gloriari solitum. ita à collegis suis interfectus est, neque Tribunitii juris sanctitas ei profuit, qui prior illud in M. Octavio videbatur violasse. Observatum sane est, nemini unquam, qui collegae magistratum abrogasset, vitam ad alterum annum duravisse.

Caedes Tiberii, & ejus auctor. Plutarch. Velleius. Plutarch.

LX. Hoc exitu seque & Rempublicam turbandi finem fecit juvenis, si pauca & postrema exceperis, innocentia vitae, claritudine ingenii, sanctitate propositi nemini postferendus. Occubuerunt cum eo homines amplius trecentis fustibus omnes & lapidibus interfecti, nam ferrum abfuerat modestiore paulo principio futuris cladibus praeludente discordia. Hactenus enim studiis tantum verbisque certatum in Urbe fuerat: ab illo primum exemplo, civilis sanguinis vilitas, & gladiorum impunitas coepit. Corpora sepultorum, adeo sepulturae quoque odium inviderat, in Tiberim projecta; ipsius Gracchi cadaver, ab Aedile Lucretio in flumen praecipitatum, cognomen familiae dedit, ut Vespillones vocarentur.

Tiberii Elogium. Appian. Civil. lib. 1. Velleius. Livii Epitom. Appianus. Auct. de Vir. illust. In Gracch. Plutarch.

LXI. Haec atrocitas, neque enim fratrem Caium *ut nocte sepelire liceret* supplicantem, audiverant suspicionem apud multos excitavit, non tam amore patriae, quamquam hic ubique praetexitur, quam odiis in Gracchum, & sui compendii gratia facinus hoc designatum à locupletibus esse. praesertim, quum numerus illorum qui juvenem tum stipabant, tribus millibus haud amplior, facile mitioribus coërceri remediis potuisset. Laborabat interim servili bello Respublica, quod vario eventu gerebatur: & qui civium suorum actiones tam hostiliter ulti erant, vicissim à mancipiis suis intoleranda patiebantur.

Corpus ejus fratri ad sepulturam petenti negatur. Appianus. Liv Epitom. Obseq. Diodorus. lib. 34. Orosius. Obseq. Orosius. 5. 9

LXII. Nam praeter fugatos caesosque in Sicilia exercitus, per Italiam quoque atque in ipsa Urbe trepidatum est: ubi jam centum quinquaginta servi conjuraverant. quorum indiciis (comprehensi enim punitique fuerant) quum passim

Serviles motus in Italia, & alibi.

per Italiam conjuratum esse patuisset, Q. Metello, Cn. Servilio Cæpioni datum negotium est, iique Sinuessæ ad quatuor milia servorum oppresserunt: etiam Minturnis quadringenti quinquaginta in crucem acti sunt. Manavit præterea in Asiam, in Græciam idem furor: & in metallis quidem Atheniensium ab Heraclito prætore, supra mille servorum occisi: in Delo quoque insula quum eadem molirentur, præventi à dominis, & supplicio adfecti sunt.

Diod. apud Valesium.

LXIII. Neque Macedonia malorum istorum exsors fuit, quàm late depopulavere servitia. Maxima tamen in Sicilia moles erat, ubi urbes excidebantur à fugitivis, cædebantur legiones, neque in pugnantes modo, sed atrocius in captivos sæviebatur: quorum manus non ad commissuras artuum, sed cum ipsis brachiis amputabantur. Sed ubi L. Piso Consul, nam is C. Fulvio successerat, exercitum accepit, severitate ducis emendata disciplina res in meliorem statum reduxit. Nam ille C. Titium equitum præfectum, quod multitudine Syrorum circumventus armis traditis salutem pactus fuerat, togæ laciniis abscisis, solutaque tunica, nudis pedibus, mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse jussit. præterea conviviis balneisq; prohibuit hominem & turmas equitum, quæ cum eo fuerant, ademptis equis in funditorum alas transcripsit.

Et maxime in Sicilia. Orosius. Diodorus. lib. 34. Diodor. apud Valesf. Orosius. Val. Maxim. 2. 8. 9 Frontin. Stratagem. 4. 1. Val. Maxim.

LXIV. Adfuit ergo, ut plerumque, severis imperiis fortuna: multisque locis bene gesta res, & magno ad Mamertinum oppidum prœlio, urbs liberata est: fugitivorum ad octo millia cæsi, quodque eorum capi potuerat, crucibus adfixum est. nam Mamertinos, qui soli servos suos humaniter habitos in officio continuerant, infestius oderant Syri; neque ipsis modo, sed etiam servis irati, à quibus sua caussa damnabatur, magno exercitu oppidum circumsederant. Tum quoque gravitas Consulis memorabili facto apparuit. quum enim pro concione donaret eos, quorum forti fidelique opera usus fuerat, & in his filium suum, egregiæ virtutis juvenem, præfatus *non oportere à magistratu de publico dari, quod in ipsius domum rediturum esset, titulum coronæ aureæ trium librarum filio*, dedit. *tantumque ponderis se testamento legaturum ei* dixit: *ut honorem à duce, pretium à parente haberet*. Hæc atque talia ob facta Frugi appellatus à populo, cum pulcherrimo cognomine memoriam virtutis & integritatis suæ posteris transmisit.

Vbi Piso Consul egregie se gerit. Val. Maxim. 3. 10. Orosius. 5. 6 Val. Maxim.

Plinius. 33. 2. f. Val. Maxim. Cic. pro Fonteio, cap. 13.

FINIS LIBRI LVIII.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri LIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

NUMANTINI fame coacti, ipsi se per vicem tradentes trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit, & de ea triumphavit, quartodecimo anno post Carthaginem deletam. P. Rupilius Consul in Sicilia cum fugitivis debellavit. Aristonicus Regis Eumenis filius, Asiam occupavit; quum testamento Attali Regis legata populo Romano, libera esse deberet. adversus eum P. Licinius Crassus Consul, quum idem Pontifex Maximus esset (quod nunquam antea factum erat) extra Italiam profectus, prælio victus & interemptus est. M. Perperna Consul victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius, Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe Censores facti, lustrum condiderunt. Censa sunt civium capita trecenta tredecim millia, octingenta viginti tria, præter pupillos & viduas. Q. Metellus Censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum caussa. extat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam in Senatu recitavit. C. Atinius Labeo Tribunus plebis Q. Metellum Censorem, à quo in Senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici jussit: quod ne fieret, cæteri Tribuni plebis auxilio fuerunt. Quum Carbo Tribunus plebis rogationem tulisset, ut eumdem Tribunum plebis quoties vellet, creari liceret; rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit. in qua dixit, Tib. Gracchum jure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum Syriæ, & Phraatem Parthorum Regem gesta. nec magis quieta res Ægypti referuntur. Ptolemæus Evergetes cognominatus, ob nimiam crudelitatem suis in visus, incensa à populo regia, clam in Cyprum profugit. & quum sorori ejus Cleopatræ, quam (filia ejus virgine per vim compressa, atque in matrimonium ducta) repudiaverat, Regnum à populo datum esset, infensus, filium quem ex illa habebat, Cypri occidit, caputque ejus, & manus, & pedes matri misit. Seditiones à triumviris Fulvio Flacco, & C. Graccho & C. Carbone, agro dividendo creatis, excitatę: quibus quum P. Scipio Africanus adversaretur, fortisque ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tamquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor: hinc maxime, quod soror esset Gracchorum; cum quibus simultas Africano fuerat. de morte tamen ejus nulla quæstio acta. eo defuncto, seditiones triumviralis acrius exarserunt. C. Sempronius Consul contra Japidas primo rem male gessit: mox victoria cladem acceptam emendavit; virtute D. Junii Bruti, ejus qui Lusitaniam subegerat.

Numantini premuntur à Scipione. Epitom. Liv. Orosius. 5. 7. Florus. 2. 18. Appian. Hispan.

PREMEBANTUR inter hæc à P. Scipione magis fame quàm armis Numantini; orantesque *aut pugnam & viris dignum exitum*, *aut tolerabiles libero populo conditiones*, neutrum impetraverant: neque donare certam victoriam volente Africano; neque sanguine suorum emere. Igitur quum ex oppido quinque principes ad eum missi essent, Abarusque legationis caput, non pro fortuna præsente, sed ex instituto veteri gentis magnifice loquutus, petivisset, *ut Scipio vir fortissimus, eiusdem indolis laudisque viros conservaret: atque in ejus jam esse* potestate dixisset, *ut vel deditione acciperet populum Numantinum, vel pugnando videret morientem*, nihil à Scipione responsum est, nisi *urbem gentemque cum armis dedi oportere*.

Desperatio Numantinorum.

II. Quo enim in statu res Numantinorum essent, non ratione tantum & conjectura, sed etiam indiciis captivorum cognoverat. Hoc ubi Numantiæ auditum, homines jam ante præ magnitudine calamitatum diis omnibusque infensi, tum vero ad ultimam desperationis rabiem versi, quum non amplius incolumitatem, sed ex vindicta mortis solatium quærerent, legatos per iram, & quia forte de sua salute privatim pactos credebant, interficiunt, erumpendi consilium, licet aliquoties infeliciter experti, resumunt, si nihil aliud, maturiorem vitæ exitum, unicum malorum finem reperturi. (Florus. Orosius.)

Eorum eruptio.

III. Erat adhuc aliquantum in urbe factitii vini, *Celiam* vocari diximus, eo diviso quum paulum renovassent vires, duabus portis erumpunt. Concurritur subito ab omni parte, quemadmodum Imperator diu ante providerat, & vim ad opera facientibus strenue resistitur. Sed illi quum audacissime prœliarentur, utpote qui non timerent mortem, sed quærerent; difficilem Romano licet rebus omnibus tanto superiori victoriam effecerunt. Tandem in urbem servatis ordinibus, nec fugientium in speciem redeunt: fortissimis suorum atque plurimis desideratis: quorum corpora, quum ad sepulturam offerrentur, accipere noluerunt: nulla jam cura aut religione tumulorum, quos & ipsos paulo post cernebant in arbitrio hostium fore. neque in urbe defuncti humabantur vulgo; sed consumptis omnibus quibus ali humana corpora solent, ut non pomum, non pecus, non herbam ullam reperire esset, carnes humanæ minutatim concisæ in cibum vertebantur. unde tanta vultuum morumque feritas facta, ut non modo aspectu diro, situque corporum squalore & pilis horrentium belluas referrent, sed etiam alios alii devorandos occiderent. neque jam ægros tantum, quod fiebat vulgo, verum etiam fastidio morbidæ carnis sani appetebantur, & infirmiorem quemque, qui plus viribus poterat, tamquam pecudem mactabat. (Orosius. Florus. Florus. Appianus.)

Fames horribilis. Petron.

IV. Quin & urbe capta visas esse matres, quæ semesa liberorum corpora tenerent in sinu, proditum est. Non deerant tamen, qui adhuc de vita cum libertate servanda cogitarent, adeo ne in ipsa quidem desperatione humanum ingenium se deserit. porro id quoque vanum ipsis consilium fuit. Placuerat tentare fugam, ut pro se quisque perrumpendi locum quæreret. Sed uxoribus eorum intellectum ruptumque propositum est, quæ nolentes relinqui, cingula equorum sciderunt. Tum demum permisere se victori, à quo *arma certum in locum comportare*, *ipsi postridie convenire*, *ubi esset imperatum*, jussi *prorogari diem* petierunt *intra quam*, *qui superstites esse libertati nollent*, *arbitrio suo morerentur*. (Florus. Appianus.)

V. Neque enim idem mortis genus omnes optaverunt: sed erant qui præfixis ædium suarum foribus, fame qua cœperant, mortmallent. Rhetogenes, de cujus virtute supra diximus, vicum suum, qui erat tota urbe pulcherrimus, incendit, gladioque in medio posito dimicare jussit binos. victus incisa cervice conjiciebatur in flammam. sic absumptis omnibus ipse postremus ultro se immisit incendio. Biduum pereuntibus datum. tertio die convenerunt prædicto loco qui supererant, fœdum spectaculum, monstris quam hominibus similiores formæ, tetri, horridi, olentes, quippe qui à longo tempore corporis omni cultu carverant. Sævumque & horribile intuebantur, animos ira malisque & inhumani alimenti conscientia efferatos ipso adspectu prodente.

Numanti norum plerique sibi consciscunt necem. Frontin. Stratag. 4. 5 f. Appianus.

VI. Quinquaginta sunt delecti, ut in triumpho ducerentur, cæteri sub corona venditi. urbs Imperatoris jussu deleta. Hæc tradentibus, quod similiora vero videbantur, credendum existimavi: licet nonnulli scriptores, quibus Hispaniensis origo est, rem per se atrocem magis etiam exaggerando, negent *unum virum Numantinum devenisse in potestatem victoris: sed omnibus voluntaria morte consumptis; urbe ab ipsis incensa; neque duci in triumphum, neque ferri quidquam potuisse*. Cæterum ubi Romam hæc victoria nunciata est, decretis, quæ secundis rebus solent, etiam legati decem lecti, quorum de sententia P. Scipio & D. Brutus, hic ulteriorem Hispaniam, ille citeriorem, ordinarent.

Numantia deletur. Liv. Epitom. Florus. Oros. Appianus. Orosius.

VII. Eo tempore, quum Celtiberiam objens Scipio, quemdam ex principibus Tiresum nomine interrogasset, *quibus maxime caussis factum esse putaret, ut & tamdiu resisteret Numantia, & postremo victa succumberet?* responsum ab illo ferunt; *concordiam saluti, discordiam exitio fuisse*. eoque dicto magnopere & Scipionis & legatorum fuisse commotos animos, velut ad omen domesticæ calamitatis horrentium: quia tum recens ingenti seditione Roma laboraverat. Eam seditionem adeo aversatus Africanus erat, ut accepto Tiberianæ necis nuncio nihil motus, quod sororis suæ filium, eumdemque uxoris fratrem amiserat, Græci poetæ versu, cuilibet talia moventi, similem exitum imprecaretur.

Concordiæ & discordiæ vires. Plutarch. Graccho cap. 30.

VIII. Interea Consularibus comitiis, quum Ap. Claudius hoc rerum statu parum validus esset, P. Popillius C. F. P. N. Lænas Consul factus est. datus ei Collega P. Rupilius P. F. P. N. magnis Africani studiis productus. His datum ab Senatu negotium est, in seditionis Gracchanæ satellites more majorum animadvertendi. In ea cognione acerbior, pro familiæ suæ vehementia fuisse P. Popillius fertur, qui collega ad expeditionem Siculam se parante, deinde profecto, quæstionem ferme solus exercuit. Ergo quibusdam amicorum Gracchi inauditis indefensisque exsilium esse jussum tradunt: alios à carnifice necatos. Inter quos C. Villii supplicium insigni fœditate fuit: quem in vas quoddam serpentibus atque viperis repletum conjecerunt.

A. V. C. 621. In socios Tiberii crudeliter animadvertitur. Frag. Capitol. Cicer. Lælio cap. 20. Valer. Max. 4. 7. 1. Plutarch. cap. 28. Cic. Lælio cap. 11.

IX. Sed non minus miraculo hominibus quam indignationi C. Blosii pertinacia fuit, qui ad Lælium (nam & hic consulibus in consilio aderat) deprecatum quum venisset, *amicitiæ*que adferret excusationem, *per quam nihil negare Tiberio potuisset*; quærenti Lælio, *quid si Capitolium jussisset incendere, parvisset?* respondit, *hoc quidem Gracchum imperaturum non fuisse*. Urgenti autem, dicentique, *at si imperasset, fecissem*, inquit...

C. Blosii pertinacia.

Val. Maxim. Cic. Plutarch. Val. Maxim. 7. 2. 6. Plutarch. Legem agrariam mitigandam plebi ratam habet Senatus.

X. Sed ille quidem ad hostes fuga elapsus, & crimen suum & dictum in præsentia impunitum habuit. Sed ut tristitia temporum aliquo opportuno remedio leniretur, legem agrariam ratam Senatus habuit: auctorque populo factus est, alterius in Gracchi locum triumviri creandi. creatus est P. Crassus cujus filiam Liciniam in matrimonio C. Gracchi fuisse multi tradiderunt: quum Cornelius Nepos Bruti Callaici generum eum facit. Neque tamen in patres mitigata hominum ira est, præcipuo Nasicæ odio, quod Tribunum plebis delicias populi, juvenem egregium, eumdemque adfinem suum interemisset. nam in connubio Nasicæ Gracchorum matertera egerat.

Polyb. apud Vales. Cic. Lælio. cap 12. Auct. de Vir. Illustr. Nasica per speciem legationis emittitur ex urbe.

XI. Quum appareret, vindictæ tempus & occasionem quæri, non aliter servari posse visus est, quam si per speciem legationis aliquo emitteretur. Commodum Asiæ res postulare magna auctoritate virum videbantur: quas post Philometoris Attali mortem, audacia cujusdam Aristonici turbaverat. Sed ejus negotii caussas originemque plenius exponi res desiderat: quia tum Pergamenorum in Asia Regum opes extinctæ, Regnumque eorum Romana provincia facta.

Pergamenorum Regum successiones. Polybius. Strab. lib. 13.

XII. Eumenes Attalo conditore regni genitus, multiplicatam à se potentiam Attalo fratri reliquerat, tutelamque filii, cui & ipsi nomen Attalus fuit. Sub hoc quoque non conservatum modo egregie Regnum est, verum etiam opibus & gloria crevit. Sed junior Attalus, qui post annos viginti Regiam potestatem adhuc penes patruum esse dolebat, ad jus suum scelere patefecit aditum: veneno senem interemisse creditus. Neque justior in administrando Regno fuit, quam in quærendo fuerat.

Postremi Attali mors & fortuna. Diodor. apud Valesium.

XIII. Unde sicuti majorum suorum mores minime imitabatur, ita neque felicitatem illorum, neque ætatem consequi potuit. Nam illis eximia humanitas, mirus populi amor, etiam apud externos pace belloque plurimum auctoritatis: præterea diuturnum regnandi tempus contigerat. Hunc sævientem in amicos, quorum etiam conjuges & genus totum solebat tollere: non suorum modo, sed etiam vicinorum, ingens odium excepit. Cujus dolore magis etiam efferatus, postremo in eam intemperiem incidit, ut vix compos mentis haberetur.

Justin. 36. 4. 2. Strabo. Justin. Eusebius. Plutarch. Tiber. cap. 20. Florus 2. 20 Is herede populo Romano moritur.

XIV. Hic igitur, post quintum regni annum, dum matris sepulchrum suarum manuum operibus ornat, morbo ex fervore solis contracto, septimum intra diem obierat, testamento condito, quo populum Romanum heredem faciebat. Id ab Eudemo Pergameno quum perlatum in Urbem esset, *adiri hereditatem oportere* Senatus censuit: missique haud cunctanter, qui populi nomine possiderent. Omnis, ut opinor, publici status mutatio periculi plena est: & ubi res ad externos deferuntur, magis. quorum odio aut contemptu popularium animos haud difficulter implent, quicumque quamlibet ob caussam recentibus dominis iniquiores sunt.

Liv. Epitom. Sed Aristonicus Regnum sibi vindicat. Acron. ad Horat. Carm. 2. 18.

XV. Igitur licet ad comparanda civitatum studia, nomen ostentatum libertatis esset; deleri tamen invidia non potuit, quod nullo ad eam diem exemplo, ignotus heres præscriptione testamenti Regnum alienum occuparet. Hæc haudquaquam segnis observabat, Aristonicus, quem mater Ephesia citharœdi cujusdam filia, *susceptum ex Eumene Rege* dictitabat. is igitur quum

e ve-

se verum Regni hæredem, & contra prædones vindicem ferret, urbes imperio Regum adsuetas solicitare adgressus, principium spei conatuumque Leucas habuit: quod oppidum situ, quam magnitudine aut potentia robustius, Tachos Persa, Phocæam inter Smyrnamque in rupe mari imminente posuerat; quo tempore Regis Artaxerxis obsequio projecto, proprias in Asia opes stabilire satagebat. Florus. Strab. lib. 14. Diod. 15 18.

XVI. Occupatione Leucarum quum patefacta Aristonici consilia essent, varie commotis animis, tamen apud plerosque Romani nominis timor, Regiique testamenti auctoritas valebat: etiam multi qui Romanos gravabantur dominos, Aristonicum nolebant, aut mentientem Regium genus, aut maternæ originis fœdantem sordibus. Igitur passim in conciliis fremebant principes, *quid sibi cum hoc juvene esset, quem ne ii quidem, à quibus se diceret ortum, agnovissent? Nam ab Eumene fuisse præteritum, & duos deinceps Attalos nullam ejus rationem habuisse: postremum etiam, velut haud dubie extincta Regia domo, populum Romanum hæredem instituisse.* Sed illum plures respuunt.

XVII. *Tantis præjudiciis prementibus, ne quidem si potentiam tantis cogitationibus parem habuisset, Regem adsciscendum honesta & justa sequentibus. multo minus habendum cum periculo, qui etiamsi tutos præstare omnes posset, non sine pudore haberetur. Eam esse conditionem Asiæ, ut ubertate soli & humanitate incolentium plus aliquanto divitiis, & pacis artibus, quam armorum studio valeat. Vicinos autem habere feroces & ad bella prædamve semper paratos. Hinc Gallogræcos accolere, à prima statim origine transmissa disciplina prædones. inde Bithynos & Cappadoces esse Reges, numquam non limis contuentes Asiam, & invasuros quamprimum occasio placuisset.* Quod jure & potentia esset inferior.

XVIII. *Quid si jam Romanos sibi hostes Aristonicus conciliet, jure potiores, armis intolerandos? quis enim credat Asiam neglecturos, pulcherrimam partem terrarum, & præcipuæ opulentiæ, quum præsertim Macedoniæ Regnum teneant, in Græciam mittant Prætores, pro cujus libertate arma se adversus Philippum, arma adversus Antiochum sumpsisse, erant gloriati. Jam Eumene vivo, sæpe in Senatu jactatum, quid ita florentissimas provincias unius hominis modico ante Regno adjecissent.* Neque Romanos ad laturos.

XIX. *Pudor tamen, & regnante mox Attalo amicitiæ quas potentes multasque habebat, continuere cupidas manus: sed obsequio, sumptibusque immensis & & summâ contumeliarum patientiâ fuit emenda securitas. Nunc autem ubi notæ hominum avaritiæ & ambitioni testamentum novissimi Regis obtentui, & immensa potentia ad manus est, ecquis ambigat, parvo post tempore pedestres equestresque Romanorum copias, validamque præterea classem in media Asia fore. Meminerint igitur, quicumque de jure Aristonici disceptant; se eadem opera de bello Romano decernere.* Avaros, ambitiosos, testamento & armis mixtos.

XX. *Illud sane timuerent, quos neque maximi olim Reges, Philippus Antiochusque domiti, neque tot à Romanis subactæ gentes, ne recentia quidem exempla moveant; notis Asdrubalis, notis Critolai, Diæique nuper eventibus, qui istud incendium belli Romani suæ quisque domi excitasset, donec Punicum imperium, & Achaica libertas concideret, pulcherrimaque & maximæ urbium Corinthus & Carthago delerentur.* Hi multorum ubique sermones erant: sed Ephesii, primaria Asiæ civitas, vires etiam ad verba adferebant. horum præ- Ephesii Aristonicum vincunt. Strab. lib. 13.

Servile bellum in Sicilia.

Sed ille reparat vires cum successu. Diodorus. apud Valesf. Strabo. Justin. Strab. lib. 13. Strab. lib. 14.

cipuæ opibus educta classis, Aristonicum occurrere haud procul Cumis ausum, navali pugna profligavit, Leucasque recepit.

XXI. At ille in mediterranea delatus, quum rebus semel motis, nullum nisi in audacia præsidium esset, egenis servisque concitatis, majores quam amiserat, copias brevi contraxit. Nam & iis locis dominorum asperitas tædium servitutis, & finiendæ quovis modo cupiditatem injecerat. His quoque novum nomen impositum. *Heliopolitæ* appellati. Cum his Aristonicus multa adversus civitates secunda prœlia fecit, occupatisque fraude Thyatiris, mox Apollonidem Pergamo proximam, cum aliis aliquot oppidis in potestatem redegit. tantumque fortunæ favorem expertus est, ut quamquam civitatibus Bithyniæ & Cappadociæ Reges suppetias mitterent, nobilissimis urbibus Myndo, Samo, Colophone vi receptis, justus jam Asiæ Rex esse videretur.

Florus 2.20. Justin. Plutarch Tib. Grace c. 28. Strabo. Plutarch. Auct. de Vir. illust. Val. Maxim. 1. 1. 1. Cicer. in Verrem 4. & 9. Liv. Epitom. Legatio Senatus in Asiam.

XXII. Quapropter & præsenti successu elatus, & Romanos internis discordiis laborantes contemnens (nam & Blosius Cumanus ex Urbe profugus spes ejus exaggeraverat) magna cum fiducia non occupata modo retinebat, sed & plura quotidie adjiciebat ante partis. Placuit ergo legatos quinque mitti, qui res Asiæ, quantum auctoritate consilioque, & sociorum viribus posset, componerent. Princeps legationis ejus P. Scipio Nasica fuit: quo civium invidiæ subduceretur. Etiam in Siciliam decreta est legatio, quod ob tumultum Gracchanum inspectis Sibyllinis carminibus, *vetustissimam Cererem placandam esse* Decemviri retulerãt.

XXIII. Igitur quamquam in Urbe templum ejus deæ magnificentissimum esset; *Ennam mittendum* censuerunt Patres: *ubi & nata esse, frugesque primum reperisse* credebatur. Sed hactenus eo per fugitivorum arma penetrari nequivErat: tum, ut posset, victoria P. Rupilii Consulis erat effectum. Nam ille magna cura complexus bellum, facile præclaram spem sociis, terroremque fugitivis injecit: quum & in reliqua omni administratione severum intentumque ducem ageret; generum quoque suum Q. Fabium, quod ejus negligentia Tauromenitanam arcem amissam cognoverat, provincia decedere coëgisset.

P. Rupilius servos in Sicilia vincit. Val. Maxim. 2. 7. 3.

Tauromenium obsidet. Diodorus. lib. 34. Val. Maxim 6. 9. 8. Diodorus.

XXIV. Erant multa fugitivorum præsidia, sed omnis eorum potentia maxime constabat duarum urbium viribus, Ennæ & Tauromenii: quas si recipere potuisset pro confecto sibi bellum futurum Imperator haud injuria existimabat. Prior obsidio Tauromenitana fuit: quam urbem acerrime oppugnatam, ante tamen capere non potuit, quam diram ad famem obsessos adegisset. Neque erat hoc difficile classem habenti: qua mercatores aut etiam prædones lucri caussa frumentum importaturos submoveret. Igitur obsessi nullam in victoris clementia sibi spem esse reponendam certi, necessitatem præsentem uti poterant sustinebant, non liberorum corporibus, non uxorum abstinente famis rabie; postremo se quoque invicem lacerantes.

Eo eo recepto, Ennam. Orosius 5. 9. Diodorus. Florus 3. 19. Orosius. Diodorus.

XXV. Cleonis ibi frater nomine Comanus præerãt. qui fugam ex urbe circumsessa molitus, incidit in vigilum manus, & in custodiam traditus est: donec proditione Sarapionis cujusdam arce capta, fugitivos, quotquot reperti sunt, excruciatos Consul in præceps jaci jussit. Tauromenio recepto, Ennam processit: parique conatu obsidionem urgens, ibi quoque rerum ad vitam necessariarum ingentem penuriam brevi effecit.

Enna traditur.

XXVI. Magnæ enim fugitivorum copiæ inerant: adeoque hic & Taurome-

nii ad viginti eorum millia esse interfecta produntur. Ad Ennam semel eruptione magnis viribus certatum est, Cleone cum delectis suorum urbe egresso: qui etiam fortissime prœliatus, tamen in potestatem hostium venit. neque multo post ex vulneribus obiit. Hoc quoque spectaculum, nam cognoscendum obsessis corpus Consul objecerat, animos eorum fregit: & reperti sunt, qui privatæ salutis pactione traderent urbem, natura atque opere ita permunitam, ut armis inexpugnabilis haberetur.

Florus. Cic. in Verrem. 4. 49. Cic. in Verrem. 4. 50.

XXVII. Eunus præstigiator, idemque Rex imaginarius, dum urbs capitur, cum sexcentis ferme stipatoribus in loca prærupta effugit. cæteri comprehensi catenisque religati sunt, ut servili supplicio crucis consumerentur. His Romæ auditis, delecti ex collegio Decemvirorum in Siciliam venerunt, sacrisque Ennensi Cereri factis, cujus simulacrum antiquissimum ne fugitivi quidem & barbari violaverant: universam deinde insulam obiverunt, ut aras Ætnæo Jovi dicatas, postquam ad eas sacrificassent, circumdatis maceriis clauderent, interdicto aditu, nisi quibus ad eas aras publica & solemnia sacra essent. Hoc anno duo triumphi celebres ex Hispania ducti. de Gallæcis & Lusitanis D. Brutus, de Numantinis P. Scipio Africanus triumpharunt.

D. Brutus, P. Scipio triumphant. Diod. ap. Val. Eutropius. lib. 4. Plutarch. Tiber. Gracc. cap. 29. Vellejus. 2. 5. Ovid. Fast. 2. 5. 96.

XXVIII. Utrique Imperatori à devictis gentibus vocabulum inditum: Brutus *Callaici* cognomentum retinuit; in Scipione majoris gloriæ appellatio, *Numantini* nomen, quamquam usurpari cœptum, obsolescit. De manubiis templum Brutus Callaicus struxit, aditum L. Accii poetæ familiaris sui carminibus exornavit. Scipionis triumphus priori quidem, quem annos ante quatuordecim egerat, uti haud multo inferior gloriâ, ita specie ornamentisque minime comparandus fuit. Pauci ante currum Numantini ducti: militibus argenti septemdecim millia pondo distributa: iique tam exiguo fuere contenti.

L. Accius poeta. Petrus Victor de Reg. Urb. & al. Maxim. 8. 14. 2. Cic. Bruto. cap. 28. & pro Archia Poet. Cic. Som. Scip.

XXIX. Hispania Siciliaque fere perpacatis, nulla de rebus externis magna Senatui cura, præterquam de Asia, & bello Aristonici fuit. Nam & P. Nasica,

Nasica moritur. Appian. Hispanic. Plin. 33. 11. 3. Urb. cond. an. 622.



Contentio Consulum de provincia Asiæ. Plutarch. Tiber. cap. 20. Cic. Flacco. 13. Val. Maxim. 5. 5. 2. Frag. Capitol. Cic. Philipp. 11. 9.

quum aliquandiu per Asiæ civitates oberrasset, facto functus Pergami fuerat. Igitur quum de provinciis novi Consules, P. Licinius P. F. P. N. Crassus, L. Valerius C. F. P. N. Flaccus retulissent atque uterque habere Asiam vellent, magna contentione res acta est. Pontifex Maximus Crassus erat, nuper in P. Nasicæ locum factus: ideo collegæ mulctam dixit, si à sacris discessisset: erat enim flaminio Martiali præditus. Neque finis certaminum factus, donec ad popu-

lum ferri placuit, quem id bellum gerere juberet.

P. Crassi auctoritas.

XXX. Nam & de Crasso dubitabatur, ne Pontificem Maximum abire ex Italia contra religiones foret: dictaque sententiæ erant, *ut potius Proconsul aliquis mitteretur, quum præsertim nuper clarissimi essent imperatores ex provinciis reversi*. Populus remissa Flamini mulcta, *dicto* tamen *audientem Pontifici esse* jussit: privatum ei bello præfici non placuit, duasque tantum tribus quum Africanus tulisset, Consuli P. Licinio provincia decreta est.

Et profectio in Asiam. Sempron. Asellio apud Agelli. 1. 13. Orosius. 5. 10. Val. Maxim. 8. 7. 6. Historia Miscell. 4. 25. Val. Maxim. Justin. 38. 1. 2. Eutropius.

XXXI. Magna enim ejus auctoritas, magnaque in vulgus veneratio fuit: quod opes ac genus eloquentiæ jurisque studio perornasset. Profectus igitur cum instructissimo exercitu, quia sibi magno usui futuram esse sociorum benevolentiam cernebat, neque gratius quidquam vulgo, quam suo quemque sermone compellari, Græcæ linguæ tantum impendit operæ, ut quinque illa genera in quæ distinguitur, penitus perdisceret: proque tribunali, qua quisque dialecto postulasset, eadem decreta redderet. idque ei plurimum ad sociorum amorem profuit. Maximis igitur adjutus auxiliis. nam & à vicinis Regibus, Mithridate Ponti, Ariarathe Cappadoce, Nicomede Bithyno, itemque Paphlagone Pylæmene missæ copiæ fuerant, bellum impigre orsus est: nec minori in eo severitate usus, quam aliis in negotiis lenitatem prætulerat.

Ejusdem severitas. Sempron. Asell. Vide Lipsium Epistolarum c. 1. 30. Forte Myliasensium (aut) Eleatensium.

XXXII. Unum ejus factum memorabo, unde, qualis in cætero imperio fuerit, promptum sit cognoscere. Leucas, id enim oppidum Aristonicus prosperiore fortuna usus receperat, quum oppugnare pararet, scripsit ad magistrum architectum Eleatensium, qui eo bello socii amicique populi Romani erant, *ut, ex malis duobus, quos apud eos vidisset, majorem mitteret*. Magister cognito, arietem ex eo malo fieri oportere, minorem quem ei instituto commodiorem judicabat, misit.

Censore duo ne plebe primum creati. August. de Civit. 1. 1ca Liv. Epito. ne

XXXIII. Vocatum igitur, frustraque excusantem, quod *obsequium ab ipso, non consilium petitum fuisse* Consul diceret, nudari, virgisque multum cædi jussit. Cæterum nulla ad memoriam satis insigni re, pro tanta exspectatione, gesta, annus ille præteriit. Nam & Aristonici magnæ vires erant, non ex Asia tantum: sed etiam Thracum & Achajæ studiis auxiliisque utebatur. In Urbe Q. Cæcilius Macedonicus, Q. Pompejus A. F. Censores creati, tum primum exemplo dato, Censorem utrumque de plebe creandi. quum à C. Marcio, qui primus è plebe fuit, per annos ducentos viginti, semper patricius alter creatus esset.

Carbo Tribunus Tiberii mortem deplorat. Cic. de Orat. 2. 40. Liv. Epitom. Cic. pro Milon. cap. 36. & de Orat. 2. 30. Val. Maxim. 6. 2. 3.

XXXIV. Negligentia prisci moris id factum, an ut hoc quoque modo populi nondum placatos ob interitum Gracchi animos nobilitas mitigaret, non traditur. Suspiciones certe eo anno, & tantum non motus atroces fuerunt; incitantibus maxime plebem triumviris agro dividundo, & C. Papirio Carbone Tribuno plebis, qui sæpe Tib. Gracchi mortem deplorando, semel etiam quum de reficiendis Tribunis ferret, P. Africanum in concionem productum interrogavit, *quid de nece Tiberii sentiret?* ejus enim viri vocem, quæ proposito suo plurimum additura momenti esset, expectabat: quia ob affinitatem, & populi præsens studium, putabat pro Gracchi caussa loquuturum esse.

Scipionis gravitas et constantia. Livii Epitom. Plutarch. Tib. Gracch. c. 49.

XXXV. At Scipio nihil à solita magnitudine animi deflectens, *jure cæsum videri* respondit. Tum primum obstrepere & acclamare populus cœpit, qui summo hactenus opere virum coluerat. Nec ipse cessit, rerum gestarum conscientia præ-

fidens, quin silentium indignanti imponeret populo, convicium quoque præcepto addens: *Taceant*, inquit, *quorum noverca est Italia.* Orto deinde murmure, *Non efficietis*, ait, *ut solutos timeam, quos vinctos adduxi.* tantusque omnium mentes adspectu ac oratione gravissimi viri stupor invasit, ut omnis concio repente conticeret.

Auct. de Vir. Illustr. Vellejus 2.4. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 26. Val. Max.

XXXVI. Ab eo tamen tempore relanguit, quam ante obtinuerat, populi benevolentia: remque potius eam salutarem L. Aurelio Cottæ fuisse putem, ut accusante P. Africano absolveretur: quam quod dictitasse quosdam supra tradidimus, eximiam accusatoris dignitatem reo profuisse. Turbulentum hoc Tribunitiis actionibus tempus fuit. Q. Carbo perlata lege, qua *tabellam ad jubendas vetandasve leges* populo dabat, majora orsus, rogationem *de iisdem Tribunis plebis quoties populo videretur reficiendis*, promulgavit.

Carbonis actiones turbulentæ. Cic. divin. in Verrem. c. 21. Cic. pro Murena cap. 28.

XXXVII. Non erat obscurum, quibus consiliis via hoc principio muniretur: igitur principes civitatis dissuaserunt legem, C. Lælius, & gravissima oratione P. Africanus. Itaque lex tam popularis, suffragiis populi repudiata est, licet disertissimi gratiosissimique homines in diversum niterentur. nam & ipsius Tribuni blanda cum re, tum facundiæ viribus erat oratio, & C. Gracchus temporum eorum uberrimus orator, plebique longe acceptissimus, legem diligenter magnaque animi atque etiam doloris contentione suadebat, his ferme verbis usus.

Val. Maxim. 8. 1. 11. Cic. de legib. 3. 16. Liv. Epitom. Cic. Lælio 25. Liv. Epitom. Macrob. Saturn. 3. 14. Cicero.

XXXVIII. *Si fieri posset, Quirites, ut majores vestri, qui tam necessariam libertati potestatem, veluti per manus ad hæc tempora transmiserunt, præsentibus comitiis interessent, ante omnia, credo, mirarentur, ecquid opus esset ferri, ut populo faciundi, quod vellet, jus esset: quum omnia civilia jura non aliunde, quam à voluntate populi proficiscantur, cujus summum in civitate jus est. Deinde si quis doceret hoc ideo agi, quod legibus aut moribus aliis uteremur, tamen vix intelligerent, quemadmodum aut plebiscito populi jus abrogari, aut obliterari consuetudine posset: Quin remotis his ludibriis, agi de utilitate publica juberent, ut tandem explosa iniqua & contumeliosa inquisitione quantum decerni à populo posset, id potius requireretur quantum oporteret.*

C. Gracchus legem de reficiendis Tribunis suadet. Cic Brut. c. 27. Cic. Brut. c. 33. Plutarch. C. Graccho c. 1. Liv. Epit. Sosipater Charisius. Liv. Epitom. Diod. lib. 34.

XXXIX. *In hac autem consultatione, utrumne potius ad illos respicietis, Quirites, quibus vestras miserias lætitiæ, & libertatem dolori esse cognovistis: an vero valere jussis invidis, vestra commoda ponetis ob oculos, vobisque consuletis. Totum hoc quod in præsentia agimus, populare est. Tribunorum enim plebis creandorum quod jus quemque morem esse oporteat, quæritur. quam potestatem non utique Senatus introduxit in Rempublicam: res quum per se æquissima, tum ad tuendam vestram libertatem pernecessaria, secessione plebis & contentione summa extorqueri debuit. Eam igitur nos & retinere & ornare ex vestra potius voluntate æquum est; quam eorum, qui hanc aut nunquam natam, aut certe quantocyus abolitam, cum omnibus qui hanc defendant, cupiunt.*

Populum ad suam utilitatem respicere jubet. Plebis esse constituere Tribunos, cujus & à qua sit ipse Tribunatus.

XL. *Quid vero ad hos attinet, quos vobis Tribunos, quum vestra sint comitia, & quoties præficiatis? sed præclari illi, si diis placet, juris publici custodes, eumdem Tribunum plebis refici fas esse negant: & C. Papirio rogationem eam ferenti obstrigillant. An igitur rem novam fert Papirius, an quod antiquitus observatum, semper licitum fuit, temporibus Reipublicæ sic exigentibus, refert? Hodiene primum, an vero post annos quadringentos, potestatis hanc vestræ par-*

Antiquitus licuisse Tribunos eosdem refici.

Turba ab Tribunitiis actionibus.

tem usurpabitis? Quod pati iis temporibus Cincinnati, & Cossi & Camilli potuerunt, id nimirum præsens ætas ferre non poterit?

Id præsenti tempore magis esse necessarium.

XLI. *An forte illo quidem ævo necessaria hæc plebi cautio fuit, bodie servari nihil attinet? Immo vero, si ulla umquam fuere tempora, quæ libertatis vestræ bonos fidosque desiderarent propugnatores & constantes, hoc illud est, Quirites. Quum inter maximarum rerum disceptationes, iidem perpetuo homines consilii publici auctoritatem habeant. vestris patronis annuo spatio satagunt finire libere pro vobis, & aliquanto efficacius, quam fieri à privato possit, agendi potestatem. Hunc deinde annum ad magna negotia breve & velox tempus, variis artibus coarctant. nonnumquam, ubi acres sibi viros opponi sentiunt, differentes impetum: sæpe per aliquem ex collegio, quod plerumque non est difficile, præsertim enixe dantibus operam, ut in tanto numero unum aliquod mancipium suum habeant, optimas leges impediunt: interdum vi & armis, quum aliæ artes infeliciter tentatæ fuerunt, jure nostro depellimur.*

Strenuis opus esse defensoribus, qui sint pauci.

XLII. *Adversus hos tam infensos & perpetuos & instantes adversarios, strenuis vos opus habere defensoribus, rebus ipsis admonemini. quos si tanto numero vobis præsto futuros putatis, ut quotannis alios aliosque possitis deligere, vereor ne valde fallamini, Quirites. Multa sunt atque magna, quæ pro populi jure propugnaturum habere necessum est, Quirites. Jam primum ingenium tantarum rerum capax, notitia Reipublicæ, tolerantia laboris, contemptus periculorum. Atque hæc omnia frustra inerunt, si desit animus omnia pro vobis paratus pati, blanditiis minisque juxta inexpugnabilis, avaritia & ambitione vacuus.*

Tenendos igitur, si quos habeat populus.

XLIII. *Hic quoque sine facultate aliqua dicendi, sæpe fructu contentionis suæ frustrabitur. Tales equidem perpauci sunt in civitate, & pars eorum aliis caussis à commodorum vestrorum cura abstrahuntur. Quum igitur aliquem quandoque nacti ex voto fueritis, non fruemini hujus opera; non tenebitis atque amplectemini, donec aliquod operæ pretium effoiatis? An vero nequidquam apud vos hæc jacimus, fatali hac populi Romani simplicitate, ut illudi sibi facile ferat, nec pro magnitudine rei ad sua pericula moveatur. Atque eam vel maximam caussam reor, cur prodi libertatem vestram necessum sit, quia neque inimicorum conatibus mature itis obviam, neque defenditis, à quibus defendimini.*

Tiberii fratris exitum deplorat.

XLIV. *Jampridem me revolvi ad domesticas lachrumas intelligitis: neque mehercule mirandum est, in tanto & Reipublicæ, & nostræ domus vulnere, me non posse querimoniarum & doloris oblivisci. Te te, optime animoque meo charissime frater desidero, quem illi quum jure esent impares, per seditionem crudeliter occiderunt, mitissimum virum, & ne quidem in ultimo periculo ad civile certamen adduci gnarum. Igitur ille, ne cujus alterius sanguinem funderet, suum dedit. aliis reliquit exemplum, ut easdem actiones aggressi, sibi non alium exitum destinatum esse meminerint, donec & vobis hæc socordia manebit, & illis hæc tam impunita superbia.*

P. Rupilius Siciliam pacat.

XLV. Multis deinde tum in auctores Tiberianæ cædis acerbe & vehementer invectus est, tum in Africanum, qui non timuerat dicere, *Tiberium jure cæsum videri*. Dum in his rebus spes animique diffidentium Romæ jactantur, P. Rupilius Proconsulari imperio Siciliam obtinens, quum nihil ad pacandam omnino pro-

vinciam, præter ipsius falsi Regis captivitatem superesset, ad comprehendendum eum expedito cum milite processit. Tum vero desperata penitus salute, qui cum Euno fugerant, mutuis vulneribus suppliciorum crudelitati se exemerunt.

XLVI. Eunus, homo timidus & socors, quum in speluncis aliquandiu latuisset, repertus extractusque est, cum comitibus omnino quatuor: ex quibus ipsis æstimari stoliditas ac mollities vesani præstigiatoris poterat; coquus enim pistorque ac balneator, cum scurra qui potantem exhilarare sueverat, extremi solique ministrorum ei superfuere. Conjectus ipse in Morgantinum carcerem, fœdo morbo, quum ex corrupto corpore pediculorum vis immensa pullularet, periit. Proconsul ne quid reliquiarum usquam se conderet, totam insulam cum expeditis percucurrit: penitusque repurgatam ab omni non modo materia, sed etiam suspicione belli, ordinavit; legibus de sententia decem legatorum datis. Euni captivitas & mors. Plutarch Sylla lab. cap. 72. Diodorus.

XLVII. *Rupiliæ* ab auctore vocatæ: diuque deinceps in usu atque honore apud Siculos fuere. Præcipue de judiciis cavebatur: *ut qui ejusdem civitatis essent Siculi, domi certarent suis legibus: qui diversarum, inter eos Prætor Romanus judicaret.* Admirationi res ea haud immerito Siculis fuit, quod quem aliquando publicanis opera danda tueri se viderant, eumdem nunc sibi leges, insulæ pacem, fugitivis & prædonibus supplicia reddentem viderent. Constitutis in Sicilia rebus, exercituque deportato, quamquam res triumpho dignissimas gesserat, ovatione contentus fuit, ne summum in hac civitate virtutis præmium servili videretur inscriptione fœdavisse. Rupiliæ leges in Sicilia. Ascon. Pedia. Cic. in Ver. 2. 13. Val. Maxim. Florus 3. 19.

XLVIII. Quum deinde C. Claudius C. F. Ap. N. Pulcher, M. Perperna M. F. Consules essent, C. Claudio de seditiosis C. Papirii actionibus referente, quum illius culpa quidquam factum negaretur, Senatus decrevit *eo invito, qui cum populo ageret, seditionem fieri non posse; quippe cui liceat concionem, simul atque turbari cœptum sit dimittere.* Idque P. Crasso absenti placuerat, qui juris omnis consultissimus habebatur. Sed non uti civilium artium, ita bellicarum prosper ei successus mansit. ex provincia decedentem insidiæ hostium circa Leucas oppresserunt: non calamitoso tantum ob cladem exitu, sed etiam adsperso avaritiæ labe. Urb. cond. ann. 623. Cic. de Legib. 3. 19. P. Crassi jurisprudentia, & exitus. Vellejus 2. 4. Strab. l. 14.

XLIX. Opulentam enim prædam trahens, dum conservandæ ei studet, minus expeditas ad prœlium copias habuit: aciemque inordinatam tempore & loco alieno objecit hostibus. Nam regionem situ interruptam & asperam, tempestatibus maxime obnoxia pars anni difficiliorem solito fecerat. Collatis igitur signis, licet aliquamdiu fortissime Romani restitissent, magna tamen cum clade fusi fugatique sunt. Imperator in fuga inter Eleam & Myrinam exceptus à Thracum auxiliis, quæ permagna Aristonicus habebat, ne in potestatem hominis abjecti Proconsul Romanus veniret, in Thracis unius oculum, quam ad equum regendum forte gerebat, virgam direxit. Prædæ conservandæ studiũ, calamitatis causa. Justin. 36. 4. 8. Florus 2. 20. 5. Frontin. Strat. 4. 5. Val. Max. 3. 2. 12. Orosius 5. 10. Val. Max. Florus.

L. Barbarus quum dolore & ira exarsisset, sica transverberatum quum ulcisci putaret, à captivitate, quam quærebat effugere, liberavit. Caput ad Aristonicum relatum est, relictum corpus Myrinenses humaverunt. Harum rerum fama Consulem M. Perpernam, cui Asiæ sors evenerat, incitavit, ut contentiore studio in provinciam veniret, ne spatium Aristonico daret, ad labefactandos sociorum animos victoria utendi. Multum celeritas illa ad summam rei profuit. quippe Aristonicus quasi non prœlio, sed bello vicisset, in securitatem & festas epulas Eutropius. lib. 4. Orosius. Eutropius. Aristonici securitas & victoria.

Et ex securitate clades. Eutropius.

resolutus, faciliorem de se, quam sperare quisquam potuisset, victoriam præbuit.

LI. Nam ex improviso Consul eum adortus, acie victum, exercituque omni exutum, fuga se ab instanti exitio eripere coegit. Sic effectum est, ut ortum in Urbe propter adversam pugnam luctum, cito fama victoriæ consolaretur. Utriusque eventus præsagia divinitus ostensa fuisse putantur. Lupus & canis quum inter se pugnarent Hostiæ, fulmine exanimati fuerant. quo ducum utriusque partis interitus haud obscure significatus videbatur.

Jul. Obseq. cap. 17.

LII. Nam *Cumani Apollinis per quatriduum fletus, Asiæ Græciæque suæ timentis esse*, vatum interpretata solertia est: dierum etiam numero respondentibus annis, quibus bellum duravit. Terruerat ab initio prodigium hoc haruspices, eorumque monitu *frangi simulacrum, & in mare projici* Senatus jusserat. Sed Cumani senes docuerunt, *bello Persico itemque Antiochi, prosperum id Romanis ostentum fuisse*. Igitur re iterum ad haruspices relata, quum acciti consultique peritissimi quique fuissent, responsum est, *quod Græcorum colonia Cumæ esset, Apollinem plorantem mala terris, unde esset advectus, portendere. Sacrificiis igitur placari eum oportere: donaque in ædem ejus mittenda.*

Cumani Apollinis fletus. Florus 2. 8. Jul. Obseq. Appian. Mithrid. Diod. apud Valesium: August. de Civit. Dei 3. 11.

LIII. Census eodem anno actus est, lustrumque undesexagesimum conditum. Censa sunt civium capita trecenta tredecim millia, octingenta viginti tria, præter pupillos & viduas. Q. Metellus Censor censuit, *ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum caussa*. Exstat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in hæc tempora scriptam, in senatu recitavit, & per edictum notam populo fecit. Senatum quoque Censores hi legerunt; quumque in legendo Senatu præteritus à Metello C. Atinius Labeo fuisset, quod Tribunus plebis esset; maxime sunt à Labeone turbæ excitatæ.

Census Romæ actus. Jul. Obseq. Fasti Capitol. Liv. Epitom. Agel 1. 6. Liv. Epitom. Suet. August. cap. 89. Liv. Epitom.

LIV. Nam & plebiscitum factum, *uti Tribuni plebis Senatores essent*: & Censorem, è Campis revertentem, quum vacuum, ut meridie solet forum atque Capitolium esset, Tribunus ad saxum Tarpejum obtorto collo rapuit, ut præcipitaretur. Convolaverunt ad periculum tanti civis filii ac propinqui, serum pene auxilium, quum neque vi repellendi sacrosanctam potestatem jus esset: neque Tribuni qui intercederent, ob tempus diei præsto erant, multoque labore primum unus repertus inhibuit collegam, cæteri deinde supervenientes, Metello, ne quid amplius tum pateretur, auxilio fuerunt.

Censoris & Tribuni plebis certamen. Agel 14. 8. Plin. 7. 44. Liv. Epitom. Plinius.

LV. Tribunus furorem à corpore Censoris, in bona vertit, eaque palam inspectante populo, foculo posito in Rostris, adhibitoque tibicine, consecravit. Ea res tamen neque fraudi Metello, & Atinio impunita mansit: quum tot haberet vir ille liberos, summis in civitate usos honoribus. Sed hanc properantis ad finem libertatis intemperantius luxuriantem licentiam, non ita multo post Sullæ & Marii, & civilia bella, Tribunis ante, mox populo jus quo uti nesciebat adimendo, vindicarunt.

Liv. Epitom. Cic. pro domo cap. 47. Cicer. Libertatis Intemperantia.

LVI. Interea turbulenta in Urbe tempora, bello bene gesta Respublica compensabat. Nam Consul Perperna insistendum hosti jam fracto ratus, Aristonicum nusquam consistere patiebatur, donec mœnibus Stratonicensium se includeret. Ibi circumsessus, acriterque armis, sed magis fame oppugnatus, quum spe omni consumpta, urbem seque mox in potestate victoris fore videret, extremam necessitatem spontanea deditione prævenit.

Perperna Aristonicum redigit in potestatem. Orosius 5. 10. Eutrop l. 40.

LVII.

LVII. C. Blosius perditis Aristonici rebus, sibi consciuit necem. Consul, conjecto in vincula Aristonico, deinde Asiam peragrando, civitatibus jura sua, ut meritæ videbantur, minuit, auxitve; provinciamque populo Romano tributariam fecit. Per eadem tempora Syria quoque Regem Antiochum amisit, quem Parthicum animo bellum volvere dicebamus. Nam ille, sive Phrahatis prævenire consilia studens; sive fratris repetendi cura, sive, quod magis credas, florentissimis Regni rebus, quum præter Syriam Babyloniæ Mediæque imperaret, minime contentus, veteres Macedonum fines, & possessam Arsacidis imperii partem armis repetiturus, ingentem exercitum collegerat.

Antiochi casus ab ambitione. Plut. Tiber. Gra. cap. 28. Florus 2.20. Tacit. 5.62. Vellejus 2. 38. 5. Justin. 38.9. f. Appian Syriac. Histor. Miscel. 4. 25.

LVIII. Centum ad summum millia bellatorum fuisse creditur: egregiam juventutem, & multis finitimorum bellis duratam. Judæorum etiam adfuerunt auxilia, ipso ducente principe eorum Hyrcano. Sed in Antiocho, ut magna vis animi, multaque ad virtutem eximia, ita non minus luxuriæ temulentiæque inerat: quibus ne bello quidem omissis, vigorem exercitus, & spes ipse suas corrupit. Trahebat enim calonum & lixarum, permixtis etiam scortis atque histrionibus, tantum agmen, ut iste numerus, duplo quam armatorum major haberetur.

Liv. Epitome. Orosius. Justin. Joseph. 13. 16. Ælian. histor. Variæ. 2. 14. Oros. Justin. Possidon. Ap. Athenæ. 12. 9. Ejus virtutes & vitia.

LIX. Sequebatur copiosa conviviorum supellex, non ad usum modo, sed etiam ostentationem luxus, quum culinaria quoque vasa ex argento portarentur. Eadem manipulorum species: tamquam ad pompam exornatis omnibus, adeo ut gregarii quoque milites fibulis aureis caligas stringerent. *Omen expeditionis infaustæ hirundines fuisse* ajunt, *quæ nidum in tabernaculo Regio fecerant*. Initia tamen læta & magnifica fuerunt, multis obviam procedentibus Regulis, quos Parthicæ superbiæ odium, ad alias respicere spes coegerat. Inde viribus animisque auctior, ut primum copia pugnæ data, strenue congressus, magno prœlio victor fuit: Indate Parthorum duce profligato, qui ad transitum Lyci fluminis occurrerat.

Luxus in castris & exercitu. Julius Obseq. cap. 88. & Ælian. histor. Animal. 10. 34. Justin.

LX. Iterum deinde tertiumque similis fortunæ successum expertus, quum passim ad eum civitates nationesque deficerent, omni præter veteres Parthorum fines imperio Phrahatem exuit. Phrahates vi aperta inferior, totus ad alia consilia se convertit: & quia Demetrius Antiochi frater, non alium forte ad usum servatus, apud ipsum erat; eum addito præsidio ad recuperandum Regnum misit, ut ita hostem suarum rerum periculo amoliretur.

Nicolaus Damascen. apud Josephum. Justin. Victoria de Parthis.

LXI. Neque hac spe contentus, civitates, maxime quas Antiochi præsidia, ob insolentiam, ut fit, militarem, gravate pati cognoverat, spe impunitatis & præmiorum ante solicitare non destitit, quam communicatis inter se consiliis, ad oppugnanda eodem tempore omnium præsidia induxisset. Postquam prædicta dies adfuit, passimque per civitates turbari nunciatum Antiocho esset, cum ea manu, quæ præsto erat, impigre ad auxilium proximis ferendum accurrit.

Appian. Syriac. Justin. Diodor. apud Vales. Justin. Civitates ab Antiocho deficiunt.

LXII. Sed objecit se ei magno cum exercitu Parthus. Ibi quum acriter Antiochus pugnaret, metu suorum proditus, incertum an sua manu periit. Princeps fugientium Athenæus fuerat, ut idem cædis Regiæ culpam sustineret, qui rebellandi caussam civitatibus unus maxime præbuisset. Sed utrumque scelus matura vindicta punitum. Nam per loca, ubi rapinis injuriisque notissimum se effecerat, oberrantem, neq; tecto recepit quisquã, neq; cibo impertitus est, donec fame ac miseriis cõtabescens, & spoliatis inops, & deserto derelictus ab omnibus, pœnas daret.

Antiochi mors. Appian. Diodorus. Justin. 42. 1. Justin. 38. 10. Athenæ. l. 40

LXIII. Phrahates magno captivorum numero potitus, quod audita morte An-

Phrahatis dictum de Antiocho.

tiochi, dispersæ passim ejus copiæ cupide se dediderant; & filia Demetrii, quam Antiochus adduxerat; forma virginis victus, in matrimonium eam accepit, hostique cæso exsequias regio more fecit. Posidonius Apamenus historiarum scriptor refert, suprema persolventem Antiocho Parthum dixisse: *duæ te res fefellerunt Antioche, audacia, & temulentia. credebas enim ingentibus istis poculis imperium Arsacidarum te exhausturum esse*.

Justin. 39. 1.

Historiola de Antiocho. Plutarch. Apoph. cap. 5.

Ejus vox egregia.

LXIV. Gravis & luctuosa Syris ea fortuna fuit, qui licet Demetrium recepissent, haud eo minus Antiochum requirebant. Regem enim, si ebrietas abfuisset, commodum ac benignum, neque ulli temere postponendum gesserat. Non erit alienum, unum ejus dictum ponere, dignum sane memoratu, & ad æstimandos ejus mores vehementer pertinens. Inter venandum à suis & via quum aberravisset, ad sylvestre tectum hominesque egenos ignotus venit, superque cœnam de industria mentionem Regis intulit, ut quid de eo sentirent homines, incorrupta fide comperiret. Responsum est, *principem cætera bonum, nimium amicis quos haberet non probatissimos credere: sæpe etiam res necessarias negligere præ venandi studio*.

Liv. Epitom. Athenæi. 12. Diod. apud Vale.

LXV. Immotus ad hæc, ubi cum luce satellites adfuerunt, purpura & diademate resumptis, *ex quo vos primum accepi*, inquit, *veros de me sermones heri demum audivi*. Quum hæc in Asia Syriaque fortuna Regum esset, etiam Ægyptus haud levioribus concussa turbis, similes mutationes pertulit: Ptolemæi maxime furiis, qui neque finem sceleribus & flagitiis, neque modum faciebat.

Ptolemæus Alexandria profugit.

Orosius 5. 10. Justin. 38. 8. Liv. Epitom.

LXVI. Ob eas res quum *Evergetes* appellari ipse vellet, Alexandrini popularibus facetiis *Cacergeten* dictitabant; olimque excusserant Regno, ni princeps purpuratorum Hierax, insigni gloria belli & comitate charus omnibus, ruentem sustineret: nam etiam ex sua pecunia persolutis militum stipendiis, defectionem certissimam aliquando prævenerat. Neque tamen moribus suis moderari homo profligatæ mentis potuit, donec eum incesta conjuge, adsumpto etiam, quem ex matre uxoris, eademque sorore sua susceperat filio, Cyprum insulam clandestina fuga petere cogeretur.

Propter summam crudelitatem expulsus.

Val. Max. 9. 2. 5. ext. Liv. Epitom, Justin.

LXVII. Quippe supra alia adsiduæ sævitiæ documenta, quum in summo populi odio se esse videret, gymnasium, frequentissima juventute repletum nactus, circumdederat armatis, & igne immisso, qui flammæ vim evasissent, eos ferro conciderat. eamque cladem coorta insano dolore plebes, incensa vicissim Regia vindicarat. Igitur Ptolemæus contractis mercede copiis, bellum sorori patriæque illaturus, maximum natu filium Cyrenis arcessit, veritus ne ad eum populus Alexandrinus Regnum deferret: juvenemque patris imperio pie obsequutum, facinorosus & impius tyrannus, solita crudelitate & amentia necat.

Filii occisi membra ad matrem mittit. Diodorus. Val. Maxim. Liv. Epitom. Diodorus. Val. Maxim. Iustin.

LXVIII. Hac re cognita, statuæ ipsius & imagines Alexandriæ detrahuntur: Regnum Cleopatræ traditur. Ipse uti vicissim illis ægre faciat, horrendum furore & impietate facinus patrat. Communi enim filio, *Memphites* vocabatur, qui etiamsi pater non esset, forma, & ætate, & indole miserabilis esse cuivis potuisset: hoc, inquam, filio, in conspectu suo jugulato, præcidi caput pedesque & manus jubet: deinde in cistam hæc condit, chlamydeque injecta operit. Forte natalis instabat Cleopatræ, pro more Regum festis epulis lætitiaque publica celebrandus. id quum ignotum Physconi non esset, satelliti cuidam suo dedit negotium, ut cistam curaret Alexandriæ in vestibulo Regiæ proponendam, ea ipsa nocte, quæ

diem Reginae praecederet: quasi natalitium in ea munus mitteretur.

LXIX. Ita factum est, ut cum aliis quae oblata Reginae ob celebritatem temporis fuerant, illa etiam cista inter epulas illata aperiretur. Nemo praesentium ignorare, quam belluina feritate Phiscon esset, tam multis ab eo jam ante crudelissime designatis poterat: obstupuerunt tamen ad conspectum hoc nefas: quo non modo omnis aevi saevitiam; sed sua ipse exempla vicerat. Conversi deinde ad questum & iras, *quid aliud igitur restaret, quam ut talia aut vindicarent aut paterentur?* invicem interrogabant. *cui enim mortalium deinceps charitatem aut misericordiam sperari posse apud eum, qui in puerum innocentem, eumdemque filium suum tot modis scelestus fuisset?* Hic ergo dolor & Reginam & populum Alexandrinum justis stimulis adversus Physconem adeo exulceravit, ut nihil ad summam acerbitatem odiorum addi posse videretur.

Unde summa omnium indignatio.

Diodorus.

LXX. At Romae quum jam C. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus, qui Praetor P. Popillio P. Rupillio Coss. fuerat, Consulatum cum M. Aquillio M. F. M. N. iniisset: Aquillius cui Asiae sors evenerat, nondum audita deditione Aristonici, ut illum quasi suo triumpho debitum, Perpernae eriperet, magnis itineribus in provinciam festinabat. neque Perperna rem prope confectam videbatur dimissurus: exspectabaturque aliqua inter duces Romanos discordia; sed fortuna composuit litem, alteri gloriae indebitum fructum, alteri vitam extorquendo. Nam & ad Aristonicum ferus Consul venit, quem cum Attalicis thesauris Romam Perperna praemiserat; & hic, provincia decedens, quum Pergamum venisset, morbo correptus vivere desiit. maturavitque ejus mors & Aristonici fatum, quod enim alium de eo triumphare iniquum videretur, jussu Senatus in carcere strangulatus est.

Urb. cond. ann. 624.

Aquillius Consul contra Aristonicum proficiscitur.

Cic. ad Atti. 13. 11. Justin. 36.4 2. Eutropius. lib. 4. Strab. l. 14. Orosius 5.10. Val. Maxim. 3.4.5. & Vellejus 2. 4. Florus 2.20.

LXXI. Non desunt tamen, qui triumphasse Perpernam velint: sed quoniam facilius hi errare potuerunt, plus habere fidei accuratiora tradentibus debui. Quod satis constat, reliquias Asiatici belli M. Aquillius confecit: aliquanto minori laude, quod ad deditionem quarumdam civitatum maturandam, fontibus venenum miscuerat. In Urbe res adhuc turbulentae erant, gliscentibus in dies Tribuniciae seditionis fomitibus.

Aristonici supplicium.

LXXII. Cum his C. Gracchus, C. Carbo triumviri dividundis agris consilia communicabant. quibus nuper lectus in locum P. Crassi, M. Fulvius Flaccus accesserat. Hi quum negotium sua natura difficile ac invidiosum, animis dolore aut novarum rerum studio ardentibus suscepissent, omnia mox querelis ac contentionibus effervescere coeperunt. Quum enim possessores modum situmque latifundiorum suorum indicare nollent, edicto triumvirali excitati indices, falsis verisque delationibus plurimorum jura convellebant. Nam promotis agri publici terminis, ut quaeque vicina erant, turbabantur, incertis jam omnium finibus, & neque contractu privatorum ullo, neque divisione veteri publica obtinente.

Urbanae turbae ob divisionem agrorum. Plutarch. Tib. Gracch. cap. 28. Appianus. civil. l. 1.

LXXIII. Ita fiebat, ut motis ubique limitibus transferrentur mutarenturque agri; & saepe inculta pro cultis, & pro fructuosis uligines aut arentia redderentur. eratque plerumque caeca in distinguendis publicis privatisque agris aestimatio: quum etiam antiquis haud accurata captorum ab hostibus facta distributio esset: permissumque fuisset, indivisa cuilibet volenti, sub certo vectigali colere. sic enim vicinam suis praediis partem arantes, omne discrimen confuderant. & haec longo tempore factitata, locupletum injuriam, licet magnam esse constaret, obscu-

Et ejus rei difficultas.

ram támen efficiebant, tegebantque intricato, & ad arguendum haud facili errore.

Africanus defensionem possessorum suscipit: Liv. Epitom. Appianus.

LXXIV. Jamque nihil propemodum tota Italia satis certum tutumve cuiquam habebatur: quum socii præsentem rerum statum moleste ferentes ad Scipionem Africanum confugerunt: adversus iniqua triumvirorum judicia, fidem ejus invocantes. Ille quum æquitate caussæ, tum gratia orantium permotus, erant enim magnæ auctoritatis virtutisque homines, strenuamque ei superioribus bellis operam navaverant; defensionem eorum non recusavit. multaque in Senatu, non contra legem Gracchanam, ne populum irritaret, sed *de incommodis exercendæ* loquutus, impulit Patres Conscriptos, *ut caussam agrorum judicandam à Triumviris, quos ut suspectos plerique gravarentur, ad quoscumq; videretur, transferrent*.

Murmurante plebe.

Plutarch. Gracch. cap. 2. Appianus.

LXXV. Nec iniqua Patribus, neque tempori parum conveniens oratio visa; *Consulque C. Sempronius cognoscere caussas possessorum* jussus est. Sed imbecillum hoc remedium, & minime diuturni usus, tergiversatio Consulis fecit. qui primis statim experimentis intellecta difficultate rei, prætextu Illyrici belli, quod sibi decretum ab Senatu fuerat, paludatus ab Urbe profectus est. Quum ita tota res agraria refrixisse videretur, quia Triũviri foro se abstinebant, Consul, cujus ea cognitio esse debebat, aberat: murmurare contra Scipionẽ plebs cœpit, *quod à se ornatus bis oblato contra leges Consulatu, magis tamen sociorum quam civium utilitati studeret*.

Et acriter expostulante C. Graccho. Plutarch. Apoph Rom. cap. 26. Orosius 5. 10. Cic. pro Murena cap. 31. Orosius. Cic. Som. Scip. Cic. ad Q. 3. 5. Diodorus. apud Vales. Cic. de Nat. Deor. 2. 5.

LXXVI. Non omiserunt eam turbandi occasionem Triumviri, quin nunc spargendis in vulgum rumoribus, *hoc agi, ut armis atque vi lex abrogetur*; nunc contentionibus in Senatu, in foro, Scipioni quantum possent, invidiam odiumq; conflarent: eo acerbitatis provecto certamine, ut palam exclamarit Gracchus, *tolli tyrannum oportere*. quum Scipio, *Recte hoc quidem*, inquit. *nam hostes patriæ, optare mortem meam debent: quia sciunt neque me vivere, nisi Republica incolumi posse, neque me vivo Rempublicam defensore cariturum*. Quod non magnificentius ab eo, quam verius dictum putant: quum tantus ejus viri & vigor esset, & moderatio ac lenitas, ut illo sospite neque Sociale bellum, neque Civile timendum fuisse existimetur.

LXXVII. At quo magis furor inimicorum inflammabatur, eo validior fiebat acriorque apud reliquos favor: neque dubium habebatur, quin Dictator constituendæ Reipublicæ caussa creandus Scipio foret. Sed his consiliis novemdiale sacrum intervenit, quia multis locis lapidatum de cœlo fuerat, templaq; percussa deorum, & homines quidam exanimati. Soles etiam gemini simul visi prodigio accesserant.

Novemdiale sacrum ob prodigia.

P. Africani interitus. Plutarch. Gracch. c. 13. Cic. Lælio. cap. 3. Orosius. Liv. Epitom. Orosius. Cic. Som. Scip. Oros. Appianus: Civil. l. 1. Liv. Epitom, Appianus

LXXVIII. Peractis feriis certamina resumpta: non jam occulte vitæ Scipionis insidias struentibus Triumviris, perisse consilia sua, nisi hic periret, ratis. Neque ignarus ipse periculi, quum pridie mortis suæ à M. Fulvio multis conviciis petitus esset, *malam sibi rependi gratiam laborum pro Republica susceptorum ab improbis & ingratis civibus* questus est: non indissimulato, *quanta in solicitudine versaretur*. Quo majore studio hominum, dimisso sub vesperam Senatu, domum reductus est, plerisque Patrum, & sociorum Latinorumque maximo agmine prosequentibus. Ita quum se domum fortis atque validus recepisset, postridie, in cubiculo suo exanimis est repertus.

LXXIX. Creditum est *fraude proximorum illatam ei mortem*: & suspecta vehementer uxor Sempronia fuit: *quæ deformis & sterilis, quum nec amaret maritum, nec ab eo amaretur, facile paruerit Corneliæ & Triumviris, ut sive venenum*

viro propinaret; sive (nam & istud traditur) *noctu apertis foribus intromitteret homines, virum elisis faucibus oppressuros. idque servos in tormentis esse confessos* ferunt: *at qui hoc resciverint, efferre non ausos, propterea quod infensum populum Scipioni gaudere interitu ejus viderent. Repertæ quidem* feruntur *in cervice ejus notæ. neque aliam ob caussam capite velato elatum, quam ut illæ tegerentur.* At inimici *sponte sumptum exitum* vulgabant, *quod quæ pollicitus Agrariis fuerat, præstare posse diffideret.* quo minus credas auctoribus, qui *fato functum* tradiderunt.

LXXX. Ita sextus & quinquagesimus ætatis annus vivendi finem attulit viro sæculi sui longe principi, de quo verissime pronunciare visus est, quum mortuum laudaret, Q. Fabius Maximus, fratris ejus filius. *gratias* namque *diis immortalibus* egit, *quod ille vir in hac Republica potissimum natus esset. necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset.* Atque hæc ipsi quoque ejus inimici, æquis accipiebant auribus. Neminem enim temere nisi pro Republica offenderat, & quia de cætero nihil sibi tribuebat immodice, his quoque non poterat esse supra modum exosus. Ergo licet superstitem in multis experti gravem adversarium fuerant, extinctum tamen desiderabant: ut publice utilissimum; sibi non ultra, quam ratio pateretur, infestum. Die funeris ejus, Q. Metellus Macedonicus, cui simultas cum Scipione magna intercesserat, liberis suis dixit, *Ite filii exequias. numquam civis majoris funus videbitis.* Ita quamquam publico funere privassent eum offensiones, efficere tamen, quin omnium ordinum de eo judicium admiratioque multitudine prosequentium testata fieret, non potuerunt.

De eo vox Q. Fabii Maximi. Vellejus. 2. 4. Auct. de Vir. Illustr. c. 58. Appian. Cic. Som. Scip. Cic. pro Murena cap. 6. Itemque Q. Metelli Macedonici. Diodorus. apud Vales. Cicer. Lælio cap. 19. Diodorus. Appian. Diodorus: Plin. 7. 44.

LXXXI. Iidemque motus animorum intellecti postea sunt, quum Africani nomine epulum populo Q. Maximus filius in Capitolio daret. ab eo enim Q. Tubero, quod esset ejusdem Africani sororis filius, triclinium sternere rogatus, quia lectis ligneis pelliculas hœdinas pro stragulis injecerat, & fictilia Samia pro vasis argenteis exposuerat; intempestiva frugalitate adeo hominibus displicuit, ut præturam deinde petens, vir alias integerrimus, civis optimus, ad hæc Aimiliorum & Africanorum decora præferens, non alia de caussa repulsam ferret. Quæstio tamen de morte tam insignis viri non est habita: non sine rubore bonorum, quibus apparebat, quum maximum dedecus civitatis interfectus Africanus videri posset, majus multo fore, non vindicatum.

Appian. Cic. Lælio. c. 3. Cic. pro Murena. Seneca. Epist. 98. Cicer. Senecæ Epist. 95. Val. Max. 7. 5. 1. Quæstio de morte Africani nulla habita.

LXXXII. *Populi studiis factum id* putant, *C. Graccho metuentis, ne ille adfinis culpæ reperiretur: eaque de caussa etiam suppressa, quæ diximus, servorum indicia.* Nam collegas ejus in Triumviratu Fulvium quidem magna suspicio, Carbonem opinio pene certa onerabat. Nec prætermiserim, in bonis Africani haud amplius triginta duas libras argenti, duas & selibram auri fuisse; hodiernos mores evidenter arguente testimonio, posse viros ex se magnos, altissimum civitatis gradum, etiam sine opum lenocinio parare & obtinere. Cæterum remoto à rebus humanis Scipione, tamquam vinculis exsoluta Triumvirorum temeritas exsultare ferocius cœpit: non sine maximo detrimento, & tantum non vastatione totius propemodum Italiæ.

Liv. Epitom. Val. Maxim. 5. 3. 1. Modicæ Scipionis opes. Plutarch. C. Gracc. c. 13. Appian. Plutarch. Cic. ad Q. frat. 2. 3. Plin. 33. 1. Auct. de Vir. Illust. c. 58. Diodorus.

LXXXIII. Modicum inter has molestias gaudium C. Sempronius, quem profectum in Illyricum diximus, quum Japodum gentem debellasset, A. D. Kal. Octobreis triumphans in Urbem invectus est. Mixta ex Illyriis Gallisque Japo-

C. Sempronius Japodas debellat.

Diodorus. Marmora Capitol. Strab. lib. 4. Strab. lib. 7. Appian. Illyric. Florus 4. 12. 6. Strabo. Liv. Epitom. Appian. Cic. pro Balbo cap. 14. Plin. 3. 19.

dum natio, inter Istrum & Adriam incolit. quæ omnis ora stadiorum mille navigatione circumitur. caput gentis Metulum vocatur urbs Cæsaris Augusti bello nobilitata. Cum his commisso certamine, quod & locorum & hominum magna asperitas erat, nonnihil offendit Consul, detrimento haud levi accepto. Sed emendavit hanc fortunam D. Bruti virtus, ejus, qui Lusitaniam subegerat. Victi igitur magna pugna Iapodes, pacem ac fœdus impetraverunt: *ne quis sua gentis in civitatem Romanam reciperetur* pacti. C. Sempronius erecta iis in locis statua quæ victoriæ suæ monumentum esset, in eadem situm quoque gentium & intervalla locorum adscripsit.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



. Aurelius Consul rebellantes Sardos subegit. M. Fulvius Flaccus primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit: missus in auxilium Massiliensibus adversus Salvios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. L. Opimius Prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit: Fregellas diruit. Pestilentia in Africa ab ingenti multitudine locustarum, & deinde necatarum strage, fuisse traditur. Lustrum à Censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia septingenta triginta sex. C. Gracchus, Tiberii frater, Tribunus plebis eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, ut semisse & triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam, quam & frater ejus tulerat: tertiam, qua equestrem ordinem tunc cum Senatu consentientem corrumperet: ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur: & quia illis temporibus trecenti tantum Senatores erant, sexcenti equites trecentis Senatoribus, admiscerentur. id est, ut equester ordo bis tantum virium in Senatu haberet. & continuato in alterum annum Tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur. & una in solo dirutæ Carthaginis, quo ipse Triumvir creatus, coloniam deduxit. Præterea res à Q. Metello Consule adversus Baleares gestas continet: quas Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant. Baleares à teli missu appellati: vel à Baleo Herculis comite ibi relicto tunc, quum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriæ referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suum, & Seleucum filium, indignata, quod occiso patre ejus à se, injussu suo diadema sumpsisset, interemit.

I. CUM Africano juniore, tamquam non rei modo, sed etiam historiæ Romanæ extinctum lumen essent, ita proximorum aliquot Consulum neque multa ad modum, neque illustria gesta conspiciuntur. Cn. Octavii Cn. F. Cn. N. T. Annii Lusci Consulatus nihil ferme insigne habet, præter incrementum luxuriæ, quia tum ex Attalica hæreditate Regium instrumentum hastæ auctionum subjectum est: nulla jam verecundia emendi habendique, quod populus ipse divenderet.

Cicero de Nat. Deorum. 2. 5. Historiæ defectus. Urb. cond. an. 625. Attalica hereditas subhastatur. Plin. 33. 11.

II. A Massiliensibus legati venerunt, pro Phocæensium populo deprecatum, quorum urbs propinqua Leucis, in partibus Aristonici fuerat. id quum ex odio populi Romani fecisse viderentur, nam & Antiochi bello pertinaces hostes egerant, Senatus *urbem nomenq; omne Phocaensium deleri* jubebat. Massilienses igitur, quod inde profecti conditores suæ urbis essent, haud secus quam pro parentibus soliciti accuratissimis precibus impetraverunt, ut in gratiam amicissimæ fidissimæque civitatis, sæpius hostili, semper infidæ parceretur. Regibus deinde amicis, qui auxilia nostris Imperatoribus tulerant, quæ præmia persolverentur, quum mature deliberatum esset, adnitente M. Aquillio Proconsule, quem Mithridates Ponticus muneribus suum fecerat, illi Phrygia major, filiis Ariathis, qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia concessæ.

Phocæensibus in honorem Massiliæ parcitur. Iustin. 37. 1. Strab. lib. 14. Iustin. cap. 7. Liv. 37. 32. Iustin. Iustin. 43. 5. Iustin. 37. 1. Liv. lib. 21. 20. Livius 37 32. Iustin.

III. Hæc partim cum in annum inciderunt, qui L. Cassium Q. F. L. N. Longinum L. Cornelium L. F. Cinnam Consules habuit. Tum quoque solicita civitas agrariis actionibus erat; & aliorum metu, aliorum exspectatione; quorsum C. Gracchi multis bonis artibus efflorescens adolescentia eruptura esset. Quum enim impigrum sese incorruptumque supra ætatem ostenderet, ac magno populi favore uteretur, qui pro Vettio disertissime dicentem incredibili alacritate, multisque summæ benevolentiæ testimoniis exceperat; inimicos Tiberii invasit timor, ne hic multo acerbior ipsis adversarius atque formidabilior excresceret, quam quem sustulissent.

Urb. cond. an. 626. C. Gracchi florens adolescentia. Appian. Mithrid. Iustin. 38. 5. Iustin. 37. 1. Plutarch. C. Graccho c. 1.

IV. Nec enim obscurum erat, quietum sperari non posse: idque jam satis patefactum nonnullis ejus actionibus contentionibusque fuerat. Quare hæc consilia cum sua optimates conferebant, ne acerrimi juvenis vigorem armari Tribunicio jure paterentur. Nihil igitur evenire, ut putabant, felicius potuit, quam quod designatus Quæstor, dimitti aliquo posse videbatur, donec ipsi res Urbanas per commodum ordinarent.

Quæstor sortitur Sardiniam. Urb. cond. an. 627.

V. Sors etiam favere, huic proposito visa, quem M. Aimilio M. F. M. N. Lepido, L. Aurelio L. F. L. N. Oreste Consulibus, provinciam ei Sardiniam dedit. Sardi enim quum sub hæc tempora rebellassent, caussam dederunt Patribus alterum eo Consulum cum exercitu mittendi. missus est L. Aurelius: Quæstor additus C. Gracchus. Ajunt negotium istud haudquaquam ingratum adolescenti fuisse: quod bellicæ laudis haud minus quam togatæ studiosus, neque militiæ detrectaret labores, & solvi se civilium certaminum necessitate lætus lubensque pateretur. plerique contra credunt, ingenio turbidum, ac factionum appetentem fuisse. In confesso tamen est, quæcumque ab initio illi ratio mensque fuerit; alias etiam caussas, & nescio quam vim occultam, sive retinentis traxisse animum, sive ultro mentem magis etiam validiusque impulisse.

Vana de eo judicia. Liv. Epitom. Plutarch. Gracch. c. 11. Diodor. apud Vales.

Eius Somnium. Cic. de divin. 1. 26. Val. Maxim. 1. 7. 6. Cicer. Plutarch. Censorin. de die Natal.

VI. Sane Cælius Antipater, qui temporibus illis vixit, *C. Gracchum* scribit, *priusquam Tribunus plebis fieret, multis narrare solitum, sibi quo tempore Quæsturam petebat, Tiberium fratrem per quietem esse visum hæc verba dicere: Nihil agis Cai, quantumlibet contantem, idem mecum exitus manet*. Hoc anno sæculares ludos quartos celebratos esse quidam voluerunt: nam, quod mireris, in re tam illustri, & quæ nota temporum insignis esse debuerat, multum opinionibus diffidetur. Neque certior est de Censura suspicio: quamquam hoc quidem anno Q. Fabius Maximus Servilianus, L. Cæcilius Metellus gerere potuerunt. quos quia Censores fuisse certum est, neque magistratus illorum tempus aliud reperitur; hoc anno creatos putare possis; & quoniam Censores alios sequens annus habuit, ob vitium aliquod abdicasse: tanto proclivioribus ad religionem animis, quanto plura & fœdiora nunciata tum prodigia fuerunt.

Val. Maxim. 6. 1. 5. & 6. 5. 1.

Prodigia. Iul. Obseq. cap. 89 Possidon. apud Strab lib. 6. Orosius 5. 10. Iul. Obseq. Possidon.

VII. Ex quibus terræ motus & fulmina, quamquam illo templa aliquot in Capitolio tremuerant, his Romæ & circa percussa disjectaque passim multa erant: tamen quia frequentior horum auditio est, haud ita commovit homines: atrocius visum, quod circa solstitium æstivum, non solum Ætna mons ingentibus flammis colluxit; sed etiam mare ad insulas Liparæorum sic efferbuit, ut quibusdam ambustis navibus, socii navales exanimarentur.

Pestilentia circum insulas. Iul. Obseq. Possidon. Iul. Obseq. Orosius. Possidon. Iul. Obseq.

VIII. Multis postea diebus, intermicantibus sæpe flammis, limum ebulliit mare: qui postremo speciem molarium lapidum concretus prætulit. Hæc quum ex Sicilia T. Quinctius Flaminius Prætor ad Senatum perscripsisset, consulti haruspices *seditiones portendi* dixerunt: iis avertendis legati missi, qui & Liparæ & in parva insula quam *Hieram Vulcani* vocant, diis manibus atque marinis sacra facerent. Nec ideo mitior circum eas insulas grassata mox pestilentia est, contracto, ut creditur, morbo per corruptos adflatu mortifero pisces, quia magnam eorum vim quaquaversum ardens mare tostam expulerat, & multitudo incauta & avida, tamquam munere deorum oblatam in cibum verterat.

Gracchus dissuadet legem de peregrinis Urbe pellendis. Cic. de Offic. 3. 11. Cic. Bruto. cap. 28. Claudian. Rom. laudib. Cic. de Natur. Deor. 2. 25. Deos & naturam hoc prohibere.

IX. Interim lex de peregrinis Urbe pellendis à M. Junio Penno Tribuno plebis, cujus pater cum Q. Ælio Consul fuit, perlata est: quamquam eam C. Gracchus, priusquam ex Urbe proficisceretur, dissuaserat. Humanissimus adolescens, *Urbis usu prohiberi peregrinos durum profecto & immane* arbitrabatur. *Ideo quo minus quorumdam pro civibus se gerentium audacia prohiberetur, non repugnabat: temperamentum requirebat. quo nec malis impunita delicta essent, nec boni læderentur. Esse ex dignitate urbis Romanæ, ut quæ caput orbis terrarum esset, eadem gentium omnium velut communis patria haberetur. Sic etiam Jovem deorum principem, eumdem & Regem omnium & Patrem celebrari.*

X. *Neque enim alienum est*, inquit, *imitari numina quæ colimus, & quorum beneficio ad summum in terris imperium pervenimus, etiam benignitatem exprimere. Ipsa quoque natura sic conjunctum est universum genus hominum, ut in illius leges peccare videantur, qui ullam ejus partem tam superbe fastidiunt. Corpora similia omnibus; animos quoque virtutis atque rationis capaces dedit; cælum, terram, maria publicavit: quæ igitur tanta voluit omnibus esse communia, noluit profecto, noluit, quosdam, non ob aliud, quam quod certis locis non sint nati pro impuris atque contaminatis ab attactu nostro conspectuque summoveri.*

XI. *Atque hæc ita honesta sunt, ut nulla tanta esse utilitas queat, propter*

quam

quam tolli debeant aut abrogari. Ego vero legem tuam, M. Penne, haud minus damnosam Reipublicæ, quam indecoram esse judico. Næ si tu illis temporibus vixisses, quum conditor urbis Romulus tanti mox futuri imperii valida fundamenta jecit, peregrinos excesse juberes, suasque res sibi habere. At ille longe sapientior non in Urbem modo, sed etiam in civitatem, atque adeo societatem Regni, peregrinos accepit. quod ita probatum usu atque auctoritate exemplum est, ut numquam à majoribus ea deinde sit intermissa largitio. Etiam damnosam Reipublicæ legem esse. Tacit. II. 24.

XII. Ex quo igitur hominum genere illi ad tot gravia bella fortium fideliumque virorum infinita millia paraverunt, quod nisi factum esset veteres Romani vix libertatem tueri, nedum quærere imperium potuissent: id tu universum una rogatione ex oculis nostris, & pene ex animis atque memoria removere conabere? ut quemadmodum ea humanitate populorum omnium amorem olim conciliavimus, ita his novis consiliis acerbissima commoveamus odia, quæ summo studio vitanda essent quantumvis potentibus. Semel iterumque factum est, ut exire Urbe socii juberentur. neque temere quidquam umquam ægrius sunt passi, quum tamen ob maximas suspiciones, nec in perpetuum emitterentur. Vitet ita minus, odia augeri. Cic. pro Cornel. Balbo. cap. 13. Diod. apud Valesium. pag. 381.

XIII. At nobis egregius orator, peregrina exempla commendas, qui homines indidem negas admitti oportere. Quasi vero nobis, aut cuiquam sani capitis sit necessum, alia quam majorum facta consultaque sequi, quorum virtute atque sapientia tantas opes adepti sumus. At illi maluerunt in consortium cujuslibet fortunæ vocare quoslibet idoneos, quam ut vecordi cupiditate, quæ nunc magna ratio multitudinem imperitam stimulat, plura se habituros commoda putarent, si qui in Urbe essent, soli haberent, neque partem ullam decerpi à peregrinis paterentur. Quasi vero illi hac conditione nobiscum degant, ut plus percipiant utilitatis, quam adferant. Majorum exempla & consilia sequi jubet.

XIV. Sed ea in pari stoliditate, aliorum invidia aliorum libido est, ut quia cænaturos minoris, & habitaturos largius putent, æquum judicent, quidlibet contra decus imperii & humanæ societatis jura delinqui. Sed qui præcipui rerum harum machinatores sunt, magnam sibi paratam esse prædam intelligunt, si commotis tot millium fortunis, in se suaque auctoritate vel levamentum trepidantibus, vel novum injuriæ auctarium esse positum ostenderint. Quibus enim harum rerum committeretur curatio, quanti vendent unam forte dieculam, ut in Urbe maneant diutius quam permissum lege sit, quibus vel parva mora magnam allatura utilitatem videbitur. Invidiam & avaritiam causas legis hujus arguit.

XV. Nam aut negotiis, aut quia morbo gravatis incommoda migratio erit, aut charitate Urbis in qua nati quidam sunt, alii lubenter & diu vixerunt, ne festinare cogantur, magna pars pecunia volet depacisci. Neque deerunt, qui neque dictam intra diem exportare res suas queant, neque apud hospites, à quibus tractati tam hostiliter fuerint, ausint relinquere. Quid autem de iis loquar, si à lege nominatim excipientur, ut audio? quos utique neque pauperrimos omnium, neque parcissimos esse necessum est. Tales potius homines, qui hujusmodi ob caussas pudendis rogationibus hanc Urbem infamant, quum sint ab honestate & fide & amore civitatis alieni, quam qui apud nos non censentur, exigendi erant. quibus ego similes omnino fuisse puto multos in iis nationibus, quæ quum aliis rebus florerent, per avaritiam atque stultitiam Respublicas suas amiserunt. Prædæ occasiones in ea lege ostendit.

Horrenda pestilentia

Lex tamen perfertur. Fest. v. Resp.

XVI. Hæc & alia quum dixisset Gracchus, nihilosecius legem populus scivit. Credo ad seditiones minuendas pertinere visum, turba hominum ignotorum atque alienorum civitatem exonerari. Nam ut quisque horum improbissimus erat turbulentæ plebi tribuumque sæpe comitiis gaudebat immisceri: & hoc genus hominum plus etiam quam ingenui cives tumultuabatur. Hac lege patrem M. Perpernæ, ejus qui Aristonicum ceperat, in peregrinitatem esse redactum, non futilis conjectura est: is enim post filii mortem, repetentibus eum Sabellis, civitate Romana tamquam nihil ad se pertinente caruit. memorabili casu, ut qui Consul populi Romani fuisset, civis Romanus non fuisse judicaretur.

Valer. Max. 3. 4. 5.

M. Aquillii Triumphus & deinde judicium. Plutarch. cap. 37. Frag. Capitol. Velleius. 2. 7. & Salust. hist. 4. Cic. in Cæcil. cap. 21. Appianus. Civil. lib. 1.

XVII. Eodem anno triumphatum ex Asia reperio. M. Aquilius A. D. III. Idus Novembr. triumphavit. Ductum ab hoc in triumpho Aristonicum sunt qui putent: mihi verior ea opinio visa est, quam superiore libro retuli. Honorem istum haudquaquam sine multorum indignatione decretum ei fuisse argumento est; quod paulo post à P. Lentulo principe Senatus, subscriptore C. Rutilio Rufo, repetundarum postulatus fuit: & absolutus magna cum infamiâ judicum, sic quoque manifestum fecit, quibus artibus, qualiumque hominum studiis triumphum esset adeptus.

Jul. Obseq. cap. 90. A. V. C. 628. Prodigia. Phlegon Trallian. Orosius 5. 11 Livii Epitom. Jul. Obseq. Orosius. Jul. Obseq. Orosius.

XVIII. Proximus deinde annus M. Platium L. F. Hupsæum, M. Fulvium M. F. Q. N. Flaccum Consules vidit. Tum quoque non leviora prioribus prodigia nunciata. *fruges in arboribus natæ: lactis & olei pluviæ in Veienti agro, lapidum Arpis. bubo etiam in Capitolio visus: & ambigui sexus homo repertus Romæ ob quod decemviri libros adire jussi, magna imperio pericula, & incertos bellorum motus instare* retulerunt. Africæ quoque vastatio horribilis ad instar prodigij accepta est: cujus omnes in agris fruges herbasque cum ipsis arborum foliis, postquam immensa locustarum nubes exederat; deinde vento depulsa in pelagus fuerat, duplicata calamitas est; iisdem bestiolis, quæ vivendo famem fecerant, morte sua pestilentiam atrocem excitantibus.

Horrenda pestilentia.

XIX. Stabant immensi in litoribus acervi undis eo propellentibus, mortiferamque tabem cum teterrimo fœtore exhalabant, donec vulgato per omne genus animalium morbo, cadaveribus passim omnia complerentur. Nam & in Micipsæ Regno ad octingenta millia hominum tum interiisse: & in provincia Carthaginensi supra ducenta millia traditur. Etiam Uticæ ubi circiter triginta millia militum castra habebant, ad totius Africæ præsidium, eadem die per unam portam mille quingenta elata funera sunt: non remittente malo, donec totus ille exercitus tamquam internecione deleretur.

M. Fulvius Consulturbulentus. August. de civit. Dei. 3. 31. Plutarch. c. Gracca. cap. 12. Appianus. Civil. lib. 1. Val. Maxim. 9. 5. 1.

XX. Hæc tam tristia non majore tamen cura Senatum, quam propior in Urbe timor, affecerunt: M. Fulvio Triumviralem licentiam in Consulatu potentius exercente. Vir enim inquieti præfractique spiritus, legibus perniciosis tranquillitatem pacemque publicam solicitare videbatur. *Sociis* enim, qui *se pelli agro* querebantur, *civitatem Romanam* solatii caussa dabat: ipsis quoque hanc mercedem, ut ampliorem amissis, cupide amplectentibus. Ferebat præterea, *ut provocare liceret ad populum, iis qui lege Penni postulati civitatem mutare gravarentur.* tantaque hac contumacia agebat ut multis Patrum precibus minisque venire in Curiam vix compulsus; partim monenti, partim oranti Senatui, *desisteret incœpto*, responsum non dederit.

XXI. Neque tamen perlatæ leges sunt, bona quadam fortuna Massiliensium interjiciente necessitatem, qui ab accolentibus Gallis pressi, ad auxilium populi Romani denuo confugerant. Neque Consuli res illa, neque Senatui ingrata accidit: illo triumphi spem agitante animo; Patribus importunum Consulem probabilis aliquo prætextu extrudere cupientibus. Massiliensium necessitatibus ex Urbe avocatur. Liv. Epitom. Frontin. de Aquæduc.

XXII. Quare non difficulter obtinuit, *ut ipse sociis auxilio mitteretur*. Censores his Consulibus Cn. Servilius Cn. F. Cn. N. Cæpio, L. Cassius Q. F. L. N. Longinus produntur. Hi aquam, *Tepula* vocatur, Romam & in Capitolium adducendam curaverunt: Legibus veteribus Censoriis quædam addiderunt: Æmilium Lepidum Augurem, *quod sex mill.bus ædes conduxisset, qu.dque villam in Alsiensi agro nimis sublime exstructam haberet*; adesse jusserunt. adeo tum adhuc luxus hic videbatur Censoria animadversione coërcendus, quod si quis non multis post annis fecisset, *eum sordidius quam Senatorem deceret habitare*, dicturi homines erant. Cn. Servilii L. Cassii severa Censura. Cic. Ver. 1.55 Velleius. 2.10. Val. Maxim. 1.8.7. Velleius.

XXIII. Princeps Senatus ab iisdem Censoribus electus est P. Lentulus. Iisdem temporibus diu jam quasi sub cineribus gliscens ignis, conjuratione Fregellana emicuit, aliquanto immaturius, eoque reprimentibus facilior. Nec dubitabatur, si diutius tegi consilia defectorum potuissent, quin bellum sociale, quod post aliquot annos violentissimum exarsit, eo potius tempore fuerit erupturum. Nunc priusquam latius contagio serperet, Fregellanam urbem L. Opimius Prætor obsidione cinctam, quum ad bellum tolerandum nullis rebus satis instructa esset, haud difficulter in potestatem redegit: prodente insuper patriam Q. Numitorio Pullo. Captam urbem dirui oportere non dubitatum. de principum pœna quum in consilio deliberaretur, plerorumque haud ambigua condemnatione, diu agitata Numitorii caussa est; quum recens meritum, prioribus quibusdam dictis ejus factisque, quibus aversum à populo R. animum aperuerat, levius videretur. ad extremum tamen deprecanti venia data: plusque valuit, quod rei Romanæ profuerat, quam quod nocere voluisse arguebatur. Fregellana rebellio. Jul. Obseq. cap. 90. Velleius. 2.6. Rhetor. ad Heren. 4.9. Cic. Philip. 3.6. Livii Epitom. Cic. de Invention. 2.34. Cic. de fin. 5.22.

XXIV. Ita bello feliciter gesto, maximisque periculis liberata Republica, quoniam hoc terrore compressa inhibitaque sociorum Latini nominis conspiratio fuerat, L. Opimius triumphum petiit, nec impetravit. non quin res triumpho dignæ viderentur, sed quia *de receptis populis triumphari solere* Senatus negabat; *augentibus imperium, non recuperantibus amissa, honorem istum antiquitus decretum* dictitando. L. Opimio triumphus negatur. Cic. in Pison. cap. 39. Ascon. in Pisonia. Val. Maxim. 2.8.4

XXV. Ceterum ille tumultus, tumultus enim veriùs quam bellum fuerat, ægros multorum animos magis etiam suspicionibus & cura maceravit: non sine invidia M. Fulvii Consulis, Caiique Gracchi, *quo præcipuo incentore socii ad res novas consurrexisse* dicebantur. Igitur neque tum æquis auribus Senatus accepit, quod urbes Sardiniæ, quum in prætura & insalubri hieme *tunicas ad exercitum mitti* L. Aurelius jussisset, detrectaverant imperium, & Romæ, per legatos, gratiam mittendi obtinuerant: deinde C. Graccho Quæstore circumeunte roganteque, alacriter & prompte præbuerant, unde *pluris apud Sardos auctoritatem adolescentuli, quam imperium Consulis, quam nomen populi Romani fuisse*, obtrectatores ejus fremebant. Marcellin. 25.31. Invidia C. Gracchi ex negotio Fregellano, & aliis caussis. Auct. de Vir. Illustr. cap. 65. Plutarch. Gracch. cap. 21

XXVI. Ab eodem deinde animo, quum prorogata L. Aurelio provincia fuisset, legatique Regis Micipsæ Romam venissent, nunciantes *Regem C. Gracchi honoris* Gracchus in Urbem redire cupit.

caussa frumentum in Sardiniam Imperatori misisse, magna Patrum coorta indignatione, legatio rejecta est. Quibus rebus, sicut ira Senatus, ita populi favor in Gracchum in dies augebatur. cui ut se præberet, quamprimum in Urbem reverti desiderabat. Contra moliebantur civitatis principes, ut eum, quam possent diutissimo in externis nationibus detinerent: donec providere quæ in usum erant, aut avertere ab eo populi amorem, senescentibus, ut fit, per absentiam studiis potuissent.

XXVII. Igitur C. Cassio Longino, C. Sextio Calvino Consulibus, quum de provinciis ornandis ageretur, M. Fulvio in Gallia L. Aurelio in Sardinia prorogatum imperium est, haud minus, ut Proquæstorem Gracchum retineret; quam quia bellum gnaviter administraverat. Nam & M. Fulvium abesse potissimum simili de caussa voluerunt. Et hic quidem rebus gerendis gaudens, prorogatam sibi provinciam æquiore animo tulit: Caius intellecto Patrum consilio, tanto minus utilem sibi moram in Sardinia ratus quanto diligentius optimates eam procurabant, confestim ex provincia abnavigavit: & quum famam prævenisset, non modo magnis inimicorum querelis, sed etiam non sine plebis ipsius admiratione ac sermonibus, subito Romæ conspectus est.

A.U.C. 629. invitis Patribus, Plutarch. Gracch. cap. 3.

XXVIII. Cæterum quum adesse jussus apud Censores, caussam suam ingenti facundia, magnisque rationum ponderibus egisset, statim ei non restitutam modo populi voluntatem, sed etiam auctam esse apparuit: quum injuria facta innocenti videretur. *Stipendia* enim *se fecisse duodecim* ostenderat, *quum à cæteris haud amplius dena poscerentur: in tertium usque annum in provincia fuisse, quum alios exactus Quæsturæ annus in Urbem remitteret.*

Ejus defensio apud Censores. Sosipat. Charis. lib. 1 Plutarch.

XXIX. Alia deinde de moribus abstinentiaque sua loquutus, addidit *se loculos pecunia onustos portasse in Sardiniam, vacuos reportasse: alios amphoras quas onustas vino detulissent, auro atque argento refertas domum remisisse*. Neque infelicius deinde suspicionem Fregellanæ rebellionis, sociorumque in prava consilia clam impulsorum diluit. Quibus actionibus tum apud omnes clarior, tum incitatior ipse (nam frequenti contentione animus incaluerat) Tribunatum plebis, matre plurimum dehortante, instituit petere. Hoc aliud maximi motus initium fuit, toto virium suarum pondere resistentibus, quotquot vel Tiberio fuerunt inimici, vel illius legibus similes alias metuebant. Sed horum pugnacitas incitamento plebi fuit, quo cupidius contenderet: tantusque die comitiorum confluxus ex universa Italia, tantum hominum studium fuit, ut infinitam multitudinem non capiente campo, magna pars ex tectis & fastigiis ædificiorum acclamaret.

C. Gracchus Tribunatum plebis petit. Agel. 15. 18. Plutarch. Frag. Epist. Corneliæ. Plutarch.

XXX. Spem enim agrorum varie partim ipsius rei difficultatibus impeditam; partim locupletum artibus extractam iniquissimo animo ferentes, hunc sibi virum divinitus missum credebant, qui fraternarum legum, suarumque ipse in triumviratu actionum acerrimus vindex, & quod intricatum esset, explicare ingenio, & quod convulsum restituere animo ac auctoritate posset. Igitur quin Tribunus fieret, haud magna dubitatio fuit. in hoc tantum feliciter obnisi Patres sunt, uti non pro expectatione sua primus, sed omnino quartus renunciaretur. Ipse tamen paulo post vigore actionum & eloquentia constituit se omnium facile principem.

Et consequitur. Appianus. Civil. lib. 1. Plutarch.

XXXI. Interim colonia deducta est, in Volscis Fabrateria: Lustrumque in Urbe sexagesimum Cn. Servilio, L. Cassio Censoribus conditum. civium Romanorum capita trecenta nonaginta millia septingenta triginta sex censa fuerunt. Sequens annus Q. Cæcilio Metello, T. Quinctio Flaminio Consulibus, & bella foris, & plus ex urbanis contentionibus terroris domi habuit. Baleares ignobilis antea natio, nec temere nisi inter Punicos auxiliares cognita, tum Consularis provincia facti, Q. Metello obvenerunt.

Census actus Velleius. I. 15 Livii Epitom. A. V. C. 630. Balearicum bellum.

XXXII. Piraticam faciebant audacius jam crebriusque: ut solet, ubi primi conatus impune, & cum præmio fuerunt. Hominum ad triginta millia insulas incolunt duas potissimum (nam Ebusus, quamquam vicina, perperam a quibusdam adjicitur) quarum quæ Major vocatur & est, ab Hispaniæ Tarraconensis litore, ubi Dianium est, spatio mille quadringentorum stadiorum disjungitur. centum millia passuum longitudine, trecentorum octoginta millium ambitu patens. Huic deinde intervallo stadiorum septuaginta Minor adjacet, quæ sexaginta millia passuum longa, centum quinquaginta in circuitu numerat.

Balearium descriptio. Strab. lib. 3. Florus. 3. 8. Diodorus. 5. 17. Zonaras. Plin. 3. 5. Pompon. Mela. Ilin.

XXXIII. Græci *Gymnesias* nocaverunt, quia per æstatem præter sisynnam nullis vestibus operiuntur. Nobis *Balearium* recepta est appellatio; sive & ipsa Græcæ originis ad jactum fundarum, quibus præcipue valent, respicit: sive antiquis fabulis credendum est, nomen à *Balco* quodam arcessentibus, *quem Herculis Thebani comitem, & ab eo relictum iis locis narrant, quo tempore ad Geryonis abigenda armenta heros ille properabat*. Utraque insula dives habet solum, omniumque rerum, præterquam vini & olei, ferax: portus sunt commodi, nisi quod saxoso plerumque ore, curam atque periciam gubernatorum introitus desiderat.

Cur vocatæ Gymnesiæ, & Baleares. Strab. Plin. Liv. Epitom. Lycophr. Cassan. Dionysius Periegs. Liv. Epitom. Marcel. 15. 26. Liv. Epitome. Strab. Diodorus.

XXXIV. Absurda quædam, ut barbaris, instituta sunt, quæ referri non attinet: illud etiam sapientibus haud spernendum crediderim, quod aurum & argentum neque signant, neque alibi signatum importari sinunt: *edocti*, ut aiunt, *Geryonis calamitate, cui propter magnitudinem pecuniæ bellum illatum ab Hercule fuerit*. Ergo qui mercede apud Carthaginienses militabant, pecuniam non reportabant domum: sed vinum emebant, cujus cupidissimi sunt, & mulieres, in hanc quoque voluptatem adeo projectum genus, ut cum piratis unam mulierem quotuor permutare viris consueverint.

Aurum & argentum signatum non habent. Auctor. περὶ θαυμ. ἀκουσ. cap 75 Diodorus.

XXXV. Discincti in bellum eunt, scutum ex corio manu gestantes, & jaculum præusta plerumque cuspide, non sæpe ferro eoque exiguo præfixum. Maxima vis in fundis est: quas ex melancranide (junci genus est) scite confectas, in prœliis ternas ferunt, una caput vincientes, altera ventrem, dum tertia in manu est. nec ad idem spatium omnibus promiscue utuntur. aliæ enim ad longiores jactus sunt commodiores: aliæ propiore meta certius validiusque feriunt. Hoc solo genere armorum metuendi sunt, tribuente illis vigorem ac periciam usu, quem à teneris adhibent; neque matres panem ante dare dicuntur infantibus, quam scopi vicem propositum funda dejecerint.

Funda Balearium. Strabo. Diodorus.

XXXVI. Pacificum alias hominum genus, cum studio pecuniæ plerasque bellorum caussas abjecerant, paucorum temeritas in calumniam, & ex calumnia in calamitatem traxit. nec enim publico consilio mare infestum habuerunt, sed cupidus triumphi Consul, noxiam videri gentem, quam ipse

Belli cum Romanis caussæ Florus. 3. 8. Strab.

esse innocens maluerat. Hoc ita traditum à ratione non abhorret, nec enim duas istas insulas consentaneum est, arma Romana, quorum non ignorabant potentiam, in se concitare voluisse. Illud etiam incredibilius, venienti ab alto Romanæ classi, quod prædam putarent, ultro occurrisse.

Metellus Baleares vincit. Florus. Strabo. Florus.

XXXVII. Quod satis certum est, vim propulsare conati prœlium acre fecerunt; terrore tamen majore, quam damno: quia Metellus super tabulata navium pelles extenderat, quibus excepta hostium missilia innoxia caderent. Igitur simul cominus ventum, & adversus nudos pila conjici cæpere, pecudum in morem sublato clamore dilapsi, sparsique in proximos tumulos, majore deinde labore inveniendi, quam vincendi fuerunt. unde infestior miles, plurimum ubique sanguinis fudit.

Triumphus M. Fulvii de Salluviis. Orosius 5.13. Strab. Pompon. Mel. Strabo. Appianus. Civil. lib. 1. Livii epitom. Liv. 5.34. Marcel. 15. 29. Florus 3. 2.

XXXVIII. Consul facile pacatis Balearibus, reliquum imperii tempus urbibus condendis consumpsit. Palma orientem versus, in occidua parte insulæ Pollentia est posita. In has ex coloniis civium Romanorum, quæ in Hispania erant, tria virorum millia scripta. Romæ triumphum hoc anno M. Fulvius Proconsule duxit: quem Massiliensibus sociis adversum infestos & præpotentes accolas auxilio profectum fuisse in Consulatu diximus. Salluvii præcipue Massiliam urgebant, quorum in agro condita, nunc invidia finitimorum, nunc metu, numquam non odio premebatur. Fulvius tamen res haud sane magnas ibi gesserat, magisque ominis caussa triumphus ei datus videri potest, quod ea prima trans Alpes expeditio Romana fuit.

Itemque Liguribus & Vocontiis. Triumphal. Colum.

XXXIX. Adjuverunt haud dubie spes plebis, erectæ jam C. Gracchi Tribunatu, patronisque suis hanc dare gratiam studente, non magis præmium prioribus actionibus, quam incitamentum futuris. & Senatus, quem adimi posse honorem desperabat, per se potius tribuere maluit. Triumphavit non de Salluviis modo, sed etiam de Liguribus atque Vocontiis, qui forte per agrum suum ducenti occurrerant. Secundæ M. Fulvii res, momentum C. Graccho cum ad voluntatem ferendi leges, tum ad fiduciam pertendendi attulerunt.

C. Gracchi actiones contra Senatum. Plutarch. Gracch.

XL. Ergo omnia subito novis contentionibus fervere cœperunt, graviter accusante potentes Caio, paratamque & popularem ex nece fratris materiam miris artibus ad inflammandos hominum animos versante. Præcipuum ad hæc telum habebat, violatæ sacrosanctæ potestatis invidiam, quam ita miscebat omnibus actionibus suis, ut non magis interitum Tiberii, quam populo factam injuriam deplorare videretur. *At vero majores nostri*, inquiebat, *Faliscus bellum intulerunt, quia Tribunum plebis Genucium contumeliose habuerant C. Veturium damnaverunt capitis, quod incedenti per forum Tribuno unus via non decessisset.*

Tiberii cædem invidiose exaggerat.

XLI. *At vobis inspectantibus Tib. Gracchum isti fragmentis subselliorum ociderunt: vobis inspectantibus mediam per Urbem traxerunt, ne quis locus crudelitatis eorum nota vacaret, & cujus in Capitolio erepta vita fuerat, ejus exanime cadaver in amnem projiceretur. Quid jam de amicis ejus querar, qui indefensi indemnatique supplicio affecti sunt? idque in ea civitate factitatum est, in qua capitalis noxæ reos, si forte lateant, ante suarum ædium fores occinente tubicine vocari in judicium mos est, neque prius in suffragia judices mitti. Tam illi religiose, tamque circumspecte, ubi de capite civis quæstio esset, agendum esse censuerunt.*

XLII. Hæc atque talia, quum præter proprii doloris stimulos, etiam oratoris arte, eoque vocis sono dicerentur, qui rebus ipsis mire congruebat, totius populi Romani lachrumæ concitabantur. Ergo Caius, ubi satis accensos multitudinis animos vidit, leges initio duas promulgat, quarum altera vetabat *honores petere eum, cui à populo abrogatus magistratus esset*: altera *dicere caussam in judicio populi* jubebat *eum qui indemnatum in magistratu suo civitate expulisset*.

> Leges fert in M. Octavium, & P. Popillium. Quintil. 11. 3. Plutarch.

XLII. Hæ leges aperte M. Octavium & P. Popillium petebant: quorum ille Tribunatu se coactus abdicaverat; Popillius amicos Tiberii quosdam in exsilium ejecisse dicebatur. Ex his Popillius, non exspectato populi judicio, solum vertit: Octavium Cornelia servavit, Caiusque *matris se dare hoc precibus* dicens, ipse antiquavit legem suam non retinente populo, qui & pietatem filii laudabat, & mulierem non ob liberos modo, sed etiam patrem Africanum magnopere suspiciebat. cujus rei indicium statua quoque præfert ei nomine populi posita, cum hoc titulo *Cornelia mater Gracchorum*. Sed & Caius minime ignarus quanti eam cives facerent, ejus mentione nonnumquam ad exagitandos adversarios abusus est: ut quum conviciatorem quemdam increpans, *Tunc Corneliæ*, inquit, *ausis maledicere, quæ Tiberium peperit, qua porro fronte Corneliæ te comparas, quæ se diutius mulier, quam tu vir, à viro abstinuisti?*

> Octavium Cornelia servat. Gracchorum mater. Agel. 11. 13. Plutarch. Cic. Bruto. cap. 34 & post redit. in senat. cap. ultim.

XLIV. Atque hujusmodi dictorum frequens amarulentia nunc etiam in orationibus ejus comparet. Cæterum modis omnibus & plebis extollere potentiam, & Senatus auctoritatem deprimere cupiens, plura majoraque quam frater Tiberius audebat. Principium ab agraria lege fuit, qua acrius atque plenius cavit, *ne quis contra legem Liciniam plus quingentis jugeribus haberet: utque ager publicus pauperibus divideretur*. Triumviros agris dividundis seque & M. Fulvium denuo creavit, C. etiam Crasso in societatem curiæ adsumpto.

> Caii lex Agraria. Velleius 2. 6. Plutarch. Flor. 3. 15. Plutarch. Auct. de Vir. Illust. cap. 65. Velleius. Flor.

XLV. Portoria quoque & vectigalia nova constituit, ex Asia & Attali Regis hæreditate: quo respublica tantis largitionibus sufficeret. Nam & militari lege, qua *minorem annis septemdecim rogari sacramento* vetuit, *vestem gratuitam militi* dabat; & annonaria *pauperibus frumentum menstruum dividere semisse & triente instituerat*. quæ largitio quum esset nimia, exhaurireturque ærarium, & plebem ad desidiam avocaret, boni repugnabant; sed à pluribus vincebantur. Sumptum præterea incredibilem munitio viarum suscepta absorbebat, non ad utilitatem magis quam gratiam & decorem omnibus exacte dispositis.

> Leges de portoriis, Militaris, Frumentaria. Agel. 11. 10. Plutarch. Velleius. Liv. Epitom. Cic. Offic. 2. 2. Cic. pro Sex. 2. 4. 8. Appianus. Civil. lib. 1. Plutarch.

XLVI. Ducebantur rectissimæ per agros viæ, partim saxo quadrato, alibi glarea stratæ. ubi torrens aut cavernæ ruperat iter, pontes imponebantur, aut complebantur depressa, donec totum opus æqualem ubivis faciem præferret. Id deinde milliaribus distinguebatur, quarum notas & numerum justis intervallis positæ ex lapide columnæ indicabant. paulo minus octo stadiis in singula milliaria tribuebatur. Ad hoc frequentes secundum viam erectæ erant pilæ, quarum ope qui iter facerent, commodius inscendere in equos, usu ita ferente, possent.

> Vias munit Caius.

XLVII. Hæc aliaque per se curabat, mire sufficiente vigore corporis ad omnia quæ animus imperasset. mirabanturque eum homines, cum legatorum, magi-

> Ejus vigor & humanitas.

stratuum, eruditorum, militum, opificum caterva incedentem, sufficientemque unum omnibus & amorem universorum ita tuentem humanitate, ut tamen gravitatem ejus cuncti revererentur. Sed ista majorem juveni invidiam excitabant, quum nihil intactum inque tentatum relinquere videretur, quo sibi magnas opes, Regiæque parem potentiam, auxilio plebis, rogationum talium inescatæ dulcedine compararet.

Velleius. Appianus Civil. lib. 1.

XLVIII. Idque atrocius metui cœptum, ubi tempore magistratus ejus ferme consumpto, M. Fulvius haud obscure differebat, *altero ei Tribunatu ad perferenda quæ instituisset, opus esse*. neque dubius erat populi favor: & ne prohiberi omnino posset, lege juvabatur, per quam tribuniciis comitiis si ad numerum Tribuni non essent, jus erat populo ex omnibus quem vellet adlegendi. Jam ergo minus de Tribunatu, sed aliquid novum atroxque timebatur, & erant qui suspicarentur, simplici potestate non contentum, Tribuni simul Consulisque nomen ac imperium invadere statuisse.

Unde major optimatibus metus. Plutarch.

XLIX. Terruerat eos vox, quam inter applausum populi & flagrantium studiorum testificationem jecerat: *se aliquid in beneficii loco à plebe petiturum, quod si adeptus foret, habere instar omnium; sin vero, nihil tamen queri decrevisset*. Comitiorum tamen Consularium adveniens tempus ostendit frustra eum suspectum hoc nomine fuisse: quippe cum amicis C. Fannium C. F. deduxit in campum, petentique suffragator gratiosus & efficax exstitit. ipse autem Tribunus plebis, quamquam id quidem non peteret, refectus est.

Caius refectus Tribunus. Appianus. Velleius.

L. Dum ita Romæ dissidetur, etiam Orientis regna multas calamitates discordiis mutationibusque Regum pertulerunt. Demetrius iterum Rex Syriæ, pravitate morum populi & militum odium meruerat; uxoremque Cleopatram, ob superinductam apud Parthos Rhodogunen, infensam habebat. His quasi parum negotii haberet, bellum Ægyptium adjunxit, socru Cleopatra auxilium adversus fratrem Phisconem orante, & auxilii pretium ostentante Ptolemæorum opes. Acciderat enim, ut Hegelochus Ptolemæi dux, exercitu Alexandrinorum internecione deleto, & prætore Marsya capto, Cleopatram rerum suarum desperatione confugere in Syriam cum thesauris Regiis compelleret: à filio generoque subsidium fortunæ præsentis petituram.

Demetrius Syriæ Rex Ægyptum bello petit. Joseph. 13. 17. Appianus Syriac. Justin. 39. 1. Diod. apud Valesi. Justin.

LI. Sed Demetrium aliena solicitantem regna, defectio Antiochensium, qui duce Tryphone rebellabant, de suo coëgit dimicare. Mox enim Apameni cæteræque nonnullæ civitates, per absentiam Regis, qui jam ad Pelusium admoverat copias, exemplum Antiochensium sequutæ sunt: & à Ptolemæo, tamquam adversus communem hostem auxilia, Seleucidarumque aliquem, quem sibi Regem constituerent, petierunt. Ptolemæus juvenem quemdam Ægyptium cum ingentibus auxiliis misit: ut tamquam Antiochi familiæ per adoptionem insertus, dejecto Demetrio Syriam sibi quasi jure vindicaret.

Interim ab eo deficiunt Syri. Porphyr. apud Euseb. Joseph. Zonar. Justin.

LII. Neque Syri aspernati sunt: quemlibet potius habituri Regem, quam prioris ultra passuri superbiam, quæ Parthicæ arrogantiæ conversatione, facta prorsus intolerabilis fuerat. *Alexandri* nomen impositum est novo Regi, quibusdam *Alexandri Regis filium* dicentibus; quum Protarchus ei pater esset, mercibus permutandis tolerare se solitus, unde *Zabinæ* cognomentum Alexandro à Syris est inditum. Forte sub idem tempus à Rege Parthorum ingento

Alexandro quodam Rege constituto. Porphyr. Scal. a ud Euseb. pa . 267. fut. a: Justin.

argenteo loculo remissum Antiochi corpus, magni favoris occasionem novo Regi attulit: quum reliquias non ineptus histrio maxima cum reverentia, lachrumisque ubertim manantibus excipiendo, stultæ plebeculæ pietatis opinionem, tamquam domestici funeris dolorem non ferens, injecisset.

LIII. His auditis Demetrius à Pelusio cum exercitu redit: nec segnius ab Alexandro occurritur. haud procul Damasco quum signa contulissent, vincitur Demetrius. Tum vero concepta olim odia, postquam ex rebus adversis contemptus accesserat, nemine dissimulante, quum ad Cleopatram, quæ cum Ptolemaide cum liberis communibus degebat, ex fuga se reciperet, clausæ advenienti portæ sunt. Sic ab uxore filiisque desertum se videns, Tyrum navigio petiit, ut saltem sanctitate veteris templi se defenderet. Sed ibi quoque eum inimica sors, & infestæ conjugis fraude comparatum exitium exspectabat. *Demetrii clades & mors. Porphyr. Ioseph. Iustin. Ioseph. Iustin. Porphyr.*

LIV. Ita Rex paulo ante potentissimus, nune famulorum suorum supplex, dum exscensionem facit, præfecti jussu corripitur, & paulo post non sine eruciatu & contumelia occiditur. Nec mora, quemadmodum in sceleribus facile proficitur, & primum quodque facinus ad majora fere & caussam & audaciam præstat, viri necem Cleopatra majoris filii morte cumulat. Seleuco nomen erat: qui audita morte patris, de jure suo nihil dubitans quum diadema sumpsisset; Cleopatra mater, injussu id suo factum frendens, arrepto arcu juvenem sagitta transfixit. jam non modo voluntate & voce ad jubendum parricidium, sed etiam ad patrandum manu certa. *Cleopatra Seleucum filium interficit. Liv. Epitom. Appian. Syriac. Iustin. Iosephus. Iustin. Livii Epitom. Porphyr. Appian.*

LV. Sic amoto Seleuco, frater ejus Antiochus, cui à nasi magnitudine cognomen *Grypo* fuit, hactenus à matre Rex constituitur, ut ille quidem nomen principis, ipsa potestatem obtineret. Inter hos Syriæ motus, quum nec tum satis quieta Ægyptus foret, extera quoque regna multis calamitatibus vexata sunt. Cappadociam morte Regis destitutam Nicomedes Bithynus affectabat: Ariarathis domum adfinitatis jure Mithridates Ponticus tuebatur. Neque magis inter hos apud Cappadociam bello quam Romæ largitione certabatur: legatis Regum, quia lex Aufeja de rebus istis promulgata erat (ut in oratione C. Gracchi, qui legem dissuasit, scriptum est) aliorum vocem, aliorum etiam silentium impenso pretio redimentibus. *Iustin. Cappadociæ calamitates. Appian. Mithridat. Agell. 11. 10.*

LVI. Babylonios & Seleucenses vicaria potestate quidam Himerus obtinebat, à Phrahate impositus, cujus gratiam per turpia obsequia promeruerat. Is quum ad suum patriæque genium, Hyrcanus enim erat natione, Parthicæ etiam educationis vitia adjunxisset, tantæ crudelitatis fuit, ut omnium qui usquam fuerunt tyrannorum supergredi feritatem videretur. neque enim aut occasionem, aut genus ullum sævitiæ prætermittebat. multosque Babyloniorum ob leves plerumque caussas, cum omni familia in servitutem redegit, misitque in Mediam, ut pro mancipiis venirent. *Itemque Babyloniæ. Trog. Prol. 42. Athenæ. lib. 10. Iustin. 42. 2. Diodor. apud Valesium.*

LVII. Ne monumentis quidem ædificiisque vel sacris vel profanis pepercit: forum Babylonis & templa quædam incendit: pulcherrimam partem urbis perdidit. His ejus sceleribus licentiam & impunitatem dabat, implicitus bello Scytharum, deinde à suis militibus interfectus Phrahates. Utriusque initium ei victoria de Antiocho dedit. Adeo plerumque nesciunt homines quid aut quorsum cupiant, sæpiusque, sub alia specie ac nomine, malorum suorum origine caussis- *Etiam Phrahatis Parthorum Regis. Iustin.*

que delectantur. Scythas Phrahates cum Antiocho bellans exciverat. & post victoriam venientibus mercedem pernegabat.

Scytharum oratio ad Phrahatem.

LVIII. Igitur illorum legatus, pro more gentis horrida & truci oratione, *Venimus ad te*, inquit, *Rex Phrahates, tuis promissis exciti, pactoque stipendio, quod negari conditionem, quantum in nobis est implentibus, non debet. Si citius quam speraveras bellum confecisti: non ideo minus delectum habuerunt Scythæ, suisque finibus ut tibi militarent, sunt egressi. Tanta juventus neque cogi sine spe præmiorum, neque contineri sine præstatione potest. Nihil præter arma quæ numquam nobis deerunt attulimus, quo pecuniam, quæ deerat reportaremus. Non ita facilis auctoranti exauctorantique turba sumus, ut quoties alicujus necessitas & negotia poscant, accurramus acciti, & quum illa præterierit, remittamur inanes.*

Etiam sero venientibus stipendium deberi pugnat.

LIX. *Plus daturus Antiochus erat, sed Parthicum nomen, & cognatio gentis effecerunt, ut tuam caussam præferremus. Ne igitur injuriæ dignos existimes, qui tam impigre accurrerunt, ut te ab injuriis hostium vindicarent. At sero venistis, inquies. an igitur postulandum erat, ut alas aptaremus pedibus aut currum Solis conscenderemus? si citius existimatione tua vicisti, fortunæ tuæ age gratias, & tanto liberaliorem te exhibe, quanto factus es potentior. Nec in uno Antiocho cecidisse omnes Parthorum hostes credas. magna imperia non patitur Deus diu sine æmulo consistere. Segniores ad stipendia tua venient: qui meminerint nulla mercede venisse. ac semel elusi, semper eamdem fraudem timebunt.*

Famam venientium profuisse Parthis.

LX. *Sicut operam à nobis, sic à te præstari stipendia oportuit: ne illa navaretur, per nos non stetit. per te stare non debet, ne stipendia repræsententur. Si corporibus non pugnavimus, quid refert? si tantumdem fama Scythicorum armorum effecit, quantum vix aliorum arma potuissent. Non ante defecerunt ab Antiocho civitates, quam de Scythicis auxiliis auditum est: nec ille tam festinanter commisisset pugnam, nisi occupare adventum nostrum studuisset. Denique ne quid postulare indebitum videamur, da alium hostem, & videbis, non accipere Scythas stipendia cupidius, quam mereri.*

Scythæ Parthorum agros vastant.

LXI. *Si vero nulla te ad æquitatem ratio flectit, hoc à nobis non ferociter, sed libere dictum accipe. pauci ut de jure ageremus missi sumus. si non erit impetratum, jam omnes illi ad exigendum stipendium aderunt, qui ad merendum venerunt.* Nec dictis defuit fides, versisque in eos armis, pro quibus illa domo extulerant, vastare Parthorum agros Scythæ cœperunt. Occurrit cum suis Phrahates, Græcosque milites Antiochi bello captos; quamquam ea eum ipsis ratio & caussa non erat, ut magnopere deberet atrociter habitis confidere, tamen adversum hostes secum rapit.

Copias Regemque cædunt. Justin. 37. 1.

LXII. At illi tum pristinorum odiorum, tum recentis injuriæ memores postquam prœlio commisso laborare senserunt Parthos, translatis ad hostem signis, internecione copiarum Parthicarum ipsiusque Regis cæde captivitatis suæ mala vindicarunt. Scythæ depopulata Parthia, nec ultra fortunæ insistentes, ad sua reversi sunt. Neque multo post Laudice, quæ Cappadociam post mortem mariti cum liberis sex virilis sexus acceperat, avida regnandi, quum reliquis veneno interceptis, numerum ad unum parvulum, cui & ipsi nomen Ariarathes fuit, deduxisset, vicissim à populo occisa est.

LXIII. Mithridates quoque cognomento *Evergetes*, qui primus Ponticorum Regum amicus populi Romani appellatus fuerat, eumque bello Punico prius, deinde Asiatico navibus & copiis juverat, Regnum uxori liberisque infantibus reliquit, insidiis amicorum interfectus. Sed me tot Regum uno tempore flebiles exitus, tam fœde & quæsita & amissa Regna, scelerumque ac pœnarum multiplices vices reputantem, generis humani miseret pudetque. Quæ enim, malum, amentia est, vel opibus injuste partis securam possessionem; vel in ea inquietudine animi, felicitatis partem ullam quærere? Miseratio tot tantorumque casuum. Strab. lib. 10 Appian. Mithrid.

LXIV. Nisi forte se quisque nequissimum mortalium credit: cæteris neque cupiditatem eamdem, neque malitiam fore arbitratur. quasi vero maxima maleficia plurimo ingenio egeant: aut fidum sibi quemquam sperare possit, qui perfidus in conjunctissimos ipse exstitisset! Verum enim vero malis libidinibus excœcatæ mentes, inemendabili pervicacia in exitium præcipitant: non sapientiæ monitis, non experientiæ documentis coercita temeritate: sed argumentis usuque rerum nequidquam circumstrepentibus, rationi non relinquunt locum, exempla horrent & imitantur. Neque enim cessatum ab his artibus postea est: donec pleræque omnes illæ Regum familiæ stirpitus cum Regnis ipsis interirent. Caussarumque detestatio.

LXV. Sed ab externorum contemplatione malorum ad res Urbanas reflectendus est animus, quæ & ipsæ C. Gracchi altero jam Tribunatu majorem in modum turbabantur. Sic enim jam declaraverat animum suum Cajus, ut certum adversarium Senatum ei fore dubitare nemo posset. Ergo ad hujus infringendam auctoritatem, conferre consilia sua opesque omnes instituit. & quia honestissimus quisque de populo atque locupletissimus partes Senatus tuebatur, ipse quoque sibi displicebat, nullam actionibus suis dignitatem ab infimæ tantum plebis adsensu constare arbitratus. C. Gracchi Tribunatus alter truculentus.

LXVI. Quo igitur Senatum illa parte virium privaret, & consentientes hactenus cum illo populi primores avelleret, vestigia fratris sequutus, quod ille concupiverat, perfecit, ut appellatione judicum Equites à reliquis civibus separarentur. Prius tamen majus adhuc ausum tentaverat, *ut trecentis Senatoribus Equites sexcenti adderentur*, ferendo: quo illi pacto duplicem in Senatu partem virium erant habituri. Deinde, quum hoc atrocius, quam ut obtineri posset, videretur; id omnino, contra Patrum obnixam dimicationem tenuit, *ut non ex Senatu, sicut factum antiquitus fuerat, sed ex solis decuriis Equitum forte judices ducerentur*. Ejus Judiciariæ leges. Liv. Epitom. Plin 33.1. Liv. Epitom. Plutarch. Grac cap. 7. Liv. Epitom. Ruald. in Plut. Animadvers. 26. Plutarch. Ascerius in divin.

LXVII. Orationem Tribuni reliquis etiam rebus omnibus popularem, allata postremorum aliquot judiciorum exempla juverunt, quum *dedecus ac periculum civitatis*, invidiose deploraret, *in qua nemo tam esset nocens, quin absolvi pecunia data posset; sic enim Aurelium Cottam ac Salinatorem nuper; sic modo Man. Aquillium vindictam legum effugisse*. Accendebatur populus re nota ac recenti, quum adhuc in Urbe legati sociorum essent, de suis injuriis & absolutione reorum multa passim quiritantes. Hic maxime pudor cohibuit Senatum, ne ad extremum obtineretur. Appian. civil. lib. 1 Propter nocentes quosdam recens absolutos, facilius receptæ.

LXVIII. Perlata lege Gracchus exultans, *nunc vero se dominationem Senatus à culmine subruisse* jactavit. Atque hæc actio quum ad contumeliam Patrum tota pertineret; addidit ei quoque ex re non ita magna magnum sane momentum, Cajus insultat Senatum. Plutarch.

Nam ad ea usque tempora, qui cum populo agebant, ad Comitium Curiamque respicere erant soliti: Cajus ad forum obvertit sese, posteaque morem illum tenuit, quod verbis non audebat dicere, facto significans, in iis quae ad Rempublicam pertinerent, plebem potius quam Senatum intuendum, atque illius quam hujus ad voluntatem componendum sermonem esse.

Cui multum roboris eo modo detraxit.

LXIX. Hac judiciaria lege Cajus multum & Senatui ademit roboris, & sibi adjecit. praesertim, quia populus ei decurias instituendi describendique in eas ad numerum Equites potestatem permiserat. Sed ipse quidem haud diuturnum victoriae suae fructum percipere potuit. Senatui quantum inflictum vulnus esset, paucis deinde annis apparuit, quum Equites Romani, quibus subnixis judiciorum potestate, vexare quemlibet ex principibus facillimum erat, occasione abutentes, quandoque accusatores subornarent inimicis, ipsi vere Rempublicam impune pecularentur, quod neque in provinciis Praetores obviam audebant ire, nec in Urbe leges poterant; quorum alteros terror judiciorum cohibebat, alteras judicantium circumveniebat improbitas.

Appian. Florus 3.17. Appian. Florus 3.13. Diod. 34.2. Vellejus 2.6. Auct. de Vir. illustr. Plutarch. Vellejus. Appian. Vellejus. Plutarch.

LXX. Sed haec deinceps acciderunt: tum autem perurgens coepta Gracchus legem *de coloniis* ferebat, nominatim *Tarento & Capua.* eodemque tempore, sociorum etiam benevolentiam captans, pene ad Alpes usque populis Italicis, sub nomine Latinorum *civitatem Romanam cum suffragii jure* permittebat: quo paratam ad omnia quae cuperet sciscenda concionem haberet. Senatus propemodum Regali licentia, cuncta quae collibita animo forent Gracchum facere facturumque esse prospiciens, neque sese jus suum obtinere posse, donec Tribuno studia plebis integra & illibata manerent, adversarium illi collegam ejus M. Livium Drusum nova ratione comparat, non qui leges ejus intercedendo moraretur, sed qui Senatus nomine majoribus largitionibus antiquaret: ut quibus artibus invaluerat Gracchus; iisdem subverteretur.

Senatus Graccho adversarium parat M. Livium Drusum.

LXXI. Non ingenium ad haec Druso, non facundia deerat. auctoritatis vero, quantum aliis vix provecta aetas conciliat, severitate morum & incorrupta juventa quaesiverat. Hoc igitur leges promulgare aggresso, statim patuit, non tam actionibus Gracchi, quam opibus infensos Patres esse. nam qui *duas ab illo colonias constitui non ferendum* conclamaverant, iidem nunc ferri à Druso *de duodecim, & in eas terna hominum millia scribi* facile patiebantur. quique pauperibus agrum tributo imposito diviserat, Latinis civitatem cum suffragio dare studebat, *eum largitionibus plebem sociosque corrumpere* criminabantur: hunc summa ope adjuvabant, tributum remittentem plebi, & socios, militiae quoque, virgis caedi vetantem.

Hic auctore Senatu plura largitur populo quam Caius. Tacit. 3.27. Diodorus. apud Vales.

LXXII. Igitur in legibus Reipublicae perniciosis, haec tamen non contemnenda utilitas inerat, quod populus Senatui, quo auctore haec se facere Drusus dictitabat, conciliatus, Caji conata sensim destituebat. Multum ad haec modestia Drusi justitiaque valebat, dissimilis superioribus fere latoribus legum. Nam & Cajus pleraque rogationibus suis jussa per se exsequebatur, pecuniasque maximas tractabat: ea res tametsi animum ejus non corrumperet, suspicionem tamen aliquam afferebat. Drusus ab omni calumnia liber alios creavit coloniis deducendis triumviros, pecuniamque populi jussit ab aliis administrari.

Drusi modestia & justitia. Fragm. legis apud Pig. Plutarch.

Rubrius de

LXXIII. Deductae sunt eodem anno Scylacium, Minervium, Tarentum,

Neptunia. Interea Cajus, sive sponte sua, sive quod minui sibi vires sentiebat, Senatum lege de provinciis lata delinire studuit; quas per illum constitui decernique jubebat, in Consularibus etiam intercedendi jure Tribunis negato. Dum hæc aguntur, Q. Rubrius Tribunus plebis, ne inter illustres collegarum actiones ipse inglorius otiosum magistratum ageret, legem tulerat, ut in solum Carthaginis à Scipione dirutæ, colonia deduceretur. Accepta lege, non ægre repertum, quibus cærimoniis devotum ab Africano solum religione liberaretur. colonia fert in solum Carthaginis deducenda. Cicer. de Provinc. consul. cap. 11. ibid. cap. 7. Plutarch.

LXXIV. Triumviros deducendæ coloniæ C. Gracchum apud omnes, M. Fulvium apud quosdam invenio: tertium ipsum legis auctorem Q. Rubrium fuisse credibile est. Prima coloniarum Romanarum extra Italiam hæc fuit: multisque res exempli formidabilis videbatur, complures colonias opportunis locis positas intuentibus, quæ progressu temporis originum suarum splendorem, nonnullæ & imperium, subitis potentiæ incrementis exstinxerunt. Parum prospera hæc curatio Cajo fuit, quippe domi M. Drusus contra absentem invalescebat, maxime M. Fulvii temeritatem in odium adducendo, cujus verba factaque ob consiliorum communicationem etiam Graccho imputabantur. Coloniæ multæ suis originibus exitiosæ Cic. cont. Rul. Appian. Vellejus 2. 15. Vellejus 2. 15. Plutarch.

LXXV. In ipsa Africa cœptum opus prodigia turbabant. Nam & valido spirante vento, quum signifer summa ope signum retineret, confractum est: & victimæ quæ aris impositæ erant, eodem turbine raptæ. Sed & in Urbe dimetienda defixos stipites, qui terminorum indices essent, lupi noctu evulserunt, corrososque longe à locis ubi positi fuerant transtulerunt. Quæ nunciata Romam, quum auguribus haud obscura vetantium numinum signa viderentur, moverunt Patres, ut *eade colonia iterum referendum esse* arbitrarentur. Et erant ob alia quoque nunciata prodigia trepidi. Vitulus bipes natus fuerat: & in Gallia tres Soles, totidemque Lunæ visi, androgynus etiam ex haruspicum responso in mare deportatus est. Prodigia inter Carthaginensis Coloniæ initia. Tertull. de Pallio cap. 1. Plutarch. Orosius 5. 12. Jul. Obseq. Plutarch. Appianus. Jul. Obseq.

LXXVI. At Triumviri nihilo segnius perfecto negotio, coloniaque *Junonia* appellata, quod in ejus divæ tutela antiquitus Carthago fuerat, intra diem septuagesimum constitutis quæ usus postulaverat, Romam recurrerunt. In Carthaginensem coloniam sex millia civium Romanorum scripta: quanquam pauciores comprehensi lege fuerant, sed Senatus ipse inquietum egenæ plebis numerum lubens exhauriebat. Colonia nihilominus deducitur. Plutarch. Virg. 1. Æneid. Appianus.

LXXVII. Festinare cogebant Cajum tum cætera, tum ex L. Opimio metus, qui se in prætura adversarium ei intenderat, Fregellanæ rebellionis culpa involvere juvenem conatus. Hunc proximis comitiis commendato C. Fannio depulerat: nunc iterum petentem aut submovendum sibi aliqua ratione videbat; aut graviorem in Consulatu inimicum sustinendum. Sentiebat & vetustescere potentiam suam, populumque, eadem jam & aliis, Senatuque adeo ipso largientibus, delinitum præsentium fructu, ad reliqua actionum relentescere. Cajus L. Opimium metuit. Auct. de Vir. illust. Plutarch. Appianus. Agel. 11. 13. Plutarch. Appianus.

LXXVIII. Hortatus igitur ad constantiam, *ignominiosum fore & indignum populo Romano* dixit, *si quæ per illos annos cupide appetissent, eadem magno labore parata nunc temere repudiarent*. & ne ullum prætermitteret lenocinii genus, ex Palatio demigravit in forum: magis hanc popularem habitationem fore ratus, quia frequentes inopes humilesque ea parte Urbis incolebant. Ex hinc reliquas promulgavit leges, tribusque de iis ostendit missurum in suffragia. Quum maximus in Urbem concursus hominum fieret, Senatusconsulto jussi Consules edicere, *ne* Plutarch. Novas leges promulgat.

quis, præter cives Romanos, qui suffragii jus haberent, per eos dies Romæ, aut intra quintum ab Urbe lapidem esse vellet.

Vrb. cond. ann. 631. Ejus contentio cum C. Fannio Consule. Plutarch.

LXXIX. Hoc edicto à Fannio, Consule proposito, C. enim Fannio, Cn. Domitio Ahenobarbo Consulibus ista gesta sunt, tanto impatientior Gracchus, quod quem ipse Consulem fecisset, is suis consiliis tantopere noceret, contrarium Consulis edicto edictum proposuit; *si quis sociorum manere Romæ vellent, iis auxilio se futurum.* Neque tamen stetit promissis: sed quum unum notorum atque familiarium præter ora sua trahi videret à Fannii lictoribus, tacitus tulit. sive vim suam flaccescentem impari contentione prodere veritus; sive, ut dicebat ipse, *non præbiturus ansam certaminis, quærentibus inimicis.*

Alia cum collegis fuit.

LXXX. Sed & cum suis ipse collegis per eos dies offensione quadam & discordia commissus ex tali caussa est. Dabantur in foro gladiatores, & plerique magistratuum cuneos in orbem ad spectandum instruxerant, quos pecunia locarent. Jussit eos tolli Cajus, quo spectare pauperes iisdem ex locis sine mercede possent. Id quum à nemine fieret, expectans noctem quæ mutius anteibat, adsumptis quotquot habebat conductos fabris, omnem illum apparatum amolitus, in spectaculi diem populo locum vacuum exhibuit.

Caji ardor obtinendo proposito. Val. Maxim. 8. 10. 1. Diod. apud Valesium. Plutarch.

LXXXI. Hoc facto sicut apud multitudinem magni & constantis viri laudem meruit; ita tanquam nimius & praeferocis animi collegarum commovit odia. Erat enim in eo mirus ad res quas animo proposuisset, obtinendas ardor, quem etiam in dicendo quum temperandum esse sciret, temperare ipse non posset, novo invento servum musicum cum eburnea fistula post se collocavit in rostris, quoties verba ad populum faceret: ut qui modus vocis ubique tenendus esset, levi indicio submoneret.

Multas Reip. partes egregie constituit. Cic de Orat. 3. 60. Diodorus. apud Valesf. Quintil 11. 3. Cic. contra Rullum 2. 5. Plutarch. Cic. pro Cluent. c. 55. Cic. pro C. Rabir. cap. 4.

LXXXII. Ab eodem ardore fuisse observant, quod præter morem omnium ad eam ætatem oratorum, inter concionandum nudato brachio ambulavit. Cum ista tamen violentia multas ab eo Reipublicæ partes egregie constitutas fatendum est: eoque auctore subinde quædam Senatus, majestate amplissimi ordinis digna decrevit. Inter quæ quum à Proprætore Q. Fabio missum Romam frumentum ex Hispania esset; frumento vendito civitatibus, unde sumptum fuerat, restituta pecunia est: Proprætor increpitus, *qui provinciis imperium Romani populi durum ingratumque efficere instituisset.*

Horrea ædificat.

LXXXIII. Ipse legem *de horreis ædificandis tulit: in quibus ad usum Urbis recondi annona posset.* Sed & in Senatores atque Magistratus pœnam sanxit, *si quis eorum convenisset, constetque, quo quis judicio publico condemnaretur. & de capite civis Romani injussu populi judicari vetuit.* Sed me jam Urbanis turbis tradendis fatigatum, ipsa temporum series ad alia vocans, grato munere afficit, ut aliarum commemoratione rerum tam sævæ discordiæ fastidium interpoletur.

FINIS FIBRI LX.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri LXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

C. Sextius Proconsul, victa Salviorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam, & calidis & frigidis fontibus, atque à nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius Proconsul contra Allobroges ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi caussa fuit, quod Teutomalium Salviorum Regem fugientem recepissent, & omni ope juvissent: quodque Æduorum agros, sociorum populi Romani vastavissent. C. Gracchus seditioso Tribunatu acto, quum Aventinum quoque armata multitudine occupavisset, à L. Opimio Consule, ex Senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus, interemptus est: & cum eo Fulvius Flaccus Consularis, socius ejusdem furoris. Q. Fabius Maximus Consul, Paulli nepos, adversus Allobroges, & Bituitum Arvernorum Regem, feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. & quum ipse ad satisfaciendum Senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est; quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congentiatus, filius ejus comprehensus, Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius accusatus apud populum à Q. Decio Tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, absolutus est.

I. QUUM Italiam C. Fannius Consul provinciam haberet; collega ejus Cn. Domitius in Galliam (Gallia enim huic evenerat) profectus est. Magni jam tum in ea motus erant, & majores quotidie sperabantur. Salluviorum potens & bellicosa natio, tentata magis à M. Fulvio, quam victa, suis & accolarum copiis exercitum haud ægre reparaverat. Non igitur levius C. Sextio, qui Proconsule provinciam acceperat, quam adversus integros bellum fuit. Præter immanitatem gentium, locorum obstabat asperitas, eoque multis, sed munitis prœliis pulsi, ex facili instaurabant bellum, donec virtute simul & humanitate ducis Romani mitigata nonnihil agrestium hominum feritas cessit. C. Sextii bellum in Gallia. Florus 3.2. Marcellin. 15. 29. Liv. Epitom. Vellejus 1 15. Diod. apud Valess.

II. Locus erat calidis & frigidis fontibus irriguus, ubi collato pede dimicatum, & major quam antea Salluviorum strages fuit. Usus fortuna Romanus, ad oppidum hostium duxit, quod frequens propugnatoribus, quum in potestatem redactum esset, & captivi sub corona venderentur; unus eorum, Crantor nomine, Proconsulem edocet, *semper se partium Romanarum fuisse, eaque caussa multas à civibus suis contumelias, & detrimenta magna passum,* & constabat veram allegationem esse. Tum Proconsul alliciendos magnis præmiis duros animos ratus, non modo Crantorem cum propinquis omnibus libertati restitui, bonaque iis reddi jubet; sed insuper potestatem homini facit, ex omni numero captivorum capita nongenta liberandi. Ejus Victoria, & clementia.

Aquas Sextias condit. Liv. Epitom. Strab. lib. 4. Tab. Triump.

III. Hiberna deinde in loco ubi pugnaverat habuit,& quia otium ab hoste erat, mœnibus excitatis urbem instituit condere, vocavitque *Aquas Sextias:* quæ hodie manent, quamquam minore fontium fama, quorum magna pars, calidas olim aquas fundere solita, refrixit. Valido deinde præsidio novæ urbi imposito, quum litus à Massilia Italiam versus, remotis ad passus mille quingentos, ubi iniquiora loca erant, ad mille passus barbaris, agrum illum Massiliensium civitati dono dedit, Romamque profectus, de Liguribus, Vocontiis, Salluviisque impetravit triumphum.

L. Aurelius Orestes triumphat ex Sardinia.

IV. Neque multo post L. Aurelius Orestes triumphavit ex Sardinia, quum eam provinciam quintum in annum obtinuisset, evidenti argumento, haud parvum ibi laborem fuisse, cui conficiundo quinquennium necessarium fuerit, & confecto præmium triumphus. Splendidiores in Gallia Cn. Domitii, qui Consul provinciam à C. Sextio acceperat, res gestæ fuerunt; quanto cum fortioribus populis, & in nobiliore solo bellatum est. Salluviorum mala, gentes asperrimas Allobrogum Arvernorumque conciverant.

Bituiti Regis Arvernorum legatio ad Cn. Domitium. Liv. Epitom. Appian. apud Fulv. Ursin. Lucan. Possidon. apud Athenæum 4. 13.

V. Allobroges Salluviorum Regem Teutomalium patria profugum benigne exceperant, omnique ope juvabant. Miscuerunt cum his Arverni caussam, quorum Rex Bituitus missa legatione veniam Salluviorum Regulis postulans, nihil à Domitio impetraverat. Legationis nova forma fuit, quod hominem præclare vestitum, non modo satellitum, sed etiam canum custodia sequebatur. Aderat & barbarus vates, bardos patria lingua vocant, quo genere magnopere delectantur, qui gentili carmine Regem gentemque & legatum celebraret.

VI. Quum ab his caussis omnia jam satis ad bellum spectarent, etiam Æduorum querelæ Domitium attraxerunt, quæ prima trans Alpes natio societatem, & amicitiam Romanam concupivit: avide & nostris ansam distinendi Gallias arripientibus; quorum concordiam, experti ferociam singularum nationum, haud injuria metuebant. Quum igitur summa in hoc populo auctoritas esset, præ cæteris gentibus omnibus honorifice ab Romanis habiti, multisque Senatusconsultis *fratres ac consanguinei populi Romani* sunt appellati.

Ædui Romanorum socii primi trans Alpes.

Cæsar. Gal. 6. Panegyr. Constantino dictus.

VII. Quo infestius à gentibus, quæ nihil æque ac Romanum nomen oderant, premebantur: Arvernis etiam æmulatione principatus studiosius in id bellum incumbentibus. Quorum tantæ per id tempus opes fuerunt, ut supra ducenta armatorum millia in aciem possent educere: pecuniæ ita copiosi, ut Luerius Rex per campos patentes carpento invectus, nummos aureos & argenteos, colligendos popularibus, per luxum & ostentationem opulentiæ sparserit: septo deinde quadrato effecto, quod omnem in partem spatii passus mille quingentos amplecteretur, lacus in eo pretiosa potione repletos dederit, cum tanta esculentorum abundantia, ut unicuique volenti per multos dies comessandi copia fieret, adstantibus perpetuo qui ministrarent.

Arvernorum opes. Cæsar Gal. 1. Cic. pro Mil. Scoliast. Luc. Cæsar. Gal. 6. Strabo. Possido. Strab. Possido.

Domitius Allobroges bello petit. Liv. Epitom. Cic. pro Fonteio cap. 11. Vellejus 2. 10. 2. Plin. 2. 29. Vellei. 2. 7. Plin. 14. 4. 13.

VIII. Hujus filius Bituitus tum Arvernis imperabat, patre suo non opibus; non animo minor. Ita quum hinc Allobroges, inde Arverni crebras & validas in agrum Æduorum incursiones facerent, villas vastarent, oppida expugnarent, excitatus sociorum precibus Domitius exercitum finibus Allobrogum admovet. Inter hæc L. Opimius, Q. Fabius Maximus Æmiliani filius, Consulatum inierunt. quo anno circa Solem arcus apparuit: maximo optimi vini proventu, quod Opi-

miani

miani nomine nobilitatum, in multos deinceps annos incorrupta bonitate duravit. Urb. cond. ann. 632.

IX. Consulibus provinciæ Italia & Gallia decretæ, hæc obvenit Q. Fabio: Italiam obtinuit L. Opimius. *Cn. Domitius exercitum suum Proconsulari imperio retinere* jubetur: nec enim avocari eum à legionibus ratio belli finebat, quum instare conflictus videretur, priusquam successor proficisci in provinciam posset: & esse duos in Gallia duces totidemque exercitus ex usu & necessitate temporum videbatur. Neque falsi opinione sua Patres sunt. Domitio quum hostes occurrissent, neutra parte pugnam detrectante, quia Romanus viribus ac disciplina valebat, Allobrogum ingentes copiæ maximis Arvernorum auxiliis auctæ erant, ad confluentes Sulgæ fluminis & Rhodani, juxta Vindalium, id oppido nomen traditur, acri prœlio concursum est. Vinum Opimianum. Prœlium committitur.

X. Ibi victoriæ magnum momentum elephanti attulerunt, rarum in Romana acie præsidium. horum insolita forma ac stridore hostium agmen exterritum, jumentis maxime per consternationem & tumultum solventibus ordines fusum fugatumque est. captivorum millia tria fuerunt. cæsorum major numerus, *ad viginti millia cecidisse* referuntur. Dum hæc trans Alpes geruntur, fœdius in Urbe certamen inter cives, & occisis insignibus viris funesta victoria fuit. jam enim Gracchanorum motuum eventus exsequi tempus monet. Professas invicem inimicitias L. Opimius & C. Gracchus proximis aliquot annis aluerunt, non sine mutuis contumeliis ac periculis, utrisque ut fit, adversarium quovis modo deprimere studentibus. Victoria Romanorum. Strab. l. 4. Vellejus 2. 10 Strab. Liv. Epitom. Florus 3. 2. Orosius 5. 13.

XI. Opimius per factionem Caji serius Consulatum adeptus, vicem ei reddiderat, curato, ne Tribuniciis Comitiis suffragia quæ plurima tulerat, ex fide renunciarentur, id quamquam controversia non caret, probabilius effecit inimicorum insultatio, qua & ipse commotior, *risum eos ridere Sardonium* dixit, *ignaros, quantum ipsis tenebrarum actionibus suis offudisset.* At L. Opimius omnia sibi Consuli contra privatum proniora videns, nullum non lapidem movebat, ut contumeliis injuriisque irritatum juvenem ad violentius aliquod factum impelleret, quo fratris exemplo perderetur. Opimius curat, ne Tribunus reficiatur Cajus. Plutarch. Gracch. cap. 10. Appianus. Civil l. 10. Plutarch.

XII. Igitur dum ille eum M. Fulvio Flacco, conquirendis per Italiam colonis occupatur, qui Carthaginem deveherentur, Consul omnes suas artes viresque ad subvertendas ejus leges, tollenda acta explicat. Præcipue *terminorum à lupis motorum prodigium* celebratur: *tantum non voce missa monere Martium animal, non esse diis cordi eam instaurari urbem, quæ de imperio terrarum orbis cum populo Romano dimicasset. eo jam progressos amentiæ homines, ut non solum consulta Patrum pro nihilo ducerent, sed neq; deorũ cærimoniis, & formidabili religione moverẽtur.* Appian. Leges ejus subvertere conatur.

XIII. *Plane de ruinis Carthaginis ædificandis cogitationem ullam suscipiendam non fuisse: nunc autem, quia quod factum esset, mutari nequiret, providendum ne in pernicioso incæpto pergeretur;* *orandosque deos, ut quidquid his ausis contractum piaculi esset, id omne salva Republica suis periculis auctores luerent.* His sermonibus quum accessissent augurum responsa, motus est Senatus, ut *cum populo ea de re agi* juberet. Promulgavit legem ex Senatusconsulto M. Minucius Rufus Tribunus plebis. Id quidem haud citra magnum dolorem, sed tamen civiliter laturus Cajus videbatur, sive magnitudine periculi appropinquantis segnior; sive damnata spe curandi civitatem, tot vitiis ægram, & aliorum im- Coloniam Carthaginensem impugnat. Florus 3. 15. Auctor. de Vir. illustr. cap. 65 Plutarch.

probitate, aliorum stultitia, quotidie in majora mala præcipitem.

Cajus resistit, auctore & socio M. Fulvio. Appianus.

XIV. Sed desidentem ejus impetum amici, & princeps omnium M. Fulvius exstimulavit, provecta jam ætate sed juvenili temeritati propior. Surgit de integro acerbior quam antea unquam contentio. Triumviri furentibus similes in forum provolant. Senatui convicium ingens faciunt, *nihil in Africa triste visum: artes has locupletium esse, qui defensores plebis, actaque Reipublicæ salutaria ut evertant, consumptis frustra machinationibus aliis, ad ficta prodigia se receperint.* levissimus quisque de plebe criminationibus eorum facile credit, magna hominum multitudo agglomerata impellit ultro ruentes, societatemque laborum ac periculorum pollicetur.

An etiam matre Cornelia. Plutarch. Orosius 5. 12. Plutarch.

XV. Ajunt & matrem Caji Corneliam, conductos clam mercenarios, specie messorum, à Miseno in Urbem misisse: idque ex epistolis ejus intelligi posse, quibus per verborum ambages consilium suum filio significasset. Sed incerta ea fama est, & ex diverso asseritur, invitissima matre postremas actiones Cajum suscepisse. Die comitiorum quum populus prima luce Capitolium implevisset, jamque M. Flaccus cum eo agere exorsus esset, magno stipatus agmine Cajus eodem contendit: sed impeditus inimicorum occursu, declinato comitio in porticum secessit, donec quid agendum pro tempore esset, consideraret.

Consulis præco à Gracchana turba interficitur. Appianus. Auctor de Vir. illustr. Plutarch. Appian.

XVI. Interim Q. Antyllius Opimii præco, quum à sacrificio Consulis exta deportaret, turbam Triumviralem findens, *date locum*, exclamat, *bonis civibus improbi!* Simul nudatum brachium turpiter commotum exporrigit. in contumeliam id acceptum, stylisque longioribus, qui de industria præparati cædis caussa dicebantur, confestim homo confossus est. Qui Gracchi iniquiores sunt, *nihil contumeliose dictum factumque ab Antyllio* tradiderunt, *sed hunc in porticu sacrificantem, quum præteriret Gracchus, injecta manu rogavisse, patriæ parceret.*

Rem ægerrime ferente Caio. Plutarch. Appian. Plutarch. Auct. de Vir. illustr. Appian. Plutarch. Appian. Plutarch.

XVII. *Tum Graccho tamquam ad cogitati sceleris exprobrationem torvum intuente clientium aliquem, nec voce ulla, nec signo exspectato, sed ex vultu mentem perspexisse ratum, districto pugione cædem patravisse.* Utcumque res gesta est, ægerrimo animo tulit eam Cajus: quumque se purgaturus in forum descendisset, nec audire quisquam sustineret, cæde enim cognita, nescii ubi constitutum id exemplum esset, templo diffugerant, & tentantem dicere, tamquam civili sanguine pollutum aversabantur; magno dolore correptus, turbam suam increpuit, *quod inimicis jampridem hoc quærentibus, colorem adversus sese præbuissent.*

Cui tamen magnam invidiam conflat Consul.

XVIII. Neque defuit Consul occasioni, quin magnam Cajo invidiam conflaret, quasi cive interfecto, concionem etiam à Tribuno plebis avocare ausus esset. Dato deinde certis hominibus negotio, ut ante lucem armatos in Capitolium adducerent, dimissis præconibus Senatum indicit. Ipse æde Castorum occupata, occasionem suam operitur. Irritatis omnium animis, non tamen ulterius ea die processum: & imbre coorto Cajus atque Fulvius rebus præsentibus mœsti, sua quemque manu comitante, domos discesserunt. cætera plebs, ut in magno discrimine civitatis, forum de media nocte occupavit.

Etiam corpore Antyllii ad Curiam delato.

XIX. Ubi diluxit, & Senatus convenerat, nudum Antyllii corpus cum gemitibus & ploratu portantium per forum defertur ad Curiam; conscio omnium Consule, sed per dissimulationem mirabundo, quæ caussa luctum istum excitaret: procurrentibus ad visendum Senatoribus, quum depositus in foro lectus esset, varii

animorum motus fuerunt. Patres velut sævum ac triste facinus impense miserabantur: vulgus ira & indignatione fremebat, *quænam illa pravitas animorum esset, ut qui Tib. Gracchum Tribunum plebis in Capitolio interfecissent, insepultumque abjecissent; iidem nunc apparitoris Antyllii non justissimam forte necem, sed cujus ipse caussam præbuisset, tanta cum doloris demonstratione deplorarent.*

XX. *Propositum in foro cadaver esse mercenarii hominis, circumstare Senatum, tamquam in magna Reipublicæ calamitate tristem: at hos tam bonos ac misericordes animos, eo ipso tempore nihil aliud agitare, quam quibus modis unum reliquum Romanæ plebis adsertorem circumveniant.* Non obstiterunt hæ querelæ quo minus in Curiam regressi Patres, M. Æmilii Scauri sententiam sequuti, Senatusconsultum, quale in extremo metu solet, facerent: *Quod L. Opimius Consul verba facit de Republica, de ea re ita censuerũt, Uti L. Opimius Consul Rempublicã defenderet.*

Senatusconsulto Respub. Consuli commendatur. Auct. de Vir. illust. c. 76. Cic. Philip. 8 Plutarch. Appianus.

XXI. Hoc accepto Senatusconsulto L. Opimius *Senatu in armis adesse, equitibus præterea binos servos armatos adducere* jussis, Cajum & Flaccum ad rationem actorum reddendam in Curiam arcessit. Vicissim & Flaccus præsidium quantum potest cogit, certus vitam atque dignitatem si jure non liceat, armis defendere. Longe alia Graccho mens erat. solus & inermis perire malebat, quam cum periculo & clade civium vincere. Sed foro digrediens quum forte præter statuam patris via duceret, diutule ad eam substitit; nullaque voce edita, tantum lachrumis & gemitu prorumpentibus, discessit.

Consul arma parat contra Cajum, & Flaccum. Auct. de illustr. Appianus Plutarch.

XXII. Id conspectum incitamento multis fuit, ut *sine summo suo scelere deseri posse* negantes domum ejus contenderent, eumque actis tota nocte excubiis custodirent. Et hi quidem cæteroquin quieti, suum ac reipublicæ tempus mente sollicita metiebantur: ad Flaccianas ædes non eadem modestia erat quum ipse inter primos multo mero inebriatus, pleraque præter ætatem indecore jactaret ageretque, & ducis exemplo factio ex fæce plebis collecta, cum multis in primores Patrum liberis dictis, usque ad diluculum vino ac clamoribus omnia replerent.

Cajus quiescit. Flaccus tumultuatur.

XXIII. Luce orta M. Fulvius ægre à somno excitatus, spoliis Gallicis, quæ domi à triumpho habebat, armat suos, & ad collem Aventinum occupandum proficiscitur. Armavit & Cajus familiam, ipse brevem pugionem sumpsit, inermis cætera, togatusque tanquam ad forensem actionem exivit domo. Ibi conjunx occurrit Licinia, unaque manu filium communem, altera virum tenens, *quo ruis,* inquit, *Caji? non ad Rostra te, ut olim, dimitto legislatorem sacrosancta potestate præditum, quanquam & hæc in fratre tuo violata est. ne adversus hostem quidem dimicaturus egrederis, ut si quid humanius contigisset, luctum liceat consolari.*

Caium uxor deterret. Appianus. Auct. de Vir. illustr. Plutarch.

XXIV. *Acerbissimis inimicis Semproniæ domus, Tiberii Gracchi interfectoribus temere objicis, nudum quidem recte, nam in civilibus discordiis perire quam perdere viro bono convenientius: sed in nullum patriæ usum debitam illi vitam profusum ire, cum nulla officii laude, crimen habet temeritatis. Non es nescius regnare vim in foro & comitiis: ferro, non jure, controversias transigi: etiam ultra mortem extendi odia, & amisso spiritu, corpus exanime ludibrio & pœnis destinari. si ad Carthaginem aut Numantiam Tiberius cecidisset, judiciis factis ad sepulturam repeti cadaver potuit: nec enim vel infensissimi hostes funeribus occisorum invident.*

Tiberii fatum ob oculos ei ponit.

XXV. *Sed in hac Urbe quo evaserit improbitas vides. me miseram! quid ego scio, si non flumini aut mari mox supplicandum erit, ut corpus contumulandum*

restituant! nam quid usquam sanctum intemeratumque esse queat, ubi Tiberius occidi potuit? quid vero posthac aut legibus credas, aut quam ultra spem habeas in tutela deorum? Inter hæc lamenta Gracchus clementer laxatis mulieris amplexibus, tacitus cum amicis digredi cœpit. mulier togam abeuntis prehendere conata, procidit humi; quumque diu sine voce jacuisset, tollitur à servis, & in ædes fratris Crassi deportatur. Cajus atque Fulvius sociatis in Aventino consiliis ædem Dianæ muniunt, *etiam servos ad pileum vocatos, quamquam sine successu*, quidam auctores prodiderunt: quod placidis Caji moribus parum congruit, nisi forte in extremo periculo nullum esse contemnendum auxilium existimavit.

Appian. Plutarch.

XXVI. Ne tamen quidquam retinendæ concordiæ intentatum relinqueret, Fulvio persuasit, ut Quintum filium minorem cum infulis mitteret in forum, existimans, ob innocentiam adolescentiæ, gratiosum hunc & utilem impetrandæ paci legatum fore. namque annum duodevicesimum necdum transgressus, ingenua formæ pulchritudine excellebat. Atque hic ubi vultum verecundia & lachrumis perfusus, mandata modeste ac decenter exposuit; haud pauci præsentium ad conditiones inclinabant. Quum Opimius Consul, *ipsos*, inquit, *venire positis armis oportuit, seque Senatus arbitrio permittere. tu igitur hac nunciaturus abito, & nisi acceptæ conditiones erunt, ne revertitor.*

ivii tamen um de pace legatum mittunt. Vellejus 2. 6. Plutarch. Appian.

XXVII. Ajunt his renunciatis paratum fuisse Gracchum descendere reliquis omnibus reclamitantibus retentum. Ita remittitur cum prioribus mandatis adolescens, & à cupido pugnandi Consule in vincula conjicitur. continuo valida manus cum justis armis, & Cretenses sagittarii multi in Aventinum mittuntur. Hos D. Brutus vir Consularis, qui socer Caji fuerat, per Clivum publicum ductos, adoriri judicatos hostes jubet. Fit acris pugna, ferociter dimicante Flacco P. Lentulus princeps Senatus grave vulnus accepit, donec amissis hominibus ferme ducentis quinquaginta, qui maxime sagittis eminus confixi fuerant, & diffugientibus reliquis M. Fulvius una cum majore filio, per ædem Lunæ, in cujusdā noti domum perfugit.

Pugnatur in Aventino. Plutarch. Appianus. Plutarch. Appianus. Orosius 5. 12. L. Ampelius. Appianus. Cic. Philip. 8. 4. & in Catil. 4. 6. Val. Max. 5. 3.

XXVIII. Ibi quum in balneum quoddam neglectum olim se abdidisset, & inimici latebras ejus ignorantes, toti vico incendium minitarentur; territus qui receperat, quum indicium facere vereeundaretur, subornavit proditorem. ita reperti tamen objectis foribus se defendebant, donec rescisso eratitio pariete jugulati sunt. Cajum manus conserere cum civibus nolentem, in Dianæ fanum abstulit prima fuga. Ubi præ dolore manus sibi inferre parantem fidissimi amicorum Pomponius & P. Lætorius attinuerunt: quamquam alii pro Lætorio Licinium nomen ponunt.

Plutarch. Orosius. Appianus. Plutarch. Orosius. M. Fulvius cū filio interficitur. Diodorus. apūd Valef. Orosius. Plutarch.

XXIX. Sic extortus juveni pugio, ac ipse in fugam abreptus est. Ibi genu posito tetendisse ad simulacrum deæ manus dicitur, cum imprecatione in Romanam plebem, *faceret dea, ut ingratus & desertor suorum populus, perpetuam nobilitati serviret servitutem*. Subito enim, quum promissa voce præconis impunitas arma ponentibus esset; ab universis se relictum animadverterat. Familiares tamen aliquot amicique pro eo adhuc propugnabant: quorum ope vix ad portam Trigeminam & Sublicium pontem pervenire potuit. ibi Pomponius Eques Romanus & Licinius (sive is Lætorius fuit) more Coclitis pontem objectu corporum suorum clauserunt irruentibus. postremo his quoque, dubium suo an hostili ferro interemptis, parum, ne comprehenderetur Gracchus, aberat.

Auct. de Vir. illust. cap. 65. Plutarch. Cajus fugit. Orof. Auct. de Vir. Illustr. Plutarch. Velleius 2. 6. 6. Plutarch. Velleius. Plutarch. Velleius. Plutarch. Diod. apud Valef.

XXX. Plurimi enim eum nec ab odio magis, quam avaritia persequebantur; quia Consul *caput ejus auro pensaturum* edixerat. Igitur perterrita multitudine, cui eousque charissimus fuerat, nemo aut defensor capitis ejus, aut adjutor fugæ exstitit: tantum, velut ludicri certaminis spectatores, properare eum hortabantur; adeo non ferentes opem, ut equum petenti nemo sustinuerit adducere (nam à templo Dianæ desiliens talum intorserat) hactenus omnium animi perculsi victoria Senatus erant.

Jugulum servo præbet. Plutarch. Velleius.

XXXI. Jam in lucum Furinæ, qui trans Tiberim est, pervenerat; quum propinquis admodum Opimii satellitibus, occupandum fati arbitrium ratus, jugulum servo præbuit; qui dominum & mox semetipsum super domini corpus interfecit. manavit tamen & hæc fama, *vivum utrumque deprehensum à percussoribus esse: atque ab his servum primo, qui Gracchum suo corpore tegebat, deinde Cajum obtruncatum esse*. De fide hominis consentitur: auctor mortis & nomen in incerto est. quidam *Philocratem*, plures *Euporum* prodiderunt.

Capita occisorum ad Consulem referuntur. Diodorus. Orosius: Plutarch: Val. Maxim. 6. 8. 3. Appian.

XXXII. Capita Flaccorum & Gracchi relata sunt ad Consulem; haud pari crudelitatis præmio. nam tenuiorum gratuita opera fuit: L. Septimulejo Anagnino, qui lancea præfixum Caji caput attulerat æquale auri pondus persolutum est. eademque res & consulis capita civium licitantis, & Septimuleji multa sugillatione non caruit; qui quum inter familiares Gracchi fuisset, non modo casum amici non est miseratus, sed etiam *caput sua manu præcisum, aut obscuro cuidam homini, qui amputaverat, quæstus caussa ereptum, in ædes suas detulisse* dicitur; *ibique cervice perforata cerebroque exempto, plumbum infudisse*. certe quum appensum caput fuisset pondo septemdecim cum besse pependisse adnotatum est. Atque hic merito deinceps in odio & contemptu omnium exegit vitam, etiam Prætoris Q. Mucii faceto dicto notatus. Nam petenti, *ut se præfectum in Asiam duceret, quid tibi vis*, inquit, *insane? tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum*.

Plutarch. Cic. de Orat. 2. 67. Florus 3. 15. Plin. 33. 3. 15. Diodor. Plutarch. Diodor. Auct. de Vir. illustr. Plutarch. Diodor. Cicer. Septimuleius, cranio Gracchi plumbum infundit.

XXXIII. Hunc ad modum peremptis ducibus, Consul in ceteros tam acerbe quæstionem ejus criminis exercuit, ut *supra tria milia hominum plerumque indicta caussa, in carcere Triumvirali supplicio necata* referantur, *bonis publicatis, corporibus in profluentem abjectis*. Gracchi tamen truncus, misericordia quorumdam, an spe præmiorum, nec enim memoriæ proditum est, extractus aquis, & Misenum ad matrem Corneliam deportatus. Flaccus adolescens, quod accepto mortis arbitrio non uteretur, in robore necatus est.

Consul acerbo quærit in Gracchanos. Salust. Jugurt. 31. 5. Orosius. Plutarch. Orosius. Appian. Orosius.

XXXIV. Huic etiam, quemadmodum C. Graccho, fides amicorum, quum salutem dare non posset, societatem mortis præstitit, haruspex Tuscus, flentem in vincula publica duci videns, *Quin tu hoc potius*, inquit, *facis*: & cum dicto caput illisit in postem lapideum januæ carceris, effusoque cerebro exanimis corruit. Memoria quoque occisorum damnata, viduis luctu interdictum: Licinia Caji dote insuper spoliata est: M. Fulvii diruta domus, *area Flacciana* appellatur. Omnis ista severitas, quum à privato magis odio, quam publici boni cogitatione profecta videretur, magis ad invidiam Consulis, quam ad auctoritatem valuit.

Velleius. 2. 7. Haruspicis Tusci factum, fatumque. Plutarch. Pedian. Velleius.

XXXV. Utique postquam Urbe lustrata, Concordiæ fanum ex Senatusconsulto L. Opimius in foro posuit. tamquam enim de civibus interfectis trophæum

Concordiæ fanum in foro ponit Consul.

Appian. Augustin. Cic. 3. 25. Plutarch. Velleius.

frementes intuebantur, noctuque titulis dedicatæ ædis interpositum carmen est, quo *templum istud Concordiæ opus esse vecordiæ* significaretur. Hunc cursum exitumque vitæ nobile par fratrum habuit: quasi quibus natura & educatio ingenium & alia præclara similiter contulerant, eos etiam germanis, ut ita dicam, casibus fatorum industria damnavisset.

Gracchorum elogium. Plutarch.

XXXVI. Uterque insignis animo, & par cuilibet ducum futurus: tum abstinentia & facundia inter præcipuos fuit. uterque amore Reipublicæ, quam oppressa plebe ingenua, sensim robore virorum subducto labefactari per avaritiam principum intelligebant, arduum opus, & ad extremum infelix moliti, quorum consulere commodis studuerant, eorum metu proditi, haudquaquam dignam sanctissimi propositi mercedem retulerunt. Postea tamen, ut vera rerum pretia mortales sero intelligunt, revixit ipsorum in mentibus civium amor, ut & effigies haberent propatulo, & primitias fructuum locis, ubi interfecti illi fuerant, libarent: quibusdam etiam quotidiana ibi sacra facientibus, adorantibusque tamquam ad pulvinaria deorum.

Illorum interitu plebis libertas concidit.

XXXVII. Paulatim enim, quidquid actionibus Gracchorum partum fuerat, quum plebi detraheretur, tum demum vidit cum his fratribus libertatem suam interisse. Neque multo post lege lata permissum, litigiosos agros possessoribus accepta pecunia relinqui, quod superior Gracchus vetuerat. patefactaque divitibus via est, partim pretio, partim calumniis aut vi extrusis pauperibus, fundos suos in immensum amplificandi. Quod ubi continuis querelis molestum & infame fuit, Sp. Thorius in totum abrogavit agrarias leges, instituto *ut agris penes pristinos possessores manentibus, vectigal divideretur plebi*.

Cic. Bruto. cap 36. Appian.

Publicæ calamitates invectæ sunt.

XXXVIII. Sic egestati civium nonnihil consultum, frequentiæ detractum est: & circumscriptis semel hac astutia legibus, ut nihil improbæ cupiditati satis est, divites haud ægre Tribunum alium repererunt, qui etiam vectigal tolleret. ita servilem in modum oppressa plebe rata Caji morientis imprecatio fuit. Quin & publicæ mox calamitates ab hoc initio prodierunt. civium ac militum infrequentia orta. ærarium populi Romani defraudatum. legum etiam Gracchanarum velut oblivio & interitus sequutus, quum per annos ferme quindecim ex iis judicia nulla aut rara agerentur.

Corneliæ matris Gracchorum constantia. Salust Jugurt. 31. 2. Velleius. Orosius. 5.12. Plutarch.

XXXIX. Non omittenda mihi videtur hoc loco Corneliæ constantia, quæ vitam ultra hæc tempora produxit in Miseno, quo post Tiberii necem, Urbem perosa, secesserat. Magnifica mulier & erudita, doctorum hominum, etiam è Græcia, conversatione dolorem animi leniebat: sociorum Regum omnium amicitias retinens, muneribusque colere ac coli solita. Frequentes igitur domi illius hospitum adventus erant, quoties acta dictaque & interiorem vitam patris Africani referret, cum voluptate auscultantium: iidem stupebant, quum audirent fata filiorum eo vultu ac voce narrantem, tanquam aliena ac vetera mala exponeret.

Ejus dictum de locis ubi filii ceciderunt.

XL. Nam & ad cætera omnia nullum mœroris signum edebat, & quum *in locis sacris occisos diceret*, amabat addere, *dignos esse illos ejusmodi defunctis tumulos*. Unde quidam senio & calamitate emotam ipsi mentem judicarunt: amentes ipsi, quos falleret, quantum etiam in muliebribus animis, ac humana bene ferenda valeat recta indoles, cum bona educatione, & iis studiis, quæ omnia mor-

talium caduca & fluxa esse docent, neque secundis rebus abuti ad superbiam, neque ad vilitatem adversis compelli patiuntur.

XLI. Sub idem tempus, quod interfectis inimicis res matura videbatur, *de P. Popillii reditu*, quem priore Tribunatu suo C. Gracchus expulerat, L. Calpurnius Bestia Tribunus plebis ad populum tulit. multisque ut pro nobilissimo homine, cognatis adfinibusque, sed maxime filiis adolescentibus deprecantibus, populus reditum jussit. Idem annus sicuti Romam Urbem discordia, ita Siciliæ partem incendiis & ruinis laceravit. auditaque Catanensium legatio est, *sibi Ætnæ montis viciniam, sæpe & antea gravem, tum propemodum exitiosam fuisse*.

P. Popillius ab exilio redit. Cic. post reditum in Senat. c. ult. Cic. Brut. c. 4. Cic. post redit. ad Quirites. cap. 3. Orosius 5. 13.

XLII. *Nam ab eo monte torrentibus ignium profusis, fines suos omni hostili impressione fœdius vastatos. urbis quoque tecta mole cinerum oppressa, ardore exusta passim concidisse*. Senatus levamen malorum, immunitatem tributorum atque vectigalium omnium in annos decem dedit. Dum ista Romæ geruntur, Q. Fabius Consul, quum in provinciam venisset, adversus Bituitum Arvernorum Regem, qui à priori clade, ex Allobrogibus, Rhutenisque, & sua civitate, haud minorem pristino exercitum conflaverat, versus Isaram flumen, haud procul Rhodani confluentibus progreditur.

Ætnæ horribile incendium. Orosius. 5. 14. Cæsar. Galli. I. 45. Strab. lib. 4. Orosius.

XLIII. Hostes, etiam paucitate Romanorum animosi, quam *vix canibus quos haberet in agmine*, *suffecturam* Bituitus jactitabat, primo quoque tempore cupiebant confligere: nihil aliud metuentes, quam ne paratam è manibus elabi victoriam finerent, quod intra hominum millia triginta Consul adduxisset. Ab hac fiducia quum negligenter & temere fierent, ea Consuli patefacta occasio est, ut quamquam febri quartana, seu quemadmodum alii scripserunt, recenti vulnere debilis, suo tempore locoque utendum judicaret. Namque Bituitus, licet Rhodanum ponte junxisset, transferendis celerius copiis tumultuarium alterum ex lintribus struxit, quos, imposito ex asseribus tabulato, catenis ferreis revinxerat.

Bituiti Regis Arvernorum bellum cum Fabio. Strab. Plin. 7. 50. Appian. Celtic. Oros.

XLIV. Regio ob viciniam montium, partim aspera collibus, partim aquis interrupta, mediocribus quam magnis exercitibus instruendis habilior erat. accedebat tempus anni, magnis caloribus, quorum impatientes Galli sunt, momentum allaturis victoriæ. nam A. D. VI. Id. August. dimicatum est. Igitur curru circumvectus agmen, aut si in pedes se demisisset, proximis ægrum sustentantibus, ordinabat aciem, milites cohortabatur, quid fieri in pugna vellet, edocebat. Diligentiam consiliumque Consulis ingens victoria, & quanta ex eo hoste parta numquam fuerat, approbavit. Ad ducenta millia Gallorum fuisse referuntur.

Prælii tempus Plinius. Appian.

XLV. Ex his qui minimum, *centum viginti millia cæsa*; qui plurimum, *centum quinquaginta interempta armis, aut aquis suffocata* prodiderunt. nec insignior victoria clade hostium, quam victoris exercitus incolumitate fuit: *ex quo milites omnino quindecim amissi* referuntur. Satis apparet, subito invadentium impetu perterrefactum hostem, quum & multitudine sua, & transeundi studio præpediretur, neque explicatam aciem, neque omnino provisi parative quidquam ad prœlium habuisse. Igitur pugna cadentium magis numero, quam pugnantium robore, satis diu sustentata, postquam perditas esse rès apparuit, ad pontem confusis ordinibus multitudo ingens properavit. qui mole pressus, dissolutis vinculis, multa hominum millia mediis in fluctibus rapidissimi amnis exposuit.

Arvernorum clades. Strabo. Liv. Epitom. Orosius. Appian. Orosius. Vernet Rollvinck. in Fascic. Temp.

Victoriæ præmia. Plinius. Marcellin. 15. 20. Vellejus. 2. 10. 2. Val. Maxim. 9. 6. 3.

XLVI. Consul rebus ex animi sententia procedentibus, etiam corporis sanitatem ex ista acie retulit; sive animi intentio & labor hortantis suos dispulit febrim; sive lætitia victoriæ excussit. Res enim sane magna gesta erat: potentissimæque civitates, non tentandam ultra fortunam belli ratæ bonis conditionibus in fidem acceptæ. ex unius nomine Fabius *Allobrogicus* appellatus. Populos istos reperio, quum duplici clade perculsi, non tam de pace petenda, quam ab utro Imperatore peteretur, agitarent (nam adhuc proconsule imperium in eadem provincia Cn. Domitius obtinebat) tandem ob majoris potestatis nomen, & quod verum rebantur, ei se finiti belli gloriam dare, cui illustriorem de se victoriam dii dedissent, ad Consulis dextram confugisse.

Bituitus fraude Cn. Domitii capitur.

XLVII. Quod quia Bituiti Regis auctoritate factum dicebatur, Cn. Domitius, qui pacatæ Galliæ titulum ardenter concupiverat, ulcisci dolorem suum minime commendabili arte statuit. Quippe Bituitum, quasi de maximis rebus colloqui cum eo cuperet, in sua præsidia evocavit. qui ubi positis jam armis nihil ultra metuens, Gallica simplicitate venisset, hospitio exceptum hortari cœpit, *ut ad satisfaciendum Senatui Romam proficisceretur*: deinde recusantem in vinculis imposuit navi, deportandumque in Urbem curavit.

Cogentiatus Bituiti filius Romæ educatur. Val. Maxim. Epitom. Liv. Eutropius. Epitom Liv. Val. Maxim. Diodorus. apud Vales.

XLVIII. Senatus, quamquam Domitii factum probare non posset, quieti tamen pacique dandum putavit, ne hac injuria exacerbatum in patriam remitteret. Sed *& filium ejus Cogentiatum comprehendi, Romamque mitti: ipsum Albæ in custodia haberi* placuit. Adolescens Romæ liberaliter educatus, quum beneficio Senatus in regnum postea revertisset, amicitiam Romanam constanter retinuit. Allobroges Senatusconsulto in deditionem accepti sunt; Arvernis etiam & Ruthenis pax data: stipendium neutris impositum. Interea Q. Cæcilius Metellus Balearicus, pacatis insulis istis, coloniisque tamquam fræno impositis, Urbem triumphans ingressus est.

L. Opimius ob cædem Gracchi accusatur. Urb. cond. an. 633. Epitom. Liv. Cæsar de bello Gallico. l. 4. Triumph. Capitol. Pighii Annal. Vellejus. 2. 15. 6. Cic. de Orat. 3. 31. Cic. Partitionib. Orat. c. 30. Accusatoris oratio. Liv. Epitom.

XLIX. Magistratum deinde novi Consules inierunt P. Manilius, C. Papirius Carbo. His Consulibus L. Calpurnius Piso, Q. Cæcilius Metellus, qui paulo ante triumphaverat, Senatu recensito principem legerunt Q. Metellum Macedonicum, Censoris patrem. Magna tum omnium exspectatione judicium L. Opimii agitatum est; quem simul abiit magistratu, P. Decius Tribunus plebis die ad populum dicta, corripuerat. *Violatas ab eo leges objectabat, quæ civem Romanum indemnatum necari vetuissent.* at reus auctoritate Senatusconsulti se defendebat. Id ipsum arguebat accusator, simul Senatui creans invidiam.

L. *Quid enim posthac*, inquit, *certi vobis fidique juris erit, Quirites, si leges pro salute vestra, & quod saluti anteponitis, pro libertate, sanctissimis cærimoniis latas, ubi factioni paucorum, qui regnum in curia obtinent, visum fuerit, quolibet Senatus nutu tollentur? Ad tria millia, horresco referens, ad tria millia civium Romanorum in carcere necata sunt: neque miseris aut innocentia sua, aut ad populum Romanum respectus; ne Porciæ quidem Semproniæque leges profuerunt.*

Gracchum suæ leges non defenderunt. Cic. pro Rabir. cap. 4.

LI. *Quamquam quid ego Sempronias leges advoco, quæ in ipso auctore violatæ sunt? C. Gracchum, Tib. Gracchi filium, P. Africani nepotem, iterum Tribunum plebis, suæ leges defendere non potuerunt, quo minus inauditus, indefensus, sine judicio, sine jure, sine more mactaretur! His enim hostiis superbissimorum*

hominum crudelitas gaudet: neque gratior cadere victima vestræ libertatis hostibus potuit, quam qui eam adversus impotentiam illorum constantissime adseruerat. Atque hujus quidem viri vitam defendi omni ope oportuerat, sed id quidem quia fatali quadam consternatione prætermissum est; saltem ulcisci, non magis ipsius, quem qualiscumque exitus semel malis omnibus liberavit, quam vestra liberorumque vestrorum interest.

LII. *Quis enim posthac deorum hominumve, quemquam Quiritium C. Gracchi leges invocantem feret; nisi C. Gracchum sua lege hoc tempore, & in hoc reo vindicatis? Cujus ego rei frontem audaciamque miror, qui non, ut biennio ante P. Popillius ultro cessit Urbe, conspectumque vestrum reveritus est, quo ille pudore misericordiam vestram recte meruit: sed offert se, adsistit, aspicit adspiciturque, vix molliore vultu, quam nuper fuit, quum juvenem Tribunicium, quum senem triumphalem, quum deinceps ex vestro numero cohortes innocentium interfici juberet. Responde L. Opimi, quæ tibi mens eo tempore, quod consilium fuit, ut inauditi exempli auctor, pretium in caput, non dicam C. Gracchi, sed omnino civis Romani constitueres?*

In Opimium invehitur.

Florus 3.15. Velleius. 2.6. 5.

LIII. *Quid umquam tam nefarie vel acerbitas Regum, vel libido decemvirorum prodidit? Hoc utique non jussit Senatus! in quem transferre criminum tuorum invidiam soles: ex Senatusconsulto feci. Tunc tibi, si maxime Senatus auctor fieret, jus & fas omne conculcandum, populi libertatem obterendam, legum reverentiam abjiciendam putes? Miseram vero civium Romanorum conditionem, quorum terga cervicesque non diutius tutæ erunt, quā donec infestus plebi Consul, sui similium conspiratione, Senatusconsultum ad occidendos sine judicio cives fecerit!*

Etiam in Senatum, sed obliquius.

LIV. *Sed alia nunc non exsequar. id dii ne sirint, ut quod post longum & accuratum examen universus populus Romanus jusserit, hoc pars aliqua, nec maxima, civitatis, possit uno tumultuario decreto tollere! nam hæc quidem si invaluerit consuetudo, actum est, Quirites. quis enim præstabit, ne quotidie deinceps adversus leges Senatusconsulta fiant, & facultates nostræ, corpora, liberi, conjuges, quidquid charum unicuique sanctumque est, quotidie ex paucorum dominorum arbitratu pendeat? Quæ enim tam atrox caussa extremæ necessitatis Senatusconsultum extorsit?*

Leges Senatusconsultis tolli posse negat.

LV. *An ad portas Hannibal erat, aut Capitolium Herdonius aliquis occupaverat? Adversus inermem adolescentem armanda servitia, ducenda peregrina auxilia erant, ut Cretensium sagittis, in ipsa Roma civium Romanorum corpora velut per ludibrium figerentur. At horrenda res inciderat, Q. Antyllius præco interfectus. Fieri id quidem non oportuit: sed quo merito C. Gracchus invidiam facti tulit, quod constat nemini omnium accidisse acerbius? Scilicet hic Senatum accendit dolor, & ad ulciscendam civis Romani necem justa indignatione commotus est!*

Nullum periculum à Graccho fuisse. Liv. 3.15.6.

LVI. *O misericordes Patres! Quis jam nesciat, quanto plebis amore teneamini, qui propter libertinum hominem, Sempronios & Flaccos; propter unum, aliquot millia civium occidistis; an & M. Fulvius Antyllium interfecit? Sed altera scilicet fax seditionis extinguenda fuit: esto! quid vero filius? pugnavit enim in Aventino: id quoque demus, jure interfectum videri, quia non libenter interfectus est. sed quid filiorum minor? quem pene puerum, tantummodo quod patris*

De Fulvii & filiorum nece disputat.

imperio, cum precibus & lachrumis pacem ab hoc Consule orare sustinuit, in robore necavistis?

Opimii advocatos incusat: Liv. l. 16 6. Orosius.

LVII. Quid illa deinde civium Romanorum millia; qui tam cupide sunt interfecti, ut ne spatium quidem cognoscendi caussas relictum fuerit, etiamsi propositum adfuisset? Quæ omnia si jussu & voluntate Senatus gesta sunt, quid dicam nescio: sin & à natura hominum, & ab officio civium, & à dignitate amplissimi ordinis vehementer abhorrent, cur cognoscuntur; cur istorum invidiam in se recipere, quam in L. Opimio hærere, civitatis principes malunt? cur tot egregii viri, maximis populi beneficiis usi, adestis huic reo? favetis? studium, gratiam, auctoritatem, vocem, accommodatis? Ad vos enim orationem meam converto, teque nominatim C. Carbo, quem equidem in istis subselliis conspiei miror, ut caussam populi Consul oppugnes, quam Tribunus acriter, nec, sine gloria, defendisti.

Carbonis Consulis pro Opimio Oratio. Cic. Bruto cap. 28. & de Orat. 2. 25.

LVIII. Quum hæc atque talia homo minime infans turbulenta oratione jecisset; C. Carbo Consul, optimus illis temporibus patronus, rei defensionem orsus, Recte, inquit, P. Deci; Tribunatus me admonuisti. Nam & ego tum annis & judicio infirmior, eodem pene modo, quo tu nunc facere aggressus es, per caussam Gracchanæ necis, multa mihi in civitate turbanda esse existimabam. Sed ubi omnes nostros principes, qui domi forisque præstantissimam Reipublicæ operam navaverant, ipsumque adeo P. Scipionem Africanum, in alia sententia esse cognovi; subiit animum meum dubitatio, numquam profecto ejusmodi viros inultum clarissimi juvenis cædem passuros fuisse, nisi publicæ quietis felicitatisque studium privatis rationibus anteposuissent.

Gracchum jure cæsum affirmat.

LIX. Tum vero refrixit inconsultus ardor, absurdusque mihi videri cœpi, si me aut plus videre crederem, quam isti tot sapientissimi homines vidissent: aut plus amare Rempubl. quam quorum in hanc tanta exstarent merita: aut amicitia Gracchi permoveri, quum sororis suæ filium interfectum esse P. Africanus æquo animo pateretur. Igitur quod ille olim de Tiberii nece, idem ego de Caji casu nunc interroganti respondeam, jure cæsum videri. Quod enim Senatu auctore factum sit, id jure factum esse. nemo negaverit, nisi cujus interest hoc præsidio nudari Rempublicam, ut in ordinem coacto Senatu, improbis civibus omnia seditionibus miscendi impunita sit audacia.

Senatus auctoritatem defendit.

LX. Neque sine publico consilio civitas stare potest, neque sine auctoritate consilii sua constare salubritas. Ideo majores nostri, prudentissimi mortales, jus amplissimi ordinis semper sartum tectumque habere studuerunt, ut non modo quoties temporibus rectorum consiliorum maturitas esset; sed etiam dubiis, adversum subita pericula non deesset salubrium extemporalis copia. Sacrosancta quidem legum potestas esse debet: neq; ab earum voluntate vel latum unguem recedi. sed ne ipsæ quidem leges velint, hac præscriptione fraudem fieri Republicæ quã fraudem uti caverent, & latæ à magistratibus, & à vobis acceptæ jussæq; sunt;

Leges ordinarias inter extraordinaria pericula non spectare.

LXI. Pacata tempora, tranquillamque civitatem, exsequutio legum & requirit, & respicit: ubi tumultus & seditiones celerius minantur periculum, quam in legibus esse remedium queat; extra ordinem providendum, ne immedicabile vulnus accipiatur, per quod ne ipsis quidem legibus posthac in civitate

locus esse possit. Quod si hoc animo aut M. Brutus Regum tempore, aut in libertate C. Servilius fuisset; non esset Tarquiniorum tyrannide exonerata Respublica, aut in fœdiorem Sp. Mælii dominatum recidisset: ne recentiora commemorem quæ multo malim oblivione sepeliri.

Liv.1.59. Liv.4.14.

LXII. *Prohibere seditiones ac discordias, servare patriam, occurrere conatibus impiorum, qui in perniciem ejus conspirarunt, nulla lege vetitum: neque violatæ dici possunt, quidquid in speciem contra ipsas actum fuerit: si aliter teneri salus publica non potuit, ad quam omnia in civitate, & ante omnia leges ipsæ referuntur. Quod si leges semel latas nusquam interruptis obsequiis servari oportet, nullumque ob pretium necessitas ista remittitur; quid sibi volunt comitia vestra, Quirites; quibus toties solam hanc ob caussam coitis, ut prius constituta, propter spem aliquam majoris utilitatis nova rogatione rebus præsentibus accommodentur.*

Salus Publica suprema lex.

LXIII. *Sin vero, temporibus Reipublicæ mutantibus, easdem perpetuo retinere leges, non solum incommodum, sed etiam insanum est: cur ægre fertis, non paucorum, aut improborum, aut saltem imperitorum hominum arbitratu, sed consilio ac prudentia Senatus; neque levibus de caussis, sed ne summa rerum in discrimen veniat, unam aliquam legem, ne mutare quidem, aut infringere, verum quod illa vetare videatur, id eo tempore statuque civitatis facere, quem, si prævidere lex potuisset, ipsa haud dubie disertis verbis fuit acceptura.*

Mens legum spectanda.

LXIV. *Adeo mentem magis, quam orationem, legum adspicere prudentium est. verba enim infirma sunt, & quamlibet diligenter scripta lege, nec dubitationibus omnibus occurrere, nec effugere calumnias possunt: unum in omni lege certum perpetuo explanatumque est, nolle, in verborum suorum sinu periculum Reip. & improbitati latebras esse. Hæc enim non scripta, sed nata nobiscum lex est, quam non solum homines, verum etiam omne animantium genus naturâ magistrâ tenet, extraordinaria pericula extraordinariis rationibus depellere, neque segnia opponere remedia celeribus malis. Scipionum fratrum cladibus amiseramus Hispanias; retinuit L. Marcius: non facturus, si leges & comitia magistratuum exspectare voluisset.*

Verba non possunt occurrere omnibus calumniis.

LXV. *Eodem bello, quum Hannibal copias admovisset Urbi, & pavens multitudo pluribus locis tumultuaretur; omnes qui dictaturam, consulatumve, aut censuram gessissent, donec Pœnus abscederet, cum imperio esse placuit. Qualia commemorare ex omni ætate plurima possem: nam ejusmodi exempla & in nostra civitate, & in aliis omnibus exigente usu frequentata sunt. Si igitur, quod talibus temporibus fieri solet debetque; à L. Opimio factum est; cur L. Opimius, tamquam fœdi facinoris auctor accusatur? cur invidiæ criminique cedit, quod honori dari oportebat?*

Ad exempla provocat. Liv.2.5.37. Liv.26.10.10.

LXVI. *In Thebana civitate aliquando longe principem virtute & moribus Epaminondam fuisse accepimus. Is quum supra præstitutum legibus tempus continuata Prætura, res maximas patriæque utilissimas gessisset; quarum occasio præteritura fuerat, si legitimo tempore imperium deposuisset; pœnam non deprecatus, adscribi petiit decreto,* Epaminondam à civibus morte multatum esse, quod eos superatis apud Leuctra Spartanis, quorum conspectum in acie Bœotii,

Epaminondæ factum cum Opimiano confert. Corn. ep: Epamin. c.8.

ante se imperatorem ferre nequivissent, coëgerit Thebas ab interitu, Græciam in libertatem vindicare. *Vos damnationi L. Opimii quem titulum præscribere justiorem poteritis, quam, quod impiorum suppliciis servata civitate, hæc omnia, vosque ipsos, quantumlibet invitos, atque repugnantes, salvos esse coëgerit?*

Rem narrat, ea quæ pro Opimio erant, præcipue.

LXVII. *Cives armati, ducibus viris nobilissimis Aventinum insederant: non caussa, non proposito, ne specie quidem eadem, qua olim nostri milites eumdem collem occuparunt. vis illos & libido decemvirorum conciverat; neque ut aliis injuriam facerent, sed ut à se suisque liberis arcerent, satagebant. utque animi civiles, sic etiam arma signaque Romana noscebantur. nunc homines seditiosi, bonis omnibus inimici, triumphata nuper arma & Transalpinum ornatum ostentabant, ut Urbs iterum à Gallis capi videretur. Capita factionis, quum in Senatum vocarentur, venire detrectabant: quia quod per vim injuriamque fecerant, non audebant jure defendere. In eo rerum articulo; quid aliud agere Consul, quam referre ad Senatum poterat? quid aliud Senatus, quam mandare Consuli tutelam civitatis?*

Senatus esse caussam ait. Cic. de Orat. 2.32.

LXVIII. *Nec ego jam L. Opimium defendo: totius Senatus ago caussam. Senatus, si vera vultis, hoc judicio reus est. per L. Opimii latus legum violatarū Senatus insimulatur. Atq; earumdem legum assertor & vindex, si diis placet, P. Decius est: quem ego idoneis eisque multis testibus pecuniam contra leges cepisse convincam.*

Accusatorem confert cum Opimio.

LIX. *Atque hic accusare L. Opimium audet, quod in Caput C. Gracchi constituerit præmium. quid enim simile? tu pecuniam accipis, ut bonis civibus periculum crees; ille dedit, ut improbos tolleret. factum tuum infamiæ plenum, & avaritiæ sordibus inquinatum est: ille suas opes non auxit, publicas non profudit, sed impendit. Atque utinam fas esset, omniū malorum interitu quietem Urbis atq; securitatem comparare. nullum in usum rectius æraria nostra aperirentur! Neque mihi magistratus ac triumphos Semproniosque ac Africanos ingesseris: onerant hæc: non excusant, amentiam hominum, qui neque honoribus, quos acceperunt à Republica; neque genere, quo procreati sunt, dignos se præstiterunt.*

Flaccum & Gracchos sua culpa interfectos innuit. Cic. de Orat. 2.40.

LX. *Nam quid ego de M. Flacco loquar, cujus arrogantiam contumaciamque nemo unquam probare potuit? de Gracchis tacere malim: quorum ego dilexi Tiberium, Cajum non odi: atque utinam egregius alias juvenis, saltem fraterno casu monitus ad saniora consilia se retulisset! Nam quod etiam adolescentes Flacci, aliorum aliquis numerus, armis aut suppliciis interiit, habeat sane crimen, si in hostes & proditores patriæ nefas est animadvertere. Sed hoc videlicet, hoc ipsum est, quod jam dudum à perditis hominibus quæritur. impunita scelera sua, atque etiam honorata esse cupiunt, eoque nituntur, ut seditiosorum quidem civium etiam infelicia ausa vindictæ solatium habeant: bonis, si quiescant, à vi improborum; sin restiterint, à judiciis periculum proponatur.*

Opimius absolvitur. Cic. de Orat. 2.34. & pro Sex. cap. 67. Liv. Epitom. Cic. pro Fontei. cap. 4.

LXI. *Quod quia vobis obscurum esse non potest, Quirites, per omnia quæ cordi curæque sunt, per & communia civitatis jura, & suos quemque liberos oro, ut euntes in suffragia non de L. Opimio quæri hoc judicio, sed de summa Reipublicæ, deque Urbis vestra securitate existimetis. Tibi vero Tribune denuncio, ut pravis actionibus turbare civitatem desinas: quod si ruere perrexeris, quidquid de L. Opimio fiet, neque Senatus Reipublicæ,*

n que Senatui Consul deerit. Missis in suffragia tribubus, qualem optaverant Patres eventus fuit; quum hortando docendoque populum, ut quisque gratia facundiaque apud singulos universosve pollebat, evicissent; ut contra suum ipse studium, plerisque suffragiis reum absolverit. Florus 3. 2. Suetonius Neron. c. 11. Strab. lib. 4.

LXXII. Interea in Galliis res ab Imperatoribus nostris constitutæ. Cn. Domitius viam munivit, quæ ab auctore Domitia est appellata. Trophæum, rem inusitatam antea Romanis moribus, ex saxo struxit, hostiumque spoliis exornavit. Et ne uno tantum insolenti facto morbum impotentis animi proderet; elephanto per provinciam invectus est, militibus quasi triumphantem prosequutis. Q. Fabius ipse quoq; in loco pugnæ trophæum ex lapide albo constituit: templaque duo, Marti alterum, alterum Herculi, ædificavit. Notabilis in hoc Fabio morum varietas & raro alias exemplo, post luxuriosam adolescentiam, ætate matura in melius profectus fuit: belloque ac pace insignis, egregiis laudibus, & *Allobrogici* cognomento gentis Fabiæ veterem gloriam auxit, etiam opibus virtute amplificatis, ut primus omnium argenti mille pondo possideret. Cn. Domitii acta in Gallia. Pedian in Ver. 11.

LXXIII. Ab hoc igitur & Cn. Domitio decedentibus quum provinciam P. Manilius Consul accepisset; duo splendidi triumphi Romæ ex transalpina Gallia spectati sunt. Prior Q. Fabius Maximus de Allobrogibus & Rege Arvernorum Bituito triumphavit. Multa ut ex ditissimis gentibus transvecta spolia, signa militaria, currus, torques aurei: multi insignes captivi ante currum ducti. Sed omnium in se avertit oculos ipse Bituitus, præstantia formæ habituque conspicuus: quū discoloribus in armis, argenteoq; carpento, qualis pugnaverat, transduceretur. Triumphi de Gallis Q. Fabii, & Cn. Domitii. Plin. 33. 11. Triumph. capitol. Eutropius.

LXXIV. P. Manilium, C. Carbonem Consules L. Cæcilius Metellus, L. Aurelius Cotta sequuntur. Annus solito quietior foris fuit, pacata recens Gallia, nec ullo alibi memorabili bello. Tantum Segestanos his Consulibus in fidem venisse, incertum quibus caussis auctoribusve, reperio. Carnorum Segeste est, opportuno contra vicinas gentes situ, ad confluentes multorum amnium navigabilium, quorum nobilissimi Savus & Noarus, qui deinde in Istrum exeunt. Oppidum in planitie jacet, quam Alpes finiunt, ad gentem Japodum longo tractu pertinentes. Urb. cond. ann. 634. Segestani Carni veniunt in fidem. Appian. Illyr. Plin. 3. 19. 8. Strab. lib 4. idem l. 7.

LXXV. Sed in Urbe nondum satis res consederant, ferventibus judiciis. & sollicitabat homines religio, quod in agro Romano repertus esset octo annorum androgynus, fœdum ac turpe prodigium. Repetitum igitur ex haruspicum responsis est, ut illo in altum demerso, virgines ter novenæ per Urbem euntes solemne carmen canerent. Procuratorum prodigiorum cura levati animi in judicium C. Carbonis se intenderunt; quem Consulatu abeuntem L. Crassus perculit unius & viginti annorum adolescens. sed ab hoc exordio summam forensis eloquentiæ gloriam consequutus. C. Carbonis judicium. Jul. Obseq. Cic. de Orat. 1. 10. Cic. de Orat. 3. 10.

LXXVI. Exstat ejus oratio, qua inimicum insectatus est, & nunc quoque non minori cum admiratione legitur, quam tum audita est: quum pro tyrocinio cepisset accusationem nobilissimi eloquentissimique hominis, qui modo Consul fuisset, & antea gratus plebi, L. Opimii defensione Patres quoque sibi conciliasset. *Id ipsum non ex animi sententia, sed per simulationem factum, aliudque sub ea specie quæsitum* Crassus arguens, effecit, ut ne reditus quidem ad optimatium caussam, reo apud ipsos optimates prodesset. Aderat adolescentulo mirificus pudor, & ætate favorabilem etiam commendatione probitatis adjuvabat. Ejus accusator L. Crassus. Auct. de cau. cor. eloquen. cap. 34. Cicero. Cic. de Orat. 2. 40. Cic. de Legib. 3. 16.

Cic. pro Font. cap. 7. Cic. de Orat. 2. 16. Cic de Offic. 2. 13. Val. Max. 6. 5. 6. L. Crassi pudor, & justitia.

LXXVII. Initio accusationis ità commotus est, ut Maximus, qui judicium exercebat, quod fractum ac debilitatum metu videret, consilium dimiserit. Neque minorem à moribus animoque laudem, quam ab ingenii excellentia, eo judicio meruit. Nam servum inimici qui scrinium domini ad se detulerat, unde accusationem multis instruere argumentis posset, cum scrinio sicut erat obsignato, vinctum hero remisit. Unde majorem reo simul metum, simul verecundiam injectam esse crediderim; qui ab adolescentulo non magis caussa, quam animo, consilioque, & dicendi arte vinceretur.

C. Marii Tribunatus. Val. Maxim. 3. 7. 6. Cic. 9. 21. Cic. Bruto & cap. 27 Val. Max. 6. 9. 14. Plutarch. Mario cap. 14 Cic de Legib. 3. 17. Plutarch.

LXXVIII. Igitur damnationem timens, ne solum verteret, sumpto, ut existimatum est, cantharidum veneno, severitatem judicum spontaneo exitu prævenit. Hic annus C. Marii Arpinatis nomen, eousque humile, nobilibus in Tribunatu actis extulit. Homo etiam in municipio suo exclusus ab honoribus, Romæ petiit: faventibusque Metellis, Tribunatum adeptus est. Erant jam tum in juvene spiritus, quales rebus gerendis postea emicuerunt. igitur judiciorum & campi perfidiam perosus, quam pluribus in Quæsturæ Tribunatusque petitione repulsis, quum industria confideret, adversam senserat, ambitum coercere lege promulgata instituit.

Ejus certamen cum Patribus.

LXXIX. In ea novum hoc & singulare fuit, quod *pontes fieri* jussit *angustiores*: ne quum ad suffragia transiretur, inspici tabellæ, rogarive aut appellari homines clanculum possent. Id quum ad minuendam principum potentiam pertineret; L. Cotta Consule hortante Patres, & legem impediri placuit, & ad reddendam incœpti rationem, C. Marium in Curiam arcessi. Venit ille, non tamquam ignobilis & adolescens solicito animo; sed imperiosus & minax: *Consulemque, ni sententiam mutaret, in carcerem abduci jussurum* denunciat.

Senatu cedente legem perfert.

LXXX. Consul nihil territus, rogare Senatum incipit, Metellus cujus prima sententia fuerat, *Senatusconsulto parendum esse* censet. tum vero Consule dimisso, hunc prehendi per viatorem Marius jubet; neque prius abstitit; quum Metello cæteros Tribunos appellante, auxilio nemo esset, quam Senatu cedente legem perferret. Inclutus ab hoc facto apud multitudinem Marius esse: quæ oppressum ab se Carbonem, dimissum Opimium mirabatur ac dolebat.

Collegæ Frumentariam ferenti resistit.

LXXXI. *Patrum nimirum artibus atque clientelis effectum, ut etiam in populi judiciis nomen potestatis penes ipsum, vis ac robur penes optimates esset. Auctoritate, gratia, pecunia, plurimorum studia pervertere facile illis: nisi contra corruptionum fraudes consilio & audacia pugnetur. In hoc, munere deum, obtigisse Tribunum unicum, qui & ipse non animo tantum, sed genere totus plebejus, satis & ad excogitanda salubria ingenii, & ad perficienda virtutis adferret, blanditiis incorruptus, contra metum imperterritus.* Verumtamen haud diuturnam de se hanc opinionem esse passus est, mutavitque meliore fama, quum collegæ frumentariam legem ferenti, ad extremum restitisset: ut jam neutrarum partium spectare gratiam, sed quod factu æquum, & usu salutare esset, intueri putaretur.

FINIS LIBRI LXI.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri LXII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



Q. Marcius Consul Stœnos, gentem Alpinam, expugnavit. Micipsa Numidarum Rex mortuus, regnum tribus filiis reliquit, Atherbali, Hiempsali, & Jugurtha fratris filio, quem adoptaverat. L. Cæcilius Metellus Dalmatas subegit. Jugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum interemit: Atherbalem Regno expulit, qui à Senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus, Censores, duos & triginta Senatu moverunt. Praeterea motus Syriæ Regum continet. Urb. cond. ann. 635. Prodigia. Ilin a. 31. Jul. Obseq.

I. ANNO ab Urbe condita sexcentesimo tricesimo quinto, quum M. Porcius Cato, Q. Marcius Rex Consulatum inivissent; tres Soles conspecti sunt. ob hoc, & examen apum in foro visum, lactisque pluviam, & quod terra cum mugitu tremuerat, libri Sibyllini aditi, & ex iis sacrificatum. Quum de provinciis Consularibus ageretur, Galliæ numquam satis quietæ, Africam comparari placuit: in qua novarum rerum initia morte Micipsæ Regis erumpebant. Is Masinissa patre genitus, Manastabale & Gulussa fratribus morbo absumptis, Regnum per multos annos solus possederat: quietus ingenio, humanitatisque ac sapientiæ studiis deditus. Liv. Epitom. Salust. Jugurt. 5. 5. Diod. apud Vales. Salust. Jugurt. 9. 2. Orosius 5. 15. Salust. Jugurt. Salust. Jugurt. 6. 5. Salust. Jugurt. 9. 10.

II. Quamquam autem more Numidarum ex multis mulieribus liberos, sed præcipuæ dignationis Atherbalem & Hiempsalem haberet, Jugurtham fratris Manastabilis, sed ex concubina filium adoptavit, & testamento pariter cum suis hæredem instituit. Sic enim optime se consulturum familiæ suæ existimabat, si virum acrem, & Numantino bello multas apud Romanos insignes amicitias nactum, quia per insidias tollere non erat ausus, beneficio sibi liberisque suis obstringeret. Haud multis ante mortem diebus, convocatos omnes, cognatis ac amicis adhibitis, gravi oratione admonuit, *concordiam inter se colerent: id si fecissent, invictas eorum opes, sin vero, fluxas & ad interitum pronas fore*. Veriorem fuisse vatem, quam feliciorem consiliarium, sequentia docuerunt. Micipsa liberos hortatur ad cōcordiam.

III. Quamprimum enim justa mortuo exsoluta fuerant, congressi in unum Reguli, ut de constituendis rebus deliberarent; illud discordiarum incendium excitaverunt, quo paucis deinde annis Masinissæ domus, Regnumque Numidiæ conflagravit. Ambitioso ac perfido Jugurthæ animo stimulum admoverat importuna Hiempsalis ferocia, qui fratrum natu minimus, quum jam Jugurtha & Atherbal consedissent, ad latus Atherbalis cepit locum, ut Jugurtham medio, qui honestissimus apud Numidas est, depulsum, in postremam sedem detruderet: quia non solum, ut consortem regni, oderat; sed etiam, ut materno genere imparem, despiciebat. Sed illi mature dissentiunt.

IV. Adnitente tamen Atherbale fratre, & ætatis habendam esse rationem præ- Agunt de dividendo Regno;

cipiente, vix in alteram partem concessit. Mox, ubi de negotiis disseri cœptum, & Jugurtha forte dixerat, *quinquennii consulta & decreta omnia rescindi oportere, quod per ea tempora confectus annis Micipsa parum animo valuisset: id vero magnopere sibi placere*, Hiempsal respondit; *nam & Jugurtham proximum intra triennium adoptatum esse*. Satis apparebat, non posse in tam discordibus animis sperari societatem Regni, qualem inter Masinissæ totidem numero filios P. Scipio Africanus feliciter instituerat. igitur ad postremum eo deventum est, ut constitui certum diem placeret, quo imperium thesaurique dividerentur.

V. Ex hac dissensione Regulorum, quia cura patribus injecta erat, ne in Africa bellum fieret, alteri Consulum provinciam Africam decreverunt. Neutri læta sortitio fuit. M. Cato, cui Africa obvenerat, quum in provinciam pervenisset;



Q. Marcii constantia in filii morte. Agel. 13. 105. Val. Maxim. 5. 10. 3.

fato ibi functus est. Q. Marcius Galliam sortitus, inter adornandam profectionem, domesticum grave vulnus accepit, amisso unico filio, summæ pietatis & magnæ spei juvene. Sed hanc familiæ calamitatem in augmentum laudis convertit, constanter atque fortiter casus acerbitatem ferendo. nam protinus à rogo filii curiam petens, quia Senatus ea die legitimum tempus erat, quasi nihil triste passus esset, Reipublicæ negotiis animo imperturbato vacavit.

Ejus bellum cum Liguribus Stœnis. Liv. Epitom.

VI. Neque mirari convenit, virum hoc animi robore præditum, etiam in provincia belloque strenue feliciterque res gessisse; quamquam labore majori, quam gloria; quanto plus illis gentibus ferociæ, quam nobilitatis erat. Cum Stœnis præcipua dimicatio fuit, quæ Ligurum Inalpinarum natio est, fœda feritate, sicut eo bello est cognitum. Quum enim à Romanis circumventi, timere libertati cœpissent; uxoribus cum prole interfectis, ignibus in ædificia conjectis, perire maluerunt. ne ex iis quidem, qui capti ab Romanis fuerant, servari quisquam potuit: etiam pueris vario mortis genere in corpora sua sævientibus.

Colonia deducitur in Galliam Narbo Marcius. Cic. pro Fontejo c. 1. Pompon. Mela 2. 5. Eusebius. Vellejus 1. 14. & 2. 8. Triumph. Capitol.

VII. Ea quum renunciata Senatui essent, quo, adversus tam intractabile hominum genus, quod in Galliis partum fuerat, firmius contineretur; amicisque populi Romani gentibus propior spes, & ambiguis terror esset; novam deduci in ea loca coloniam placuit. Deducti sunt ex Senatusconsulto cives Romani. Inter Triumviros deducendæ coloniæ L. Crassus adolescens fuit: qui rogationem eam, quæ contra coloniam Narbonensem ferebatur, ut se populo nonnihil venditaret, etiam Senatus auctoritati detrahendo, acerrime dissuaserat. Colonia deducta est. *Narbo Marcius* à nomine Consulis appellatus.

VIII.

VIII. Interea L. Cæcilius Metellus de Dalmatis triumphum, & *Dalmatici* cognomentum retulit: templumque Castoris de Manubiis struxit. Auctores habeo, *neque caussam ejus belli ullam; neque gesta memoratu digna fuisse. tantum improbitate Metelli, qui triumphandi cupiditate gentem quietam bello petere gestiret, Senatus decretum extortum. ex quo arma inferentem, quum benigne & in speciem pacis à Dalmatis exceptus esset, Salone hiberna tranquilla exegisse, postea que Romam reversum, nulla majore re gesta triumphasse.* L. Metellus Dalmaticus. Cic. Brut. c. 43. Cic. pro Cluent. cap. 51.

IX. Neque me fugit, declinantibus sub ea tempora moribus, haud minus nonnumquam ambitioni, quam virtuti dari cœpisse: nondum tamen depuduerat, ut sine maxima contentione, cujus vestigium nusquam ullum deprehendo, triumphus tam nulla, aut levi caussa decerneretur. & in melioribus annalibus Dalmatas à L. Cæcilio Metello subactos invenio. Sed in Africa post mortem M. Catonis, tamquam remoto custode liberior Jugurtha, non amplius distulit, quin animo cupiditate imperii & accepta contumelia saucio morem gereret. donec in bellum erupit res, fratrumque alter ferro cæsus occubuit: alter, exactus Regno, Romam confugere coactus est. Jugurtha fratres bello petiit. Liv. Epitom.

X. Eo quum venisset, L. Cæcilius Q. F. Metellus, Q. Mucius Scævola Consules erant. quo anno Saturniæ androgynus annorum decem inventus. *Præneste* quoque *lacte pluisse* renunciatum; *hastamque Martis in Regia motam; Priverni terram septem jugerum in cavernam desedisse*; fulmine quoque circa Urbem & in ipsa pleraque icta sunt. Urbe virginum cantu lustrata, res quietæ manserunt: externorumque Regum atque populorum negotiis transactus annus est; inter quæ Numidici motus magnitudine ac periculo eminebant; quos licet paulo ante indigitatos, operæ pretium est uberius exponere. Urb. cond. ann. 636. Numidici motus. Jul. Obseq.

XI. Jugurtha fratrem Hiempsalem, seu bello aperto, seu insidiis captum (nam quod mireris in re non admodum antiqua, dissensus est) quum occidisset, vindicem fraternæ cædis & sui periculi Atherbalem armis petiit. Atherbal quamquam legatis missis, Senatus populique Romani, cujus in fide atque clientela Regnum erat, opem consiliumque in hac fortuna sua expetisset, tamen quod, magna ad eum confluente hominum multitudine, placere vires cœperant, pugnandi copiam nihil aliud quærenti Jugurthæ facit. Imperitus adolescens ab exercitatissimo & acerrimo viro, qui sicut pauciores numero, ita bello meliores sub signis habebat, haud ægre victus, ex mala pugna protinus in provinciam, & exinde Romam proficiscitur. Jugurtha Hiempsalem occidit: Atherbalem expellit. Liv. Epitom. Salust. Jugurt. cap. 12. Florus 3. 1. Salust.

XII. Id ubi Jugurtha cognovit, haud magis prospero prœlio lætus, quod paucis diebus totius Numidiæ dominum effecerat: quam anxius cura, ne miserabilis fortuna Regis socii & amici Romana in se arma concitaret, propere legatos Romam cum multa pecunia mittit. Quod enim & potentiam populi Romani, & avaritiam nobilitatis perspectam atque cognitam haberet, nihil in viribus, plurimum in largitione spei ponens, auro quam ferro fortunam experiri malebat. Igitur dat negotium suis, *ne usquam muneribus parcant, sed ubi veteres amicos explevissent, quemcunque possint, concilient: neque, dum causæ suæ defensores adquirant, quidquam nimium ad largiendum putent.* Legatos cum muneribus mittit ad Senatum. Orosius 5. 15. Salust. Flor.

XIII. Quod ubi strenue per aliquot dies, nec absque successu, à legatis factitatum est, Senatus ipsis & Regulo datur. Atherbal quum ipso aspectu per squallo- Atherbalis Oratio in Senatu.

Claudian. de bello 408. Salust.

rem & lachrumas misericordiam multorum permovisset: convenientem his orationem habuit. *Venerabilis iste conspectus vester, Patres Conscripti, atque ipsa loci religio, magnopere me consolantur, ut in simillimo diis consessu non timeam, quæ homines precaturo solicitudinem curamque injecissent. Ut enim quisque alienæ opis maxime indiget, plerumque potitur ægrius: aversante tamquam contagio transituras miserias, qui rogatur; maxime ubi nullo ante officio devinctus, denegare sine rubore auxilium potest.*

Patris & avi allegat merita. Salust.

XIV. *Sed dii immortales, quorum vos imitatores esse decet, neque beneficia cujusquam desiderant, & in maximis calamitatibus gaudent approbare benignitatis suæ potestatisque magnitudinem. Ne usui vobis esse possem, opum vestrarum firmitudo, & breve regni mei tempus effecit. sed pater Micipsa, sed Masinissa avus, quum adhuc fide & opera sociorum fortuna imperii vestri egeret, quidquid à fortissimis viris, nominique Romano amicissimis postulari debuit, enixe præstiterunt. Idem propositum in me fratremque non exemplo magis majorum, quam consilio & institutione patris ita propagatum est, ut quemadmodum Regnum vitamque, ita vestram amicitiam servandam retinendamque esse semper existimaremus.*

Jugurthæ immanitatem accusat.

XV. *Atque utinam per Jugurtham & fratri meo diuturnior vita usus, & mihi otium mansisset; nullam occasionem præterire passi essemus, quo fieri quidquam potuisset, quod ad cultum vestrum obsequiumque nostrum pertinere videretur. Sed ille fera & inhumana natura præditus, cujus beneficio liberorum in jus receptus est, ejus liberos plusquam hostili odio prosequitur: alterum cum diris cruciatibus occidit, me nisi evasissem eadem passurum, hactenus fuga servavit, postea quoque aut inopem solicitamque ducturum vitam, aut acerbam subiturum mortem, nisi vestra mihi misericordia succurrerit.*

XVI. *Per igitur vestram istam potentiam atque gloriam, quas consulendo miseris præcipue auxistis, per avi mei memoriam, patrisque Micipsæ nuper amicissimum vobis nomen, oro obtestorque, ut injurias meas meorumque vindicetis: ita perpetuo florentes, æmulam diis obtineatis magnitudinem, ut semper perfugio inique oppressis esse possitis omnibus, ipsi nullius auxilio egeatis.* Adhæc legati Jugurthæ paucis responderunt: *Hiempsalem injussu ejus, ob sævitiam suam, ab Numidis interfectum: Atherbalem ultro bellum inferentem, bello repulsum esse, quod jure gentium liceat.*

Jugurthæ legatorum Responsio.

Disceptatio inter Patres.

XVII. *Numantino bello cognitam Jugurthæ virtutem ac fidem esse, neque ullum exuendi ea, & mutandi, pretium. petere igitur, eumdem adhuc putarent Patres Conscripti, neque plus verbis inimici, quam factis suis crederent.* His ultro citroque dictis, quum Curia egressi utrique essent, longa in Senatu disceptatio tenuit. magna pars Senatus palam Jugurthæ erat, & ad eandem caussam propinquos amicosque gratia pertrahebat: aliis nec contemnenda auctoritate, acriter repugnantibus, qui *de vindicanda Hiempsalis nece, reducendo Atherbale, deque pœna Jugurthæ* severas sententias dicebant.

Scauri oratio contra Jugurtham. Cic. Bruto cap. 29.

XVIII. Præ cæteris M. Aimilius Scaurus, qui jam tum plurimum in Senatu facundia & auctoritate poterat, *Longam nobis*, inquit, *& ambiguam disceptationem non tam difficultas caussæ, Jugurthæque facinus, sed nostra vitia faciunt, Patres Conscripti. Scelus per se atrox, in nos contumeliosum, socio & amico nostro Rege altero pulso, altero etiam occiso, esse non dubitatur: quod neque sine culpa nostra de-*

fendi, nec sine turpitudine dissimulari possit: & adhuc consultamus, idne vindicari oporteat! Censeamus ergo jure cæsos, qui non prævenerint inimicum: introducamus hanc in sociorum animos opinionem, ut maximis sceleribus potentissimos in hoc consilio defensores paratos esse putent: nihil amplius in sua probitate, nihil in fide nostra existiment repositum, audacia domi, apud nos pecunia confici omnia posse!

XIX. *Quæ deinde piacula hujus imperii dedecora satis eluent: aut quis adeo paulo humanior nostram ultra appetendam amicitiam putabit, si conversis nunc vicibus pro pristina nostra justitia & æquitate hunc invaluisse morem crediderint, ut injurias sociorum non jam per oblivionem aut alia negotia, sed quod omnium est fœdissimum, prudentes scientesque ob mercedem negligamus? An non venit in mentem aliquando cogitare, quibus artibus ad hanc potentiam & gloriam, res Romana ex parva & tenui adoleverit? aliunde à majoribus accepimus, quam quum propter virtutem illorum, multi ad societatem nostram accesserint, propter fidē & hos mā̄sisse in fœdere, & alios ultro ut reciperentur ambisset*

Sociorum neglectorum dedecus exaggerat.

XX. *Quos igitur ea ratio nobis adjunxit, quod in fide nostra dubiæ suæ fortunæ firmum crediderāt præsidium fore; annon eos inde deducet cognitus error, si semel in hanc opinionem venerint, alium nunc Senatum, alium populum Romanum esse, quam quorum illi mores tanti fieri oportere judicassent. Dicant nunc qui muneribus aut gratia expugnati, contra fas & fidem, contraque dignitatem populi Romani, parricidiale facinus importuni mortales defendunt, quid responsuri sint majoribus suis, si qua possint ab iis rationem novi corruptique moris repetere? quid posteris? quibus nescio an potentiam eamdem, famam certe minime relicturi sunt qualem ipsi à parentibus acceperunt.*

Adversus munera & gratiam detonat.

XXI. Multa deinde de Masinissa, multa de Micipsa loquutus, acerrime Jugurtham oppugnavit. Neque iis, quos accusabat, melior ille: sed occultior erat: alioquin ex paterna inopia pecuniæ avidus, quia Regis largitionem notam vulgo infamemque esse senserat: non amore virtutis, aut sanctitate morum, quanquam egregius simulandi eam artifex, sed invidiæ metu se cohibebat. His nequidquam resistentibus, quum numero vincerent, qui vero vincebantur: Senatusconsultum fit, uti decem legati crearentur, qui Regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Jugurtham & Atherbalem dividerent.

Regnum dividitur. Salust. Jugurt. 15. 1. Auct. de Vir. illust. cap. 76. Cic pro Murena cap. 17. Salust.

XXII. Qui ubi venerunt, iisdem artibus aggressus Jugurtha, pleramque partem magnitudine largitionum promissorumque suam fecit. inter quos & L. Opimius fuit, C. Gracchi interfector & tum legationis princeps. Dividitur ex voluntate & usu Jugurthæ Numidia: ipse partem Mauritaniæ finitimam occupat, agro virisque potiorem: alteram, haudquaquam opibus parem, tamen quia portuosior, ædificiisque pulchrioribus erat, Atherbali imputaverunt. Ita compositis utcumque rebus, & auctoritate Senatus Atherbale restituto, species, sed infida, quietis per aliquod tempus tenuit: mox reversus ad ingenium Jugurtha, non ante destitit, quam æmulum, seque perderet, ut suo unumquodque loco narrabitur.

Jugurthæ melior portio datur. Florus 3. 1. Salust. Strab. lib. 17. Liv. Epitom. Salust. Jugurt. cap. 20.

XXIII. Non prætermiserim geminam hoc anno C. Marii repulsam in petione Ædilitatis, unde & animus viri, & fortuna plenius cognoscatur. Candidatum comitiis Ædilium professus, quum frustra se niti animadvertisset, repente plebejam jam Ædilitatem petere instituit. hic quoque repulsus, eadem die, quod antea ne-

C. Marii duplex repulsa uno die. Plutarch. Mar. cap. 5.

Val. Max. 6. 9. 14. Cic. pro Plan. cio cap. 21.

ciderat nemini, duplicem campi notam passus est. Cujusvis alterius spem alacritatemque tam gravis ignominia fregisset: C. Marius hoc magis excitavit intenditque animum, ut honores, quos nec omittere per ambitionem, nec obtinere per gratiam poterat, labore & virtute extorqueret.

Q. Marcii triumphus de Stœnis. Capitol. Marmora. Ænea Tab. Genua. Urb. cond. ann. 637. C. Marius de ambitu postulatur. Cic. pro Muren. cap. 17. Plutarch. Mario cap. 6.

XXIV. Fine anni Q. Marcius Q. F. Q. N. Rex Procos. de Liguribus Stœnis triumphavit, III. Non. Decemb. Idibus deinde, quia in Liguribus semina bellorum omnia solicite extinguenda videbantur, Q. & M. Minucii Rufi, quum in re præsenti fuissent, inter Genuates & Veiturios, qui de finibus dissidebant, Romæ sententiam ex Senatusconsulto dixerunt. Anno sequenti C. Licinius Geta, collega Q. Fabio Maximo Eburno, qui contra opinionem plurimorum in petitione M. Scaurum superaverat, Consulatum gessit. nulla re memorabili ad famam posteritatis insignem, nisi quod ejus anni Prætoria comitia judicium ambitus pepererunt, C. Mario reo, qui quum vix & ægre postremo loco renunciatus esset; haud minus negotii in retinenda salute habuit; quam in obtinendo magistratu habuerat.

Vix evadit ambustus. Val. Maxim. Plutarch. Cato apud Agel. 5. 13. Plutarch. Cic. de Offic. 3. 24. Salust. Jugurt. 63. 4. Auct. de Vir. Illustr. cap 72. Plin. 8. 57. Auct. de Vir. illustr. Liv. Epitom.

XXV. Suspicionem haud vanam conspectus intra Septa Cassii Sabaconis servus, permixtusque suffragia ferentibus fecerat, magnam inter dominum ejus Mariumque necessitudinem non ignorantibus. Et acrior invidia cooriebatur, quasi non veteres modo leges, sed à se quoque nuper latas primus infregisset. Ita per aliquot dies periculose jactatus, & propemodum damnationis certus, postremo pari utrinque sententiarum numero, vix ambustus evasit. In eo judicio, testis in eum citatus C. Herennius, excepit, *patronis testimonii dicendi adversus clientes remissam moribus esse necessitatem, porro C. Marium ejusque parentes semper in Herenniorum clientela fuisse*: quum ea excusatio à judicibus acciperetur; Marius ipse reclamavit *magistratu capto jus patronorum tolli* testificatus.

C. Marii spiritus.

XXVI. Unde cognoscere spiritus viri licet, etiam salubris tum humilitatis ita pertæsi, ut productum ab accusatoribus, à se irritatum testem audiri mallet, quam se clientem cujusquam confiteri. quum præsertim ne vera quidem ratione uteretur. nec enim quilibet magistratus, sed curulis tantum, clientela liberat. M. Æmilius Scaurus, M. Cæcilius Metellus Consules sequuntur. quo anno C. Marius Præturam gessit cum mediocri laude, & sequentium temporum honoribus fere obliteratam. Collegam ejus in Prætura P. Decium, quod se transeunte sederet, assurgere Consul Scaurus jussit, eiq; vestem scidit, sellã concidit, *ne quis ad eũ in jus iret*, edixit.

Urb. Cond. ann. 638. Prætor à Consule coercetur. L. Metelli Cn. Domitii Censura. Val. Maxim. 2. 9. 9. Cicer. pro Cluent. c. 42. Plutarch. Salust. Jugurt. 25. 20. Plutarch. de Fort. Rom. cap 6.

XXVII. Eadem gravitate sumptuariam legem tulit; eadem, aliam de libertinorum suffragiis. Neque minori severitate censuram L. Cæcilius Metellus Dalmaticus, Cn. Domitius Ahenobarbus exercuerunt, duobus & triginta Senatu motis: quo in numero & Licinius Geta prioris anni Consul fuit; ipse post aliquot annos Censoriam potestatem adeptus. Nota Cassii Sabaconis ad C. Marii Prætoris infamiam pertinuit. judicio Mariano interrogatus à judicibus, *ecquid servus ejus in Septis egisset e sitienti sibi frigidam attulisse, deinde poculo recepto statim digressum* respondit. Censores sive falsa respondisset, ob mendacium: sive vera, ob intemperantiam, dignum animadversione sua factum habuerunt.

Q. Metelli Macedonici felicitas.

XXVIII. Senatu deinde recensito principem legerunt M. Æmilium Scaurum Consulem: quia Consulis alterius pater Q. Metellus Macedonicus, qui superioribus lustris legi consueverat, fato erat functus. Raram hujus Metelli felicitatem multi scriptores concelebrant, *cujus post longam vitæ splendide peractam, lectũ pro Rostris*

quatuor filii sustulerint, unus Consularis & Triumphalis, & Censorius, alter Consularis, tertius Consul, quartus Prætorius, candidatus Consulatus, quem mox adsequutus est. Aderant & generi, (tres enim filias, & ex omnibus nepotes reliquerat) quorum duo paulo post Consules & ipsi facti. Iidem Censores artem ludicram ex Urbe removerunt, præter tibicinem cum cantore, & ludum talorum. Agri quoque publici, de quo tam acriter certatum fuerat, vectigalia fruenda locaverunt.

Velleius. 1. 11. 6. Plutarch. Plin. 7. 44. Vellejus. Cic. de Fin. 5. 27. Auct. de Vir. illust. c. 91. Velleius. Val. Maxim. 7. 1. 1. Plutarch.

XXIX. Jam in Urbe satis omnia pacata erant; Regna sociorum motibus consuetis quatiebantur; quum non modo inter æmulos Reges, sed etiam in earumdem Regiarum penetralibus, bella ex bellis, scelera ex sceleribus gignerentur. Syriæ partem potissimum victo Demetrio Alexander obtinebat, pars filio Demetrii Grypo adhæserat, & adversus robustiorem & avidum ægre defendebatur, quum utrique ex præsenti statu commutatio fortunæ nata est.

Cassiod. Chron. Marian Scot. Regnorum sociorum calamitates.

XXX. Nam Alexander successu elatus, Ptolemæum Ægypti Regem cui fastigium suum debebat, superbia abalienavit; eumdem conciliavit sibi Grypus, pro rerum præsentium modulo humilis, & potentiori blandus. & ne deforme obsequium esset, necessitudine sanguinis opportune tegebatur; quod filia Ptolemæi Grypus erat editus. Ex eo tempore Rex Ægyptius nihil non meditari ac facere, quod ad destruendas Alexandri opes, augendumque Grypum pertineret. quumque sciret magni eam rem ad omnia momenti fore; cum ingentibus auxiliis filiam Tryphenam Grypo nupturam mittit; ut omnes intelligerent, non solum amicitia Ptolemæi, sed etiam adfinitate hunc validum esse.

Æneа Tab. apud Pig. Epitom. Liv. Alexander Syriæ Rex Ptolemæum offendit. Justin. 36. 1.

XXXI. Nec id consilium sperato exitu caruit, Syris alioquin haud tenacissimæ fidei populo, postquam instructum Ægypti viribus Grypum viderunt, non gravatim ab Alexandro deficientibus. Ille tamen imperterritus, eductis impigre copiis, Laodiceam oppugnat; ut priusquam à Grypo venire axilia possent recuperaret; simul defectoribus Antipatro, Clonioque & Æropo, nam urbem hi abalienaverant, in potestatem redactis, majorum motuum materiem præcideret, quum in oppugnanda Urbe singularem animi magnitudinem adhibuisset; non minorem in capta ostendisse dicitur. quippe veniam delicti omnibus dedit: natura mitis ac placidus, & in congressu ac sermonibus comis, eoque multitudini percharus: nisi quod inclinante fortuna apud leves animos omnia præsenti utilitati postponuntur.

Ejus virtutes. Diodorus. apud Valef.

XXXII. Igitur quum aliquanto post collatis cum Grypo signis, magna pugna victus esset, statim de fuga in Græciam cogitare cœpit, quod imbelli simul infidoque populo salutem suam credere non audebat. Hæc agitanti, quum nihil magnopere aliud propositum esset, quam quomodo plurimum pecuniæ deportare secum posset; compilatis Regiis thesauris, etiam deorum donariis adjecit manus. In templo Jovis Antiocheni, quam in urbem ex adversa pugna se receperat, signum erat Victoriæ ex auro solidum. id per caussam stipendiorum quæ militibus aliunde persolvere nequiret, tolli jussit; *Victoriam sibi ab Jove commodari* dictitans.

Sacrilegia. Joseph. 13. 17. Diodor. Justin.

XXXIII. Stabat & ipse Jupiter aureus, magnitudine cubitorum quindecim; & hinc quoque, ut fit, majore vulgi cultu celebratus. quare metuens, ne Græci milites religione deterrerentur; cum externis quibusdam (Judæos fuisse verosimile

Periculum in sacrilegio. Arnob. lib. 6.

Clemens Alexand. In admon. ad gentil.

est, quorum princeps Alexandro socius & amicus erat, contemptu & odio peregrinorum sacrorum omnium præ cæteris ad sacrilegii ministerium idoneos) silentio noctis amovere simulacrum aggressus est.

Fuga, & exitus. Josephus. Diodor. Iustin. Diodor. Iustin. Diodorus. Iustin.

XXXIV. Sed re patefacta, in conatu deprehensus, concursu multitudinis fere cum omni exercitu internecione cæsus esset. Elapsus tamen cum modica manu, contendit Seleuciam; quo jam fama eorum, quæ erant Antiochiæ gesta, prævenerat. Igitur exclusus à Seleucensibus, Posidium petit: nusquam à maritima ora recedens. Sed infelix misero fuga fuit: non hominibus modo, verum etiam, ut creditum est, diis adversantibus. Plane quasi Jove injurias suas persequente, magna vi tempestatis oppressus, deinde à suis desertus; dum in locis solitariis occursum hominum vitabundus oberrat, à latronibus capitur: agnitusque, & ad Grypum perductus, interficitur.

Grypo venenatum poculum offert mater. Porphyr. In Eusebian. Scalig. Iustin.

XXXV. Hæc mihi verior narratio visa; quamquam alii auctores sunt, tædio malæ pugnæ mortem sibi veneno conscivisse. Defunctus ingenti periculo Grypus videbatur, quod æmulo sublato, solus universa Syria sine motu potiretur; quum inter blandientis fortunæ delicias, longe præsentius, unde non timebatur, oblatum periculum est. Mater Regis Cleopatra, mulier omnes adfectus cupiditati dominationis posthabere solita, ubi victoria excitatum adolescentem, non jam nomine tantum, sed etiam animo Regio, capessere Rempublicam videt; venenatum poculum ab exercitatione sitienti offert.

Ille bibere priorem jubet.

XXXVI. Ille, quamquam prodita res à conscio fuerat, ignorantiam simulans, quasi honoris caussa, bibere illam priorem jubet. Recusante muliere, quum hoc ipsum pro manifesto sceleris argumento accepisset; acrius instat: perneganté illa, postremo producit indicem, &, *hic me*, inquit, *oblatam à te potionem accipere vetat. nihil malim, quam innocentem te reperiri.* neque *ambagibus opus. unica eademque æquissima defensio est; si, quod obtulisti bibas. quod ego citra periculum sumpturus eram, etiam tibi non oberit. sin vero non innocentius poculo quam arcu uteris; recusare non potes, quo minus, quod filio miscuisti, mater haurias.*

Appian. Syriac.

Mithridatis pueritia. Porphyr. Pausanias.

XXXVII. Ita factum vindictæ instrumentum est, quod facinoris esse debuerat; extinctaque Regina, *Philometoris* agnomen filio, apud dicacis ingenii populum dedit. Post hæc per aliquot, octo fermè annos quieta Syria fuit: donec matre Regis & patruo genitus Antiochus solita illi familiæ certamina instauraret. Iisdem temporibus Mithridates, qui Magni cognomen factorum & imperii amplitudine meruit, post necem patris perfidos tutores nactus, eorumque vitandis insidiis prudentiam ac virtutem coactus intendere, major atque melior evasit, quam si à benevolentissimis fuisset educatus.

Tutorum insidiis petita. Strab. lib. 10. Iustin. Plin. 25. 2. 24. L. Serenus cap. 61. Plin. 25. 2. Iustin.

XXXVIII. Quamquam enim honestæ blanditiæ, & tempestiva hortamenta plurimum apud egregios valent; potentiores tamen stimuli à periculis & metu adhibentur. Puerum adhuc, nam patrem natus annos undecim amiserat; equo fero impositum exerceri jaculando coëgerunt: ita effectum, ut quamlibet feroces equos viribus & peritia domaret. Veneno aggressi sunt tollere: adegerunt non ad sumenda tantum, sed etiam excogitanda remedia, quibus firmatus, tum quoque, quum mori veneno vellet, non potuit. quæ adhuc ipsius nomine memoriaque celebrantur.

XXXIX. Ferro mandare scelus instituerunt: necessitatem imposuerunt adolescentulo non urbana tantum, sed etiam rustica tecta vitandi. vagatus per sylvas & montes sæpe mutabat cubilia, ignaris omnibus ubi pernoctaret. quibus laboribus non modo admirabile corporis animique robur comparavit, quod ne senem quidem reliquit; sed etiam plurimarum linguarum cognitionem, rem minime inutilem imperanti, adeptus est. ut ad hæc tempora solus mortalium repertus sit, qui linguas supra viginti callens, annis LVI. quibus regnavit, subjectarum gentium legatos omnes, nullo adhibito interprete audiverit.

Ad corporis animique robur proficit. Appian. Mithrid. Plin. Val. Maxim. 8.7. Plin. Iustin.

XL. *Magnitudinem hujus Regis cometarum apparitionibus prædictam fuisse* ajunt: *qui per dies septuaginta & quo natus est anno, & quo imperare cœpit, cum ingenti luce deflagrarunt. Solis fulgorem ab iis victum* narrant: *quum cæli partem adeo magnam tegerent, ut donec toti orirentur aut occiderent, spatio quatuor horarum indigerent.* Ingentis ejusdemque diuturnæ præsagium fuisse, postquam utrumque evenit, creditum. Minime ab instituto alienum reor, & hæc, & aliorum populorum res, quales ea tempestate fuerunt, attingere. quia enim opes Romanæ jam eo magnitudinis creverant, ut omnia ferme Regna nationesque cognitas bello aut fœderibus amplecterentur; ad externa nonnumquam deflectendum est: ut animadverso, quæ quoque tempore Regna civitatesque, & sub qualibus fuerint; non solum nexus eventuum, sed etiam caussarum series, quibus excitatum adjutumque hoc imperium pleraque alia absorbuit, deprehendatur.

Cometæ maximi.

XLI. Igitur tali Syriaci Ponticique Regnorum statu, Cappadociam Ariarathes, Bithyniam Nicomedes obtinebat, quieti eo tempore, aut nullo insigni ad nostram cognitionem motu. Parthorum opes maximis deinde bellis cognitæ, nihil tum ad Romanum pertinere putabantur. In Africa suspecta magis inter Reges omnia, quam mota erant: nondum audente Jugurtha, Senatus auctoritate recens restitutum fratrem aperta vi lacessere. Sed Ægyptum mors Ptolemæi, qui *Physcon* appellatus est, novis tumultibus aperuerat: filiis duobus ex Cleopatra relictis: quorum uterque more gentili Ptolemæus quum vocaretur, cognominibus *Soteris* & *Alexandri* distinguebantur.

Regnorum eo tempore status. Ptolem. de Canon. Iustin. 39. Porphyr. in Euseb. Scalig. Iustin. Pausanias, lib. 3.

XLII. *Imperium uxoris esse, & filiorum alterius, quem mater eligisset*, moriens Ptolemæus jusserat. ea res jam tum ab initio turbas in Regia, & paulo post crudelia fratrum adversus matrem & inter se bella concivit. Ipsa vivo adhuc marito, ne Soterem Regem appellaret, obstiterat: perfeceratque, ut à patre in Cyprum ablegaretur: minoris filii studiosa, quem imperii sui patientiorem fore sperabat. Igitur alter nedum ut Regnum daret, uxorem, eamdemque sororem suam, eripuit; compulitque minorem natu Selenen ducere, dimissa cujus amore flagrabat, Cleopatra: quæ mox Antiocho Cyziceno nupta, cognatum quoque Syriæ Regnum magnis calamitatibus involvit.

Turbæ in Ægypto. Iustin. Pausanias. Iustin. Pausanias. Porphyr.

XLIII. In Rege tamen Ægypti constituendo, plus voluntas populi, quam inclinatio matris potuit. quæ quum Alexandrum frustra commendasset, postremo majorem filium Regem dixit; Alexandrum Cypro præfecit, ut opulentæ insulæ vires per illum retinens, Regi formidolosior esset. Brevi tamen major Ptolemæus obsequiis suis studia benevolentiamque matris promeruit: si quibus artibus parata erant, tueri voluisset. Tam varia rerum utique facies, tamen in summa fere ad incrementum Romanæ potentiæ spectabat: quæ opportunitate tem-

In Rege constituendo voluntas populi valet.

porum usa, cuncta quæ modo memoravimus Regna, excepto Parthico, in ditionem potestatemque redegit.

Auctoris in hoc opere consilium mutatum.

XLIV. Sed ego quidem hactenus, ut licuit, historiæ Livianæ detrimenta, quamquam eloquentia copiaque longe impari, conquisitis undique supplementis, ita resarcire studui: ut nullum posterioris ætatis vestigium notaretur. gratiora studiosis rerum Romanarum, quæ componebam, fore arbitratus, si sub qualicumque colore magni nominis, & tamquam antiquis temporibus scripta legerentur. Illud autem propositum diutius retinere difficultas tradendarum rerum vetat. nam penuria scriptorum plurima ignorare, de plerisque dubitare cogor, quæ quum viveret Livius, recentis adhuc memoriæ, publicisque ac privatis monumentis plurimis & certissimis compertissima fuerunt.

Mutandi ratio.

XLV. Quis enim ferat, quando ad M. Scauri Consulatum, seriem annalium sequuti, pervenimus, de hujus clarissimis eo tempore gestis, pauca & incerta sub ejus præscriptione Liviani nominis consarcinare satagentem; quum ut cætera tam multa silentio prætercam, tres fuisse libros sciamus, quos ipse Scaurus de vita sua ad Fufidium scripserat: qui etiam post Livium adhuc in manibus hominum versarentur? Igitur persona, quam sustinere nequeo, deposita; neque meam ætatem ultra, neque Joannis Freinshemii nomen dissimulabo: sed Deo bene juvante, quidquid Livianis annalibus tractatum periit, Epitomarum vestigia legens, ita pertexere conabor, ut opinioni CHRISTINÆ Reginæ, quæ mihi titulum Historiographi sui non rogata, sed tanquam merituro, tribuit; si non facundia, diligentia certe & fide respondeam.

Cic. Bruto: cap. 29. Plin. 33. Val. Maxim. 4. 4. 2.

CHRISTINÆ majestate & judicio ad diligentiam incitatur.

XLVI. Quod ut pro virili contendam adsequi, moveor quidem majestate florentissimum imperium regentis, imo facientis: sed plus adhuc judicium illius, ut doctissimæ Principis, & hæc lecturæ, revereor. Quæ utraque licet clarissima ubique fama orbi innotuerunt; mihi lubentius credo: qui studiis ejus supra triennium quotidianus administer aderam, quo tempore (quamquam gravissimo bello implicata, nihil negotiis detraheret) incredibili ardore & felicitate ingenii eruditionem rapuit, Latinosque & Græcos scriptores celebriores, qui nostram ad ætatem pervenire potuerunt, plerosque omnes evolvit.

Ejus in Historia scribenda propositum.

XLVII. Cæterum, tamquam in principio operis, testificari licebit, eo me animo ad historiam scribendam accedere, ut nemini legisse eam aliquando fraudi noxæque, sed utilitati potius atque emolumento fore confidam. Temporum enim eorum scriptores omnes, cæteris fortasse rebus quolibet antiquorum inferior, una illa, sed eadem sane maximi momenti re superaturum esse ominor, quod Christianæ philosophiæ præceptis institutus inhærensque, nullas illorum more, sub blandæ eloquentiæ involucris, exitiosas moribus insidias struam.

Non laudare vituperanda. Plutarch. de Isid. et Osirid. cap. 19.

XLVIII. Mihi enim, Romanam historiam varie sparsam, atque sæpe in minutissimas particulas dissectam redintegranti, quum Hippolyti & Osiridis fabulæ obversentur animo, similitudinem Osiridis prætulerim. *cujus quum lacerata & disjecta membra colligerentur, pudendas partes nusquam comparuisse* memorant. Eadem mihi opera sedulo dabitur, ne quid superstitione spurcum, aut adulatione fœdum, aut qualibet vitiorum labe pudendum, etiamsi ut ab aliis dicta factave referri necessum erit, me auctore quisquam amet probetve.

Quod id esse perniciosum intelligat.

XLIX. Quum enim historiarum cognitione, quanto unum quodque ingenium gene-

generosius est, tanto vehementius adficiatur, fieri potest, soletque, ut benevolis magis quam cautis lectoribus hic obrepat error, ut judicium scriptoris sequantur, priusquam ipsi de scriptore judicaverint; appetendaque aut evitanda singula arbitrentur, prout ab illo laudata aut reprehensa esse compererunt. Quem errorem sæpe magnis suppliciis luere cogitur humanum genus. quum enim plerique scriptores historiarum ambitiosa & violenta modestiæ rectoque multum anteponant, eaque mirificis præconiis efferant, ad quæ alioquin humanum ingenium, si potentiam adjicias, nimis proclive est; quid miramur si ea facta cum mercede fiunt, quæ pœna quoque gravissima prædicta, vix & ægre omitterentur?

L. Atqui non potior alius Historiæ fructus erat, quam ut propositis bonis malisque exemplis, homines naturam utrorumq; caussasque, & præmia intuendo, non solum à confessis vitiis, sed etiam à falsis virtutibus abducerentur. Fieri enim non potest, quin qui variarum gentium gesta casusque prudenter recogitans, ea quæ sæpe à magnis Regibus populisque committuntur, quam inania & incerta sint, deprehendant, quamque falso & perniciose bona appellentur. Id quoque consideratu dignum, & adversus vanam gloriæ cupiditatem efficax est; non opera tantum, modo hominum, sed ipsam eorum memoriam plerumque & cito intercidere, & in ipsa Historia frequentes de Historiarum interitu querelas esse. Non solum à confessis vitiis sed etiam à falsis virtutibus homines abducere.

LI. Quæ omnia qui plane pleneque perspexerint, abesse non poterit, quin quocumque inter homines in loco sint, quidquid agant, Rectorem omnium DEUM cogitent, nihil sibi vel ad laudem magnificum, vel ad felicitatem utile sciant, nisi ad officium, obsequiumque DEI referatur. Sed ego quidem hæc, ut spero, non alieno loco, nec frustra interfatus, ad institutum revertor. M. Æmilium M. F. M. N. Scaurum, in Consulatu de Gallis Karnis, triumphasse, Capitolina Marmora, quorum haud levis auctoritas est, testatum faciunt. neque de rebus eo bello gestis quidquam præterea invenio; nisi quod Ligurum ignobilem nationem Gantiscos domuisse dicitur; hoc enim credibilius, quam quod, per errorem puto, exaratum est, *Ligures & Gantiscos*, tamquam diversum genus, *domuisse*. Historiæ continuatio. Auct. de Vir. illustr. cap. 72. Pighi. in Annal. Strab lib. 5. Livius 2 a 2.

LII. Fuisse sicut fama obscuram, sic etiam rebus gerendis haud difficilem expeditionem opinari licet, quia tempus ei superfuit, à Placentia Parmam usque fossas navigabiles ducendi, exsiccandis paludibus quas juxta Placentiam Pado incidens Trebia aliique supra eum amnes, incommodas, præsertim cum exercitu transeuntibus efficiebant. quæ res etiam Hannibalem olim, magna cum vexatione copiarum iis locis iter facientem, præter jumenta & milites amissos, alterius oculi damno mulctaverat. M. Scaurus a Placentiam & Parmam viat munit.

LIII. Prætermissa hactenus illa cura non tam Imperatorum ignavia fuerat; quam quia munimentum Italiæ adversus Gallos in difficultate viarum putabatur: cum autem prosperis trans Alpes rebus, quum appareret duces exercitusque Romanos sæpe ea transituros esse, diligentia Scauri via opportune permunita est. Vir enim impiger, & magna per omnem vitam gravitate, militem optime laboribus contineri sciebat: tam largiter voto potitus, ut ipse disciplinam exercitus sui, certe admiratione dignam, prædicans, memoriæ prodiderit; *pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio,* Disciplinæ militaris exemplum. Saluft. Jugur. 35. 2. Cic. pro Murena cap. 17. Frontin. Strategem. 4. 3. 13.

Urb. cond. an. 639. *postero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.*

Prodigia. Plin. 2. 29. & lin. 2. 56. Orosius. 5. 15. Jul. Obseq. Orosius. Plutarch. quæst. Rom. cap. 83. Orosius. Iul. Obseq. Plutarch. Orosius. Plutarch. Iulius Obseq. Plutarch. Iul. Obseq. Helvia virgo fulmine percusa.

LIV. M'. Acilio Balbo, C. Porcio Catone Consulibus, infamis sævitia prodigiorum annus fuit. Nam & circa Solem orbis apparuit: *& lacte & sanguine pluisse* in monumenta relatum est. Sed præ cæteris fœdum ac terribile videbatur, quod equitis Romani L. Helvii filia virgo, quum à ludis Romanis in Apuliam cum patre reverteretur, fulmine icta est: non magis morte puellæ miserabili, quam minarum plenis, quæ circa evenerant. Oborta tempestate quum exanimatam metu pater vidisset, quo citius propioribus tectis succederent, relictis vehiculis conscendit equum; ipsamque, itidem equo impositam, in medium agmen accepit.

LV. Ibi fulmine sic percussa est Helvia, ut equus fræno cingulisque & ornamentis omnibus nudatus, exanimis procumberet; procul inde puella jaceret, partibus quas tegi pudor jubet, ita retectis, tamquam dedita opera reducta vestimenta fuissent. pectoris etiam ac pedum dissoluta vincula; annulique & capitis redimiculum & monilia hinc inde dispersa sunt: illæso cætera corpore, nisi quod lingua exserta cernebatur. Consulti aruspices *ingentem infamiam Vestalibus & Equestri ordini portendi, quod virginis & equi, discussis ornamentis omnibus, nudata corpora fuerant*, responderunt.

Marius Lusitanos pacat. Plin. 2. 54. Velleius. 2. 8. Plutarch. Mario. cap. 7. Appian. Hispan. Salust. Iugurt. cap. 63.

LVI. Huic prædictioni detecta mox Vestalium flagitia fidem fecerunt: magnopere confirmata auctoritate artis, cujus vanitas & alias sæpe, & nuper M. Scauro Consule, tacta Junonis æde, deprehensa fuerat. Quum de provinciis ageretur, *alteri Consulum decerni Macedoniam* placuit *ob Thracicos tumultus*, C. Marius ex Prætura Hispaniam ulteriorem sortitus; provinciam à latrociniis repurgavit: quæ nondum satis pacata gentium immanitate, extra infamiam, & ultro gloriosa ducebantur.

LVII. Nam Lusitani, quamquam Viriatho interfecto, satis amplos ad cultum agros acceperant; sive aucto numero, quod satis antea fuerat, amplius non sufficiebat, sive quod ex rapto quam laboribus vivere, præferocibus ingeniis dulcius & honestius videbatur, finitimis molesti erant. Hos igitur in deditionem redegit Marius, quum exiles Romanas copias haberet. Celtiberorum usus opera, qui sponte ad eum ex civitatibus suis confluxerant: quibus deinde in præmium navatæ operæ sedes apud oppidum nomine Colendam attribuit: Romamque reversus, ut ratum Senatui haberetur, perfecit, quum rem ita gessisset, ut majoribus etiam honoribus, quam obtinuerat, dignus videretur.

LVIII. Sed postquam ad ea tempora perventum est, quibus in Macedonia Thraciaque & vicinis gentibus sæpe & acriter pugnatum est: minime ab instituto alienum fuerit, situm illarum, & quemadmodum hodiernis nominibus antiqua respondeant, tamquam in tabella spectanda proponere.

Macedoniæ descriptio. Liv. 45. 29. Pausanias. lib. 6. Eustathius in Homer. Iliad. 2. 444. Ptolem. Strab. lib. 7.

LIX. Macedonia quam L. Paullus Perse victo, quatuor in regiones divulserat, à Borea Thraciæ conjungitur, qua Nessus amnis per Abderitarum fines in Ægeum mare decurrit. Inde jam terrarum amplissima spatia Thraces tenent, quos à meridie mare quod diximus claudit, ad Chersonesum usque, cui hodie *Bracchium S. Georgii* nomen ab Italis est impositum. inde ab ortu Propontis est, Byzantium pertinens; diu Romani imperii; nunc Turcici præcipuam sedem. ubi deinceps Pontus Euxinus incipit, ab Oriente is quoque Thraciam alluens.

hoc latus Mesembria finit, haud procul jugis, quæ cum Æmo continuantur, & in Septentriones vergunt.

LX. Trans Æmum montem duplex Mœsia est, superior, inferiorque, à præterfluentis Danubii cursu nominantur. illam Servii, hanc Bulgari postea possederunt: quibus adhuc nominibus notæ, Turcarum imperio parent. Tum Triballi intra Danubium & Thraciam colebant: supra Triballos inter idem flumen & Macedoniam, aliæ gentes, sed celebrior cæteris Dardani: quas regiones à Dacis, qui hodie Transsylvani sunt, Danubius disterminat: à Dardania per Scordiscos & Dalmatas ad mare Adriaticum & Italiam perveniri poterat: unde facile intellectu est quam & ob locorum viciniam, & bellicosissimarum gentium multitudinem arma Thracica magnis viribus magnaq; cura Romanis sustinenda fuerint. *Mœsia duplex, Cluverius.* *Florus. 3. 4. Livius 40. 57.*

LXI. Nec sum ignarus ab aliis omnes istos populos, tractu terrarum amplissimo Thracibus contribui, ut Æmi montibus mediam dividi Thraciam autument: nec immeritò, nam omnes istæ nationes ut plurimi præstantissimique auctores narrant, unius originis erant, linguaque & moribus iisdem utebantur. Danubius autem Germaniam Hungariamque permeans; qua olim Rhæti ac Vindelici, Noricique & bipartiti Pannones tenuerunt; ubi Savum amnem recipit, mutatoque nomine *Ister* antiquis vocabatur, Taurunum fuit, quo situ hodie Belgradum esse constat. *Æneas Sylvius de Euseb. cap. 3.* *Danubii accolæ. Plin. 3. 24. Vadianus.*

LXII. Ab his confluentibus deinde Scordisci habitabant; postea Mœsi, de quibus exposuimus. infra Mœsiam & Triballos, ubi nunc Valachi Rascique nominantur; vetustis temporibus ad ostias usque Istri variæ gentes tenuere: alias Getæ quos Romani *Dacos* frequentius vocant, mox Sarmatæ: postea Scythæ. quæ res uti confundit regionum terminos ac vocabula, difficilemque earum disceptationem efficit; ita haudquaquam ambiguis argumentis docet, non esse quidquam in rebus humanis stabile, nec singulos modo brevis ævi, sed etiam populos Regnaque ac Imperia, mutationibus & interitui obnoxia haberi. *Plinius 4. 12. Æneas Sylv. Epist. 23. 3. Plin.*

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



C. Porcius Consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum à Censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quatuor millia, trecenta triginta sex. Æmilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales incesti damnatæ sunt; idque incestum quemadmodum & commissum, & deprehensum,

& vindicatum sit, refertur. Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo Consul cum exercitu fusus est. Livius Drusus Consul adversus Scordiscos, gentem à Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit, magnumque honorem tulit.

Scordiscorum origo sedes, ac mores. Liv. Epitom. Justin 32. 3. Rual. in Plutarch. Animadversio. Athenæus 1. 6. 5. Strab. lib. 7. Justin. Strabo. Phlegon. apud Steph. Plin. 3. 25. 3. Sextus Rufus. cap 9. Marcellin. 27. 7.

I. SCORDISCORUM hoc tempore terribile nomen vicinis, atque etiam longe dissitis gentibus esse cœpit. Quæ Thraciæ natio, Gallicam originem à tempore Brenni repetebat. nam *amisso apud Delphos Imperatore, reliquas copias qua poterant rediisse domum: suos majores duce Bathanato, cujus tum adhuc sub eodem vocabulo manebat genus, ad confluentes Danubii & Savi sedibus captis, Scordiscos appellari cœpisse*. Ab hoc initio, paulatim submotis accolis, regionem satis amplam occuparunt, ut finitimis Pannoniis, adeoque Pannoniæ pars, à Tauriscis monte Claudio disjuncti, usque Thraciam ditione prolata, illius populis accenserentur: quibus etiam moribus & feritate persimiles evaserant, qua antiquitus infames Thraciæ cultores fuerunt. neque minus avaritiæ dediti, quamquam ob mala quæ sacri auri caussa progenitores ipsorum perpessi fuerant, ejus metalli usum damnavissent, neque inter diripiendum res alienas auro abstinebant: & ob argenti studium haud minus scelesta perpetrabant. nec enim proderat; quum improbitatem animo retinerent, rem externam & innoxiam stolide abjecisse.

Belli cum Romanis caussa. Athenæus. Florus. 4. 4.

II. Præter insitam genti ferociam & cupiditatem prædæ, caussam belli Romanos quoq; dedisse crediderim: qui proximis annis ad finitimos illis Carnos porrigere manus cœperant. Quum ergo Macedoniam aliasque provincias frequentibus incursionibus vexarent, neque captivos modo abducerent homines, sed plerosque crudelissime excruciatos necarent, graves undique ad Senatum querelæ pervenerunt. *Non jam solita bellorum mala, quæ quodam quasi jure gentium tolerentur, incumbere: Sed adesse gentem inaudita sævitia; quæ litare Bellonæ Martique sanguinem humanum, bibere in ossibus capitum, igni fumoque perimere captos, gravidarum etiam partus extundere tormentis pro ludo ac joco duceret.*

Marcellin. Sext. Rufus. Flor. Eutrop. Diodorus. apud Vales. Florus. Marcellin. Florus. Scordiscorum victoria, & progressus.

III. Adversus hos populos, quum jussum bellum, & C. Porcius Cato Consul, cui Macedonia provincia evenerat, cum exercitu profectus esset; infeliciter & ignominiose pugnatum. Hostis enim callidissimus locorumque peritus, Romanorum copias, in sylvarum & montium impedita temere conjectas ita circumvenit, ut universus una cum duce exercitus amitteretur. Hæc victoria Macedoniam Thessaliamque & quidquid Danubium & Adriam interjacet, barbarorum populationibus late aperuit: nullis paratis ad prohibendum juribus, & præsidiis Romanorum, vix ad urbes quas insederant, tuendas validis.

Lustrum conditum. Frontin. 3. 10. 7. Florus. Marian. cot. Liv. Epitom. Jul. Obseq. Diod. ap. Val.

IV. Quorum quod Heracleæ fuit, arte interceptum est; militesque octingenti cum præfecto Lucullo cæsi. Alam enim equitum, velut ad pecora abigenda, Scordisci succedere mœnibus jusserant; qui erumpentem Lucullum simulata fuga in collocatas prius insidias deduxit. Hinc provinciis Romanis longe lateque pervastatis, per Dalmatiam ad mare Adriaticum penetratum est: ubi velut obex à natura positus esset, barbarorum impetus substitit: telisque in ipsas undas conjectis recesserunt. Hoc anno lustrum à Censoribus conditum est, censa sunt civium Romanorum capita trecenta nonaginta quatuor millia trecenta triginta sex.

V. Per idem tempus incesto Vestalium patefacto, maximus Romanam urbem ex religione terror invasit. quòd enim non modo legum rupta repagula, sed etiam religionis horrorem, & atrocissimæ pœnæ metum victa videbant: *jam nihil cogitari posse tam flagitiosum aut horrendum* autumabant, *quod à tali temporum corruptela non esset pertimescendum. Vnam quoque virginem damnatam, quod tamen raro accidisset, Vrbem in luctu atque gemitu ponere. tum obvios quosque de via mœstos tacitosque decedere, aut cum silentio & gemitu comitari: neque tristiorem ullum civitati diem agi.* Vestalium incestus. Plutarch. Numa cap. 19. Dionis. 2. 68. Cic. pro Domo cap. 53.

VI. *Nunc tres simul Vestales, dimidiam totius sacerdotii partem, summo loco natas; præterea equitum Romanorum agmen, eodem furore correptum, pollutis cærimoniis, corruptis ad extremam turpitudinem moribus, omnia sæva infestaque & inferre, & portendere. Non jam esse quærendum, cur ab ignobili hoste, tantus exercitus una cum Consule sit interceptus: Offensos aversosque deos rem Romanam premere pressurosq; ni supplicationibus & sacrificiis, & ante omnia pœnis nocentum placentur.* Cæterum ejus incesti indicium servus L. Butetii Barri equitis Romani detulerat.

VII. Barrus libidinosæ admodum vitæ homo, quum formæ illecebris multarum matronarum pudicitiam expugnasset, novissime, ut perditis ingeniis severissime vetita maxime expetuntur, Vestalis virginis consuetudinem concupivit, Æmilia corrupta. per hanc deinde Licinia atque Marcia, ipsæ quoque Vestæ sacerdotes, solicitatæ, in consortium criminis suppliciique venerunt. Sed Marcia cum uno tantum equite consuetudinem stupri secreto habuerat: Æmilia & Licinia, quum subinde eos, à quibus rem detegi posse putabant, societate culpæ illigarent, turbam habebant, non recusantibus primis corruptoribus; quippe rivales ferre quam indices facere, levius incommodum videbatur. Ita modo cum singulis & secreto, modo palam cum pluribus volutabantur. in quibus & fratres illarum erant: quorum Licinius cum Æmilia Æmilius cum Licinia solebat. Æmilia, Licinia, Marcia Vestales corruptæ. Plutarch. Quæst. Rom. cap. 83. Porphyr. in Horatium Sat. 1. 6. Orosius 5. 15. Liv. Epitom. Orosius. Diodorus.

VIII. Hæc facta castissimum, ut putabatur, Vestæ numen in penetralibus suis diu passum est. quamquam virorum fœminarumque, liberorum & servorum magna multitudine conscia: donec Manius (id ei mancipio nomen fuit) neque libertatem sibi, neque alia ab hero promissa præstari indignatus, rem omnem aperuit: irrefragabilis index, ut qui totius fabulæ ipse administer actorque primus fuisset. In pari tamen culpa, sententiis Pontificum, ad quod collegium ea cognitio ex lege Numæ pertinebat; Æmilia damnata, Marcia & Licinia absolutæ sunt. credo quia secretius peccaverat Marcia; Liciniam gentilis sui L. Crassi eloquentia eripuerat: qui tum septimum & vicesimum ætatis annum agens, admirabilem pro ea orationem habuisse dicitur. Æmiliam A. D. XV. Kalend. Januar. damnatam reperio. postero die fuerunt Saturnalia. deinde A. D. XIII. Kalendar. Januar. Licinia caussam dicere jussa est. Incestus indicio servi patefactus. Dionis. 1. 78. Cic. Bruto. cap. 63. Fenest. apud Macrob. Saturnal. 1. 10.

IX. Interea C. Cæcilius Metellus, Cn. Papirius Carbo Consules facti. Multa tum prodigia nunciata. *clarum diei lumen nocte visum: Ædiculam & signum de cælo tacta: aram salutis interruptam: in Lucanis & Privernati agrum late hiasse. montem Albanum, & in Gallia cælum arsisse.* Quibus in vulgum deditis, quum aucta cœlestis iræ formido esset, judicium Liciniæ multis sermonibus agitari cœpit: *à pontificibus illam, non à diis absolutam esse. hos quia negligi se videant, contemptæ* Prodigia. Vrb. cond. ann. 640. Plin. 2. 33. Iul. Obseq.

majestatis ultionem manifesto sumere decrevisse, id non modo frequentibus & sævis prodigiis minari; sed crudelissimarum gentium bellis atque populationibus ostendere: Scordiscos, Cimbrosque, & inaudita patrum ætate nomina, ne longe quidem abesse: jam in proximis provinciis, in ipsis Italiæ finibus conspici.

Homines ægre ferunt Vestales absolutas. Cic. pro Domo cap. 53.

X. *Manentibus malorum caussis finem frustra exspectari: liberandam ocyus religione civitatem, & nocentium supplicio redimendam deorum pacem esse. Neque referre, quod semel decresse collegium dicatur: etiam in sacris, populi quam Pontificum majorem potestatem esse: idque Pontifices ipsos agnovisse. Sic C. Cassium Censorem, signum Concordiæ dedicare cupientem, à collegio ad populi voluntatem rejectum: sic decimo ante anno ædiculam sub saxo sacro, ex Pontificum responso sublatam esse, quod eam injussu populi Licinia Vestalis dedicasset.*

Iterum de illa caussa cognoscitur. Cic. de Nat. Deorum. 3. 30. Asconius in Milon. Val. Maxim. 3. 7. 9 Cic. pro Sex. Roscio c. 30. Asconius.

XI. Hæc non jam privatim, sed à Sex. Peducejo Tribuno plebis pro Rostris jactabantur, qui *L. Metellum Pontificem maximum, totumque collegium Pontificum male judicasse* criminatus, postremo rogationem tulit, *ut extra ordinem populus Prætorem faceret, qui de incesto quæstionem exerceret*. Creatus est L. Cassius, qui Consul & Censor fuerat. tristis enim & incorruptus judex quærebatur, qualem eum fore populus Romanus existimabat. Neque conceptam de se opinionem fefellit. Non enim duas modo virgines, sed adeo præterea multos condemnavit, ut tribunal ejus scopulus reorum diceretur, ob nimiam, ut plerique existimabant, asperitatem.

M. Antonius absolvitur. Val. Max. Asconius. Diod. apud Vales.

XII. Populus tamen ea severitate gaudebat; volentique erat, supplicium non de convictis modo, sed etiam de nominatis omnibus sumi. Ego autem L. Cassium ea gravitate virum, neque misericordia reorum molliorem, neque in populi gratiam crudelem factum existimo: sed condemnatis sontibus, innoxios absolvisse. Nam & M. Antonius, par L. Crassi eloquentiæ orator habitus, eo judicio evasit: quum innocentiam suam non modo caussa egregie dicta, sed etiam hoc ipso, quod dicere non recusaverat, approbasset.

Servi ejus fides & constantia. Val. Max. 6. 8. 1.

XIII. Quæstor Asiam sortitus, jam Brundusium pervenerat, quum incesti se quoque postulatum esse cognovit. Licebat differre caussæ dictionem, & lucri facere tempus, donec, ut adsolet, tepesceret quæstionis fervor, aut saltem mitiorem pro Cassio quæsitorem dies offerret. hoc enim beneficium Reipublicæ caussa absentibus lex Memmia dabat. Sed ille subire formidabilis judicii aleam, quam alere suspicionum ac sermonum malignitatem maluit. Neque etiam leve periculum ei creatum ab accusatoribus est: quum præter alia *servum, à quo prælatam ad stuprum eunti laternam* contendebant, *ad tormenta* poscerent. Perturbatum vehementer Antonium, neque enim sciebat, quantum vel patientiæ servi, vel etiam ætati, quod imberbis adhuc erat, confidere posset; ipse, cujus ad cruciatum res pertinebat, hortatus esse dicitur: *ne dubitaret se ad quæstionem tradere, nullum tam acerbum dolorem fore, qui ex ore suo verbum heri caussam læsurum posset extorquere*, & præstitit promissa: dominoque celerem absolutionem, & honestiorem in provinciam profectionem comparavit.

Digressio de Oratoribus illorum temporum. Vellejus. 2. 9. 1. Plutarch. de Fort. Rom. cap. 7.

XIV. Quum igitur eodem tempore duo nobilissimi oratores, M. Antonius pro se, L. Crassus pro Licinia dixerit; commemorare paucis lubet, quæ tum eloquentiæ ratio præmiumque Romæ, quique habiti oratores fuerint: quando iidem principes plerumque civitatis exstiterunt. neque minus facundia, quam eorumdem

temporum Imperatores armis, aut compositam turbaverunt, aut turbatam composuere. Sicut enim armorum, sic orationis anceps usus est: qui cum virtute publice privatimque celeberrimus, quoties in pravum corruptumque ingenium incidit, quanto potior cujusque facultas est, tanto vehementius nocet. neque desunt clara utriusque eventus exempla, postquam paucorum adhuc annorum gesta emensi erimus. Auct. de Cauf. corrupt. Eloquent. cap 35. Cic. de Invent. 1. 2.

XV. Sed in eo tractu temporum, in quo adhuc versamur, princeps Senatus M. Scaurus magna gravitate tum defendendis quibusdam reis, tum maxime dicundis in Senatu sententiis valuit: quam laudem sequutis quoque temporibus retinuit, quum partam sua ætate ab eloquentia gloriam, magnitudine recentiorum præumbrante perdidisset. Etiam familiaris Scauri L. Fufidius in aliquo patronorum numero fuit: & inimicus P. Rutilius, qui plus adsequi potuisset, nisi Stoicæ sapientiæ addictus, lenocinia verborum etiam in periculo suo repudiasset. & ejusdem sectæ C. Fannius; Q. Tubero, mediocres in dicendo fuerunt. M. Scaurus. Cic. Brut. c. 29. Auctor. de Vir. illustr. cap. 72. Cic. Bruto c. 30. Val. Maxim. 6. 4. 4. Cic. Brut. cap. 31.

XVI. C. Scribonius Curio, qui velut hereditariam eloquentiæ possessionem in filium ac nepotem transmisit, de incestu pro Ser. Fulvio dixit: quæ oratio temporibus illis omnium optima est habita. Sed horum gloriam C. Gracchus, quamquam in flore juventæ peremptus, vicit: plenior prioribus & uberior, quem passim ut egregium oratorem Cicero nominat, Romani eloquii parens. Etiam C. Sulpicius Galba, & Calpurnius Bestia lege Mamilia damnati, non indiserti fuerunt: Bestiæque in Consulatu collega P. Scipio, & Ser. Galbæ M. Scaurus. Sed & Q. Metellum Numidicum, A. Albinum, C. Carbonem, idem temporum tractus habuit: Quintumque Cæpionem, & Memmios. Auct. de Cauf. corrupt Eloquent. 18. 5. Plin. 7. 30. Cic. Brut. cap. 33. Vellejus 2. 9. 1. Cic. Brut. cap 18. Val. Max. 8. 5. 12. Ovid. Fast. 4. 155. Plutarch. Quæst. Rom. cap. 83.

XVII. Horum ferme ingeniis vocibusque illo tractu temporum curia & forum fervebant. Inter quę Senatus ob incestum Vestalium libros Sibyllinos inspici quum censuisset: *prædicta in illis quæ evenissent* decemviri retulerunt: *magnasque sequuturas clades, nisi his averruncandis, geniisque, nescio quibus, placandis, in foro Boario Gallus & Galla, itemque Græcus & Græca, vivi defoderentur.* factum est. adeo nimirum fraudes malorum dæmonum animos superstitione captos omni & ratione & humanitate spoliant: ut peccata majoribus maleficiis deleri posse putantes, immanissima, quæque facta pro piis exerceant, ipsique ea committant, quæ ubi ad se redierunt, in aliis indubitanter damnant & ulciscuntur. Homines vivi defodiuntur.

XVIII. Nam & idem ille Senatus, qui hæc jusserat, paucos post annos barbaræ cujusdam civitatis principes evocavit, pœnas daturos, quod humanas victimas diis immolassent. quod, ubi ex lege factum esse apparuit, missos quidem fecerunt homines, sed edixerunt, *ne posthac ita sacrificarent*. Nisi forte, quod parum pro philosopho Plutarchus judicabat, homines immolari geniis fas est, diis nefas. Ex iisdem libris etiam Veneris templa in Urbe numero aucta sunt, non alio tum reperto numine, quod melius mulierum virginumque mentes ad pudicitiam à libidine converteret. ab hoc officio *Verticordiam* appellarunt. Ejus simulacrum, quum à castissima muliere dedicari vellent, ex omnibus matronis centum: deinde ex his decem sorte ductæ sunt, quarum judicio crederetur. eæ Sulpiciam legerunt, Paterculi filiam, Q. Fulvio Flacco nuptam. Venus Verticordia. Ovid. Fastorum 4. 15. 8. Val. Maxim. Jul. Obseq. Val. Maxim. Plin. 7. 35. Cimbrorum origo. Val. Maxim. Solin. cap. 7. Jul. Obseq. Vellejus 2. 12. 2.

XIX. His ita procuratis, non ideo minus Cimbri Teutonique, gentes Germanicæ, fœdam sociorum primo, mox civium Romanorum stragem ediderunt: tum Tacit. Germ. 37. 3. Plutarch. Mario c 15.

multitudo ex variis nationibus collecta. D.odor. 5.32. Herodot. 1.6. Strab lib. 1. Euseb. Scalig. Herodot. 1.15. Polyen. Strateg. Reneccius in med. Plutarch. Mar. c. 14. Stephan. ... kraniz. Suec. 5. 33.

primum auditis illarum gentium armis. Quæ quia deinceps tantis Romanum imperium cladibus concusserunt, ut omnino eversuri viderentur, unde, & quibus caussis hoc ad bellum profecti sint, operæ pretium est cognoscere. Cimmeriorum antiquissima mentio temporibus Crœsi superior est: nam apud Homerum reperitur, cujus ætate, aut paulo supra, usque in Joniam populabundi venerunt. Longa post ætate, Scytharum Nomadum armis in Asiam pulsi, ab Alyatte canum auxilio Asia ejecti; quum diu incertis sedibus vagarentur, postremo in extremis Germaniæ finibus, qua Oceanum respicit, constitisse existimantur, ubi nunc Cimbrica Chersonnesus est, vocabulo gentis leviter immutato.

XX. Quod etiamsi refellere non est animus, quis enim de rebus tam vetustis compertum adferre queat? magis tamen adducor, ut non unius gentis, sed ex variis nationibus collectæ multitudinis eam appellationem fuisse putem. quales iisdem postea locis Vitaliani, & in Gallia aliquando Bagaudæ fuerunt. Nam & mores hominum, vagabundi enim & prædones erant; & nominis significatio congruit: quo lingua Celtica latrones appellatos fuisse, bonis auctoribus credendum est. Præterea majores illorum exercitus fuisse traduntur, quam ut ab illa Chersonneso educi potuerint: Sed ex Dania Suetiaque & finitimis late gentibus, quæ tum perpetuum inter se & contra vicinos bellis agitabantur, magnum adfluxisse numerum simile vero est.

Teutonorum antiquæ sedes. Victor. Cæsar. 39. 2. Posidon. apud Strab. lib. 7. Plutarch. Mario cap. 14. Strab. lib. 7. Cypræus de Orig. Saxon. Florus 3. 3. Plin. 37. 2. Pomp. Mela 3. 6.

XXI. Imo Posidonius non contemnendus auctor, qui tractu illo temporum vixit, non à Cimmeriis, Cimbros vocatos, sed hos prædabundos ad Mœotin penetrasse, nomenque locis istis imposuisse credit. Nec ab alia caussa, quàm prædandi consuetudine & studio vagatos esse, scriptor quantivis pretii Strabo suspicatur, ultro deridens eos, qui *Oceani æstibus ad novas sedes quærendas compulsos* tradiderunt. Teutonorum porro antiquas sedes cognitu faciles Pytheas Massiliensis efficit, qui *Guttonibus proximos esse* ait, *æstuarium maris, ubi succinum colligitur accolentibus*: & Pomponius Mela, cujus ævo Codanoniam insulam, magnitudine & fœcunditate aliis circa potiorem obtinebant. Horum deinde nomen toti Germaniæ commune factum manet: Borealium forte Regnorum incolis, proximæ sibi civitis nomen, ut solet, genti universæ imponentibus.

Cimbrorum & Teutonorum expeditiones. Posidon. Tacit. 28. 3. Posidon. Jul. Obseq. Appian. apud Fulv. Vrsinū.

XXII. Ex iis igitur terris quomodocumque in unum contractæ copiæ, quum in Hercinia sylva sedes figere conarentur, à Bojis qui ea loca incolebant (unde *Bojohemum* appellatum, quasi Bojorum patria) pulsæ, ad Istrum & Scordiscos Gallos descenderunt. inde ad Teuristas Tauriscosque & ipsæ Gallicæ originis nationes, vinam Danubio Illyrici partem tenent. trajectoque flumine, prædas ex agro Norico agebant. Quod ubi Cn. Papirius Carbo Consul accepit, Italiæ timens, à qua haud procul aberant, Alpes, ubi maxime trajectui opportunas cognorat, cum exercitu insedit. deinde postquam illos alia omnia cogitare videt, ultro procedit obviam, minitabundus, *quod amicos & hospites populi Romani Noricos popularentur*. quamlibet jus hospitii, quale populo Romano cum gentibus quibusdam erat, armis eos defendendi necessitatem non imponebat.

Quas excusant Consuli Carboni.

XXIII. Illi fama adventantis exercitus Romani audita, missis legatis excusare, *quod ignari quidquam illis gentibus cum populo Romano esse, molesti Norico fuissent. Ignoscere Consulem debere, si homines ab ultimo Aquilone profecti; quo jure regiones ad Danubium essent, parum calleant. Unam se naturæ, comprobatam*

omnium

omnium gentium consensu legem scire, ut potentiorum sint omnia: neque suum quis esse putet, quod nesciat armis defendere. Neque aliter existimare populum Romanum ad tantam pervenisse amplitudinem, quam quod iis quibuscum negotium habuisset, armis fuisset præstantior. Inde nimirum factum, ut clarissima ejus imperii fama, quum terrarum orbem pervaserit, nemini possit esse ignota.

XXIV. *Se quoque auditis, quæ de illius potentia & pugnacitate ubique prædicentur, Romani nominis reverentiam, admiratione virtutis ejus, olim induisse. Æquum enim existimare, ut quod summum in humanis rebus esse censeant, id in illis qui maxime compotes ejus facti videantur, honorent colantque. Idcirco neque antea invasuros fuisse Noricum, si scivissent ejus tuitionem ad populi Romani curam pertinere, & nunc quoque illius honoris caussa facturos, ut quamprimum ex iis regionibus discedant.* Romani nominis reverentia.

XXV. *Nullius quidem se vim ac arma pertimescere: sed amicitiam fortissimi potentissimique populi longe pluris, quam totum agrum Noricum facere. Late patere terrarum orbem: neque sibi molestam peregrinationem esse, vagari à pueritia adsuetis; & sedes considere paraturos ubicumque libuisset. Quod tamen in præsentia facerent, idem institutum postea servaturos, ut temperarent à populis, qui in fide aut amicitia Romanorum essent. Pro ea sua voluntate sperare bona gratia populi Romani facturos, ut cum quibus aliis populis vellent, cum iis bellum pacemve suo arbitratu habeant.* Ejus amicitiâ plurimis æstimare Cimbros Teutonosque.

XXVI. *In præsentia redituros ad Tauriscorum fines, unde nuper exissent. Ulterius multas colere nationes, quæ neque societate junctæ Romanis, & ultro ob ferociam invisæ essent. his se non modo sine injuria populi Romani, sed etiam in gratiam illius arma illaturos.* Consul astuto consilio, quod ipsi postea in malum vertit, laudata Teutonorum voluntate, benigne respondet. cæterum ducibus itineris, quos addiderat, clam imperat *circumitu eos ducerent, quo sibi ad ea quæ meditabatur, plus spatii foret.* Ipse vero eum expeditis copiis breviore itinere legatos antegressus, Teutonis improvisus supervenit: qui jam uti facturos legati receperant, Norico decedentes, ad Norejam oppidum castra posuerant. Consulis infelix astutia.

XXVII. Tauriscorum antiquitus Noreja fuit, ubi nunc Goricia Carinthiorum est, quod navigatio ad Aquilejam secundo Natisone, & distantia locorum ostendit. Teutoni, licet in re subita, nam somno adhuc quiescentes Romanus invaserat; tamen animi magnitudine & rei militaris peritia freti, celeriter arma capiunt: Consulemque magna cum clade rejiciunt funduntque. & nisi ingens vis imbrium coorta, duos exercitus, tamquam cœlo se interponente diremisset, occidione cæsæ Romanorum copiæ forent. Tantus enim terror fuit, ut passim per sylvas palantes, quo quemque fuga abripuerat, vix tertio post die colligerentur. Ad Goriciam Carinthiorum a Teutonis vincitur. Strab. lib. 5. Plin. 3. 19. 8. Strabo. Appian. Liv. Epitom. Plutarch. Marc. c. 24.

XXVIII. Teutonis quoque persequendi victos voluntas abfuit; & quibus caussis incertum, in Galliam & Helvetios deflexerunt. Idque Romæ quum esset nunciatum, vehementi metu levavit civitatem: pensato etiam dolore cladis & damno, Consulis alterius rebus, quæ Macedoniam provinciam habenti satis feliciter succedebant. quibus & in Thracia nomen Imperatorium, & mox domi triumphum meruit: singulari domus Cæciliæ lætitia gloriaque, quod eodem die frater ejus germanus, M. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus, ex Sardinia triumphavit: quum etiam Corsos rebellantes vicisset. Duorum Metellorum una die Triumphi. Statua apud Pygli. Vellejus 2. 9. 2. Eutrop. 1. 4. Tabulæ Triũ. Sex. Rufus. cap. 4. Vellejus 2. 11. 3.

Ejus familiæ dignitas & fortuna. Alcon. in Cic. divinationē. Cic. Pison. c. 25. Florus 3.4.5. Sext. Rufus. cap. 9.

XXIX. Plane iis temporibus hæc familia magistratibus & honoribus incredibiliter effloruit, quum intra annos XII. totidem aut ultra Consulatus, Triumphosque aut Censuras, numeraret: ut jam ignoscere Nævio poetæ Metelli debuerint, *si fato eos Romæ fieri Consules* existimavit. Ex eadem deinde Thracia, & T. Didius T. F. proprætore triumphavit, quia Scordiscos victo Catone incautius exsultantes, & libera populatione diffusos, intra Thraciam suam repulerat. Quo notabilius C. Catonis dedecus fuit: quem nescio quo pacto, Romam reversum duo ex iisdem gentibus triumphi arguebant, sua magis culpa, quam hostium virtute, exercitum perdidisse.

C. Cato damnatur repetundarum. Vell. jus 2. 8. 3. Cic. Ver. 4. 10. Vellejus. Cic. Ver. 3. 89. Urb. cond. ann. 641. Provinciæ Consulum. Cassiodor. Chroni.

XXX. Unde hanc quoque caussam haud levissimam damnationis ejus fuisse putem: quamquam judicio repetundarum ex Macedonia cecidisset. Neque enim alias caussa satis gravis videbatur, cur homo Consularis, L. Paulli & M. Catonis nepos, & P. Africani sororis filius, propter octodecim millia, hæc enim litis æstimatio fuit, tantam ignominiam pateretur. Sed hæc in eum annum egressa videntur, qui M. Livium Drusum, L. Calpurnium Pisonem, Consules habuit. Horum Druso Macedoniam provinciam evenisse constat: alteram Consularem sortem Italiam fuisse ut credam, clades recens Carbonis, & periculum ne victores ad priora consilia redirent, facit. etiamsi profecto, Cimbris atque Teutonis alio vertentibus, plus timoris eo anno, quam periculi fuit.

M. Drusus Consul cōtra Scordiscos prospere pugnat. Liv. Epitom. Florus. Marcellin. 27. 8. Diod. apud Valesium. Liv. Epitom.

XXXI. In Macedoniam Thraciamque conversa hominum cura est lætis subinde nunciis levior, quia M. Drusus Consul in Thracia contra Scordiscos prospere pugnaverat; hostemque submotum in ulteriorem Danubii ripam, suos intra fines continebat. Hæc sua sponte satis gloriosa ac splendida; in majus etiam Catonianæ cladis comparatione faventes interpretabantur, & quia moderato imperio exercitum habuerat, uberiorem quam pro gestorum portione gloriam tulit. Dum hæc in provinciis & urbe Romana geruntur, iterum concussa fratrum armis Syria est. Antiochus uterque vocabatur: de Grypo supra memoravimus; juniori cognomentum Cyricus dedit, nobilissimum Propontidis oppidum: ubi apud Craterum eunuchum metu patrui, ejusdemque vitrici educatus fuerat.

XXXII. At quum se nihilominus dolo fratris veneno appetitum cognovisset, comparato exercitu in Syriam venit, pœnas exacturus à Grypo, aut si fortuna contra daret, honestius bello quam insidiis casurus. Neque defuit ei Syriacæ gentis mobilitas, qua multis ad eum deficientibus, etiam capite Regni Antiochia potiretur. Commodum sub eadem tempora soror Ægyptii Regis Cleopatra, fratris pulsa matrimonio, in Syriam se contulerat.

Antiochi Cyziceni bellum cum Grypo. Florus 3. 5. 15. Porphyr. in Euseb. Scalig. Appian. Syriac. Justin. 39. 2. 10. Joseph. 13. 17. Justin. Sermones de nuptiis inter Cyzicenum & Cleopatram.

XXXIII. Ea res caussam sermonibus præbuit; *non sine numine divum ista fieri; sed plane mirifica opportunitate temporum atque rerum dignam offerri novo Regi conditionem. Genus utriusque, ætatem, formam congruere: fortunam quoq; haud multo disparem, sive calamitatem amborum respicias, sive initium & spem resurgendi. Antiocho patrem fuisse Syriæ Regem, sed tantam natalium claritudinem diu nihil ei præcipuum nisi pericula tulisse. Educatum peregre ne exilium quidem tutum habuisse, quo minus in caput ejus insidiæ ab impio fratre struerentur. Nunc eundem habere usum rebus prosperis, ut magnam Regni partem, caputque omnium Antiochiam voluntate popularium receperit. Sed æque celeriter hanc felicitatem dilabi posse, quam acciderit: ni validiore aliquo firmamento muniatur: neque con-*

modius aliud, quam decorum matrimonium esse. mansura melius hominum studia, quum suscipiendis liberis etiam post se relicturus videatur suis partibus maximum sacramentum servandæ fidei, & remunerandæ pignus.

XXXIV. *Vicissim Cleopatram paulo ante fraterno matrimonio florentem, tot Regum sobolem, Reginam amplissimi Regni, præter originis splendorem, quem unum eripere fortuna nequivisset, cætera perdidisse: Reginam primum, nunc omni Regno extorrem. Igitur nihil ei optabilius fore, quam si cum hoc juvene juncta, pari dignitate matrimonium, præterea non spernendas in præsentia opes, cum magna exspectatione ampliorum recuperasset. Neque tamen indotatam venire, quæ maximis ubique amicitiis atque clientelis polleat. Nam in Cypro quidem qui sit exercitus, eum ab his hominibus regi, qui acceptis ab ea beneficiis quoquo modo relaturi videantur gratiam: præsertim ubi eo in loco illam viderint, unde exspectari possit novorum beneficiorum occasio.* De varia fortuna Cleopatræ.

XXXV. *Neque Regem Ægypti moleste laturum, si tale quid accidisset. Constare enim, non lubenter, sed quia matrem sit veritus, divortium fecisse: cæterum bene illi cupere, & haud dubie quibus possit modis sublevatam adjutamque velle. Sed & cum Alexandro fratre æmulationem accedere. per quam utique potius cuilibet illa arma sit passurus accedere, quam ut in fratris potestate sint, cui mater Cleopatra, quum Regnum Ægypti non potuerit, Cyprum dederit, haud dubie majori Ptolemæo hostem instructura.* Clientelæ ejus & amicitiæ.

XXXVI. Quum hæc populari sermone agitata, ne ipsis quidem displicuissent, coeunt nuptiæ, & ne nudum uxoris nomen adferre viro Cleopatra videretur, sollicitatum qui in Cypro alebatur, exercitum, mariti partibus adjungit. Cyzicenus auctis hoc modo copiis, pugnam ausus, vincitur à fratre Grypo fugaturque. Protinus ad Antiochiam victor exercitus ducitur, quo Cyzicenus post infelicem pugnam concesserat; Sed ille quidem deprehendi non potuit: uxor Cleopatra, quum capi urbem videret, ad sanctissimum ibi templum confugit. Quod ubi Tryphænæ propere nunciatum, nam ante omnia sororem intentissima cura pervestigari jusserat, summa ope contendit à viro, *ut ne dubitet tollere Ægypti exulem, Syriæ pestem, nec nisi utriusque Regiæ malo victuram. ab hac immissum Regno æmulum, ab hac armatum esse. nihil æquius, quam ut in sororis & adfinis capita comparatum exitium, in ipsam turbarum auctorem recidat.* Cyzicenus à Grypo vincitur. Josephus Justin.

XXXVII. Lento ad hæc marito, qui *pudendum id facinus, neque inter tot domus suæ discordias ab ullo majorum usurpatum; præterea sororis consobrinæque, & alia necessitudinum nomina, quibus sibi uxorique & liberis toties innexa Cleopatra esset* ingeminabat: mulieris sævitia supra consuetam pertinaciam etiam suspicionibus accenditur, ne amantis potius ista verba, quam misericordia commoti forent. Neque satis efficax ad persuadendum auctor cognatione parci jubebat; qui matre interfecta fratrem veneno necare studuisset. Grypus necare Cleopatram gravatur.

XXXVIII. Igitur nihil morata cunctationem viri, vocatos ad se milites *ire in templum, & ubicumque reperissent occidere Cleopatram* jubet. Atque illi simulacrum deæ complexu tenentem quum avellere non potuissent; magna crudelitate miserrimæ mulieris manus amputarunt. ita extremis vocibus *ultrices parricidis diras ab eo quod violassent, numine* imprecata, moritur. Neque diu teterrimæ belluæ impunita immanitas fuit. Vulgato Cleopatræ casu inflammatus ad vindictam Cy- Igitur conjux ejus, Cleopatræ sororem interfici jubet.

zicenus, eo plures reperit, qui crudelissimi facti odio, illi se adjungerent.

Victor iterum Cyzicenus Cleopatræ necem ulciscitur. Zonaras. Porphyr. in Euseb. Justin. 39.4. 3 12. Porphyr. Appian. Porphyr. Diod. apud Valesium.

XXXIX. Fuit & fortuna in partibus: magnoque prœlio superior & universo Regno Grypum expulit; & Tryphænam redegit in potestatem. neque dubitatum diu est, quin ejus supplicio manibus interfectæ sororis parentaretur. Ex hinc quia Grypus ad Aspendios se contulerat, pro eo Regnum in Syria Cyzicenus obtinuit: incipiente apud Græcos Olympiade centesima septuagesima septima, quum Romę M. Livius Drusus, L. Calpurnius Piso Consulatu fugerentur. Cæterum Rex novus quum longe alia instituta tempus posceret, luxui vinoque deditus, inter mimos & præstigiatores, & earum sordium artificia degebat, dictataque ab his excepta contento studio meditabatur. sed & animalium formas fabricabat, quæ in morem viventium moverentur, interdum quinque cubitorum magnitudine, quas aureis argenteisve laminis operiebat.

Cyziceni venationes.

XL. Præter hæc insano venandi studio sæpe cum binis ternisve servulis noctu clam amicis exibat. eratque projectæ in eam rem audaciæ, ut cum leonibus, apris, pardis congrederetur, neque raro vitam suam in gravissima discrimina conjiceret. Interea belli apparatus jacebat, quos hic tam in ludicris machinationibus diligens, nulli curæ habebat. Hæc audita fratrem Grypum ad spem repetendi Regni excitarunt, statim altero quam inde pulsus erat anno. Igitur adjutus ab Aspendiis, Pamphyliæ urbe satis populosa, unde & cognomen ei postea novum fuit, quum in Syriam venisset; aliis ob veterem amicitiam, aliis quod novi Regis mores non probabant, studia sua certatim offerentibus, denuo par æmulo fuit: multisque deinde annis certatum inter fratres est, transmissis etiam in filios odiis, donec & Regnum Syriæ, & Seleucidarum genus, funditus interiret.

Eusebius. Chron. Porphyr. Strab. lib. 14. Joseph. 13.17.

Syria divisa inter duos Antiochos. Porphyr. Zonar. Scalig. in Euseb. Sulpicius Severus Pseudo-Iosephus. 4. 19.

XLI. Sed aliam quidem Syriam Grypus; eam quæ *Cœle* vocatur, Cyzicenus obtinebat. Sic divisa inter duos potentia quum minus à vicinis timeretur, Judæorum respublica, Joanne principe, magnis incrementis ad pristinarum opum speciem refloruit. Huic Joanni cognomentum *Hyrcano* fuit: etiam ante populis illis non incognitum: ne quis à gente victa vocabulum inditum inepte adfirmantibus credat. Ipsi quidem Judæi, quamquam gloriæ gentilis impotenter studiosi, *fraternum id nomen fuisse* referunt, *& post mortem illius ab adfine proditorie interfecti, decreto seniorum in hunc collatum; ut clarissimi juvenis quia salva esse nequiverat, saltem superstes & honoratum nomen foret*.

Judæorum res efflorescunt. Ioseph. Iustin. 36.1.10 Ioseph. Iustin. 36.31. Ioseph. Eusebius. Ioseph.

XLII. Hic igitur quum Syriaci Regni formidabilem antea potentiam, perpetua Regum inter se bella debilitassent, jam à morte Antiochi, quo natus est Cyzicenus, abjecit jugum: neque postea quidquam pro obnoxio aut cliente facere voluit. Sed maximis pecuniis ex quieta fertilissimæ regionis possessione, maxime ex opobalsami vectigalibus, paucos intra annos collectis, quum Romano populo socio & amico uteretur, & amissas Antiochi bello urbes recuperavit, & ultro plures alias expugnavit armis. Quin & Idumæos bello fatigatos in deditionem accepit. Judaicoque populo, circumcisionis & sacrorum communione accensuit. vestigiis tamen servitutis in juris inæqualitate exstantibus.

Samaria obsidetur à Iudæis. Pseudo-Ioseph. Sirac. cap. 51. Ioseph.

XLIII. Mox & Samariam, alteram olim gentis Judaicæ Regiam, sed tum Syris parentem, fossa & duplici muro circumdatam, ad insolitos cibos adegit. Qua necessitate quum Cyzicenum Antiochum ad opem sibi ferendam permovissent, à filiis Hyrcani Aristobulo & Antigono superatus fugit: Scythopolyn usq; persequentibus eum Judæis. Perferre tamen omnia prius Samaritæ maluc-

runt, quam infestissimis hostibus se dederent: Igitur quamquam quotidie gravius urgebat fames, & vix sperari poterat, Regem Antiochum rem semel infeliciter tentatam, præsertim qui minime copiis abundaret, iterum aggressurum: tamen oratores per custodias hostium emiserunt, qui *bene meritæ civitatis extrema pericula, & unam in ipso residuam spem*, nunciarent.

XLIV. Antiochus precibus illorum, & suarum rerum damnis excitus, sex millia militum à Ptolemæo Lathuro impetrat, quæ res nec ipsi magnæ utilitati, & amico propemodum exitio fuit. Nam mater Ptolemæi Cleopatra, quod se invita traditi Antiocho milites erant, rem ita tulit indigne, ut vix mitigari posset, quo minus quod postea fecit, filium Regno depelleret. Antiochus autem accepta Ægyptiorum manu, quum ne sic quidem par Judæis esset, in morem latrocinii magis quam belli agros hostium vastabat; ad ista prohibenda maleficia abstracturum Judæos ab obsidione Samariæ ratus. — *Frustra repugnante Cyziceno.*

XLV. Sed ubi rem parum procedere, suos passim exceptos insidiis multos interfici, nec ideo Judæos ab incœpto deterreri posse videt, Callimandro & Epicrati bellum Judaicum mandat, ipse Tripolim proficiscitur. Ex his ducibus Callimander audacius quam perseverantius cum hostibus inito prœlio, victus fugatusque à persequentibus occiditur. Epicrates neque obsidionem solvere Samariæ quivit: & accepta pecunia palam Judæis Scythopolim tradidit, cum finitimis oppidis vicisque. ita Samaria in potestatem Hyrcani venit, annum integrum obsidione tolerata. isque finis antiquo oppido fuit: nam ab Hyrcano non diruta modo, sed suffossis ædificiis in torrentes præcipitata veluti diluvio ita interiit, ut vix vestigia urbis relinquerentur. Augusti demum ætate ab Herode magno condita, honoris Cæsaris caussa *Sebaste* nomen accepit. — *Samaria capta deletur ab Hyrcano. Eusebius. Iosephus.*

XLVI. Dum in Syria hunc in modum sceleribus & armis certatur, etiam Ponti Regia tragicis exemplis non caruit; quum parricidia parricidiis punirentur. Qui Mithridatem cognomento *Evergeten* dolo interfecerant, à filio Mithridate, cui jam ætas sua roburque ad capessendam administrationem Regni satis placebant, quum & se insidiis eorumdem varie petitum meminisset, vicissim sunt interempti: etiam matre veneno necata, quod in suam patrisque perniciem cum cæteris conspirasset. — *Ponticæ Regiæ tragici casus. Strab. lib. 16. Iustin. 37.3.1. Salust. apud Serv. Appian. Mithrid.*

XLVII. Ab his auspiciis sævitia ejus, cui ex sylvestri vita, perpetuisque venationibus à puero adsueverat, ad cætera deinceps crudelitatis opera processit, quibus atrociora nemo unus edidisse legitur; non alia parte morum deformior. De cætero ingentis animi adolescens, & inusitatæ amplitudinis potentiam à principio statim animo complexus, seque & copias, etiam quum procul hostis esset, indesinenter exercebat. Spem ejus inflabant veterum atque novorum prodigiorum observatio, vatumque vanitas, Regibus utique haud facile alia, quam ipsos velle intelligunt, promittentium. Hi *per sagittarios & levem armaturam mirabilia ei portendi* responderant; quod fulmen quum in casam ubi somnum forte capiebat, incidisset; tacta, quæ juxta suspensa erat, pharetra, sagittas ambusserat. sed & prima ætate tam prope fulmen ceciderat, ut fascias, quibus erat involutus accenderet, & cæsariem infantis lamberet, intacto alias corpore, nisi quod frons leviter obusta vestigium casus ejus indiciumque retinebat. — *Mithridatis sævitia. Memnō apud Photium. Iustin. 37.2.8. Iustin. 37.3.1. Iustin. 37.4.1. Plutarch. Sympos. 1.5.*

XLVIII. Hinc ei *Bacchi cognomen inditum esse* quidam crediderunt, *quod illius* — *Cur fuerit Bacchus cognominatus.*

Jugurthæ cum Atherbale bellum.

quoque infantia tacta fulminibus, neque læsa esse ferebatur. nam alii *ex bibacitate quæsitum* ferunt, *& quod edendi bibendique proposito certamine, haud dubiam victoriam obtinuisset.* sane multi eum cibi vinique fuisse constat: sed magnitudini corporis atque virium congruebat, frequentibusque exercitationibus, quibus totum se dediderat, conviviis atque luxui minimum tribuens. Neque sane tam vasta cogitanti remissiore cura opus erat, quod accolas omnium pugnacissimos habebat.

Nicolaus apud Athenæ. 10. 3. Iustin. Appian.

Regni ejus incrementa. Memnon. Strab. lib. 7. Plutarch. Apoph. c. 19. & de garrulitate c. 29. Strab.

XLIX. Quippe suprà Pontum Euxinum Scythicæ Sarmaticæque gentes late incolebant; quibus ad bella nihil umquam fuit promptius. Hos tamen partim ductu suo, partim auspiciis per Diophantum maxime & Neoptolemum præfectos, ita perdomuit, ut ad Mæotidem & Colchos usque, immenso terrarum sinu, imperium extenderet. Adjuvit eum, quæ numquam potentiori deest, occasio. semper enim reperies, qui aliorum injuriis exagitati, ultionem vel cum libertatis suæ periculo meditentur. Tum Cherronesus urbs libera, ne Scytharum in manus incideret; itemque Bospori tyrannus Parisades, majus solito tributum ab his exigi indignatus, Mithridati se dediderunt. frustra prohibentibus Sciluri filiis, quos numero & paternis monitis notos, frequentibus prœliis subegit. *Quinquaginta fratres fuisse* Posidonius, *octoginta* Apollonides memoriæ tradiderunt.

Consilia de imperio orbis, & bello Romano.

L. His successibus animosior, totius orbis imperium improba spe sibi destinans, Asiam & Romanos æmulos cogitare cœpit: subactis usque ad mare Adriaticum populis, illa parte irrupturus Italiam, unde maximum & longissimum postea bellum erupit, ut suo loco memorabitur. nunc Regni exordia signasse suffecerit, quæ in M. Livium Drusum, L. Calpurnium Pisonem Consules, aut proximum ante, vel post eos, annum inciderunt. siquidem sex aut septem & quinquaginta imperii annis exactis, C. Antonio, M. Cicerone Consulibus decessit. Et hæc quidem atque talia, latentibus inter primordia rerum Pontici Regis consiliis, Senatus negligebat: in Syriacum Regnum intentior, cujus opes defectione civitatum, aliisque damnis quæ bella civilia sequi solent, quotidie minui, non invitus accipiebat. ne Africanas res eodem animo ferret, pudore & ira vetabatur; quum neque Regum amicissimorum progeniem indefensam relinqui decorum; neque suam à Jugurtha majestatem contemni tolerabile judicaret.

Appian. Plin. 25. 8. 14. Cic. de Provin. Consular. cap. 11.

Jugurtha causam belli adversus Atherbalem quærit. Salust. Jugurt. cap. 20.

LI. Majore igitur cura ac severitate coërcere impotentem hominis audaciam cœpit; tardius tamen, quam populi Romani dignitas, & salus Atherbalis requireret. Quippe Jugurtha fratris modestiam injuriæ opportunam videns, summa ope caussam belli quærebat, etiam fines ejus cum magna manu hostiliter populatus, ut hoc dolore commotum, ad arma contra se capienda compelleret; eaque res sibi deinceps ad ea, quæ animo destinaverat, peragenda obtentui esset. Atherbal neque armis confisus, quorum expertus infirmitatem fuerat, & populi Romani proniorem voluntatem sibi pollicitus, si ejus reverentia bello abstinuisse videretur; legatos ad Jugurtham de injuriis questum mittit: ab hoc cum multa contumelia verborum remittuntur.

Atherbal exercitum cogit.

LII. Ne sic quidem moto ad bellandum Atherbale, qui prius omnia pati decreverat, ipse impatiens moræ, justum exercitum in fines Atherbalis inducit:

& palam totius Numidiæ imperium sibi asserens, quacumque incederet, imperata facere recusantium urbes, agrosque vastat. Tum demum necessitas expressit Atherbali, ut Regnum, nisi relinquere mallet, armis tueri statueret. Igitur collecta quanta potuerat manu, prope Cirtam oppidum, quæ Numidiæ antiqua regia fuit, haud procul Jugurthæ castris cum exercitu consedit: missisque Romam legatis, *quo fortunæ suæ loco essent, edoceri Senatum* jussit. Liv. 30. 12. Saluft.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



THERBAL bello petitus à Jugurtha, & in oppido Cirta obsessus, contra denunciationem Senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Jugurthæ bellum indictum: idque Calpurnius Bestia Consul gerere jussus; pacem cum Jugurtha injussu populi & Senatus fecit. Jugurtha fide publica evocatus ad indicandos auctores consiliorum suorum, quod multos pecunia in Senatu corrupisse dicebatur, Romam venit: & propter cædem admissam in Regulum quendam, nomine Massivam, qui Regnum ejus populo Romano invisi appetebat, Romæ interfectum, quum periclitaretur, caussam capitis dicere jussus, clam profugit, & cedens urbe fertur dixisse: O urbem venalem, & cito perituram, si emptorem invenerit! A. Posthumius legatus infeliciter prælio adversus Jugurtham gesto conflixit. pacem quoque adjecit ignominiosam, quam non esse servandam Senatus censuit.

COGNITIS per legatos Numidiæ rebus, quum in Senatu vehementes & inimicos & propugnatores Jugurtha haberet; tandem eo perventum: ut *tres legati in Africam* decernerentur, *verbis Senatus populique Romani Regulis denunciaturi, absisterent bello: & si quid controversiæ incidisset, id jure potius quam armis disceptarent, ita maxime ex Senatus populoque Romani & sua dignitate facturos videri*. Quum legatio amplius impediri non posset, operam tamen amici Jugurthæ dederunt, ne insigni aliqua auctoritate prædìti legarentur. Legatio in Numidiam decernitur. Saluft. Jugurt. at 3.

II. Ita tres adolescentes nominati, dum itineri se parant; in Africa propemodum de Regno & vita Atherbalis transactum est. Eodem enim tempore, quo legati Numidæ ab illo missi discesserant, quum jam præcipiti in noctem die, prœlium amplius non speraretur; Atherbalis copiæ quieti se tradiderunt. At Jugurthini milites ante lucem signo dato irrumpunt hostium castra, imparatosque & ex somno trepide arma corripientes trucidant. multis interfectis, cæteris fuga palantibus, Atherbal cum parva manu equitum Cirtam profugit. Atherbal à Jugurtha vincitur.

III. Cirtam urbem situ loci munitissimam, etiam Græcis inquilinis allectis

Cirta Numidiæ Metropolis.
Diodor. apud Valesium.
Strab. lib. 7.
Salust.

plurimis, in tantum Micipsa frequentaverat; ut decem equitum millia, duplicem peditum numerum emitteret: sed tum interfectis aut fuga dilapsis plerisque quos Atherbal eduxerat, cæteris metu exanimatis, peregrinæ virtutis indigebat. Multitudo Italicorum Cirtę negotiabatur: ea Jugurtham, quum fugientem Atherbalem studio capiendi æmuli inflammatus insequeretur, non fine spe urbem eodem victoriæ impetu in deditionem venturam, à mœnibus repulit. quod nisi esset factum, una dies initium bellandi duobus Regibus finemque attulisset,

Ab Jugurtha oppugnatur.
Liv. Epitom.
Diodorus.
Salust.

IV. Jugurtha ubi primus conatus frustra fuit, obsidione Cirtam claudit, operibusque excitatis summa vi expugnare contendit, priusquam Roma venire legati possent. nam ad solicitandum Senatum missos ab Atherbale certos homines esse cognoverat. Eo magis maturandam profectionem suam Romana legatio censuit. nam de prœlio & oppugnatione Cirtæ, dum iter adornant, quamquam molliora vero rumor attulerat. Neque tamen hæc diligentia quidquam ad liberandum Aterbalem valuit. cujus ne appellandi quidem potestate facta, responsum tale ab Jugurtha tulerunt.

Jugurtha legationem Senatus eludit.

V. *Sibi Senatus auctoritatem semper sanctam inviolabilemq; fuisse: neq; aliud ab adolescentia studium, quam ut optimo cuique maxime probaretur. His artibus & P. Africano summo viro placuisse; & Micipsa, à quo licet ex se genitos haberet, ob virtutem & merita fuerit adoptatus. Sed ejuscemodi rerum conscios animos plerumque injuriarum impatientes fieri. Atherbalem vita sua struxisse insidias: id scelus armis ulcisci certum sibi decretumq; esse. orare ne populus Romanus se interponat justissimæ ultioni: neve id vetet, quod jure gentiū permissum sit Regibus. postremo, de rebus omnibus propediem se legatos Romam missurum esse confirmat.*

Atherbal iterum mittit Romam.
Diodorus.
Salust.
Diodor.
Salust.
Diodorus.
Salust.
Salust. Jugurt. ar. 1.
Salust. Jugurt. 5. 3. 2.

VI. Sic irrita & inanis ista legatio fuit. Qua digressa, quum oppidum natura loci validum, vi expugnari non posset, vallo atque fossa circumdatur: turribusque in circuitu exstructis præsidia imponuntur: nihil reliquum Jugurtha facit, quo minus confirmando suos, terrendo aut solicitando hostes, vi, dolo, diurnis nocturnisque conatibus, finis negotio imponatur. Tanto vehementiori metu perculsus Atherbal, postquam inopia rerum necessariarum fatiscere obsessos animadvertit, ex iis qui una Cirtam profugerant, duos maxime impigros, promissis & miseratione fortis suæ permovet, ut per munitiones hostium ad mare, quod nec longe aberat, deinde Romam pergant.

Eius miserabiles literæ.

VII. Ab his miserabiles literæ Senatui redduntur, in hæc verba scriptæ: *Non mea culpa sæpe ad vos oratum mitto, Patres conscripti, sed vis Jugurthæ subigit: quem tanta libido extinguendi me invasit, ut neque vos, neque deos immortales in animo babeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam mensem socius & amicus populi Romani armis obsessus teneor: neque mihi Micipsæ patris beneficia, neque vestra decreta auxiliantur. ferro, an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Jugurtha scribere dehortatur fortuna mea: etiam ante expertus sum, parum fidei miseris esse. nisi tamen intelligo illum, supra quam ego sum petere; neque simul amicitiam vestram, & Regnum meum sperare: utrum gravius existimet, nemini occultum est. nam initio occidit Hiempsalem fratrem meum: deinde patrio Regno me expulit, quæ sane fuerint nostræ injuriæ nihil ad vos. verum nunc Regnum vestrum armis tenet: me, quem vos imperatorem Numidæ posuistis, clausum obsidet: legatorum verba quanti fecerit,*

peri-

pericula mea declarant: quid est reliquum, nisi vis vestra, qua moveri possit? nam ego quidem vellem, & hæc quæ scribo, & illa quæ antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret.

VIII. *Sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem: non jam mortem, neque ærumnas, tantummodo inimici imperium, & cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiæ quod vestrum est uti libet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiæ fidem; si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissæ.* His auditis pars Senatus incorrupta non dubitabat, quin *ante omnia subveniendum Atherbali foret, exercitu in Africam misso: de Jugurtha, quod ille verbis legatorum non paruisset, per otium statui posse.* cæterum fautores Regis acerrime pugnarunt, ne tale quid decerneretur. *sæpe multis magnisque injuriis acceptis populum Romanum omnia tamen prius tentasse, quam bellum decerneret.*

IX. *Multa ab Hannibale, multa à Philippo passum, donec arma Pœnis aut Macedoniæ inferret. Nec enim pio justoque bello certaturos putasse, nisi liqueret, aliter tueri jus suum nequivisse. Inter socios deinde Reges, quamquam illa & patrum ætate in Ægypto, in Syria, & apud cætera Asiæ Regna multæ turbæ exstitisent, auctoritatem suam prompte, arma raro & contanter interposuisse; sic adsequutos, ut sociis integram permittere libertatem visi, laudibus ac favore omnium celebrarentur: & inter externa populorum bella, mutuisque cladibus debilitatos Reges, imperium firmius retinerent.*

X. *Nihil accidisse, quo minus eodem instituto uti pergerent. nullas adversus Jugurtham bellandi proprias Romano caussas esse: fratrum inter se certamina nullo rei Romanæ damno exarsisse. non utilitate ulla, non jure cogi Senatum, ut bello minime necessario implicet Rempublicam. Queri quidem invidiose Atherbalem, sed prius etiam haud minus atrocia falso questum. atque ita judicasse Patres, quum Hiempsale cæso Regnum inter fratrem ejus & Jugurtham divisissent. non enim profecto parricidæ præmium dedisse sceleris, sed non ideo damnandum putavisse, quod in depellendis insidiis ille felicior, quam in ponendis Hiempsal fuisset.*

XI. *Frustra Masinissam advocari, non minus Jugurthæ quam Atherbalis avum. & similiorem quidem ei Jugurtham esse animo ingenioque, & declaratis in populum Romanum studiis. Illum acerrimo Hispaniensi bello, quum Romanorum plerique metu segniores ad militiæ munia essent, P. Africano præstantissimo Imperatori præ cæteris omnibus industriam suam fidemque probavisse. Ab Atherbale nihil ultra verba profectum, quæ cum factis alterius conferri non oporteat. Sane ne cui jus suum præter mentem voluntatemque Senatus eripiatur, neve præcipitanter aliquid durius decernendo sociorum alienentur animi; legatos in Africam mitti posse, qui res inspiciant, & Senatus verbis denuncient, amicissimi Regis nepotes armis potius quam jure contendere Senatui non placere: eumque per quem stetisset, ne arma ponerentur, Senatum pro hoste habiturum.*

XII. Hæc à Jugurthæ patronis, quum magis ob pecunias, quas acceperant aut sperabant, quam ulla alia idonea caussa dicerentur; factum est, quod sæpe evenit, ut privatis rationibus egregium publicum cederet. Legantur

Diodorus. Salust.

tamen in Africam senes, summo loco nati, amplisque honoribus usi: quorum & M. Æmilius Scaurus fuit, de quo supra memoravimus. Hi precibus Numidarum, & populi sermonibus moti, proximum intra triduum navem conscenderunt; paucisque diebus transvecti Uticæ, literas miserunt ad Jugurtham, petentes *uti quam celerrime in provinciam accederet, se ad eum à Senatu missos esse*.

Ille contumax paret.

XIII. Jugurtham pugnantes invicem adfectus timor & cupiditas incertum consilii faciebant: vim Romanam metuebat, nisi legatis paruisset, vicissim inflammatus cupidine cuncta, dum animo obsequeretur, leviora ducebat. Igitur si Atherbalem interfecisset, priusquam mandata Senatus exponerentur, veniam admissorum pecunia redimi posse sperans; corona urbem circumdatam summis viribus oppugnat. sed virtute Italicorum rejectus, quum trahere tempus non auderet, ne moram legati, & quem præ omnibus metuebat, Scaurus pro contumacia interpretarentur; cum paucis equitibus in provinciam venit.

Re infecta discedunt. Diodorus. Salust.

XIV. Post acrem contentionem verborum, quamquam graves minæ Senatus nomine, *ni omitteret Atherbalem*, denunciabantur; hæc quoque legatio sine effectu digressa est. Sed ubi Cirtæ de iterata legatione auditum, & inde Senatui populoque Romano res Numidicas curæ cordique esse creditum est, Italici generis homines, quorum virtute defensum adhuc oppidum fuerat, confisi Romanum sibi nomen præsidio adversus injuriam fore; Atherbalem *ad deditionem* cohortantur. *neque aliud pacisci quam vitam incolumem* jubent: *cætera Senatus auctoritate facile recuperaturum*.

Atherbal cum cruciatu occiditur. Diodorus. Liv. Epitom. Strab. lib. 17. Salust. Diod. Salust.

XV. Non erat ignarus Atherbal, quam parum fidei in pactionibus Jugurthæ esset: sed quia videbat in illorum manu situm, ut se invito urbem hosti tradant; cum insulis ad Jugurtham egressus, *permittere se Regnum meliori* ait. *tantum orare, ut privato vivere beneficio fratris liceat*. Ille ut qui numquam vivo Atherbale firmam sibi Numidiæ possessionem fore olim judicavisset, neque preces ipsius fraternumque nomen, neque Senatus populique Romani denunciationem reveritus, excruciatum occidit, deinde puberes omnes Numidas interficit: ne Italicis quidem iram & crudelitatem abstinens, quo minus quotquot comperti erant arma pro Atherbale tulisse, torti necarentur.

Id facinus in Senatu à multis defenditur.

XVI. Hæc Romæ cognita clarissimo documento patefecerunt, quem ad finem lapsi mores, & ab innocentia & gravitate veterum recessum esset. Tam atrocibus enim rebus in Senatu agitari cœptis, per multos dies extracta disceptatio est: mancipiis illis auri Regii nunc gratia, nunc de jure differendo, interdum & jurgiis, quod adversus Jugurtham severius decretum fieret, intercedentibus. Putantque prolatandis consultationibus futurum fuisse, ut eluso primæ iræ impetu, vindictæ à sceleratissimo mortalium expetendæ studium evanesceret: nisi C. Memmius, qui Tribunis plebis designatus erat, vir acer, & nimiam principum potentiam speculari & carpere solitus, populum Romanum edocuisset, *id agi, ut per paucos factiosos scelus Jugurthæ condonaretur*.

Fit tamen SC. contra Jugurtham. A. V. C. 642. Salust.

XVII. Hæc invidia demum Senatui, ex delicti conscientia populum timentis, expressit, *ut Jugurthæ bellum indiceretur: Lege Sempronia futuris Consulibus Numidia atque Italia provincia decernerentur*. P. Scipio Nasica, L. Calpurnius

Bestia Consules facti. Hi, postquam majoribus hostiis procuratum prodigium fuit, quod lactis pluviæ per triduum ceciderant, provincias sortiti, L. Calpurnius Numidiam, P. Scipio Italiam obtinuerunt. Delectus deinde à Consulibus habiti. quorum caussa quum indictum justitium esset, populi Romani sensum præco Granius expressit, homo liberis neque vernilibus facetiis notus: qui roganti Nasicæ Consuli, *ecquid tristis esset, quod auctiones cessent: minime*, inquit, *sed quod leges*.

Jul. Obseq. Cic. pro Cn. Plan. cap. 14. Granii præconia liberum responsum.

XVIII. Sed nondum eo perventum erat, ut vel avaritiæ suæ puderet Rempublicam quæstui habentes principes; vel satis virium ad hos reprimendos in publicis judiciis esset. oportebatque multa præterea, & à magnis viris peccari, donec Patribus pudore aut conscientia victis, ad vindicanda legibus scelera populi consensus evigilaret. Erant in Consule Calpurnio multæ magnæque corporis & animi dotes; nisi avaritia corrumperentur. cætera patiens laborum, providus, impiger, bellum acriter parabat. jam ne Senatu quidem cunctante, exercitus qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium, & alia quæ bello usui forent, decernuntur.

Calpurnii Consulis virtutes & vitia. Saluft. Cic. Burt. cap. 4.

XIX. Hæc ubi Jugurthæ longe alia quàm speraverat adlata sunt, nam cuncta Romæ venalia esse pro comperto habuerat, majori metu correptus, filium, & præterea duos amicorum ad Senatum mittit. His quoque præcepta eadem data, quæ antea iis quos Hiempsale interfecto legaverat, *ut quibuscumque volentibus accipere pecuniam largirentur*. sed irritas Jugurthæ insidias diligentia Calpurnii Consulis effecit: qui legatorum audito adventu, consuluit Senatum, *recipine mœnibus legatos Jugurthæ placeret*? Senatus decreuit, *nisi regnum ipsumque deditum venissent, uti in diebus proximis decem Italia decederent*.

Jugurtha filium mittit Romam.

XX. Sic illi rebus infectis, domum revertuntur. Consul exercitu commeatibusque paratis, legat sibi homines nobiles, principes factionum, magna in Senatu auctoritate: quorum opibus, quæ deliquisset, defendi posse arbitrabatur. in his & M. Æmilius Scaurus fuit, vir eo ingenio, iisque moribus, qualem supra descripsimus. Ita legionibus per Italiam Rhegium deductis, inde in Siciliam, atque ex Sicilia in Africam transpositis, acriter Numidiam ingressus est, multosque captivos, atque etiam urbes aliquot in potestatem redegit.

Consul expeditionem Numidicam suscipit.

XXI. Jugurtha, ubi præter expectationem arma Romana in Regno, & serio bellum geri videt, ad solitas artes conversus, legatos ad Consulem mittit, *difficultatem suscepti belli ostendi, pecunias offerri* jubet. Quibus pro animi sui vitio facile expugnatus Consul, in societatem consiliorum Scaurum adsciscit: atque is, licet acerrimus antea Regis oppugnator fuisset, magnitudine mercedis ad oblivionem pristinæ gravitatis adductus est. Nulla res majores Numidæ animos facere potuisset, neminem jam Romanum auro inexpugnabilem esse rato, postquam ille victus esset, cujus tum probatissimi mores habebantur.

Jugurtha Consulem & M. Scaurum pecunia corrumpit. Florus 3. 1. 7. Salust. Florus 3. 1. 5. Salust. Florus. Salust.

XXII. Igitur qui antea pro magno ducturus fuerat, si tantummodo tempus redimere potuisset, quo interim Romæ gratia aut pretio res suas meliorem in locum reponeret: nunc, quia Scaurus in partibus esset, maxima pacis impetrandæ spe concepta, Consuli significandum curat, *si tuto venire in castra posset, coram de conditionibus acturum*. Ita mittitur à Consule Sextius Quæstor in oppidum Jugurthæ Vaccam, specie frumenti accipiendi, quod palam imperatum

In castra Romana venit.

Regiis legatis fuerat: reverà, ut pro corpore Jugurthæ obses esset.

Se suaque in fidem populi Romani per simulationem dedit. Liv. Epitom. Orosius 5. 15. Eutropius. Sallust. Cic. Bruto: cap. 14. Diod. apud Valesium. Cic. de Offic. 3. 30. Julius Obseq. Liv. 29. 37. 3. Val. Maxim. 1. 8. 11. Hieron. advers. Jovin. lib. 1. Sueton. Tib. cap. 2. Sallust. Jugurt. 30.

XXIII. Rex in consilio pauca de rebus suis loquutus, *se suaque in fidem populi Romani dedere paratum* fingit: cætera cum Scauro & Bestia secreto transiguntur: postero die quasi per saturam sententiis exquisitis, Rex pro consilio in deditionem accipitur: elephanti triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere, uti erat imperatum, Quæstori traduntur: denique injussu populi, & Senatus pax Numidæ pudendis nomini Romano conditionibus datur. His ita constitutis L. Calpurnius ad comitia Consulum habenda Romam proficiscitur: quia P. Nasica Consul diem suum obierat, vir per omnia pravis collegæ moribus dissimilis. tota vita firmus contra largitiones munerum, sapientiæque deditus, quam non sermonibus tantum, sed magis vita exprimebat. de cætero non infacundus, hilaris, comis, & tamen auctoritatis suæ retinens: omnino dignus proavo, qui vir optimus judicatus fuerat, & patre Nasica, domoque Cornelia quæ summorum virorum ferax & pacis ornamenta multa tulit; & ex tribus orbis partibus partis virtute bellica cognomentis illustrata est.

Incendium ingens Romæ:

XXIV. Eodem anno incendium ingens Romæ fuit, magnaque pars Urbis deflagravit. Eo quum ædes Matris Deûm in colle Palatino consumpta fuisset, inviolata Claudiæ statua, quæ in vestibulo stabat, tum quoque admirationi hominibus fuit: sed maxime postquam Augusti principatu, M. Servilio, L. Lamia Consulibus, alio incendio iterum intacta flammis stetit. Hæc illa Claudia Quinta est, sive Vestalis virgo, ut multi putaverunt, sive matrona, ut Livius memoriæ prodidit; quæ adhærentem in vado Tiberis navem qua mater Idæa vehebatur, quum nulla juvenum vi moveri posset: in patrocinium suspectæ pudicitiæ cingulo traxisse dicitur: quo merito haud dubie statua illi apud eamdem deam, cujus suffragio casta judicata fuerat, collocata est.

C. Memmius Jugurthinam pacem refutat

XXV. His cladibus mœstam civitatem acrius irritavit pactum cum Jugurtha fœdus, & dubitatio Senatus, qui neque probare fœdi & perniciosi exempli rem poterat, neque rescindere, magno ad potentiam Scauri respectu, audebat. Sed C. Memmius Tribunus plebis, frequentibus ad populum concionibus, *Romani nominis ignominiam, facinora nobilium audacia avaritiaque nihil non patrantium, Senatum conscientia contantem*, arguens; acta Consulis, quique in eadem caussa essent, vehementer impugnabat, ingenio & exercitatione acer & acerbus accusator.

Ejus oratio ad Quirites.

XXVI. Cujus rei fidem facit vel una ex quam multis oratio, cujus ipsa verba quia se referre Crispus Sallustius ait, ex eo Sallustio referemus, quem non tantum ut optimum Jugurthini belli scriptorem, sed etiam ut unum de compluribus reliquum, sequimur. Sed ille C. Memmium hunc in modum facientem verba inducit: *Multa me dehortantur à vobis, Quirites, ni studium Reipublicæ omnia superet, opes factionis, vestra patientia, jus nullum, ac maxume, quod innocentia plus periculi, quam honoris est. nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim, quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum; quam fœde, quamque inulti perierint vestri defensores, ut vobis animus ab ignavia, atque socordia corruptus sit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis: atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori esse.*

Appianus. lib. 1. Civil.

XXVII. *Sed quamquam hæc talia sunt: tamen, obviam ire factionis*

potentiæ, animus subigit. certe ego libertatem, quæ mihi à parente meo tradita est, experiar: verum id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod sæpe majores vestri fecere, uti contra injurias armati eatis. nihil vi, nihil secessione opus est: necesse est, suometipsi more præcipites eant. Occiso Tiberio Graccho, quem Regnum parare aiebant, in plebem Romanam quæstiones habitæ sunt. Libertas in ad serendo jure populi.

XXVIII. *Post C. Gracchi, & M. Fulvii cædem, vestri item ordinis multi mortales in carcere necati sunt. utriusque cladis non lex, verum libido eorum finem fecit. Sed sane fuerit Regni paratio, plebi sua restituere: quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini ærarium expilari: Reges, & populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem & summam gloriam, & maximas divitias esse. tamen hæc talia facinora impune suscepisse, parum habuere: itaque postremo leges, majestas vestra, divina, & humana omnia hostibus tradita sunt. neque eos, qui ea fecere, pudet, aut pœnitet: sed incedunt per ora vestra magnifici, sacerdotia, & Consulatus, pars triumphos suos ostentantes, perinde quasi ea honori, non prædæ, habeant: servi, ære parati, injusta imperia dominorum non perferunt. vos, Quirites, imperio nati, æquo animo servitutem toleratis?* Injurias Nobilitatis coarguit.

XXIX. *At qui sunt hi, qui Rempublicam occupavere? homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissimi, iidemque superbissimi, quibus fides, decus, pietas, postremo honesta, atque inhonesta omnia quæstui sunt. Pars eorum, occidisse Tribunos plebis, alii quæstiones injustas, plerique cædem in vos fecisse, pro munimento habent. ita, quam quisque pessume fecit, tam maxime tutus est. metum à scelere suo ad ignaviam vestram transtulere. quos omnes, eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit. Sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est.* Convicia effundit.

XXX. *Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt, profecto neque Respublica, sicuti nunc, vastaretur, & beneficia vestra penes optumos, non audacissumos, forent. Majores vestri parandi juris, & majestatis constituendæ gratia, bis per secessionem armati Aventinum occupavere. vos pro libertate, quam ab illis accepistis, nonne summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo majus dedecus est, parta amittere, quam omnino non parvisse?* Plebis ignaviam vituperat.

XXXI. *Dicet aliquis, quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere Rempublicam, non manu, neque vi; quod magis, vos fecisse, quam illis accidisse, indignum est, verum quæstionibus, & indicio ipsius Jugurthæ; qui si dediticiu est, profecto jussis vestris obediens erit. sin ea contemnit, scilicet æstimabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas; ad paucos potentes maximæ divitiæ, in Rempublicam damna, atque dedecora pervenerint.* Suum consilium expromit.

XXXII. *Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet: & illa, quam hæc tempora, magis placent, cum Regna, provinciæ, leges, jura, judicia, bella, atque paces, postremo divina, atque humana omnia penes paucos erant. vos autem, hoc est, populus Romanus, invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego tametsi viro flagitiosissumum* Prioris status admonet.

existumo impune injuriam accepisse, tamen, vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, æquo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset. nam & illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male fecisse, si deinde faciundi licentia eripitur: & vobis æterna solicitudo remanebit, cum intelligetis aut serviendum esse, aut per manus libertatem retinendam.

Ad vindictam contra noxios cohortatur.

XXXIII. *Nam fidei quidem, aut concordiæ quæ spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi injurias, vos prohibere. postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam diversis mentibus pax, aut amicitia esse? Quare moneo, hortorque vos, ne tantum scelus impunitum dimittatis. Non peculatus ærarii factus est; neque per vim sociis ereptæ pecuniæ: quæ quamquam gravia sunt, tamen consuetudine tam pro nihilo habentur. hosti acerrumo prodita Senati autoritas, proditum imperium vestrum: domi, militiæque Respublica venalis fuit, quæ nisi quæsita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi ut illis qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quælibet facere, id est Regem esse.*

L. Cassius ad Jugurtham adducendum mittitur.

Saluft. Jugurt. 32. 1. Epitom. Livii Saluft.

XXXIV. *Neque ego vos, Quirites, hortor, ut malitis cives vestros perperam, quam recte, fecisse, sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. ad hoc in Republica multo præstat beneficii, quam maleficii, immemorem esse, bonus tantummodo segnior fit, ubi negligas: at malus improbior. ad hoc, si injuria non sint, haud sæpe auxilii egeas.* Hæc atque talia sæpe ingerendo, diligentia Memmii pervicit, ut L. Cassius Prætor ad Jugurtham mitteretur, eumque fide publica interposita Romam adduceret. quo Regis ipsius indubitabili indicio Scaurus, & cæteri, quos pecunia corruptos autumabant, convincerentur. quorum invidiam relictus in Numidia exercitus aggravabat, plurimis & flagitiosissimis factis

Jugurtha paret.

XXXV. Nam fuerunt, qui pecunia accepta elephantos à Jugurtha traditos, itemque perfugas ad supplicium restituerent: alii ex pacatis agris prædas agebant: ea tum avaritia velut rabies animos hominum invaserat. Igitur Cassius Prætor ex rogatione C. Memmii ad Jugurtham proficiscitur: eique *ni pareat, extrema pericula* demonstrando, persuadet, *ut semel in fidem populi Romani Regno seque dedito, misericordiam ejus quam iram provocare malit*. tandem *futurum se in potestate* Numida respondet: quum præter publicam fidem Cassius suâ quoque privatim spopondisset, quam Jugurtha non minoris faciebat. tanta temporibus illis de sanctitate justitiaque Cassii fama erat.

Quis ille Cassius fuerit? A. U. C. 643. Cassiod. Chro. Saluft. Orosius. 5. 15: Saluft. Jugurtha C. Bæbium Trib. pleb corrumpit

XXXVI. Quibus rebus adducor, ut hunc tàm celebrati nominis Cassium, non eum esse opiner, qui paucis post annis in prœlio adversus Cimbros occisus est; sed Censorium illum, quem quæstionis incesti caussa Prætorem creatum, refectum deinde puto, quamdiu id judicium duravit: aut ab initio hac lege factum, ut donec ea peracta quæstio esset, Præturam obtineret. Interea Consules Romæ M. Minucius Rufus, Sp. Posthumius Albinus facti. Jugurtha humili cultu Romam adductus, quum factorum conscientia trepidaret; confirmatus ab his, quos consiliorum suorum auctores habuerat, C. Bæbium Tribunum plebis magna mercede emit: cujus impudentia tutus contra jus pariter injuriamque foret.

Ab hoc defensus.

XXXVII. Sic omnia iterum Romæ, secus atque existimatum fuerat, seditionibus discordiisque permisceri cœpere. Quum enim C. Memmius productum

ad Rostra Jugurtham *indicare* juberet, *cujus ope consilioque tam scelesta patravisset*; jamque nemini dubium esset, quin multi Senatores nominarentur. C. Bæbius *tacere Jugurtham* jussit, & populo nequidquam tumultuante intercessio valuit. Tum vero confirmatus animi Numida, quod nihil non pecuniæ cedere videret, adeo priorum facinorum pœnam non timuit: ut in ipsa Urbe novum parricidium committere non dubitaret. Massiva patruele tollendo.

Livii Epitom. Saluft. Livij Epitom. Flor. 3.1.8. Saluft. Florus. Liv. Epitom. Saluft. Florus; Salust.

XXXVIII. Hunc Gulussa Masinissæ filio procreatum (quippe dedita Cirta, quum in partibus Atherbalis fuisset, Romam profugerat) Sp. Albinus Consul instigabat, *ut inviso ac jacente Jugurtha, Regnum Numidiæ ab Senatu peteret*: non tam regulo consulens, quam cupiditate belli concitandi; quod Jugurtha minime cessuro, futurum, & se duce gerendum videbat. nam M. Minucio Macedonia, Sp. Albino Numidia provincia evenerat. Jugurtha, postquam quid ageretur, animadvertit, haud cunctanter immisso percussore conficit æmulum. deprehensus, qui cædem fecerat, multis hortantibus *indicium* profitetur. *Bomilcarem Jugurthæ familiarem facinus mandasse* ostendit. nomen Bomilcaris, quamquam comes ejus esset, qui Romam fide publica venerat, magis ex æquo & bono, quam ex jure gentium recipitur. vades ex amicis Regiis quinquaginta dantur.

Massivam patruelem in ipsa urbe occidit.

XXXIX. Fervente judicio, Jugurtha in maximis angustiis constitutus, quod omnia expertus, gratiam atque pecuniam suam inferiorem invidia facti sentiebat; quum diu agitasset, utrumne vades prodi, an vero Bomilcarem deseri satius foret, postremo Bomilcarem clam in Numidiam dimittit, neminem posthac jussis suis obtemperaturum ratus, si hic hujusmodi ex caussa plecteretur. Ne sic quidem satis extricatus (habent enim hoc scelera, ut facinorosos magis magisque terrore & incommodis implicent) quum ablegato Bomilcare in se recidisse periculum animadverteret; capitis enim anquiri cœperat: ex Urbe fuga sibi consulere coactus est.

Deinde profugit.

XL. *Fertur quum egressus Roma esset, sæpe eo respectasse tacitum: postremo hac ipsa verba protulisse: O urbem venalem! & cito perituram, si emptorem invenerit!* Senatus comperto Regis abitu, *Italia cum decedere* jussit. Hæc altera bellandi caussa quum exstitisset, fœdus Calpurnianum rescinditur: Sp. Albinus paratis omnibus cursum adornat in Africam, eo diligentius, quod comitiorum tempus haud longe aberat, ad quæ redeundum ipsi Romam erat. Sed huic uti maturare bellum, ita Jugurthæ trahere consilium erat, omnique modo prosperantiam Consulis remorari. quapropter modo legatos *de deditione* mittebat; modo negabat *infestis sibi Romanis salutem suam credere posse*, interdum cedebat quum hostis instaret, ducendi temporis gratia: mox ut suorum animos confirmaret, ultro instabat.

Eius vox notabilis. Liv. Epitom. Salust. Florus 3.c8. Orosius. Salust. Florus 3.1.8. Eutropius. Salust.

XLI. Inter hæc ludibria quum dies comitiorum adventarent, Albinus nulla re gesta, exercitum Aulo fratri, quem sibi legaverat, tradit: deinde Romam proficiscitur: non intactus suspicionibus, quasi & ipse pecunia magis quam alia arte Regis otiosum imperium exegisset. Comitiorum tamen Tribuniciis seditionibus prolatum tempus est: quia P. Lucullo & L. Annio Tribunis plebis continuare magistratum cupientibus, collegæ acriter resistebant. Hanc inter moram A. Albinus, qui exercitui Numidico præerat, quum quadraginta millibus armatorum instructus, rei alicujus ad gloriam aut opes insignis patran-

A. Albini expeditio infelix. Orosius. Salust. Orosius. Salust.

Seneca Epist. 114. 23. Sallust.

dæ occasionem sibi à fortuna patefactam arbitraretur; mense Januario ex hibernis milites evocat: magnisque itineribus ad oppidum Suthul, in quo thesauri Regis adservabantur, ducit.

Jugurthæ astutia.

XLII. Quod heet loco atque tempore anni tutum oppidum erat (nam in prærupti montis extremo situm limosa planicies hiemantibus aquis effecta palude clauserat) tamen operibus circumdare Aulus instituit: sive formidinem injecturus Regi; sive, quod thesauros ibi conditos sciret, cupidine obcæcatus, oppidi potiturum sperabat. Hæc ubi Numidæ intellecta temeritatem imperitiamque hominis detexerunt; quo magis vanitatem aleret, mittit alios super alios cum mandatis humilibus legatos: ipse tamquam congressum metuens, per impedita loca eum exercitu incedebat. postremo spe quæstuosissimæ pactionis Aulum inducit, *ut relicto Suthule, se veluti per formidinem in interiora Regni cedentem insequatur: ita minus emanatura consilia sua & simulationem esse.*

Castra Romana capiuntur. Florus 3. 1 9. Sallust. Livii Epit. Florus. Sallust.

XLIII. Interea per homines talium artifices, non die non noctu intermissis solicitationibus, magnam exercitus Romani partem ad proditionem emercatur: denique paratis, ut optaverat, omnibus, obscura nocte castris legati multitudinem Numidarum subito circumfundit. Percellit insolita res & inexspectata animos omnium. discurritur; trepidatur: neque manere præsens periculum, neque fugere alterius periculi metus finit. Inter hæc ex iis, quos donis ac promissis Jugurthæ, fidem mutasse diximus, cohors una Ligurum, turmæ duæ Thracum palam ad Regem signa transferunt: & à centurione primi pili tertiæ legionis, per munitionem, quam tuendam acceperat, locus introeundi hostibus datur.

Turpis pax adjicitur. Eutropius. Sallust. Orosius.

XLIV. Ita captis castris, Romani milites, plerique abjectis armis, alii præ metu, nonnulli voluntaria fuga, proximum collem petunt: eo paucioribus desideratis, quod inter tenebras tutius evadebant, Numidæque prædæ castrorum intenti erant. Infelici prœlio postridie turpior pax adjicitur. In colloquio Jugurtha, quum *in sua manu esse dixisset, omnes ferro & fame conficere;* adjecit, *casuum humanorum memorem sub jugum eos mittere velle, cætera incolumes, sed hac lege, ut intra dies decem Numidia decedant.*

Inde Romæ mœror & metus. Orosius. Sallust.

XLV. Quæ tametsi turpitudinis & ignominiæ plena erant; ab hominibus nihil ante vitam ponentibus, accepta sunt. Hæc Romam perlata, civitatem in mœrore atque metu posuerunt: aliis dedecore imperii, plerisque periculo anxiis. *Quid enim non ausurum Jugurtham, tanto animo virum, tanta militiæ & hostis peritia? nihil illi occultum esse, nihil impervium: aurum habere & artem utendi: neque nescire, cognitis & principum & populi Romani moribus ingeniisque, adversus quos ferro melius, adversus quos pecunia pugnet.*

Senatus de fœdere Numidico consultus.

XLVI. Crescebatque in dies solicitudo, quod incrementa ejus frequentibus nunciis, & ferme ut mos è longinquo, in majus audiebantur: *neque unam aut alteram gentem, sed universam pene Africam à Romanis deficientem Regno suo junxisse.* Ideo querelæ & convicia omnium in A. Albinum ferebantur: præcipue frementibus, qui bello res præclare gesserant, *quod contra decus patrium, quum arma haberet ignominiosis conditionibus quærendam salutem existimasset.* His rebus impulsus Sp. Albinus, quo magis ab invidia fraternæ culpæ se abjungeret, Senatum *de fœdere Numidico* consulit: ipse intensissimâ curâ sup-

supplementum exercitui parat: ab sociis & nomine Latino auxilia evocat, in Africam secum portaturus.

XLVII. Ab Senatu, quemadmodum sæpe aliàs, & nuper factum fuerat; decernitur, *suo atque populi injussu nullum potuisse fœdus fieri*. Spurius in Africam paucis diebus reversus, quamquam arderet cupiditate fraterna delicta per virtutem emendandi; tamen quia veteres copias non fuga tantum, sed etiam corrupta disciplina enervaverat;nuper paratas Tribuni plebis deportari vetabant;nihil moliri ausus,in provincia, quo ex fœdere Auli deductus exercitus fuerat,hibernavit. Nullum esse decernit. iv. Epitom. Marcellin. 25. 35. Salust. Cic. de Natur. Deor 3. 30. Bruto cap. 33.

XLVIII. Interea Romæ à C. Mamilio Limetano Tribuno rogatio promulgatur, *uti quæratur in eos, quorum consilio Jugurtha Senatus decreta neglexisset: quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent: quique elephantos, quique transfugas tradidissent: postremo, qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent*. Magnum ea promulgatio terrorem Patribus objecit, quorum multi adfines illi culpæ erant; alii ne quamquam innocentes invidia opprimeret, metuebant. Mamilia rogatio.

XLIX. Igitur summo omnium conatu præsidia contra parabantur: non palam, ne fœdissima delicta defendere viderentur; sed dissimulanter per homines maxime Latini nominis, & socios Italicos impedimenta struendo legi, *quam coram populo placere sibi* dictitabant. Sed incredibili studio plebis perlata rogatio est: tres Quæsitores constituti. neque M. Scaurus, (qui ut inter illos crearetur effecerat; licet eodem crimine contactus,) obstare potuit, quo minus aspere violenterque ea quæstio exerceretur, quin & ipse, quamvis periculum effugerit, probra tamen audiit, ab inimicis contumeliose exagitatus. Ex ea tres Quæsitores constituuntur.

L. Certe, quum sub idem tempus nonnullam haberet invidiam ex eo quoque, quod bona Pompeji Phrygionis, hominis locupletis, sine testamento possederat, in judicio L. Calpurnii Bestiæ, quum inter advocatos ejus sederet, & forte mortuus efferretur, accusator Bestiæ C. Memmius, *quid sedes*, inquit, *Scaure? mortuus rapitur. vide si possis esse possessor*. Cæterum & L. Bestia, & eodem crimine multi præterea clarissimi viri ceciderunt. Judices enim Gracchani erant: & instabat urgebatque populus, lætus occasionem sibi premendæ nobilitatis præbitam: nam eo velut partium odia processerant, ut major ad illa plerumque, quam ad utilitatem Reipublicæ respectus haberetur. Multi nobiles viri damnantur. Cic. de Orat. 2. 70. Cic. Bruto cap. 34. Salust. Cic. Bruto cap. 33.

LI. Primus post Romam conditam eorum qui in collegio sacerdotum essent, C. Sulpicius Ser. F. Galba, quum pro se ipso dixisset, publico judicio damnatus est. præterea Consulares quatuor eadem tempestas oppressit. L. Calpurnius, Sp. Albinus, ex caussis, quas ante memoravimus, damnati sunt. C. Catonem cum L. Opimio in legatione fuisse putem, tantoque cupidius condemnatum, quo ne L. Opimius, super omnes ob C. Gracchi necem plebi invisus elaberetur. Neque dubitabatur, quin pecuniam à Rege Jugurtha, ad quem legatus iverat, accepisset. cæterorum quoque talia delicta erant, ut, si justitia magis quam odio commodata tanta severitas foret, ne ipsi quidem queri potuerint, quod bonis & civitate pellerentur. Inter quos Consulares quatuor. Velleius. 2. 7. 4. Cic. pro Sext. cap 67. Ascon. Pisonia. Plutarch. Grac. cap 25.

LII. Opimius post senectam in contumeliis odioque hominum exactam, in Dyrrhachino litore sepulchrum desertissimum nactus: Cato, quum solum vertisset, Tarracone consedit, ejusque civitatis civis effectus est. magnum enim ibi Lex Licinia sumptuaria. Cic. in Pison. cap. 39. Plutarch.

Cic. pro Sex. Cic. pro Balbo cap. 11. Macrob. Saturn. 2. 17. Agell. 20. 1. Plin. 14. 50. 2. Macrob. Agel. Cic. Fam. 7. 26. Agel. Festus in Cene. Agel. Plin. 8. 50. 10. Plutarch. Lucullo cap. 84. Ejus aliquot capita.

Catonum nomen, jam à Censorii Catonis Hispaniensi imperio, magnæque clientelæ erant. Quum tot nobilium hominum clades profectæ ab aviditate opum essent, cujus utique rei minor fit æstimatio, si luxus, cui potissimum opes inserviunt, recidatur: motum sub eadem tempora P. Licinium Crassum cognomento Divitem apparet, de cœnis & sumptibus legem promulgasse. ea tanto optimatium applausu excepta est, ut licet nondum ex more confirmata trinundino erat, Senatusconsulto *ab omnibus juberetur haud secus observari, quam si a populo jam probata jussaque esset.*

LIII. Eadem propemodum, quæ antiquiore, sed desueta, L. Fannia continebantur; cujus pleraque capita per omnes deinde leges ambularunt: *ne quid vulucrum poneretur præter unam gallinam, quæ non esset altilis. Calendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi caussa consumere liceret. cæteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo libra, & quod ex terra, vite, arborve natum esset.*

Luxus tamen prævalet.

LIV. *Ludis Romanis, item ludis plebeiis, & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus, centenos asses* Fannia lex indulserat. id à Licinio servatum: additumque, *ut nuptiis ducenos liceret impendere.* Non diuturnior huic, quam prioribus aliquot legibus observantia constitit. jam enim adolescebat Rullus, qui non jam gallinas & ejusmodi nugas, sed solidos apros in epulis apponere doceret: jam Lucullus, qui pro centussibus cum paucis convivis, subito se offerentibus, ducenis sexterttiis cœnaret. quæ si ad nostræ pecuniæ nomen & æstimatiomem redigàntur, thalerorum imperialium millia amplius quinque conficiunt. sed & intra decennium jussu populi, agente Tribuno plebis Duronio, lex abrogata est.

Urb. cond. an. 643. Provinciæ Consulum. Val. Max. 2. 9. 5.

LV. Consules interea Q. Cæcilius Metellus, M. Junius Silanus, quum de provinciis retulissent; Metello Numidia & Jugurthinum bellum obvenit: Silanus accepit Galliam, quia *M. Minucio Proconsuli prospere contra Thracicos populos rem gerenti, prorogari in Macedonia imperium placuerat.* Neque nulla caussa erat, cur Narbonensem Galliam Senatus provinciam Consularem decerneret, quod in eam regirasse Cimbri ferebantur, qui post Carbonis Consulis cladem, quum ex Noricis in Italiam irrupturi timerentur, alio averterant impetum, in Gallia, deinde Hispania, quærendis sedibus intenti.

Leges delectibus adversæ abrogantur. Florus. 1. 3. Salust. Jugurt. cap. 43. Cic. Bruto. cap 33. Cicer. pro Cornel. apud Ascon. Salust. Cic. de Orat. 2. 68. Salust Iugurt. cap. 30. Salust. Iugurt. cap. 43. Q. Metelli expeditio in Numidiam.

LVI. *Sed istis populis, ut quisque possidebat, acriter fines suos tutantibus, exclusos, petere Romanam provinciam* fama nunciabat. Quum igitur duo gravia bella, alterum in manibus, alterum in exspectatione essent; intentiore cura Consules agebant: etiam Senatu populoque ad censenda, quæ tempus postularet, pariter promptis. Igitur quum de Republica graviter accurateque verba fecissent; milites, commeatus, cætera quæ militiæ usus desiderat, liberaliter decernuntur. & ne quid usquam rebus gerundis impedimento esset, leges aliquot, quæ de stipendio militum æra minuebant, aliove quo modo adversæ delectibus erant, auctore Senatu abrogantur.

LVII. Etiam socii Senatus populique Romani jussa non exsequuntur tantum alacriter, sed sæpe antevertunt: quum & nomen omne Latinum Italicique socii, præsto essent ad imperia: & ab Regibus auxilia ultro mitterentur. Ita Q. Metellus, delectu diligenter habito, quum legatos ex usu magis quam ambi-

tiose legisset, C. Marium, P. Rutilium, quorum cognita virtus & abstinentia erat: in Africam navigavit. magna omnium spe, quod belli artibus egregius, & adversus avaritiam firmus erat: ad quam præcipuam aut solam caussam, omne quod in Numidia acceptum dedecus detrimentumque fuerat, referebatur.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXV. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



Q. Cæcilius Metellus Consul duobus præliis Jugurtham fudit, totamque Numidiam vastavit. M. Junius Silanus Consul adversum Cimbros infeliciter pugnavit, legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent postulantibus Senatus negavit. M. Minucius Proconsul contra Thracas prospere pugnavit. Cassius Consul à Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui à civitate successerant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est. milites qui ex ea clade superaverunt, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

I. Q. Metellus, quum in provincia Sp. Albini Proconsulis corruptissimas ignavissimasque copias accepisset; prius contra vitia militum, quam arma hostium certandum sibi statuit: Scipionis imitatione, cui ad Carthaginem, deinde iterum ad Numantiam, eadem ratio fuerat. Idcirco, licet mora comitiorum imminutum imperii sui tempus, & civitatem, quid acturus contra Jugurtham esset, impatienter exspectare sciret; nihil antiquius habuit, quam ut ab otio & mollitie exercitum ad patientiam laboris & operum, & disciplinam majorum revocaret. Metellus corruptam exercitus disciplinam instaurat. Valer. Max. 2. 7. 2. Frontin. Stratagem. Saluft.

II. Quod sane difficile inceptum, neque minus arduum, quam si validissimos hostes vi fregisset; eo temperamento comitatis & rigoris ad exitum perduxit, ut hinc quoque virumse magnum, nullique sæculi sui secundum approbaret. Ante omnia edixit, *ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet: neve alio cibo, quam carne assa elixave miles uteretur: lixas etiam expulit castris, gregariisque militibus, ne quis jumentum servumque in agmine aut castris haberet*, interdixit. cætera deinde arte magis quam vi correcta, frequentibus itineribus, & stativorum accurata munitione desidiam expugnavit: signa sequi, ordines servare, cibum & arma ferre, quod ipse focis omnibus sedulus & frequens custos adesset, pudore coëgit: & ut omnes intelligerent, non plus à militibus exigere Imperatorem, quam in se suosque statueret, adole- Ejus instituti ratio. Eutrop. Velleius. 2. 11. Saluft. Val. Maxim. Frontin. Val. Maxim. Saluft. Val. Maxim. Saluft.

ſcentem filium, quum ſecundum leges in contubernio ſuo habere poſſet, in ordine mereri maluit.

Jugurtha territus veram deditionem parat. Front. Strat. 4. 1. 11. Saluſt. Jugurt. 64. 4. Eutropius. Saluſt. Oroſius. 5. 15. Saluſt.

III. His rationibus effectum eſt, ut neque cruentum aliquid in milites faceret, & tamen exercitum, tamquam miraculo immutatis moribus & animis brevi confirmaret. Jugurtha rebus his auditis in magno errore erat: verumque aliquando ducem, ferro pariter ac auro invictum, veniſſe intelligebat. nam de diſciplina viri frequentes accipiebat nuncios; integritatem ipſe, quum Romæ fuiſſet, cognoverat. Igitur non jam per ſimulationem legatos *de deditione* mittit; *ſi vita ſibi liberiſque detur, cætera in poteſtatem populi Romani tradere paratum.*

Florus. 3. 1. 10. Frontin. Strat. 1. 8o. 8. Saluſt. Metellus legatos Jugurthæ corrumpit.

IV. Non erat ignota Metello Numidicorum ingeniorum mobilitas. igitur adverſus hominem doloſum dolis uti non dedecorum exiſtimans; legatos alium alio loco ac tempore tentat. ubi pateſacere corruptioni animos videt, promiſſis onerat: *& ut Regem vivum maxime, aut ſaltem mortuum tradant*, paciſcitur. alia deinde pro conſilio nuncianda Regi quum mandaſſet, homines dimittit, paucis poſt diebus ipſe cum exercitu inſequitur. In Numidiam quum eſſet ventum, omnia in pacis faciem compoſita apparuerunt. prodibant obviam præfecti Regii, frumentum advehebant atque commeatum, *omnia quæ imperaſset facturos eſse* confirmabant.

Exercitum provide ducit.

V. Tanto providentius incedendum ſibi Conſul rebatur, nec enim quam cum acri & callido hoſte negotium eſſet, neſciebat. Igitur cum expeditis cohortibus, funditorumque & ſagittariorum delectis ipſe ducebat agmen; C. Marius cum equitatu claudebat: latera tribuni legionum & præfecti cohortium, cum auxiliariis equitibus intermixtoque velitum numero, tutabantur: ut adverſus Numidas equites, velox ad invadendum refugiendumque genus undecumque apparuiſſent, parata ac diſpoſita manus eſſet.

Jugurtha ſalutem armis defendere ſtatuit.

VI. Interea Vaceam opulentam foro rerum venalium urbem præſidio occupat: ſimul patientiam gentis explorans; ſimul opportunitate loci invitante, multi enim ibi etiam Italici generis homines & mercabantur & colebant: quorum frequentiam commeatui, & jam pacatis munimento, fore confidebat. Ibi dum frumentum, & alia quæ bello uſui ſunt, imperantur, novi ab Jugurtha cum iiſdem mandatis legati veniunt: eademque Conſulis arte corrupti ad Regem remittuntur. Jugurtha poſtquam ſibi neque dari pacem neque negari, bellum tamen re ipſa geri videt: amiſſa maxima urbe; regni parte non contemnenda hoſtibus quaſi per otium explorata, ſolicitatos Numidarum animos: ſalutem armis defendere ſtatuit. non ſine magna ſpe victoriæ; quod, per loca difficilia Metellum incedere, per ſpeculatores cognoverat.

Frontin. Saluſt.

Metello inſidias ſtruit.

VII. Pergenti ad ulteriora neceſſario tranſcundus collis erat, oleaſtro myrtiſque & quæ alia arido ſole gignuntur, conſitus. hunc Jugurtha, quum per occultos calles Metellum anteveniſſet, cum ſuis inſidet, late diductis ordinibus, ne ſpecies exercitus venienti objiceretur. Nec tamen ita tegi humilitate ſtirpium poterat, quin Romani ab edito monte deſcendentes, quid rei eſſet, agnoſcerent. Siſtit agmen Metellus: & dextro latere, quod objectum hoſtibus erat, triplicibus ſubſidiis firmato, funditores & ſagittarios gravis armaturæ manipulis permiſcet: equitatus in cornibus locatur. ſic inſtructa acie, milites pro tempore breviter cohortatus, in planiciem, quæ à monte ad fluvium

Muthul, per millia ferme passuum viginti protenditur, descendit.

VIII. Quum ad hæc Numidæ nondum moverentur, Metellus lassitudinem sitimque militum exspectari sentiens, P. Rutilium legatum cum expeditis cohortibus & parte equitum præmittit ad flumen, ut castris locum caperet: ipse cum sinistræ alæ equitibus agmen suorum antecedit; reliquæ copiæ cum legato Mario subsequuntur. Jugurtha, qui suos, donec totus Romanorum prætergressus exercitus esset, quietos continuerat, bis mille peditibus ad montem, unde Romani venerant, occupandum missis, ne hostes eo se recipere possent; ubi adesse tempus incipiendæ pugnæ putat, signo celeriter dato, quam maximum potest terrorem locis omnibus infert. Pugnam committit.

IX. Numidæ jam ante à Rege docti, alii terga hostium cędunt, alii lateribus circumfunduntur. missilibus maxime rem gerunt: quoties impressionem Romanus eques faceret, solutis ordinibus in diversam fugam effusi, deinde recedentibus iterum instantes. Quod si pertinacius insequebantur, eos longius à suis avulsos facile circumveniebant, multitudine superiores, & eo, quod adsueti Numidarum equi per plana, per aspera, pariter usui erant; Romanos asperitas & insolentia locorum morabatur. Equi Numidarum adsueti locis asperis.

X. Hæc facies pugnæ quum magna parte diei tenuisset, omnibus æstu & labore defessis, velut tacitæ induciæ esse cœperunt: spatiumque Metello fuit, vario prœlii genere distractos ordines componendi. Quod ubi factum, multisque suis cohortationibus redintegratos militum animos videt; quatuor cohortes legionarias adversus Numidicum peditatum constituit, cujus pars magna pugnando defatigata superioribus locis consederat. Neque Jugurtha ullum boni ducis aut militis officium prætermisit: artibus belli par Metello; natura loci superior: sed virtute militum vincebatur. Jugurthæ virtus.

XI. Vesperascente jam die Romani, quibus una hæc salutis via supererat, ne ab hostibus velut obsessi rerum omnium, & præsertim aquæ penuria fatiscerent; vi magna connisi, superioribus locis hostem expulere. Hic finis prœlio fuit. majori exercitus ob victam molestiam gaudio, quam jactura Jugurthini militis: qui levis & expeditus, per notas regiones, labore pugnæ languidos, & locorum imperitos, facillime evadebat. Interea Bomilcar, ex præcepto Regis, cum elephantis & parte peditatus, Rutiliū lento gradu adsequutus, castra communientem aggreditur. Tandem vincunt Romani

XII. Jam & Rutilius aciem struxerat, pulvere quem adveniens hostis excitabat, præmonitus: idcirco pugnandi mora nulla fuit. sed elephanti ramis arborum, quæ propinquis flumini locis frequentes enatæ fuerant, impediti disjectique, facilem Romanis victoriam præbuerunt. capti quatuor, reliqui omnes, haud pauciores triginta occisi. Numidæ, qui spem omnem non in sua virtute, sed ferocia & robore belluarum habebant: iis circumventis, in pedes se conjecerunt. Rutilius fugatis hostibus, de imperatore, & qui apud eum remanserant, anxius, quamquam fessos opere castrorum & prœlio milites, eadē qua venerat via, reduxit. Etiam altero prœlio, inter Bomilcarem & Rutilium.

XIII. Res optime cogitata propemodum tristem eventum habuit, occurrente Metello, quum per obscuram noctem utrimque Jugurtha adesse crederetur, pernicioso errore ad manus esset ventum, ni præmissi equites explorata cognitaque omnia retulissent. Ita majus ex vana solicitudine gaudium fuit. Metellus duobus prœliis eadem die victor, donatis laudatisque militibus: quum minime fractum Rutilius & Metellus occurrunt sibi invicem per tenebras, & prope concurrunt. Liv. Epitom. Sallust. Liv. Epitom. Sallust.

animo Regem, in locis saltuosis atque munitis novas cogere copias cognovisset: de ratione belli consilio habito, ab acie ac prœliis, unde sibi pene plus incommodi, si vinceret, quam Iugurthæ, si vinceretur, foret, ad populationem agrorum se rationesque suas transfert: non alio atque speraverat eventu.

Numidæ multi se Metello dedunt. Flor. 3.1.11. Sallust. Liv. Epitom. Sallust. Flor. Sallust.

XIV. Quippe Numidæ, postquam late omnia vastari: vicos, castella, oppida infirmiora, capi incendique, puberes interfici, cætera prædæ militum cedere: eaque tantum non præsente & inspectante Jugurtha fieri vident: Metello se suaque omnia dedere, frumentum, obsides, alia quæ imperasset dare, præsidia locis quibus illi placuisset accipere, passim cœperunt. Id acerbius Jugurthæ quam prœlium male pugnatum accidebat, reputanti *opes suas & famam, in qua plurimum esse sciebat, sibi quotidie minui; Metello augescere: si cessaret, brevi omnes & omnia victoris fore; sin prohiberet, ire se cogi qua Metellus præcederet, & quem fuga elusurus fuerat, insequi, quam deinde spem haberet, cum incondita multitudine, ubi Romanus optasset, certaturus; qui loco sibi opportunissimo florentes & veteranas copias amisisset.*

Jugurtha Romanos subitis adventibus carpit.

XV. Etenim post adversam pugnam Numidæ ad sua quisque dilapsi erant: quod moribus gentis licitum. delecti tantum equites Regem in fuga comitantur. Igitur quod ex præsentibus optimum videbatur, exercitum plerumque aliis locis habebat: ipse cum lectis equitibus Romanum agmen sequebatur, carpebatque, multis hostium, ut forte palantes adipisci poterat, interfectis. Homines enim & equi velocissimi, etiam quum longe abesse crederentur, nocturnis itineribus per avia plerumque loca, securis & animo vacuis superveniebant.

Cimbris agros petentibus, M. Junius Consul negat. Liv. Epitom. Vellejus 2. 12.&c. Florus 3. 3. 20. Pedian in Cornel. Liv. Epitom. Florus. Liv. Epitom. Florus.

XVI. Adversus hæc incommoda Metellus providentia & disciplina pugnabat, vetito vagari milite; & sive lignatum aquatumve sive ad alios usus proficiscendum esset, provisis armatorum præsidiis. Quæ ubi Romæ sunt audita, Senatus supplicationes ob res à Metello gestas decrevit: læta civitate, quod labantem priorum ducum vecordia disciplinam famamque, vir egregius, restituisset. Dum hæc ad meridiem geruntur, gravioribus Cimbrorum armis Septemtrio inhorruit: haudquaquam pari Consulis alterius fortuna. Quippe M. Junius Silanus, quum ad eum in Galliis castra habentem legati Cimbrorum venissent: *si agri darentur, manus & arma sua Romanis auspiciis offerentes: neque agros dare populum Romanum, neque illis auxiliis indigere* responderat.

Et signis collatis vincitur.

XVII. Illi vi tentantes quod impetrare precibus nequiverant, egredientem contra Consulem, signis collatis fundunt fugantque. deinde, quum ab hoc successu majorem cupitis potiundi spem concepissent, ad Senatum quosdam ex principibus legant: qui *pacatis animis venientes à Consule coactos ad prœlium* dicerent, *postquam certiora, quam vellent adversus Romanos, experimenta virtutis dedissent non ignavos aut inutiles futuros socios: sedes tantum & agros, unde se suosque alerent, velut in stipendium poscere*. Senatus, sive avaritia Principum, sive prœlio victi quod dedissent, potius necessitatis quam beneficii specimen prælaturum arbitrati, legationem irritam dimiserunt.

M. Minucius Scordiscos Triballosque fundit. Liv. Epitom.

XVIII. Cimbricum bellum infelicius gestum bonæ sub idem tempus M. Minucii res consolabantur. In Thracia enim, ad Hebrum flumen Scordiscorum, & Triballorum ingentes copias fuderat: quum victoriam arte adjuvisset. Numero enim suorum diffisus, nam & Daci hostibus auxilio venerant: sub tempus prœlii

fratrem cum æneatoribus & parvâ equitum manu per occultos tramites circummisit: ut pugna cœpta, concinentibus æneatoribus, à tergo Thracum se ostenderet. id ex composito factum, quum jugis montium resonantibus, simul conspectus pulvis terrorē magni adventantis exercitus inferret: hostes in fugam cōpulit.

Eutropius: Iornandes cap. 52. Eutropius. Liv. Epitom. Frontin. Strategem. 2. 4. 3.

XIX. Sed tamen paulo post, nulla vi hominum, cæterum natura cœli & locorum, mediocris accepta clades est: dum victoriæ fructum avidius prosequente Proconsule, ne hiberna quidem expeditione abstinetur. Nam post prosperam dimicationem omnia quæ in citeriore Hebri ripa erant depopulatus, ipsum quoque flumen, jam gelu constrictum, transire cum exercitu ausus est. ibi glacie rupta, haud contemnenda manus militum interiit. Eodem anno contra Lusitanos à Servilio Cæpione prospere dimicatum: sed in Hispania citeriore L. Calpurnius Piso interfectus est.

Contra Lusitanos prospere pugnatum. Rufus Florus. 3. 4. 5.

XX. Ejus Pisonis laudata continentia est, tam religiose diligentis, ut annulo inter exercendum fracto, artifici sellam Cordubæ in foro poni: auroque palam appenso, præsentibus omnibus annulum fieri jusserit. Scilicet quum L. Pisonis filius esset, qui primus legem de repetundis tulit: non modo crimen à sese, verum etiam suspicionem omnem amoliri debere existimabat. Quum ita foris temperati lætorum tristiumque eventus essent, ut plura tamen prospera nunciarentur (nam & in ulteriore Hispania Lusitanos Servilius Cæpio vicerat) Romæ Censoris atque Tribunorum plebis contentionibus inquieta pars anni fuit.

L. Pisonis continentia: Eutropius. Cic. in Ver. 4. 25. Appian. Hisp. Cic. Eutropius. Plutarch. Quæst Rom. cap. 50. Fragm. Capit.

XXI. M. Æmilius Scaurus, quum mortuus in magistratu collegâ M. Livius Drusus abdicandi necessitatem imponeret, contra mores magistratum retinebat. sed ad extremum Tribunis carcerem minitantibus cessit. Æmilia tamen via Censuræ ejus monumentum est, & pons Mulvius. Pontem Mulvium, quod antiquior ejus memoria est, refectum à Scauro, quam factum, verius apparet. viam primus stravit: eamque per Pisas & Lunam, & Sabbatia vada Derthonam perduxit. nam, quæ Flaminiæ committitur Æmilia via, eam M. Lepidus Consul à Placentia Ariminum fecit: quum in Flaminia munienda, C. Flaminius, collega Lepidi, occupatus esset. Sed & Mentis ædem ab hoc Æmilio Scauro dedicatam, inter Censoria ejus opera retulerim.

Plutarch. Auct. de Vir. illustr. c. aa 50. Ammian. 27. 6 Liv. 27. 53. Strab. lib. 5. Liv. 39 r. 2. Plutarch. de Fort. Rom. cap. 17. Salust. Jugurt. cap. 55.

XXII. Q. interea Metellus in Numidia rebus prosperis, & cognito quæ de se fama in Urbe esset, alacer, divisis cum Mario copiis, ita incedebat, ut utri hostes supervenissent, prompte succurri ab altero posset. ita vastabatur late Numidia, neque Romanos invadendi hostibus opportunitas dabatur, licet impigre quidlibet tentante Jugurtha. Ille quacumque iturum Romanum senserat, pabulum & fontes aquarum corrumpere: sæpe Metello, sæpe Mario se objectare; deinde post levem impressionem in colles recedere, ita prœlii copiam impar viribus non faciebat: tantummodo hostem, quibus poterat modis, ab incœpto remorabatur.

Scaurus Censor, collega mortuo, cogitur abdicare

Metellus Numidiam vastat.

XXIII. Metellus arte Iugurthæ fatigatus, ad obsidionem validæ cujusdam urbis animum applicat: quo vel defensa à Rege, occasio pugnandi; vel relicta, pretium operæ victoribus foret. Ideo Zamam versus, quæ caput circa regionis erat, cum exercitu proficiscitur. Id ubi Jugurthæ persugarum indicio patefactum est, magnis itineribus prægressus, oppidanos confirmat, & *ad virtutem* cohortatur; *se ubi res poposcisset, in tempore adfuturum. interim præsidio relinquere transfugas. hos certo apud Romanos exitio proposito, seque & urbem pertinacissime defensuros.*

Metellus Zamam proficiscitur. Flor. 3. 1. 11. Sallust.

Iugurthæ prœlium cum Mario, ad Siecam.

XXIV. Ipse in loca quam maxime occulta digressus, quum Marium ex itinere frumentatum mitti cum paucis cohortibus cognovisset, per noctem Siecam advolat, quæ prima post adversam pugnam à se defecerat: & egredientes jam porta Romanos nactus, cum delectis equitibus incursat. simul magna voce Siecenses hortatur, ut *ut à tergo Romanos aggrediantur; veniam præteritorum, & insuper præmia abunde* pollicitus: non vano apud levissimam gentem consilio, ni Marius educere suos properasset, prœlioque cœpto, Numidæ, frustra retinente Iugurtha, postquam aliquos videbant cadere, profugissent.

Aliud, cum Metello ad Zamam. Cl. Quadrigarius apud Agellium. 9. 1. Sallust.

XXV. Jam ad Zamam castra Metellus posuerat, adventuque Marii acriter cœpta oppugnatio. neque segnius obsessi certabant: tamen quia sagittis & fundis maxime res gerebatur, quibus validior quum sursum mittuntur, impetus, prono jactu languet; pro meliore Romanis pugna erat: quorum & pauciores vulnerabantur, & quod maxime opus erat, hostes à pinnis haud difficulter defendebant. Dum ita ad muros certatur, intentique eventui qui ad tuenda castra relicti fuerant, custodiam negligunt: Jugurtha ex improviso cum magnis copiis irrumpit. vulnerantur cæduntur que complures: cætera turba ad urbem, ubi Metellus pugnabat, fugam intendit. nec amplius homines quadraginta restiterunt, Romanæque virtutis memores, quum editiorem paulo locum occupassent, non potuerunt expugnari. propere missum à Metello, quod aderat equitum, & statim C. Mario duce sociorum cohortes, Numidam exturbarunt castris. ibique, quia vallum & angustiæ portarum morabantur fugam, non exigua Iugurthæ militum cædes fuit.

Oppugnatio Zamæ, & pugna cum Jugurtha.

XXVI. Ita neutri Imperatorum ea die, quod conatus fuerat, perficere concessum: urbemque Iugurtha, Metellus castra tenuit. Postero, dispositis diligenter omnibus, & equitatu pro castris locato, Romanus ad oppugnationem redit. Quam ubi commissam esse ex clamore & tumultu Rex cognovit; subita iterum impressione primos quosque turbat. subveniunt alii, neque procul muris equestre prœlium conseritur, ancipiti Marte, quia Numidas, ne suo more statim terga darent, peditibus intermixtis Rex firmaverat. Hæc omnia cum in conspectu oppidanorum fierent, eveniebat, ut ubicumque vacuum à periculo tempus nacti essent, eam in partem omnes se converterent.

Metellus ab obsidione Zamæ discedit.

XXVII. C. Marius, postquam ex vocibus & nutu & agitatione corporum, toto animo in id spectaculum intentos esse apparebat, consulto remisit pugnam, quasi difficultate incœpti deterritus: deinde illis studio spectandi, & cura popularium pugnantium, sui periculi oblitis; subito magna vi suggreditur, neque multum abfuit, quin scalis admotis, priusquam animadverterent obsessi, miles in murum eniteretur. repulsus tamen est, & quia nox jam aderat, quies pugnandi locis omnibus facta. Consul intellecto frustra se hoc consilium volvere, quod neque capi oppidum, neque Iugurtham, nisi ex suo commodo, cogi ad pugnandum videbat; exacta jam æstate obsidionem solvit: præsidiisque circum urbes quæ ad se defecerant, missis, cæterum exercitum in provinciam, quà Numidiæ proxima est, in hibernis collocavit.

Florus. 3. 1. Sallust. Appian. apud Valesium. Diod. apud Valesium. Diodorus. Appianus.

Iugurtha iterum deditionem offert.

XXVIII. Ipse nihilo remissior, quam si propinquus hostis esset, tempus quod rebus gerundis incommodum erat, consiliis impendit, eaque haud minus ipsi prospera, quam inter bellandum arma fuerunt. Quippe Bomilcar spe impunitatis, & sua omnia retinendi, ad proditionem illectus, persuadet Regi, *ut missis denuo legatis*,

gatis, se suaque omnia in fidem Metelli sine exceptione dedat. Romanus callido consilio non simul sed per vices, *argentum, obsides, arma, elephantos tradi*; *captivos reddi*; postremo *perfugas adduci* jubet. Omnia obedienter facta: nisi quod perfugarum pauci, simul dedi Jugurtham audivissent, in Mauritaniam ad Bocchum Regem transierant. in cæteros (tria amplius millia erant, Ligures & Thraces plerique) acerbe sævitum: quibusdam manus præcisæ: pars umbilico tenus in terram defossa, jaculis appetita, deinde igne admoto exusta est.

Orosius 5.15. Appianus. Salust. Jugurt. 39. & 62. 5. Diodorus. Sallust. Tab. Capitol. Jul. Obseq.

XXIX. His ita peractis *Regem ad se Tysdrum venire* Imperator jubet, *uti cætera mandentur*. ille conscientia & metu anxius, quem etiam ex Romanis Metelli gloriæ infensi quidam acuebant, præcipua C. Marii malignitate; quamquam omnibus ferme instrumentis belli spoliatus, obsides præterea trecentos dederat, arma, quam ullam aliam spem tentare maluit. Quum his rebus gerundis circumactus annus esset, Romæ Ser. Sulpicius Galba, M. Aurelius Scaurus Consulatum auspicantur. Scaurus in Hortensii locum factus erat, qui designatus morte, an alio quo casu præpeditus, magistratum non iniit.

Et iterum omittit. Urb. cond. ann. 645. Hortensius Cos. design. non init. Prodigia.

XXX. Multa deinde nunciata prodigia. avis incendiaria visa in Urbe, buboque conspectus fuerat: & in latomiis homo ab homine adesus. Ob hoc prodigium per triginta ingenuos patrimos & matrimos, totidemque virgines in insula Cimolia sacrificatum. Nursiæ geminos mulier ingenua pepererat; puellam membris omnibus integris: puerum alvo patente, ut intestinum conspiceretur, posteriore parte solida, qui voce missa expiravit. lacte quoque bis eo anno pluit; & inundationes magnæ fuerunt: & intumescente Pado & Aretino stagno, multa hominum millia aquis sunt obruta.

Lustrum conditum. Appianus. Hispanic.

XXXI. Quum deinde Consules de provinciis Senatum consuluissent, quæ decretæ ipsis fuerint, in obscuro; Q. Metello imperium in Numidia prorogatum esse certum est. Quia tamen interfecto in Hispania Pisoni successisse Galbam lego, Consulem Galbam, ob gravioris forte belli minas exortas, eo missum inclinat animus ut credam. neque levis est suspicio ex rebus postea sequutis, Scauro Consuli provinciam Galliam evenisse. Lustrum tertium & sexagesimum his Consulibus conditum esse, Capitolina marmora demonstrant. Censorum nomina ignorantur, nisi quod Q. Fabium Allobrogicum, C. Licinium Getam fuisse consentaneum est. Getam enim post Censoriam notam ad Censuram pervenisse supra relatum est: & Fornix Fabianus, juxtà Regiam in Sacra via constructus arcus, Fabianæ Censuræ monumentum est, etiam statua Allobrogici juxta posita.

Capitol. Marmora. Pedian. in Verrinam. 1c.

XXXII. Cæterum hæc & alia ejus anni obscura sunt; Metelli gesta Sallustius in luce collocavit, quem nisi haberemus, neque plura neque certiora, quam de reliquis adferre possemus. Igitur Jugurtha renovato bello, quum vi, fraude, pecunia, omnes atque omnia versaret atque volveret, tandem Vaccensium principes ad occidendum Metelli præsidium impulit. Certo die, qui festus per omnem Africam lascivia & conviviis duci consueverat, eoque tegendis insidiis aptior habebatur, centuriones, tribunos, ipsumque T. Turpilium Silanum, quem præfectum fabrûm secum duxerat Metellus, & præsidio Vaccensi præfecerat, diversi ab oppidanis invitantur: deinde super mensas, ad unum omnes præter Turpilium interficiuntur.

Vaccenses præsidium Romanum occidunt. Salust. Jugurt. cap. 66. Plutarch. Marc. cap 9. Sallust.

XXXIII. Sublato inde clamore, quum milites inopinato terrore perculsos, præ-

Metelli mæror.

terea inermes, & sine imperio palantes invasissent; plebs Numidarum pro levitate gentis rebus novis læta momento se aggregat. Romani plerique inulti cadunt, quia neque arma suppetebant; nec effugium usquam erat, quod Vaccenses, misso sub tempus cædis præsidio arcem, ubi signa scutaque Romanorum erant, præoccupaverant, oppidumque undique clauserant. Harum rerum nuncio præter modum adfectus Imperator, aliquantisper conspectu hominum caruit: mox omnia experiri certus, dum ne pessimi exempli defectio impunita Vaccensibus esset, cum legione quæ in iisdem hibernis erat, & quod equitum Numidarum colligi subito poterat, pariter cum occasu Solis egressus, postridie in planiciem quamdam collibus cinctam pervenit: militesque animo fatiscentes, multum enim itineris raptim ducti confecerat: *Vaccam oppidum non ultra mille passuum abesse* demonstrans, *prædamq*, benigne pollicitus, ad reliquum laborem confirmat.

Vaccensium proditio punitur.

XXXIV. Vaccenses exercitum ad se venire conspicati, primo portas clauserunt: mox, quia nec agri vastabantur, & Numidicum equitatum esse apparebat, hic enim astu Imperatoris in primo agmine ibat: Jugurtham rati, gestientibus gaudio animis obviam effunduntur. Metellus supra votum omnia succedere videns, signo repente dato, equitem peditemque partim ad portas occupandas, alios ad eædem palantium dimittit. Hoc maxime modo Vaccenses non ultra biduum sua perfidia lætati pœnas dederunt. oppidum direptum est: senatores omnes supplicio consumpti. De Turpilio præfecto deinde agitatum. quod enim unus omnium oppido clauso intactus profugerat, proditionis accusabatur.

Marii improbitas. Appian. apud Valef. Salluft. Plutarch. Appianus.

XXXV. Intercedebat huic cum Metello amicitia, & hospitii necessitudo: neque manifestus criminis, sed potius misericordia oppidanorum, quos humaniter & benigne tractaverat, credebatur emissus. Tamen de consilii sententia, urgente, & alios inflammante Mario, Proconsul invitus supplicium de eo sumpsit: verberato prius more majorum, nec enim civis Romanus, sed è Latio erat. Neque multo post patuit, falso de proditione suspectum fuisse. ubi quum cæteri Metello ægerrime rem ferente condolerent, exsultasse Marius fertur, & palam in circulis *suum hoc opus* jactavisse: *à se hospitis interfectori Metello diras ultricescomparatas*.

Inimicitiæ cū Metello. Diod apud Valef. Salluft. Diodorus. Plutarch.

XXXVI. Jam enim professas eum Imperatore inimicitias gerebat; inevitabili apud superbos offensione: dum alter ex infimo loco ad summos honores nititur; alter idem esse æquari, quod deprimi, putat. Quippe Marius quum legatus à Metello ductus in Africam esset, statim à principio, non ut alii, ad Imperatorem, sed ad se consulta factaque sua omnia referebat: & quum ob ignobilitatem contemptui Metello esset, eaque sibi videret imponi, quæ plurimum laboris ac periculi, gloriæ haud æquam partem haberent: in speciem de injuria querebatur, cæterum præberi virtutis exercendæ, vulgusque militum conciliandi occasionem penitus gaudebat. Quod enim animo atque corpore firmus quamlibet duros labores facile perferret: nihil tam aut magnum aut parvum erat, quod non susciperet: semper ira re gesta, ut cum incremento laudis benevolentiæque manipularium reverteretur.

Virtutes militares. Salluft. Plutarch. Diodorus. Appianus.

XXXVII. Nam in imperiis benigne & comiter se gerebat: neque temere jubebat quidquam, quod inter primos ipse non exsequeretur. præterea voluptatum divitiarumque victor, eodem fere victu cultuque, quo gregarii milites, agebat: non in pugnando, non in opere manibus parcens. Unde magna in illum toto exercitu

charitas: nec alio duce promptius pugnabatur: cæterorum ferme legatorum tribunorumque, militibus malignæ parentibus, minus prosperæ expeditiones erant; Marium enixa omnium studia, & in jussis obeundis alacritas, aliis super alia bene gerendis rebus, ad gloriam extollebat. Neque deerat ille per occasiones indigna de Imperatore loqui; *hominem tyrannici spiritus, quò diutius cum imperio esset, bellum trahere: sic dimissum ex manibus Jugurtham: sic quum finis imponi bello posset, fugæ simili profectione exercitum ex Numidia in provinciam per caussam hiemis raptum.* neque de *sævitie ejus quod in militaribus delictis severior justo vindex esset, virgis & securi in hospitem stricta* reticebat.

XXXVIII. Erat enim Marius ingenio turbulento ac seditioso, ambitiosus, astutus, calumniator. Atque is, quum à prætura septimum jam annum jacuisset, neque petere Consulatum ausus esset, ad quem longo jam tempore novus homo nemo adspiraverat; rebus prosperis elatus, adjicere ad altissima quæque animum cœperat, & quod à Metello impediebatur, ejus criminationibus gratiam sibi & suffragationem, quorum poterat, comparabat. Metellus enim, cætera vir egregius, sed communi vitio nobilitatis superbus, & humilium natalium contemptor, Marius *ad petitionem dimitti* postulantem, quasi per amicitiam monuerat: *ne tam prava inciperet, neve peteret à populo Romano, quod jure negaretur*. deinde sæpius instantem obtentu publicorum negotiorum moratus est: quum ne sic quidem flagitandi finem faceret Marius, animo commotiorem dixisse ferunt; *satis tibi matura petitio erit, si cum hoc petas*, ostenso filio, qui tum quasi viginti annorum adolescens aderat. Marius ad Consulatum adspirat. Diodorus. ap. Valef. Cic de Offic. 3. 20. Salluft.

XXXIX. Sed hoc ipsum, quum perscriptum in Urbem, atque pervulgatum sermonibus esset, magnopere Mario profuit: quod in illo se despectum, suamque humilitatem ludibrio habitam credens populus, intentiore studio contemptum nobilitatis ultum ibat. Per hæc atque talia conciliata in exercitu & Romæ voluntate vulgi, etiam aliorum hominum quibuslibet rationibus attrahere favorem non omittebat: apud publicanos, itemque negociatores, quorum magna erat Uticæ multitudo, *Metelli cantationem* incusans, *si dimidiatum ipse exercitum haberet, paucis diebus Jugurtham vinctum visuros* dictitabat: prompte illis & cum assensu auscultantibus, quia bellum privatis eorum rationibus adversum damnosumq; erat. Favente populo Romano Plutarch. Salluft. Diodorus. Velleius 2. 11.

XL. Sed neque Numidarum suffragationem parare neglexit: quorum princeps in partibus Romanis Gauda erat, Manastabalis filius, ejus qui & Jugurtham, sed ex alia muliere, procreaverat. Hujus amicitiam captare Marius, adire, donec opportunum sibi ratus, post alios sermones, & affectatam officiorum pollicitationem, quæ ferme nulli promittunt accuratius, quam qui minime præstaturi sunt, ita cœpit: *Nunc illud in propinquo tempus est, quo maxime perspici, quo quisque in alios sit animo, poterit. Non es nescius, quam contumeliose mihi responderit Metellus, commeatum petenti, quod comitiorum dies appropinquat: neque mihi tam infeliciter gestus Tribunatus plebis, deinde Prætura est, neque tam angustus animus, ut his honoribus contentus vivam, donec aliquis erit in civitate nostra superior.* Et Gauda Masinissæ nepote

XLI. *Ea res, quamquam pro amicitia nostra tibi dolori est, non tamen peterem, ut ad tuam ultionem pertinere crederes, nisi ejusdem hominis superbia in te, quam in me fuit, intolerabilior exstitisset. Nam quod meus tamen Imperator est, & no-* Quem a sperlis Metellum Marius incitat.

bilitate generis anteit, non quidem idoneam, sed tamen aliquam ei excusationem præstat: sed quodnam in te illius imperium est? aut qua ratione tibi se anteponit, quum sis vetustis Africæ Regibus editus, vir apud populares & in Urbe nostra honoratissimus, Masinissæ amicissimi clarissimique Regis nepos, unicus Numidici Regni verus hæres, postquam iisdem facinoribus & alios sustulit Jugurtha, & sibi jus quod habebat, liberis opem successionis ademit? Scilicet immanis arrogantia in furorem egit hominem, ut neque se ulterius respicere justa æstimatione, neque alios possit.

Premendi ejus rationem ostendit.

XLII. *Idcirco, quod res ipsa cogit, adversus communem inimicum, communibus auxiliis opus est: tam facile juncti illum despexerimus, quam ipse seorsim utrumque contempsit. neque difficiles aut invidiosa res est. Ad Consulatus petitionem his diebus decedam: parata mihi populi voluntas est. commendor à militibus, à provincialibus, à civibus Romanis, quibus in locis negotiantur. iis quum tua commendatio accesserit, quum apud amicos hospitesque tuos gratia, apud omnes testimonio me adjuveris, non erit dubium quin magistratum, & hoc inito provinciam Numidiam adipiscar.*

Gaudæ multa pollicetur.

XLIII. *Id quum erit factum, non poterit deesse referendæ gratiæ locus: & qua Metellus superbe negavit, statim repræsentabo, & properum bello finem faciam. nec enim quod nunc fit, ambitioni meæ potius, quam populi Romani gloria utilitatique deserviam: & hæ res sunt nostræ & hostium, ut si accedat Imperator idoneus, diuturnum esse bellum non possit. Demoto autem Jugurtha quis ambigat, quin te certum Regem populus simul Romanus atque Numidæ facturi habiturique sint?* Facile persuadetur homini ex morbo non satis compoti mentis, præterea ipse regnandi delinito, & alioquin graves caussas offensionis adversus Metellum habere putanti. neque enim transfugas suos, aut præsidium Equitum Romanorum impetrabat: neque etiam sella ei juxta Proconsulem ponebatur. quæ Metellus omnia petenti negaverat.

Conjuratio adversus Jugurtham. Diodorus. Sallust.

XLIV. Nempe *transfugarum caussam ad se totius belli Imperatorem pertinere; equites Romanos Numidæ satellites haberi contumeliosum Romano nomini; sellam iis demum deberi* autumabat, *quos Reges populus Romanus appellasset*. Cæterum hæc omnia Marii proposito serviebant: cujus victoriæ Jugurtha debebatur, ne aut caperetur à Metello, aut conjuratione amicorum interiret. Sub idem enim tempus Bomilcar, cujus impulsu deditionem Jugurtha fecerat, post pœnitentiam ejus rei, suspectum se Regi, nec falso arbitratus, occupare statuit insidiarum fraudes, assumpto in societatem facinoris Nabdalsa, qui plurimum inter Numidas nobilitatis & virtutis opinione præstabat.

Bomilcaris verba ad Nabdalsam.

XLV. Cum hoc, ubi data fuit occasio, ita instituit agere: *Si ullum tempus in terris fuit, quo Regibus amicorum consilia ex usu potius quam affectu suo metiri consuetum; amicis sola Regum commoda spectare opus fuit: id profecto huic in quo vivimus, perquam dissimile fuisse necessum est, Nabdalsa. Quod enim si quisquam alius, tu certe clarissime atque apertissime perspicis, hodie res ita se habent: ut pessima consilia quum animum impotentem repererunt, perplaceant, bona & salubria non ipsa modo spernantur, sed ultro periculo suo sint auctoribus suis; quibus, si melior humana sors respiceret, bonori emolumentoque esse debuerant. Fortuna Jugurthæ talis his temporibus fuit, ut nisi reconciliatum Romanis servare ne salus quidem ipsa*

possit. Suasi, uti scis, in gratiam cum his ut rediret: vidit non esse rem a præsenti statu temporum alienum, deliberavit, adsensus est.

XLVI. *Deinde nescio quam ob caussam immutatus, quum idem consilium ambo probassemus, se incusat, me odit: neque sermonibus abstinet, qui homini aulæ non imperito satis magnæ certæque significationes sunt, eorum, quæ postmodum mihi sunt exspectanda, nisi præveniam insidias. Sane si talis caussa esset, ut ad me unum pertineret, te cæterosque proceres neque re neque exemplo contingeret: tacerem potius & vel silentio perferrem, quidquid ingrato Regi suggereret crudelis & fallax animus: vel fuga ad Romanos, cujus nondum ablata est copia, securitati meæ consulerem: sed quia quod mihi accidit, jam & evenit aliis, & evenire omnibus potest, & illustrissimo cuique facillime; neque te dignitate quisquam antecedit: malui te socio fortius ulcisci commune discrimen, & hoc agere, quando cum hoc nulla nobis ulterius amicitiæ fides esse potest, ut novis sociis utilitatis simul & admirationi simus. Id adeo consequi non erit difficile si meis consiliis conatibusque, tuum præsidium, audaciam, opes conjunxeris.* De injuria Regis queritur.

XLVII. *Nam capere aut obtruncare Regem haud maximo negotio poterimus: & Metellum nulla æque res atque traditus seu vivus, seu mortuus Jugurtha conciliabit. Quum autem Metellum dico, minime dubitari poterit, per hunc à Senatu populoque Romano impetraturos, quidquid voluerimus. Eam spem mihi certissimam, omnium prope gentium exempla faciunt: & si cætera omittimus, in hac ipsa Africa nuper bello Punico tertio Phamæas, & superiore Mutines, ac præ cæteris magnum & illustre monumentum Masinissa, docuerunt.* Quum hæc atque similia Bomilcar haud aliena præsentibus commemorare videretur; motus Nabdalsa, venit in societatem consiliorum, & compositis cum Bomilcare rebus digreditur. Eum vivum aut mortuum Metello tradi postulat.

XLVIII. Summa pactorum hæc erat, *ut Nabdalsa proficisci ad exercitum, quem plerumque seorsim ab Rege ductitabat, & rebus ibi ex commodo conjuratorum constitutis, ad patrandum scelus die dicta adesse deberet.* Sed ubi ad constitutum ille non occurrit, Bomilcar metu hominis rem prodi ratus, literas ad eum scribit, *segnitiem* accusans, *qua neque Jugurthæ nihilominus perituro prodesset, & spem præmiorum à Metello corrumperet.* Eas literas Nabdalsa, ut ab exercitatione fessus in lectum se conjecerat, accepit; perlectasque quum supra caput reposuisset, obrepente ut solet inter fatigationem & curas sopore, in pulvino reliquit. Erat ei fidus ad hæc tempora negotiorum curator Numida, secretorumque, præterquam hujus novissimi, particeps. Pacta Bomilcaris & Nabdalsæ.

XLIX. Is quum audito literas venisse, pro more & jure suo tabernaculum ingressus esset, repertasque non excitato Nabdalsa legisset; cognitis quæ Regi struebantur insidiis, protinus ad ipsum cum iisdem literis contendit. Nabdalsa expergefactus quum ablatas literas videret, & rem omnem, uti erat acta, ex perfugis, à quod genus hominum custodiæ caussa circum se habebat, cognovisset; ante omnia indicem ex itinere reprehendere conatus est. deinde, ubi illum adsequi non potuit, ipse quoque ad Jugurtham proficiscitur, *raptasque à perfido cliente, quas ad Regem ipse portare decrevisset, literas,* questus, orat: *ne sibi hoc in animo Regis fraudi sit, neve alium se credat, quam qualem perpetuis obsequiis & incorrupta fide probavisset. id quoque certum & efficax innocentiæ suæ* Jugurtha insidiæ deteguntur.

testimonium acciperet, quod tam atroci casu percussus, nulli alii aut homini aut loco salutem debiturus, ad Regem suum properasset.

Is Nabdalsæ ignoscit. Bomilcarem necat.

L. Jugurtha, licet omnia alia volvens animo, tamen placide in præsentia respondit, ne qua forte seditio apud armatos & Nabdalsæ beneficiis usos oriretur: & jam Bomilcaris aliorumque consciorum supplicio iram leniverat. Sed non perinde abducere animum ab solicitudine potuit, quin tot egregiis viris interfectis, omnia deinceps infesta intutaque occurrerent: quum tanti periculi memoriam, metumque ne qui alii eadem auderent, excutere nequiret. unde ne somni quidem satis quieta copia erat, & sæpe subito excitus arreptis armis tumultum faciebat: sero agnita stultitia, quæ nec potentiæ nec laudis egentem, dum per scelera & perjuria eniti ad majoris fortunæ fastigium jubet; alio super aliud delicto delictorumque supplicio, infra miserrimi cujusque sortem detrudebat.

Metellus Marium dimittit. Plutarch. Mar. cap. 10. Velleius. 2. 11. 2.

LI. Exitu Bomilcaris comperto, Metellus, qui sedente se bellum illius proditione transactum iri speraverat, hac exspectatione depulsus, iterum, quasi ad integrum bellum apparare omnia cœpit. quam ad rem quia Marii præsentiam majori de cætero molestiæ quam usus fore judicabat; ne offensum invitumque retineret, ante duodecimum omnino diem, quam erant futura Romæ comitia, commeatum homini dedit. Atque is rapido cursu ab exercitu profectus Uticam, quum in itinere duos omnino dies cum intermedia nocte consumpsisset priusquam navigium adscenderet, sacrificavit. quo tempore quum *admirabilem ei, & omni spe majorem felicitatem exta portendere* haruspex dixisset; magis etiam confirmatus animo, quem deinde mira cursus prosperitas, transmisso intra quatriduum mari, auxit, Romam ad comitia tempori venit.

In pugna scriptorum quandoq; detectioribus plus credendum. Saluft. Iugurt. 63. 2.

LII. Sallustius magnus auctor, & in his rebus unicus, hoc Marii Uticense sacrum prioribus aliquanto temporibus adscribit: à cujus sententia non oblivione, aut neglectu, sed judicio discessi. Quod semel monitum, ubicumque simile aliquid observatum fuerit, occurrere legentis animo velim. Nam in hac infirmitate humanorum operum non debemus admirari; si deteriores interdum scriptores veriora quædam adferunt: præsertim in levibus rebus, quas magni illi, dum in iis ipsis, ob quæ magni videntur, occupati sunt, incuriose habuerunt. Cæterum C. Marius, ubi Romam venit, eadem omnia quæ in exercitu fecerat dixeratque, tanto impensius agere: *dedecus publicum, detrimenta negotiatorum, fatigationem exercitus* miserari: & ante omnia criminari *Metelli tarditatem, quæ tot incommodorum una origo esset: si se Consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Jugurtham in potestate populi Romani fore.*

Cic. de Offic. 3. 20. Saluft. Velleius. Diodorus. apud Valef. Agel. 6. 11. Plutarch. Marius consulatum petens, impetrat.

LIII. Læti hæc & faventis populi auribus accipiebantur: quia cujusque generis mortales literas ex Africa ad suos mittitando, calumnianti Metellum & se extollenti Mario fidem honestissima suffragatione faciebant. & Metellus ob claritudinem generis invisus plebi; Marius ipsa humilitate gratiosus erat: gaudensque premenda nobilitate populus, tenebat occasionem, dum Mamilia rogatione damnatis optimatium plurimis, auctoritas & potentia Patrum langueret. ad hæc omnia, quum Cn. Manlius Mancinus, aliique Tribuni plebis, omnibus concionibus Metellum petulantibus dictis proscinderent; magno favore renunciatus Consul C. Marius, collegam L. Cassium Longinum accepit.

Urb. cond. an. 646. Avis incendiaria.

LIV. His magistratum gerentibus Urbs lustrata est, ob avem incendiariam, item-

que bubonem Romæ visos. Quod genus illud avium fuerit, quas vocarent *incendiarias*, etiam iis temporibus, quibus adhuc regnabat vetus superstitio, librique augurales in manibus erant, dubitatum video. quidam *spinturnicem* vocant, turpem figuram tribuentes, quum qualis esset, non possent dicere. Nihil similius vero, quam quod ajunt, *quæcumque apparuerit carbonem ferens ex aris, vel altaribus, incendiariam esse*. idem credo judicatum esse, si carbonem tulisset ex busto. Ea res quum forte nido inflammato incendium aliquando excitasset, inter præsagia cladis, cujus esse caussa poterat, haberi cœpta. Sed his præter institutum ex occasione quæsitis veniam, uti spero, non ineptum scrutandæ vetustatis studium conficiet, ne quid eorum, quæ sunt in annalibus scripta, nesciatur. Plin. 10. 3. Festus.

LV. Cæterum C. Marius Consulatu non contentus, etiam provinciam Numidiam Senatui extorsit, qui Metello eam decreverat. id ob Tribunitiam rogationem Cn. Mancini irritum fuit, qui quum tulisset ad populum, *quem cum Jugurtha bellum gerere vellent, juberent?* populus *C. Marium* frequens jussit. Tum vero ille rebus ita procedentibus exsultans & ferox, sese magnificum inferre nobilibus, instare, lacessere; denique dum esset unde illi dolerent, neque facto ulli, neque dicto parcere. Sed alter Consul L. Cassius, cui Gallia Transalpina provincia erat, quum Tigurinos, nobilem Helvetiæ pagum, relicta civitate sua per Allobrogum fines transitum moliri cognovisset, ut occurreret illis, eosque priusquam in provincias Romanas effunderentur, includeret, magnis itineribus eo contendit. C. Mario Numidia provincia decernitur. Salust. Liv. Epitom. Velleius 2. 12. 2. Strab. lib. 7. T cit Germ. 37. 1. Orosius. 5. 15. Ado Viennensis. Cæsar. Gal. 1. Rhetoric. ad Her. 4. 24.

LVI. Tigurinos Cimbri exciverant. gens vaga & errabunda, plerisque Europæ regionibus populatis, quum ad Helvetios pervenisset, quietos ad id temporum, homines, aurique divites; quia tamen plus opum parasse Cimbros ex rapinis cernebant, ad similis quæstus cupidinem moti sunt. Tigurini ante omnes, quos deinde Tugeni quoque sequuti, postquam illis prima prospere evenerant. Quippe Tigurini suis & Germanorum validis copiis, occurrentem in finibus Allobrogum Consulem, ad Oceanum usque cedendo, pertraxerunt ad insidias, circumventumque ipsum & L. Pisonem legatum, qui ante quinquennium Consul cum M. Livio fuerat, occiderunt. Orosius. Rhet. ad Heren. 1. 15. Tigurini L. Cassium Consulem occidunt.

LVII. Ita majore parte copiarum amissa, quum reliquiæ in castra confugissent; ibique rerum omnium inopes, & exitii certi obsiderentur, auctore C. Popillio legato, cum hostium ducibus in collocationem venerunt. Quum nihil æqui à superbis victoribus impetrari posset; neque tantum simul civium sociorumque numerum fame aut ferro perire pati C. Popillius satis è fide sua Reque publica duceret; annuit eorum desiderio, ut ab hostibus permissa conditione uterentur. Ita datis obsidibus, & rerum omnium dimidia parte, sub jugum missi, damno impedimentorum & famæ salutem redemerunt. Ob eam rem deinde dies à C. Cœlio Tribuno plebis dicta Popillio est: & quia res ad caussam perduellionis pertinebat, in qua L. Cassius tabellariæ legis auctor suffragium vocis reliquerat; Cœlius rogatione perlata huic quoque judicio tabellam dedit, quo certius C. Popillius opprimeretur. Reliquias Romani exercitus turpi pactione dimittunt. Liv. Epitom. Cæsar de bello. allico. 1. 7. Orosius. Cic. de legib. 3. 16. Tacit. 3. 27. 10. Cic. Bruto. cap. 65. Cic. Ver. 5. 70.

LVIII. Huc enim intemperiei ventum in Republica erat, ut leges jam non ex usu civitatis in commune, sed ex favore aut odio singulorum ferrentur. Ipsum- Legum intemperie laboratur Romæ.

que posteà Cœlium, virum cœterà egregium, quum per inimicitias laboresque haud mediocres, ad summos honores homo novus contendisset, tota vita doluisse ferunt, quod nimio Popillium damnandi studio Reipublicæ nocuisset. Etenim se imprudentem calumniæ ac improbitati tabellam qua siccam porrexisse videbat, quæ in multorum clarorum & insontium caput atque fortunas injiceretur. Sed sera nimirum pœnitentia in istis est, quæ semel facta non revocantur. Cæterum perlatam legem tabellariam C. Popillius haud dubium damnationis omen accipiens, die judicii non exspectata, solum exsilii caussa vertit: eum imitatus Popillium, qui C.Gracchi lege petitus, Urbe cesserat.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



UGURTHA pulsus à C. Mario ex Numidia, auxilio Bocchi Maurorum Regis adjutus est: & cæsis prælio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo & Mario traditus est: in qua re præcipua opera L. Cornelii Sullæ, Quæstoris Marii, fuit.

Jugurthæ res pessum eunt. Saluft. Jugurt. cap. 74.

I. AT Metellus nondum comperto quod Romæ actum erat, quum sibi provinciam Numidiam prorogatum iri non dubitaret; bellum acre & vehemens Jugurthæ faciebat: resque Regis in dies deteriore loco, non magis ob vim hostium, quam ipsius consternatione fiebant. Præter alia quæ bello opportuna multa amiserat, præfectorum amicorumque penuria fatigabatur. Etenim haud paucis ab ipso interfectis, cæterorum plerique, ne eadem paterentur, ad Romanos, aut Regem Bocchum transfugerant: neque bellum geri nullis administris, neque reperire Jugurtha quibus se crederet, poterat. Anxius igitur, & varia solicitudine distractus, dum modo versus hostem movet, modo in solitudines refugit, superveniente Metello pugnare cogitur. neque ambigue certatum, Numidis, post leve prœlium diffugientibus. ipse cum perfugis & parte equitatus, per loca humani cultus expertia Thalam pervenit, magnum oppidum: in quo thesauri Regis, & filiorum ejus pueritiæ cultus erat.

Thalam petit. Florus 3.1.11. Saluft.

II. Ea re cognita Metellus, bellum pro confecto habens, si Jugurtham in illa urbe opprimere potuisset; difficultates locorum, erant enim haud mediocres, superare consilio & labore statuit. Igitur quia inter Thalam & proximum flumen quasi passuum millia quinquaginta, asperæ & siccæ solitudines erant; jumenta,

*menta, sarcinis amotis omnibus, frumento dierum decem, & utribus onerari; pecus etiam vasis rusticis, plerumque ligneis; ut ex tuguriis Numidarum colligi potuerant, impositis agi; praeterea regionis ejus accolas, qui post fugam Regis in fidem venerant, die locoque praedictis, quamplurimum possent aquae portare ju*bet. Postquam perventum ad flumen est, impletis utribus ad locum, quem Numidis edixerat, pergit.

III. Ibi quum castra ponerentur, praeter ejus coeli naturam, tanta vis pluviae effusa dicitur, ut ea sola aqua sufficere exercitui posset. Igitur milites deorum hoc munus interpretati, quamquam adesset provisa aquae copia, pluvia magis usi sunt. etiam commeatus abunde praesto fuit; Numidis, ut in nova deditione, studia sua approbare conantibus. Sic refecto milite ad Thalam postero die perventum est, contra opinionem Jugurthae, qui numquam eo penetraturum Romanum exercitum esse speraverat. Sed oppidanis strenue arma opponentibus, quum etiam locum natura & operibus apprime permunitum haberent, difficilis oppugnatio fuit. multoque labore & periculo militum post quadragesimum diem quam obsideri Thala coeperat, capta est. Eamque oppugnatam capit.

IV. Perfugae pretiosis rebus cunctis in Regiam comportatis, inter vinum & epulas seque & illas injecto igne consumpserunt. Jugurtha primo adventu Metelli cum liberis & parte pecuniae, per caussam adducendorum subsidiorum discesserat. Is ex eo tempore nusquam amplius uno die, aut una nocte commoratus, ut proditionem, quam continuo metuebat, celeritate vitaret: postremo egressus Regno per magnas solitudines ad Getulos pervenit; collectamque ex his multitudinem ad usum & morem militiae exercere instituit. Bocchum quoque Mauritaniae Regem, quum amicos ejus magnis donis ac majoribus promissis sibi propitios effecisset; in societatem armorum pellexit, nonnulla de caussa iratum Romanis, quod initio belli Numidici foedus & amicitiam frustra petiverat. Jugurtha excedit Regno. Florus.; I. 12 Salust.

V. Quippe res maximi ad victoriam momenti futura, impedientibus Jugurthae pecuniis, quibus ille tum potentes in Senatu patronos sibi conciliaverat, repudiata est. Haec offensa magis apud Bocchum, quam adfinitas Jugurthae valuit; quia Numidae Maurique pro opibus ac libidine multas uxores ducunt. eo levior apud illos ea necessitudo habetur. Inter haec ad Metellum, quo tempore Thalam expugnabat, Leptitanorum legati venerunt, praesidium & praefectum petentes, ad Hamilcaris opprimenda consilia, qui potens & factiosus rebus novis studebat. Hi ad Consulem Calpurnium, deinde Romam initio belli missis legatis amici sociique Romanorum facti, quidquid imperatum à Consulibus fuerat, prompte studioseque fecerant. Igitur Metellus ad tuendam civitatem quatuor illis Ligurum cohortes, & praefectum C. Annium dedit. Bocchus arma cum Jugurtha conjungit. Plutarch. Mario cap. 2. Salust.

VI. Cognitis deinde Jugurthae Bocchique consiliis, apud urbem Cirtam castris communitis Reges exspectabat. Illi enim quod à Q. Metello captivi, praedaque, & impedimenta Cirtae collocata essent, ad eam urbem suis quisque copiis accedere constituerant, summis viribus impellente Jugurtha, qui aut urbem se recepturum; aut si à Metello defenderetur, proelium fore sperabat; unde Bocchum Romano bello prorsus illigatum, stabiliorem ad caetera constantiorem socium haberet. quamquam paulo post ex voluntate Jugurthae con- Eos ad Cirtam expectat Metellus.

filio mutato, Reges diversis itineribus in difficiliora loca discesserunt. Inter hos apparatus ad Metellum defertur, Marium Consulem factum: eique provinciam Numidiam datam. qua re supra modum anxius, neque lacrumis, neque vocibus temperabat, vir ut cætera egregius, ita injuriæ impatiens.

Legatos ad Bocchum mittit.

VII. Ergo rerum gerendarum, quas alienæ gloriæ cessuras arbitrabatur, abjecto proposito, legatos ad Bocchum mittit, & à bello Maurum dehortatur. Ille vicissim *cupidum se pacis* respondet: *modo Jugurthæ rationem aliquam Romani habeant*. Ita missitandis ultro citroque legationibus, sicuti Metellus voluerat, tempus in otio trahebatur. Dum in eo statu res Numidiæ sunt, C. Mario supplementum Senatus lubens decreverat, non ut gratum Consuli faceret, quem haud mediocriter oderat; sed astutia quadam, ut irritum ejus inceptum; aut ipse populo invisus fieret, qui gravate novum delectum passurus videbatur. Sed hæc exspectatio frustra fuit. Nam Marius concione advocata, suis rebus extollendis ita accendit hominum studia, ut supra decretum numerum etiam voluntarii multi auspicia ejus sequerentur.

Marius nobilitatem exagitat. Plutarch. Mario cap. 11. Salust. Plutarch. Salust. Plinius 33. 1. Florus 3. 1. 3. Dionis. 4. 22. Jul. exuperant. cap. 11. Plutarch. Val. Maxim. 2. 3. Agel. 16. 10. Florus. Diod ap. Val. Quintil. declamat. 1.

VIII. Illa in primis oratione magnopere nobilitatem exagitasse dicitur, solitus & antea per quamlibet occasionem superbis & contumeliosis dictis incessere. Nam & *Consulatum ex victis illis spolia cepisse* dictitabat, *non aliena facta, & mortuorum titulos: sed suos labores, suas cicatrices præferendo*: quærebatque ex circumstantibus, *si majores Albini aut Bestiæ respondere possent, utrumne illorum, an Marii similes posteros optaturi viderentur*? Quod non magis contumacia ingenii factitabat, quam ut plebi se daret, quæ hac licentia nobilitatis arrogantiam læta lubensque vindicabat. Neque eo segnius parare commeatus, onerare naves, stipendia, arma, cætera bello utilia cum legato A. Manlio Prætorio viro in Africam mittere; ipse milites scribere, non ex classibus & more majorum, sed capite censos plerosque. quod genus antiqui duces spreverant; militiam, ut alios honores, non cuilibet committendam rati, sed iis, qui rem habentes eam acceptis armis tamquam pignori opponere viderentur.

IX. Id Marii factum diversimode acceptum est: quibusdam penuria aliorum militum fecisse interpretantibus; aliis, ut se isti hominum generi, per quod maxime creverat, venditaret. idque vero propius arbitror, quum pro obscuritate generis sui humillimum quemque maxime studeret extollere; se quoque jocis dicacium obnoxium fore putans, si conditioni & fortunæ, cui propinquus ipse fuisset, jus militandi negaretur. Et sane virtus ex censu non venit: modo vires animusque suppetat, & disciplinæ capax indoles. Cum his copiis Uticam paucis diebus pervectus, exercitum P. Rutilio legato Metelli tradente accepit: quia Metellus conspectum inimici fugiebat, cujus astutia non ereptam modo sibi provinciam, sed etiam plebem Romanam alienatam esse rebatur.

Metellus in Urbem redit.

X. Sed hoc quidem, Romam profectus, longe aliter habere comperit; quum exstinctâ jam invidiâ non minoribus populi, quam Patrum studiis exciperetur. atque illi judicium à Tribuno plebis Manilio intentatum, triumphusque impeditus non majori primum molestiæ, quam postea gloriæ fuit. Neque vero anxie aut demisso animo, sed juxta solitam suam gravitatem atque constantiam; quum data ei concio populi esset, verba pro triumpho suo fecit, quorum pauca adhuc noscuntur; sensus omnium iste propemodum fuit: *Quum ab omni*

antiquitate soletis habere honorem Imperatoribus vestris, ut Republica bene gesta hostibus victis & exercitu incolumi, Urbem triumphantes ineant; cum mihi, quum Senatus frequens jusserit, neque vestra sit voluntas obscura, negare perseverat Tribunus, me quoque dictis petulantibus lacessendo, Quirites.

XI. *Igitur & pro caussa dicenda mihi quædam video, & de illo cur nolim dicere, exponendum est. Nam quod ad illum attinet, Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se mihi inimicum dictaverit, quem & ego mihi neque amicum recipio, neque inimicum respicio, in eum ego non plura dicturus. Nam eum indignissimum arbitror, cui à viris bonis bene dicatur: tum ne idoneum quidem, cui à probis male dicatur. Nam si in eo tempore hujuscemodi homunculum nomines, in quo punire non possis: majore honore, quam contumelia afficias. Restat igitur, ut de triumpho paucis disseram: idq; ipsum, quum sit in Senatu factum plenissime, resque decreto Patrum confirmata, non ita de ea loquar, tamquam aut vestrum judicium de rebus meis extimescam, aut etiam verear, ne Senatus auctoritatem sequamini.* Inimicum suum magno animo spernit.

XII. *Multi olim clarissimi viri, ex maximis bellis; nuper etiam multi rebus haud ita magnis effectis, triumpharunt. Eorum nonnullis controversia de jure triumphi mota est: interdum per calumniam; sæpe, quia probabiles caussæ erant, cur negandus illis tantus honos videretur. P. Africano post recuperatas Hispanias, M. Marcello post captas Syracusas, L. Lentulo post res in Hispania gestas negatus triumphus est; quia majorum moribus ignotum erat, eum qui neque Dictator, neque Consul, neque Prætor res gessisset, triumphare. Aliis objectum est, ob levia prælia triumphum eos petere: nonnullis, ut Q. Fulvio Capuâ captâ, ut L. Opimio nuper Fregellis receptis, quod tantum recuperaßent amissa, nihil novæ ditionis imperio populi Romani adjecissent. L. Manlium victis Gallogræcis, per illam caussam repellere inimici studuerunt, quod illius culpa multos perisse Romanos milites, virosque aliquot egregios dicerent: quodque populis illis, quum nondum judicati hostes essent, bellum fecissent.* De jure triumphi disputat.

XIII. *In me quid horum argui potest, Quirites? Consul, deinde prorogato imperio, jussu vestro ac Senatus bellum cum Jugurtha gessi; acerrimum hostem, nostrisque vitiis & sua virtute formidabilem magnis præliis cecidi: urbes amplas opulentasque, & alias situ operibusque & præsidiis munitissimas cepi: provinciam ita successori tradidi, ut minus in consumanda victoria laboris, quam ego habui in inchoanda, sit habiturus: eaque omnia gessi, exercitu incolumi, Senatu gratulante, vobis non illaudatus, ærario non onerosus. Nam & eam in imperio continentiam præstiti, quam æquum erat ab eo, qui & charam haberet animi sanitatem, & vestra judicia cuperet retinere.* De suis rebus disserit.

XIV. *Quam enim ego colendam esse justitiam persuasissimum habui, etiamsi nemo hominum, neque animadversurus eam rem, neque laudaturus esset; eam equidem degustato fructu suavissimo non erat ratio relinquere. Quum nihil in vita sit honesto melius: nihil etiam suavius esse reor, quam ob honestum in pretio hominibus esse. nam amari colique natura jucundum est: & vir bonus gaudet, quum & se compotem bonæ famæ videt; & multo magis eo, quod pretio adhuc esse virtuti putat, delectatur. Et hanc ob caussam amplius, quam pro meo* Honestidignitatem extollit.

honore facturus fueram, pugno: neve vos ingrati potius atque inepti judices factorum cujusque, quam graves ac incorrupti habeamini. Plus enim, præsertim juvenibus studii in virtute ponetur, si bene factorum apud vos constare gratiam atque præmia putabunt. Nam mihi haud multum perit: si levissimum hunc Tribunum audiveritis. de præmio decedere aliquantum poterit; de merito decedere nihil.

Agell. 12. 9.

Triumphum & Numidici cognomen consequitur. Velleius. 2. 11.

XV. *Igitur ille hac in re, quanto universi me unum antestatis, tanto vobis, quam mihi majorem injuriam atque contumeliam facit, Quirites. Et quanto probi injuriam facilius accipiunt quam alteri tradunt, tanto ille vobis, quam gratiam mihi, pejorem honorem habuit. Nam me injuriam ferre, vos facere voluit, Quirites.* Pronis auribus excepta oratio est: nec triumphus modo clarissimus, sed etiam meritum virtute *Numidici* cognomen datum. Neque minori deinde gloria in foro de calumnia inimici, quam in Capitolio de hoste victo triumphavit. Quum enim repetundarum reus, tabulas, ut mos erat, judicibus inspiciundas edidisset; viri gravissimi, Equites Romani, qui tum ante legem Cæpionis adhuc judicabant, vultum universi averterunt, ne de fide cujusquam rei, quæ relata in his esset, dubitare viderentur. tanta Metelli, tamque testata civibus suis integritas fuit,

Val. Maxim. 2. 10. 1. Cic. pro Balbo. cap. 5.

M. Scaurus, P. Rutilius se invicem reos de ambitu faciunt. Cic. Bruto. cap. 30. Cic. de Orat. 2. 69.

XVI. Comitiis tamen Consularibus, pro P. Rutilio Rufo, quem legatum in Africa habuerat, & qui in locum L. Cassii petebat, gratiam suam parum efficaciter interposuit: prævalente M. Æmilio Scauro, competitore. Hinc magnæ inter hos simultates, designatumque Scaurum Rutilius postulavit ambitus, & ab hoc absoluto vicissim postulatus est. Quo in judicio quum in Rufi tabulis nomini cuidam adscriptas literas *A. F. P. R.* Scaurus ostenderet, *id*que diceret *esse*, *Actum fide P. Rutilii*; Rutilius autem, *ante factum*, *post relatum*: C. Cannius eques Rom. qui Rufo aderat, exclamavit, *neutrum illis literis declarari. Quid ergo?* inquit Scaurus. tum ille; *Æmilius fecit, plectitur Rutilius.*

C. Marii gesta in Numidia. Val. Maxim. 4. 9. 13. Velleius 2. 8. 3. Salust.

XVII. Hæc eo anno in Urbe acta comperi, & duos præterea triumphos ex Hispania Thraciaque ductos. Q. Servilius Cæpio de Lusitanis; & clariore fama de Scordiscis M. Minucius Rufus triumpharunt. Sed in Numidia Marius, magna cura veteribus exercitis copiis, adsuefactis ad munera casusque militiæ tironibus, quum Getulos & Jugurtham sæpe levibus prœliis fudisset, majora moliri cœpit: quo Jugurtham de summa rerum dimicare cogeret, priusquam contrahere à Mauris auxilia potuisset. Nam Bocchus sæpe missis ad Consulem nunciis, *quidquam ab se hostile timeri* vetabat. Igitur multis oppidis castellisque expugnatis, quum tamen prævertentem alia Jugurtham attrahere nequivisset, Capsam aggreditur, frequens incolis, & natura loci munitissimum oppidum, ubi thesauros habere Jugurtha consueverat, benevolentia oppidanorum, quos immunes, leni imperio, & ob ea fidos semper habuerat, sed magis locorum asperitate confisus.

Capsæ oppidi situs. Strab. lib. 17. Orosius, 5. 15. Salust. Florus 3. 1. 14. Orosius. Florus.

XVIII. Nam in mediis Africæ solitudinibus Capsam, si vera fama est, Libycus Hercules condiderat, amœno ipsam loco; sed haud procul omnia horrebant incultu, arenisque & serpentibus infesta erant. Tanto acrior lubido capiendi oppidum Consuli incesserat, quod Metellus Thalam haud dissimili situ cepisset: nisi quod Thalæ propinqua fontes habebant; Capsenses, aridis circa omnibus, & uno tantum intra mœnia fonte, plerumque aqua pluvia utebantur. Sed has aliasque difficultates Marius consilio & industria superaverat. Simulato

enim itinere ad oppidum Laris, quo ad famam adventus sui spargendam A. Manlium legatum cum expeditis cohortibus præmiserat; longe alia via exercitum Capsam versus ducere instituit, quæ ab eo loco millia passuum ferme centum octoginta aberat.

XIX. Cæterum magnam vim pecoris per equites auxiliares secum agens, inde quod satis esset, per centurias turmasque quotidie distribuebat: quo simul alebatur miles; simul ex coriis numerus ingens utrium ad instantes usus fiebat. Ergo ubi sexto die ad flumen, quod eo in itinere erat, perventum est: *quiescere suos, ciboque capto signum proficiscendi exspectare* jubet. Sub noctem deinde stativis egressus, quantum per tenebras potest, itineris conficit, orto Sole castra muniuntur. post iterum noctu pergitur, dies datur quieti: sic tertia nocte multo ante lucem, duobus haud amplius à Capsa millibus, occultatæ inter colles copiæ, egressum oppidanorum præstolabantur. Atque illi simul illuxit, rerum omnium ignari, quum pro consuetudine ad sua quisque negotia tenderent, Consul *equitatum, & quod inter pedites velocissimum erat, cursu contendere ad portas urbis* jubet: ipse cum signis legionum insequitur.

Eo Marius improvisus accedit.

XX. Adjuvit dolum fortuna, & Capsenses improviso terrore trepidi, simul suorum multos in potestate Romanorum esse videntes, portas patefecerunt, incolumitatem pacti. Sed Marius direpto incensoque oppido, & puberibus interfectis, cæteram multitudinem sub corona vendidit: non per avaritiam, aut scelus, jure belli neglecto; verum quia ob situm loci & levitatem gentis, mansuram in fide Capsam esse desperabat. id enim Sallustius caussatur: quasi non ingenio perfidus C. Marius fuisset; aut in fide frangenda, ulla possit esse juxta excusatio. Cæterum re tanta sine periculo perfecta late circum exercitus Romani sparsus terror est; multaque oppida relicta à suis patuerunt. vi expugnata pauca sunt. Hac felicitate successuque rerum fretus Consul, majoris molis opus palam aggreditur, castellum arduo loco situm, haud procul Mulucha fluvio, qui Mauros Numidasque mediis aquis disterminat.

Oppidumque in potestatem redigit. Orosius. Sallust.

Florus. Strab. lib. 17.

XXI. Ibi eum ex magna solicitudine fortuna magis, quam consilium aut virtus explicuit. Quum enim in obsidione, multis diebus pudore magis irriti incœpti, quam spe potiundi hæsisset: anxium animi, & manere an abire deterius foret, ambigentem, unius cujusdam Liguris opera, casus absolvit. Is quum aquatum progressus, cochleas inter saxa repentes legere cœpisset; paulatim ad summam rupem enisus est: repertoque in castelli planiciem aditu, nemini visus, quod in hostem obversi propugnatores, locum illum, ut prorsus inaccessum, custodire neglexerant: rem ad Marium detulit. Marius velocissimos ei milites, cum centurionibus quatuor, ex omni numero cornicinum & tubicinum levitate corporum præstantes quinque adjungit. quoque magis obsessi à sensu rei avocentur, qua parte oppugnare castellum consueverat, majore quam antea tumultu vim ostentat.

Casus Mario viam ostendit Mulucha potiendi. Sallust. Florus. Frontin. Stratag. 2. 9. 3. Front.

XXII. Interim qui delecti ad id negotium fuerant, partim adjuti ab Ligure, partim laqueis ad prominentia saxa adjectis sublevati, quandoque clavis inter præcipitia sustinentibus gradum, magno labore, quo intenderant, pervenerunt. Quod ubi conspectum certi homines Mario nunciarunt, cohortatus milites, *procedi extra vineas, promoveri testudinem; tormentis, sagittis, glandibus quam tumultuosissime potest, impeti hostes* jubet. Illi pro muris intrepide agere, pugnare,

Mulucha alia parte oppugnatur: alia capitur. Frontin. Sallust.

simul ferocibus dictis increpare Romanum, quem superioribus diebus sæpe corruptis operibus repulerant. Sed celeriter in maximam consternationem versa fiducia est: quum repente à tergo classicum audiri: mulierumque & puerorum, deinde aliorum qui visum quid esset rei processerant, clamor & fuga fieri cœpisset. eo tempore Consul usus, cum hoste intra muros se recipiente irrupit.

L. Sullæ Marii Quæstor. Frontin. Sallust. Liv. Epitom. Orosius 5. 15. Orosius. Frontin. Stratag. 2. 1. 12.

XXIII. Lætum his, nihilque jam fortunæ suæ nimis arduum putantem, etiam L. Sullæ Quæstoris adventus, in spe belli celeriter finiendi, conficiendæque provinciæ, confirmavit: quod à Consule relictus, ut in Latio & sociis exercitum cogeret, egregium & numerosum equitatum adduxerat. Unde Jugurtha rebus suis quotidie deterioribus, quum oppida & castella in quibus maximam spem habuerat capta, pecuniæ magnam vim amissam, se Numidia expulsum reputaret; Bocchum ad jungendas secum copias acrius solicitat: contantemque promissa parte Numidiæ tertia, amicosque ejus muneribus, ut auctores sumendi belli sint, ad desiderata impellit. Denique sexaginta equitum effectis millibus, proficiscentem in hiberna Marium Reges ambo, vix decima parte diei reliqua adoriuntur. idque consuetum Iugurthæ fuit, ut semper inclinato die dimicaret: quia propter locorum peritiam non ipsi ad omnes casus æque opportuna: Romanis, nec si vicissent, victoriam persequi, nec si victi essent, effugere in expedito erat.

Pugna Marii cum duobus Regibus.

XXIV. Pugna magis uti sors tulerat, quam arte imperatorum commissa (neque enim Romano exercitus instruendi datum tempus fuerat) quum jam ad noctem producta esset: nihil tamen hostes remittebant. Ibi Marius, qui cum turma quam ex fortissimis quibusque collecta circa se habebat: tota volitans acie, succurrere suis, terrere hostem, omnibus modis moliri victoriam non omiserat: quod exercitu parum ordinato pugnare in tenebris nollet, ex collibus duobus alterum, qui castris angustus, aquæ fontem copiosum habebat: per L. Sullam & equites occupat: in alterum, postquam paulatim ordines instaurasset, legiones citato gradu ducit. Finis iste prœlii, nec tamen ideo periculi fuit. Nam Reges utroque colle circumsesso renovaturi certamen erant. sed Numidæ pleramque noctem per lætitiam & strepitus insomnem agebant: aluitque neglgentiam Marius, neque ignes excitari suis in castris, neque signa, uti mos est militiæ quoties vigiliæ mutantur canere passus.

Maurorum & Getulorum clades.

XXV. Sed ubi reddita dies est, fessis jam & paulo ante somno captis hostibus magno terrore incubuit. Nam & à militibus ingens sublatus est clamor: & æneatores tubicinesque maximum strepitum ediderunt: quæ quum Mauris atque Getulis nova & insolita accidissent, veluti stupore defixi, neque pugnam capessere, neque fugam potuerunt. plurésque eo prœlio, quam omnibus simul superioribus, desiderati sunt: arma signaque militaria pleraque capta.

Orosius.

Alia de hoc prœlio narratio.

XXVI. Hæc ita apud Sallustium scripta sunt: nam auctores quos sequutus Orosius est, diversa quædam retulerunt. *Post Jugurthæ Bocchique conjunctionem, numeroso Regum equitatu Marianum exercitum creberrimis incursionibus vexatum fuisse: postremò Cirtæ expugnationem meditante Romano, occursum à Regibus.* Anceps id prœlium & multiplici terrorum specie atrox describitur, quum à tot millibus equitum excitata pulveris nubes cœlum operiret, diem supprimeret, visuque ad cavendum adempto, corpora telis confertim incidentibus, injecta atque incustodita præberet. *Noctem remissam pugnam: eandemque sequentis etiam diei no-*

His que fuisse faciem additur. *Tertia demum die desperantes Romanos universo agmine erupisse. ne sic quidem, ab impetu hostium extremos carpentium, & sitis æstusque violentia, nisi cœlesti ope, liberatos: repentina, tamquam è machina pluviæ beneficio utriusque mali remedium invenisse. nam & refrigerationem simul potumque præstitisse aquas: & easdem inhabilem hostium armaturam fecisse.*

XXVII. Afri enim fine amentis manu intorquere jacula solebant: scutaque habebant ex elephanti corio. igitur hastilia imbre lubrica conatum mittentium frustrabantur, & scuta, quod ejus corii hæc natura, ut aquam in spongiæ morem ebibat, auctum admodum pondere circumferri ad excipienda tela nequibant. Sed Marius quamquam ita submotis hostibus, reliquum iter non minus cautus intentusque inibat: maritimam oram petens, ubi commeatus expeditior copia erat. Neque jam longe Cirta aberat, quum ab omni parte speculatores citi veniunt, *hostem adesse* nunciantes. Quippe Jugurtha suos quadrifariam diviserat, ratus ex omnibus utique aliquos terga hostium adepturos, & priusquam illi se converterent, tumultum illaturos esse. — Afrorum armatura. Sallust. Flor. 3. 1. 15.

XXVIII. Verum Marii providentia spem ejus elusit: qui nescius, ubi plus discriminis futurum esset, acies eodem ordine, quo iter faciens incesserat, continebat. Primi Maurorum in L. Sullam inciderunt, cum equitatu dexterum latus tegentem. ibi pugna contracta dum ferociter dimicatur, Bocchus cum peditibus quos Volux filius ejus adduxerat, neque priori prœlio, in itinere morati adfuerant, extremum Consulis agmen invadit: quum illum in primam aciem Jugurtha, magnis viribus invectus, attraxisset. Tum Jugurtha, Bocchi adventu cognito, clam cum paucis equitibus ex prœlio se subducit, & ad pedites advolans, elatum alte gladium, quem hostili sanguine cruentaverat, ostendit: adjecto *Marii hunc cruorem esse, quem sua manu occidisset. Imperatore amisso frustra pugnare Romanos.* — Alia pugna.

XXIX. Hæc latine proloquutus (nam apud Numantiam didicerat) ita percussit Marianos milites, ut jam parum abessent, quin hostibus Jugurthæ præsentia & dolo majorem in modum confirmatis terga darent: quum L. Sulla eorum, à quibus initio pugnæ impeditus fuerat, victor, Mauris qui cum Jugurtha erant, obliquus sese intulit: idem & ab Mario, qui sibi oppositos similiter fuderat, factum. Bocchus è vestigio se conjecit in fugam: Jugurtha prope partam victoriam è manibus eripi dolens, dum nihil ad summam contentionem reliquum facit, omnibus circa amissis, vix inter tela hostium solus effugit. Magna deinde cædes in campis patentibus fuit: nonaginta millibus armatorum, qui adducti à Regibus fuerant, propemodum internecione deletis. & rem propius intuentibus, hoc demum prœlio debellatum est. — Reges funduntur. Diod. lib. 36. Eclog. 1. Orosius 5. 15. Diod. apud Fulvium. Sallust. Appian. apud Fulv.

XXX. Quippe quinto post eam pugnam die, legati à Boccho Cirtam venerunt, ubi Marius hibernare constituerat, petentes, *uti duos quam fidissimos ad Regem mitteret, quibuscum de commodis populi Romani suisque loqueretur*. Missi sunt A. Manlius legatus, L. Cornelius Sulla Quæstor. Ibi Sulla, cujus facundiæ Manlius ætate prior cesserat, verba facere incipit, Bocchum laudans, *quod pernicioso errore celeriter abjecto, potius amicitiam populi Romani, quam longius bellum expeteret. Ejus populi hos à principio mores, hæc instituta fuisse, ut neque armis à quoquam neque beneficiis vinci pateretur. id experiri Regem olim potuisse, si cordi curæque habuisset, sed ne sic quidem serum esse, quum in manu ei sit, Romanorum benevolentiam gratis officiis promereri.* — Sullæ verba ad Bocchum.

Responsum Regis. Appianus. Sallust. Diodorus.

XXXI. Contrà hæc Bocchus: *non odio Romani nominis, ut qui missis Romam legatis amicitiam sponte petivisset, sed repulsa, deinde nonnullis injuriis provocatum ad arma respexisse. nam agrum, unde ipse Jugurtham expulisset, jure belli suum factum: neque mirari quemquam debere, si vastari eum à Mario pati nequisset. Cæterum si sibi partem illam Numidiæ populi Romani voluntate retinere liceat: arma lubenti animo positurum*. Tum vero Manlius, *quod de Jugurthæ Regno tenes*, ait, *Rex Bocche, majores nostri justo pioque bello captum, Masinissæ dono dederunt. cui rei hæc inest conditio, ut donec Senatui populoque Romano visum fuerit, habeat qui accepit. Nunc vero mortuo olim Masinissa, nepotibus ejus ab Jugurtha interfectis: neque penes hostem esse, quod amico dederit, populus Romanus patitur: neque quod suum est, id à te tamquam Jugurthæ ademptum possideri*.

Bocchi legatio ad Marium, & in Urbem. Sallust.

XXXII. His ultro citroque jactatis, quum, *si per Marium liceret, legatos ad Senatum mittere velle* Rex adjecisset, in præsentia discessum est. Bocchum amici à Jugurtha corrupti, (nam comperta Sullæ Manliique legatione preces & dona cumulaverat) à proposito parumper dimoverunt. Deinde mobilitate ingenita, & amicis quibus Jugurtha nihil dederat, impellentibus, ingenio & fide maxime probatos quinque delegit, qui ad Marium, & si visum illi fuisset, Romam proficiscerentur, cum liberis mandatis, *bellum quoquo modo componendi*. Iisdem injunctum, *ut Sulla in primis adjutore pacis uterentur*.

Appianus. Sallust. Plut. Syll. c. 3.

XXXIII. Hi quum ad hiberna Marii proficiscerentur, in Getulos latrones inciderunt, à quibus spoliati, dimissique pervenerunt ad Sullam, quem Imperator, donec ipse rediisset, pro Prætore reliquerat. Nam in Getulos cum expeditis cohortibus & parte equitatus profectus, turrim Regiam; in qua Jugurtha perfugas omnes præsidio imposuerat, obsidebat. Interim Sulla legatos Bocchi humanissime liberalissimeque exceptos, hac opinione imbuit, ut & famam de avaritia Romanorum falsam, & Quæstorem sibi amicissimum arbitrarentur. ipsis enim dari putabant, quod ambitioni suæ Sulla tribuebat; ut ex oppressi deditive Jugurthæ gloria quamplurimum sibi decerperet. Sed illi beneficio victi, quid in mandatis haberent, secreto exponunt, opem consiliumque talis viri poscunt, Regis sui magnitudinem, & alia, quibus induci eum posse credebant, magnifice deprædicant.

Humanissime excipitur ab Sulla.

Venit ad Marium. Appianus. Sallust.

XXXIV. Sulla benigno responso, quibus apud Marium verbis, quibus in Senatu uterentur, præcipit, sic attemperans, uti ad suum incrementum maxime profectura judicabat. Sed & *Regi persuaderi* jubet, *si bene prospectum suis rebus velit, Sullam ad omnia consultorem adhibeat*. Jam quadragesimum ferme diem opperiebantur; quum Marius ab expeditione rebus infectis Cirtam rediens, intellecto Maurorum adventu, *ipsos Sullamque venire ad se* jubet: evocato etiam ab Utica prætore L. Bellieno, & præterea quicumque Senatorii ordinis in Africa agebant.

Pars legatorum proficiscitur Romam

Appian. Diod. apud Fulvium: Strab. lib. 17. Strabo.

XXXV. In hoc consilio audita Bocchi legatione, *legatis potestatem proficiscendi Romam, & donec illi revertissent, inducias Regi permitti*, post aliquam disceptationem placuit. Tres ex numero legatorum, cum C. Octavio Rufone, qui stipendium ex Urbe Quæstor attulerat; Romam, cæteri ad Regem profecti sunt. Ex his quum Rex acta cognovisset, præ cæteris rebus benignitate & studio Sullæ delectatus, quæ legati magnopere efferebant: inclinare jam animum ad pacem proditione Jugurthę redimendā cœpit: quum etiā Marius aliter conventurū negavisset.

Bocchi expeditio in Æthiopas.

XXXVI. Igitur tegendo consilio per caussam injuriæ ab occiduis Æthiopibus acce-

acceptæ, copias eo mittit, nam ea natio Mauritaniæ finitima est & ab Eois Æthiopibus situ & nomine distincta, ad montem Atlantem pertinet. Multa de hac regione mira referuntur. *Camelopardales draconesque magnos ibi gigni, & qui tauro forma, sed robore & mole pares elephantis, rhizes appellantur. etiam terra nescentium incognitam sub alio cælo magnitudinem esse, Bocchumque Regẽ* Iphicrates narrat, *ex Æthiopica expeditione, multo majores quã alibi proveniebãt, asparagos uxori dono misisse: itẽ calamos Indicis similes, quorũ genu quodlibet chœnices octo caperet.* Jugurtha in solitudines recedit. Diodorus.

XXXVII. Interea Jugurtha, quod legationibus istis nihil sibi lætum parari intelligebat, in penitissimas solitudines se abdidit: passim tamen relictis, per quos certior fieret, quid ubique ageretur. Romæ legatis Bocchi, veniam erroris, & fœdus petentibus, hoc modo responsum est: *Senatus & populus Romanus beneficii & injuriæ memor esse solet. cæterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiam facit: fœdus & amicitia dabuntur, quum meruerit.* Hoc Africanarum rerum statu Consules C. Atilius Serranus, Q. Servilius Cæpio magistratum inierunt. quo tempore M. Tullius Cicero natus est ante diem III. Nonas Januarias. sed & alterius magni hominis nativitas illustrem annum fecit, Cn. Pompejo A. D. pr. Kal. Octob. in lucem edito. Urb. cond. ann. 647. Cicero & Pompejus nascuntur. Prodigia. Agel. 15. 28. Cic. ad Attic. 7. 5. 13. 40. Vellejus 2. 53. 4.

XXXVIII. Procuratis prodigiis, nam *Romæ & in agro Perusino locis aliquot lacte pluisse, fremitus cælestes auditos, pila cælo cadere visa*, nunciatum fuerat; provinciæ Consulibus Italia Galliaque decretæ: Galliam Q. Servilius accepit, Italiam C. Atilius. C. Mario prorogatum in Numidia imperium. Legem deinde Q. Servilius pertulit, qua judicia Senatoribus & Equitibus Romanis communicata sunt, derogatumque Semproniæ, quæ remotis Senatoribus Equites solos judicare jubebat. Gruch. de Comit. pag. 66. Plin. 37. 1. Jul. Obseq. Cassiod. Chron.

XXXIX. Res tam grata Senatui fuisse traditur, ut Q. Servilium Consulem patronum suum appellaret. L. Crassi, nam legem eam suasit, edita fuit oratio, qua judicum & accusatorum increpita factione, Senatum perornavit, in Equites multa aspere dixit: quum in oratione de Colonia Narbonensi contrarium institutum tenuisset: idque postea ab accusatore Plancii Bruto objectum, exposita temporis utriusque ratione diluit; *non ingenii propositique sui hanc pugnam, sed hominum rerumque varietatem, & ad hæc accommodandam orationem fuisse.* Ceterum laudem in Urbe partam Consul Servilius expeditione Gallicana corrupit. eam rem ita gestam accepimus. L. Crassi orationes contra eix. Val. Max. 6. 13. Cic. Bruto. cap. 44. Cic. pro Cluent. c. 51 Quintil. 6. 3. 36 Cicer.

XL. Tolosa nobilis Gallorum civitas, quum in fœdere populi Rom. esset, à Cimbris solicitata, milites Romanos, qui præsidii caussa in oppido erant, occulta conjuratione oppressos, in vincula conjecerat: eo cum delectis impigre profectus Consul, quum ignaris cæteris per conscios intra mœnia receptus esset, urbem veteri opulentia claram diripuit, non profanis modo, sed etiam sacris pecuniis ablatis. Ex Apollinis quidem fano centum M. pondo auri, & argenti CX. M. pondo rapta auctores habeo. apud alios multo majus auri pondus, nec ex delubro, sed Tolosensi lacu sublatum, invenio. Tolosa occupatur à Servilio Cæpione. Diod. apud Valesium.

XLI. *Tectosages enim qui cum Brenno fuissent, raptis ex Delphico templo donariis quum domum revertissent, pestifera lue correptos non antea potuisse liberari, quam vatum monitis quæsitum bello sacrilegioque aurum & argentum Tolosano lacu mergerent.* Sed fabulam de Delphis bene refutat Posidonius, *quod neque Galli templum Apollinis, nisi jam sacrilegio Phocensium exhaustum cœperint: & quod repertum ibi fuit, inter innumerabiles copias divisum evanuerit: raptores quoque* (si- Aurum Tolosanum. Strab. lib. 4. Agel. 3. 9. Orosius 5. 15. Justin. 32. 3 10 Diodorus. Instin. Strab.

Aurum Tolosanum direptum.

Rualdus in Plutarch. cap. 10.

cut à multis est proditum) *aut statim internecione deletos aut dispersos, variaq; peste passim extinctos vix reverti in patriam paucos potuisse; nedum ut tantas secum opes deportare potuerint. cæterum Gallos auri argentique divites, eosdem in quotidiano cultu parcos, ad hoc superstitionibus mire deditos, multis locis sacros thesauros in lacubus habuisse: neque signatum aut factum aurum argentumque, sed rudi pondere, ut cuique religio suadebat, immittentes. iisq; lacubus postea locatis, redemptores sæpenumero solidos argenti lateres extraxisse. Tolosæ vero, quum esset fanum celeberrimum, ab omnibus circa populis plurimum eo placandorum numinum caussa comportari consuevisse.*

Direptum & interversum à Cæpione. Orosius.

XLII. Utcumque se ista habuerunt, ingentes ibi repertas opes constat: sed mediocris in publicum relata portio. pleraque aut inter manus diripientium pericrunt; aut ab ipso Consule sunt interversa. Quum enim prædam in Massiliensium urbem portari jussisset, in ipso itinere per insidias interfectis qui deducebant, omnes illas opes furatus esse traditur. Sane de rebus istis acerrimæ mox quæstiones sunt habitæ; omnesque illo sacrilegio contacti, tam miserum cruciabilemque exitum fecisse creduntur, ut res in proverbium verterit, & præter morem calamitosi, *aurum Tolosanum habere* dicerentur.

Diodorus. Cic. de Natur. Deorum 3. 30. Agel. 3. 9.

Jugurtha consilia Bocchi speculatur.

XLIII. In Numidia jam eo perductæ res erant, ut nihil Jugurthæ spei opisque, præterquam in dubia & ancipiti Maurorum amicitia superesset: gravioribus quotidie timoris & diffidentiæ caussis. maxime postquam reversis Roma legatis, Sullam à Boccho acciri audiverat. Igitur ad speculanda soceri consilia, Numidam quemdam Apsarem per speciem legationis in Mauritaniam præmittit; ipse, siquidem ex usu videretur, secuturus. Sed Bocchus haud minore astutia mortalis, quum alia omnia animo volveret, per se benigne compellando, & Magdalsa principe amicorum Bocchi, Cornelioque Carthaginensis cujusdam liberto, quibus plurimum utebatur, prolixe de voluntate Regis pollicentibus, Apsarem eludebat.

Salluft. Jugurt. cap. 105. Plutarch. Mario cap. 13. Vellejus 2. 12. Florus 3. 1. Appianus apud Fulv. Salluft. Appianus.

XLIV. Interim L. Sulla, quem ad literas Bocchi cum medioeri præsidio Proconsul miserat, obvium in itinere filium Regis Volucem suspectum proditionis habuit. quum tertio post occursum ejus die, Jugurtham haud procul abesse cognovisset: Ibi juvenis *nullam in ea re neque suam, neque patris culpam esse* testatus: *nihil melius esse* demonstrat, *quam si per media Jugurthæ castra palam proficiscantur, se cum Sulla iturum, præmissis aut relictis equitibus suis, quo minus timeri dolus posset. Jugurthæ neque magnas copias, & spem omnem in patre suo esse: eam corrumpere non ausurum eo homine violando, quem deduci à filio Bocchi videret.*

Sulla ad Bocchum proficiscitur. Salluft. Plutarch. Sylla cap. 3.

Ei Bocchus obviam mittit Dabarem.

XLV. Sulla probato, ut in tali tempore, consilio, prius è manibus Jugurthæ elapsus est, quam ille statuere, quid esset agendum, in re improvisa potuisset. Cujus adventu cognito, Rex Bocchus Dabarem Massagradæ filium, benevolum fidumque Romanis, ad Sullam mittit, *ut colloquio diem locumque Romanus statuat; neque Jugurthæ legatum timeat: ita provisa omnia, ut illius præsentia magis usui quam impedimento consiliis communibus futura sit.* Hæc simulata tum temporis à Boccho, quam decreta fuisse putant: quum proditionis certus, id tantum, utrum proderet, parum expediret. Sullam Jugurthæ tradi suadebat animus: at contra metus impedebat. tandem in perfido & vili ingenio adfectus omnes timor vicit.

Plutarch. Salluft.

Sullæ congressus cum Boccho.

XLVI. Sulla, sicuti cum Dabare composuerat, ad Bocchum perductus, palam, præsente etiam Apsare Numida; *se missum à Consule* dicit, *quæsitum, bellumne Rex*

an pacem cum Romanis habere mallet. Ille *nihil se dum constituisse* respondit, jubetque *post diem decimum reverti*. Sic in sua quisque castra digrediuntur. Sed multa jam nocte Sulla à Boccho occulte arcessitur. nemine præterquam fidis interpretibus, & internuncio totius negotii Dabare adhibito, Rex Sullæ gratias comiter agit, *ob ea quæ in Oratores suos benigne liberaliterque fecisset, quodque eos apud imperatorem & Senatum gratia consilioq; juvisset. quod ad reliqua attineret, Numidiæ parte quam à Jugurtha cepisset dimissa, neque Mulucham flumen, antiquum utriusque Regni limitem egressurum, neque Jugurtham intrare passurum* pollicetur.

XLVII. Ad ea Sulla de se breviter ac modeste; de Republica multis disseruit: *non alia concedere Regem, quam vel invito eo populus Romanus armis obtineret. Sed si quid populi magis Romani, quam sua causa fecisse videri, magnamque ab eo inire gratiam velit, in manu ac potestate ejus Jugurtham esse: hoc tradito, quidquid voluisset, impetraturum.* Maurus ad hæc *affinitatem, cognationem, fœdus cum Jugurtha obtendere: etiam popularium voluntatem, quibus invisi Romani, Numida contra charissimus esset.* adeo ne pessimis quidem mortalium justi honestiq; notitia abest: ipsiq; sua plerumq; flagitia priusquam commiserunt, judice conscientia prędamnant. Responsio ad orationem Bocchi. Diod. lib. 36 Egl. Sallust.

XLVIII. Ad extremum pertinaci solicitatione expugnatus, *omnia facturum ex voluntate Sullæ* promittit. dolique serie composita, postridie Jugurthæ legatum appellat, *sibi per Dabarem ex Sulla cognitum* ait, *posse conditionibus bellum poni: optimum factu videri ut profectus ad Regem suum sententiam ejus exquirat*. Ille properato itinere post diem octavum reversus, *facturum imperata Jugurtham renunciat: cæterum semel iterumq; deceptum, Romanis ducibus parum fidere pignus rati fœderis in manu esse Bocchi. si enim Sullam sibi tradidisset, futurum ut Senatus populusque Romanus respectu talis viri, pacem firmam petentibus daret. facile comprehendi Sullā per speciē colloquii posse, si simul omnes velut de pace acturi eō venissent.* Bocchus omnia facturum ex voluntate Sullæ pollicetur.

XLIX. Maurus ad hæc diu tacitus, multamque dubitationem præferens, tandem annuit. ajuntque nocte quæ colloquium antecessit, postquam hinc Sullam, inde Apsarem bonæ spei implevisset, multa secum agitasse, vultus & gestuum inconstantia suspensum & ancipitem animum prodente. ad postremum advocato Sulla: *Quanti* inquit, *tum populi Romani amicitiam publice, tum etiam privatim tuam æstimem, proxima dies aperiet, L. Corneli. Si me ambiguum aliquamdiu, & cunctabundum vidisti, mirari noli: tot & tanta superanda mihi refellendaque rationum momenta fuerunt, ut majus mirum sit, aliquando hæc abjici vincique potuisse. Olim ita matrimoniis affinitatibusque innexæ sunt Maurorum Numidarumque Regiæ, ut meo sanguini videar irasci, quum Jugurtham desero, præsertim postquam tradita in omnis fortunæ communionem filia mea, generum adscivi, novoque nodo vetustissimæ nostræ consanguinitatis vinculum firmius adstringere visus sum.* Bocchi fluctuatio.

L. *Atque hanc Regum suorum conjunctionem, ut fit, multi popularium sunt imitati: conjugibus ex Numidia ductis, aut in Numidiam nuptum datis filiabus. Horum omnium totiusque Mauritaniæ judicia me haud parum commoverent, nisi firmioribus argumentis vestram ad societatem tractus essem. Certe non odi meos: sed quia eos propterea maxime amo, quia mei sunt: ideoque, ut me ante illos amem, ratio postulat. Iidem illi, quos nunc forte cæca inclinatio ad reprehendenda consilia mea perpellet: laudabunt, ubi vestræ amicitiæ maturi fructus ostenderint, non aliter & mihi & illis rectius meliusque consuli potuisse.* Argumenta prodendi Jugurthæ.

Perfidus accusat perfidiam alterius.

LI. *Etiam Jugurthæ plura in me hostilia quam amica facinora exstant: & animum ejus cognovi perfidum, insidiosum, ubi occasionem crescendi adesse putet, non cognationis ultra, non fœderum memorem. Neque mihi displicet Micipsæ filiorum ulcisci necem, quibuscum, par mihi cognatio, nec ullis debilitata injuriis societas fuit. In ea re primas vobis partes magnitudo vestra dedit, & quod propterea appellati ab Atherbale estis: me justiorem caussam, & diis quoque probantibus feliciorem sequi, non indecorum est.*

Romanorum potentiam respicit.

LII. *Et, ut verum fatear, potentiæ virtutisque vestræ non ita sum imperitus, ut amicos quum habere liceat, hostes mihi factos velim. Tua quoque benevolentia, quam legatis meis exhibuisti, veluti constrictum vinctumque me sentio, ut non sustineam aliud velle, quam tibi placere intelligo. Tu modo & statim, & postquam eo magnitudinis perveneris, quo te virtus tua atque prudentia vocat; fac memineris ejus diei, qua te tradito Jugurtha decoris ejus compotem faciã, quod frustra his annis maximi viri Imperatores vestri, per ingentes labores & paria pericula quæsiverunt.*

Jugurtha Sullæ traditur. Orosius 5. 15. Plutarch. Mar. cap. 13. ibid. cap. 17.

LIII. Hæc loquutus, & vicissim cum multa verborum comitate dimissus ab Sulla, sicut ille voluerat insidias Numidæ tetendit. orta luce, quum haud procul abesse Jugurtham nunciatum esset, Bocchus cum paucis amicis & Quæstore Romano, quasi honoris caussa occurreret, in locum editum progreditur, qui collocatis antea insidiis facillimus conspectu erat. Atque illi simul Jugurtham cum plerisque necessariis inermem adesse viderunt, signo dato coorti cæteros ad unum omnes interficiunt; Jugurtha catenis oneratus Sullæ traditur.

Cum aliqua jactura Marianæ gloriæ. Liv. Epitom. Plutarch. Sulla & Mario Val. Maxim. 15. 7. 4. Plutarch. præcept. c. 15. Plin. 37. 1. Val. Maxim. 18. 14. & 4. Fulv. Vrsin. Plutarch. Mario c. 8. Cic. pro Planc. cap. 5. Vnde semina inter eos discordiarum. Urb. cond. ann. 648. Cn Mallius in petitione Consulatus Q. Catulo prælatus.

LIV. Delibavit ea res nonnihil C. Marii gloriam, quod ea erat Jugurthæ fama, ut cætera parum firma ad victoriam existimarent homines, ni corpore ipsius potirentur; qua in re præcipua Quæstoris opera fuerat. Nec ipse L. Sulla moderate lætitiam animi habuit, quin successum illum sibi modis omnibus vindicaret. Quin etiam annulo traditionem Jugurthæ insculpendam curavit: quo & Dictator signare est solitus, jam Mithridatis & civilium bellorum victor. Unde filius quoque Sullæ Faustus, quanti rem eam pater fecisset conscius: inter tot ejus magnifica hoc maxime delegit, quod donariis quos cudebat exprimeret.

LV. Sed & Mario istam Sullæ jactantiam tanto fuisse dolori ferunt, ut propterea inter Cimbrica & Socialia bella operam repudians, flebilibus discordiis quibus ambo Rempublicam propemodum everterunt, initium faceret. Cæterum tradito Jugurtha, dum res Africanæ per Marium constituuntur, P. Rutilius Rufus, Cn. Mallius Maximus Consules facti. P. Rutilius omni honore dignus & erat, & habebatur: Cn. Mallium non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida Q. Catulo prælatum fuisse, mirum videri queat ignorantibus, rationem requirendam non esse in iis, quæ auctore vulgo geruntur. Provinciæ, Numidia C. Mario, Gallia Q. Servilio Cæpioni prorogantur. Consul P. Rutilius Italiam sortitus est, Cn. Mallius Galliam: quod unus exercitus impar futurus Cimbris Teutonisque videbatur, quorum maximæ copiæ, Tigurinis etiam & Ambronibus accedentibus in Galliam se effuderant.

FINIS LIBRI LXVI.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri LXVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

M. Aurelius Scaurus legatus Consulis à Cimbris fuso exercitu captus est: & quum in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, à Bojorige Rege, feroce juvene, occisus est. Ab iisdem hostibus Cn. Mallius Consul & Q. Servilius Cæpio Proconsul, victi prælio, castris quoque binis exuti sunt. octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta. Secundum populi Romani jussionem, Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt; primi post Regem Tarquinium: imperiumque ei abrogatum. In triumpho C. Marii ductus ante currum ejus Jugurtha cum duobus filiis, & in carcere necatus est. Marius triumphali veste in Senatum venit, quod nemo ante eum fecerat: eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. Consulatu secundo & tertio absens Consul creatus. Quartum Consulatum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius, Pontifex Maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus quæ inter Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, à Celtiberis fugati sunt: reversique in Galliam, bellicosis se Teutonis conjunxerunt.

I. CN. Mallii Consulis adventu, quum maxime jungendis viribus atque consiliis contra validissimum hostem opus esset, inter se Imperatores Romani discordias agitare cœperunt, præcipua Q. Servilii ferocia, qui Consulem, ut rebus omnibus imparem, despiciebat. Huic malo remedium ex dividunda provincia quæsitum, ut inter duorum curationem Rhodanus interesset, utriusque pesti & calamitati fuit. Cimbri enim, quum plerisque Gallorum benevolis uterentur, nihil horum ignorantes, eo majori alacritate militiæ munia obibant. *profecto enim ultores sacrilegii deos, quo nocentes ad pœnam pertraherent, mentem Romanis ducibus ademisse, ut quod optare magis hostes quam perficere potuissent, disjungerent exercitus, & neutra parte satis validi, faciles se aggressoribus darent.*

Cn. Mallii & Q. Cæpionis discordia Orosius. 16. Diodor. apud Valesf.

II. Voto igitur diis suis facto, quale Germanicis Gallicisque nationibus frequentabatur, *ut quid ex hoste cepissent, sacrum esset*; primo legatum Consulis M. Aurelium Scaurum, virum Consularem, cum parte copiarum nacti, fusis cæsisque quos duxerat, vivum ceperunt. Ea res quum tantum animi hostibus, quantum timoris Consuli addidisset, mitti ad Servilium placuit, petitum, *ut quantocyus cum exercitu ad se accederet*. Ille *suam cuique provinciam tuendam*

Crudele Cimbrorum votū. Just. 32. 3. Orosius. Tacit. 13 57. 3. Cæsar. Gal. 6. 17. Liv. Epitom. Vellejus 2. 12. 2. Diodor.

ferociter respondit. Sententia deinde mutata, ne per absentiam suam victis hostibus penes Consulem confecti belli gloria foret, profectus est.

Capionis temeritas.

III. Cæterum neque iisdem locis castra metari, neque consilia, aut quidquam rerum omnium commune cum Consule habere voluit: sed medio inter Romana & Cimbrica castra loco consedit, quo prior iniret pugnam victoriæque laudem in se totam averteret. Interea Cimbri fama, deinde conspectu venientis alterius exercitus permoti, quod ob commune periculum Servilium Malliumque posthac concorditer acturos credebant, missa legatione tentare spem pacis constituerunt. Qui ubi in Servilii castra pervenere, atque ille nulla ad se mandata habere, sed ad Consulem mitti cognovit, æmulatione væcors & pacati nihil loquutus est, & minimum ab interficiendis legatis abfuit.

Ab exercitu coactus in castra Consulis venit. Orosius. Diodorus Sallust. Jugurt. cap. 114. Liv. Epitom. Quintil. declamat. 3. I iod. lib. 36. Ecl. 1.

IV. Ea proconsulis asperitas ingratissima exercitui fuit, præsagienti cladem suam, nisi concordia ducum & societate consiliorum averteretur. Igitur precibus, & ubi precibus nihil promovebatur, expostulatione omnium coactus Cæpio in castra Cn. Mallii venit. cæterum consilio de rebus præsentibus habito, adeo non convenit inter ipsos, ut post turpem rixam & gravia invicem convitia, majorem in modum auctis odiis digrederentur. Hæc caussa populo Romano fœdioris cladis fuit, quam ab Urbe condita perpessus umquam fuerat.

Cimbri duos exercitus Romanos occidione delent.

V. Cimbri, quum hinc ex injuria legatorum dolor, inde spes ob discordiam hostium stimularent; utendum calore animorum, & temporis opportunitate rati, cum omnibus copiis egressi, duos exercitus Romanos spatio locorum & simultate ducum divisos oppresserunt, binisque castris potiti sunt. Horrenda deinde sunt, quæ apud Livium & Valerium Antiatem scripta fuisse referuntur. *Duos filios Consulis, cum octoginta millibus Romanorum sociorumque, itemque calonum & lixarum millibus quadraginta interfectos. neque ex omni numero amplius decem hominibus, qui nuncii cladis essent, effugisse. postea victores voti memores, pessumdedisse quidquid redactum in potestatem erat. vestem discissam & projectam, aurum argentumque in flumen missum, loricas virorum concisas, phaleras equorum corruptas, equos ipsos gurgitibus immersos, homines laqueis collo innexis ab arboribus suspensos esse.*

Q. Sertorii virtus. Plutarch. Sertorio c. 3. Plutarch. Mario c. 16. Liv. Epitom.

VI. Nec oblivione transeundus Q. Sertorius, qui sub Cæpione stipendia faciens, equo amisso, corpore sauciato, rapidissimum Rhodani flumen nando trajecit, lorica & scuto retentis. Multa posthæc apud victores disceptatio fuit, quemadmodum fortuna uterentur. plerisque placebat *protinus in Italiam & ad Urbem ducendum, neque spatium dandum Romanis esse, quo tanta ex consternatione animos colligerent*. aliis in diversa euntibus, adhiberi M. Aurelium Scaurum visum est, quem superiore pugna ceperant.

M. Aurelius Scaurus dissuadet Cimbris expeditionem Italicam.

VII. Atque ille rogatus sententiam, *Nequidquam*, inquit, *spem metumve intenderetis, Cimbri, ut vobis profuturum consilium suggererem, si pestiferum idem populo Romano fore videretur. Nam quando diis immortalibus ita visum est, uti in fortunam M. Reguli inciderem, ejusdem etiam induerem animum, qui summos potius cruciatus sciens prudensque subiit, quam ut contra patriam Carthaginensibus, quorum in potestatem devenerat, utiliora suaderet.*

Id consilium temerarium esse.

VIII. *Nunc quoniam idem utrisque conducere video, dubitare non debetis, quin ex animi mei sententia sim loquuturus. Rem magnam incipitis, & magno-*

rum indicum animorum, Cimbri: sed si verum audire potestis, non aliter vobis gloriosam, quam si intra deliberationem steterit. Nam uti profecto eximiam vobis admirationem pariet, quod de tanto incœpto deliberare ausi estis: ita si expeditionem susceperitis, majora viribus aggressos pro temerariis potius damnabit fama, quam pro fortibus commendabit.

IX. *Nec ex ducibus exercitibusque victis vim ac robur populi Romani putaveritis. majores enim melioresque multi supersunt. & quia sequentium eventus divinandi, non alia certior quam ex comparatione præteritorum ratio est, duorum vobis Imperatorum consilia exitumque proponam, quorum tanta fuit existimatio, ut nunc quoque post infelicia cœpta, summis quibusque viris comparari soleant. Horum Pyrrhus Epiri, quandoque & Macedoniæ Rex, cum veterano exercitu, & incognitis in id tempus elephantis in Italiam eo tempore venit, quo mediocres adhuc populi Romani vires, pauciores in ditiones populos, quam adversarios hostesque habuerunt.*

Docet exemplo Pyrrhi.

X. *Igitur multis ad eum deficientibus, quum insuper uno alteroque prœlio majores nostros superasset, adjunxissetque opibus suis Siciliam, multi jam ultimum imperio nostro diem adesse vaticinabantur. Quid igitur factum est? Acrius insurgentibus Romanis, quorum crescere virtus pro magnitudine periculorum consuevit, pulsus in Græciam Pyrrhus, socii ejus amicique expugnati, tota denique ad Adriaticum usque mare Italia Romano juri adjecta est.*

Item exemplo Hannibalis.

Appianus. Punic.

XI. *Jam Carthaginensium Imperator Hannibal, quum oppida nostra quadringenta cepisset, intra tertium ab Urbe lapidem posuisset castra, maximam Italiæ partem armis amicitiisque teneret; populus Romanus in Hispania Africaque res Punicas sic accidit, ut à suis revocaretur Hannibal in patrio solo debellandus. Neque minor ideo Pyrrhi Hannibalisque per homines æstimatio est. ignoscendum enim iis putant, si cum invicto populo congressi, calamitatem evitare nequiverunt: magisque laudandos putant, quod tam diu potuerunt resistere; quam reprehendendos, quod aliquando sunt superati. Iis enim auguriis condita Roma est, ut vinci nequeat: Capitolium, quadrigas fictiles, si de his rebus audivistis, præterea penates, aliaque deorum fata ea habet, ut ibi caput orbis terrarum esse necessum sit.*

Plin. 18. 51. 10. Populum Romanum invictum esse.

XII. Non tulit loquentem ista Regulus Cimbrorum Bojorix, acer & ferox juvenis, & ut armatis coire in concilio gentibus istis mos est, protinus nudato ferro parantem plura confodit. Hæ clades alia super aliam nunciatæ (nam & in Hispania contra Lusitanos infeliciter pugnatum erat) Urbem atque Italiam universam luctibus & terrore exsternaverunt. Confestim ut contra instans periculum consultationibus habitis, *dies fœdissimæ cladis* (pridie Nonas Octobres erat) *ut inter atras habeatur*, decernitur.

Scaurus à Bojorige occiditur.

Liv. Epitom. Florus 3. 3. 19. Tacit. Germ. 37. 2. Diod. ap. Val. Jul. Obseq. Plutarch. Lucul. cap. 59. & Apoph. Rom. cap. 31. Rhet. ad Heren. Cic. Bruto cap. 37. Pedian. in Corn.

XIII. Q. Servilio cujus temeritate perditæ res fuerunt, frustra culpam in fortunam conferenti, populi jussu imperium, primo post Tarquinium Regem abrogatur, bona publicantur: datur negotium P. Rutilio Consuli, ut novos delectus habeat. Id à viro præstantissimo intentissima cura factitatum, nulla re prætermissa, quæ vel ad cogendum novas copias, vel ad exercendum esset utilis. Nam & filium, credo Q. Metelli Imperatoris sui exemplum sequutus, quum salvis legibus

Cic. de Orat. 2. 53.

Q. Cæpioni imperium abrogatur.

Front. Strat. 4. 11. 12. Val. Maxim. 2. 3. 2. Vegeti. 2. 23.

habere in contubernio posset, in legione militem fecit. & quo tironi adversus durissimos exercitatissimosque hostes pugnaturo, plus audaciæ & usus esset, novi reperti auctor, evocatis lanistis è ludo, quem Aurelius Scaurus adolescens Ædilitatem petiturus insignem habebat, milites vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem docuit.

Campidoctorum initium. Sall. Jugurt. Cic. pro L. Manil. c. 20. Iuven. 8. 250. Florus. 3. 3. 5. Plutarch. Mario cap. 16. Cic. Sidon. Car. 2. 14. Plutarch. Marius absens Consul creatur. Diodorus lib. 36. Ecl.

XIV. Hoc initium Campidoctorum in exercitibus Romanis fuit, qui sequentibus temporibus vulgo adhiberi consueverunt. & sic effectus ille exercitur est, qui postea C. Mario ducente, terrorem Europæ Cimbros Teutonesque horribili clade prostravit. Marium enim confecta commodùm provincia Numidia, Regisque Jugurthæ captivitate clarissimam famam adeptum, tamquam unicum laborantis imperii præsidium populus Romanus respiciebat. Cæterum lex obErat, & quæ creari absentem Consulem, & quæ refici intra decennium vetabat.

XV. Sed præsentium temporum necessitas vicit, & ne res omnino nova videretur, nuper etiam P. Cornelius Carthaginensis belli, mox iterum Numantini caussa, solutus legibus fuerat. Cimbrorum victoriâ trepidam Italiam etiam serviles motus hoc anno concusserunt; majori tamen terrore, quam malo. Et Nuceriæ quidem, ubi servi triginta conjuraverant, priusquam vires adquireret, oppressa conspiratio est. Idem subinde factum ducentorum fere servorum apud Capuam fuit. plus aliquanto turbarum P. Vettius eques Romanus excitavit, qui ditissimo patre genitus, quum opibus flagitiose consumptis, libido tamen & luxus manerent, ad insolitæ temeritatis facinus erupit.

P. Vettius servile bellum concitans.

XVI. Ancillam amore correptus septem talentis Atticis in diem certam emerat. ubi dies venit, nec illi res ad solvendum, & creditor molestus erat; quingentas armaturas emit, illis quoque creditoribus fidem hominis sequentibus, quod ejus egestas pristinâ famâ, & manente adhuc divitiarum specie tegebatur. Vettius armis clam in agros comportatis, servos suos cohortatus, armat ad quadringentos, & ante omnia comprehensos qui pretium puellæ contentiosius exegerant, virgis cæsos securi percutit: deinde purpura & diademate sumpto proximas villas invadit, resistentes obtruncat, cæteros in societatem & commilitium adsciscit. brevi plures septingentis armatos centuriat; valloque circumducto fugitivis velut asylum aperit.

A. L. Lucullo Prætore opprimitur.

XVII. Eam rem Senatui non tam magno quam veloci remedio egere arbitratus, negotium dat L. Lucullo qui tum in Urbe Prætor erat. Hic eodem die sumptis militibus admodum sexcentis Capuam contendit, multis passim in itinere se agglomerantibus, donec ad millia peditum quatuor, equites trecenti efficerentur. Auctæ interim & servorum copiæ, quasi tria millia quingenti tumulum quemdam aditu difficilem occupaverant; pugnaque contracta, loci auxilio superiores hi fuerunt. Lucullus vim parum videns procedere, dat operam ut aliquos ex ea colluvie corrumpat. id consilium felix fuit, adducto ad proditionem Apollonio, quem præclarus Rex Prætorem exercitus sui nominaverat. hic accepta fide impunitatis, Vettio manus injecit. atque ille si comprehensus esset cruciatum corporis metuens, sibi conscivit necem.

C. Marius in Urbem venit. Plutarch. Mario cap. 17. Sallust. Fin. Iugurt.

XVIII. Ita duce submoto de cæteris pœnæ facile sumptæ. Apollonio fides servata est. Interea C. Marius, quum ex literis magistratuum, quid de suo Consulatu esset actum, cognovisset, maturata profectione venit in Italiam: & ante diem

diem Kalendas Januarias Urbem simul triumphans, simul collega C. Flavio Fimbria Consulatum init. In eo triumpho Jugurtham qui Numidarum Rex fuerat, cum duobus filiis ante currum egit. Auri præ se tria millia & septem pondo ferri jussit: argenti infecti pondo quinque millia septingenta septuaginta quinque: signati denarios ducenta octoginta septem millia.

Velleius. 2. 12. 1. Urb. cond. an 649. Ejus triumphus.

XIX. Cæterum ista tum quoque leviora visa sunt, omnium in Jugurtha stupentibus oculis. *Virum sive potentiam sive peritiam belli spectes, avo Masinissa non minorem, neque magis ferro quam auro metuendum repente de summo rerum humanarum culmine ad miserrimæ sortis extrema dejectum* loquebantur. *Esse profecto scelerum ultricia numina, quorum vindictam quisquis meruerit, nulla humana ope possit effugere*. Atque hoc cum primis in tradenda rerum memoria utile esse arbitror, ut in qualibet fortuna nihil appareat esse innocentia tutius: multumque à vera providi & magni animi gloria deflectere, qui pro prudentia calliditatem sectantur, & pro virtute ferociam.

In quo ductus Jugurtha. Liv. Epitom. Marmor. apud Pighi. Annal. 652. Plutarch.

XX. Quibus certe rebus nulli mortalium secundus Jugurtha, miserabilem nec miserandum vitæ exitum fecit. Jam ex quo catenis adopertus currum victoris antecessit, attonito & stupenti similem fuisse ferunt. mox in carcere, quum ab aliis tunica violenter direpta, ab aliis inaures cum ipsis auriculis avulsæ essent, in locum circiter duodecim pedes humi depressum, Tulliano nomen erat, præcipitatum exclamasse, *proh Herculis fidem, quam frigidum vestrum est balneum!*

Jugurthæ miseriæ. Florus 3. 1. 17. Plutarch. Liv. Epitom. Sallust. Catilinar. 55. 2.

XXI. Ibi demum loci, sextum in diem cum fame & vita luctans spiritus expulsus est: quum super omnia mala, etiam in his malis vivendi cupiditas accessisset. Hæc ita diligenter relata majorem apud me fidem inveniunt, quam quod alii tradiderunt; puto, quod sic morem fuisse sciebant, in carcere strangulatum. De filiis humanius consultum: & alter utique Oxintas, proximo bello sociali adhuc Venusiæ in custodia fuit. At Marius ei quem triumphaverat simillimus, neque multo molliorem habiturus exitum, sive ad oblivionem moris patrii rebus prosperis elatus, sive sciens prudensque, statim à curru cum triumphali veste, calceisque puniceis in Senatum venit, quem ad id tempus in Capitolio indixerat.

Et fœdus exitus. Sidon. carm. 2. 230. Orosius, 5. 16. Eutropius. Appianus. lib. 1. Civil. Liv. Epitom. Marmor. apud Pigh. Plutarch. Plin. 33. 1. 7. Front. Strat. 4. 2. 2.

XXII. Tamen ubi se oculis vultuque omnium vidit notari, celeriter egressus, in solita magistratibus prætexta rediit. Hoc Marius fecit, quum ferreo adhuc annulo uteretur, quem tertio demum Consulatu mutasse aureo traditum est. Cæterum in Senatu de provinciis & exercitibus ita decretum: *uti C. Marius Consul, cui jam extra sortem data Gallia erat, facultatem eligendi exercitus haberet ex duobus, quorum alter sub P. Rutilio, alter sub Metello, & postea sub ipso Mario meruerat. utrum reliquisset, cum eo collega C. Marii C. Flavius Italiæ præsideret.* C. Marius Rutilianum, minorem quidem, sed quia certioris disciplinæ arbitrabatur, præoptavit.

Marius ferreo annulo usus.

XXIII. Sed hic & sequens annus, uti sine conflictu Cimbricorum armorum, ita non sine metu eorum transierunt: idque caussæ fuit, cur primo omnium C. Mario tot Consulatus continuarentur. Ille interim per absentiam hostium spatium exercendi militis nactus, contra pericula fortem, & obedientissimum Imperatori fecit. innovavit etiam nonnulla in re militari, inter quæ cæteris signis, quibus legiones distinguebantur, abdicatis, solas aquilas retinuit. Sed omnia

Caussa continuorum Mario Consulatuum. Velleius. 2. 12. 3. Plin. 10. 4. Val. Maxim. 6. 1. 13. Plutarch.

bene acta provisaque vincit insigne factum, quo admirationem apud omnes, amoremque apud milites incredibilem promeruit.

C. Lusius a milite, quem de stupro appellaverat interficitur. Quintil. decla. 3. Plutarch. Val. Maxim. Orosius 5. 16. Quintil. Val. Maxim. 6. 1. 5. Orosius. Cic pro Balbo. cap. 8. Val. Maxim. 2. 5. 2. Cic. Tuscul. 1. 33. Miles à Mario absolvitur.

XXIV. In exercitu C. Lusius Tribunus militum agebat, vir strenuus, & ob hoc, simul propinquitatem sanguinis, avunculo Consuli charus. Is insana libidine correptus, quum manipularem quemdam (Trebonium, aut C. Plotium diversi nominant) noctu in tentorium vocasset; & adolescentulus dicto Tribuni ex more militiæ audiens extemplo venisset; vim nefariam intentans, à milite confossus est. Profectus tum aliquo è castris Marius fuerat. simul revertit, judicio in principiis instituto acriter accusatus est reus: & ipse, quamquam adesset ei nemo, constantissime dixit caussam: testesque produxit, qui *adolescentem à C. Lusio sæpe de stupro appellatum* confirmabant.

XXV. Idcirco non solum absolvit eum Imperator, sed etiam coronam, qualis ob fortia facta dari consueverat, manibus suis imposuit. Eadem ætas aliud etiam vindicatæ pudicitiæ exemplum tulit, ancipiti æstimatione, plusne sceleris commiserit, qui inflixit pœnam, an qui meruit. Q. Fabius Maximus, *Eburnum* alii, alii *Servilianum* cognomento appellant, vir Censorius, filium dubiæ castitatis primo rus relegavit: deinde etiam occidit. duosque servos quorum ministerio patrata cædes fuerat, ne quæstioni subjicerentur, continuo manumisit.

Fabiæ domus opprobria.

XXVI. Quo crimine à Cn. Pompejo accusatus, in voluntarium exilium abiit, Nuceriæ postmodum civis adscriptus. Ejusdem temporis aliud Fabiæ domus opprobrium referre Fabiorum Pompejorumque mentio admonet: quod Q. Fabii Allobrogici filio Quinto, paterni exempli errores, nec pœnitentiam sequuto, Prætor Urbanus Q. Pompejus administratione bonorum interdixit; adeo perditis ejus adolescentis moribus, vulgataque infamia, ut in tanta civitate reperiretur nemo, qui decretum illud reprehenderet.

Lex Cassia, & Servilia. Ascon. in Cornelianam. Cic. pro Rab. Post. cap. 6. Ascon. in Verr. Cic. pro R. Post. cap. 4. Cic. pro Balbo. cap. 24. Cic. de Offic. 2. 21.

XXVII. Interea Cimbricæ clades non plus negotii Consulibus ad exercitum, quam magistratibus domi facessebant: plerisque ad minuendas nobilitatis opes pertinentibus. L. Cassius Tribunus plebis Q. Cæpionis odio legem ferebat, *ne quis in Senatu esset, cui populus imperium abrogasset*. C. Servilius Glaucia, ut erat homo acutus, *de repetundis* plenius & diligentius sanxit, *comperendinatione* introducta, & *ut pecunia contra leges capta, ad quoscumque pervenissent, repeterentur*. Sed hoc acerbius, quod in capita fortunasque Senatorum etiam peregrini accusatores alliciebantur, *civitatis Romanæ* proposito *præmio si quis Latinus repetundarum judicio reum damnavisset*.

Agrariæ leges tentatæ. Jul. Obseq. Diodorus. Lib. 36. Ecl. 1.

XXVIII. Etiam Agrariæ leges tentatæ sunt L. Philippo agente, si modo is Tribunus plebis eo anno fuit. ab illo multa populariter, sed hoc perniciose dictum constat, *non esse duo millia in civitate hominum qui rem haberent*. adversante tamen Senatu, modestiorem se præbuit, vincique, & legem abrogari passus est. Hoc anno C. Fimbriæ Consuli negotium cum desertoribus & fugitivis fuisse ea conjectura est, quod ab his vastatum agrum Thurinum esse memoriæ proditur.

Belli Servilis in Sicilia caussæ.

XXIX. Sed iste motus clemens fuit. in Sicilia concitatis acrius servis, bellum ingens, & Consulari demum exercitu comprimendum exstitit. Huic quoque calamitati ex malis moribus, & Romana avaritia, initium fuit. C. Marius Cimbrico bello delectus Imperator; ex Senatusconsulto à sociis Regibus auxilia contra he-

bat. Qui missi ad Nicomedem ea gratia fuerant, responsum à Rege retulerunt; *non voluntatem sibi, sed copiam hominum deesse: Bithynorum enim permultos à publicanis raptos, passim per provincias in servitute esse.* Fit Senatus decretum: *ne quod liberum caput, ex iis nationibus ac Regnis, quibuscum populo Romano societas & amicitia esset, in provinciis Romanis servitutem serviret. utique Praetores provinciarum eos qui in ea caussa essent quantocyus liberarent.*

XXX. Siciliam tum Praetor P. Licinius Nerva regebat. is edictum proposuit, *uti qui ex Senatusconsulto liberi esse deberent, Syracusas ad se probandae caussa venirent: neve quis impedimento venientibus ad Praetorem esset.* Magna ea multitudo per totam insulam fuit: paucosque intra dies octingenti amplius in libertatem vindicati. Ea res quia facultates divitum valde minuebat, sive gratia, sive pecunia (nec enim avaritiae suspicione Licinius carebat) hominem à proposito moverunt, neque ultra vindiciae secundum libertatem dabantur: sed qui ad eam spem frequentes undique ad Praetorem confluxerant, cum minis repulsi, ad dominos remittebantur. P. Licinius Nerva Siciliae Praetor. Diod. apud Valesium. Diodorus.

XXXI. Haec injuria conjuncta cum timore, ne ab offensis heris multa gravia paterentur, confugere ad Palicorum lucum servos coëgit, quasi loci sanctimonia fidem à dominis impetraturos, *impunita fore quae contra voluntatem illorum, libertatis recuperandae gratia fecissent.* Atque id quo firmius esset, etiam Praetor auctoritatem suam interposuit, quo sic utrique generi satisfaceret, periculum ex ambobus metuens. neque enim servos ita dissipatos postea occasionem aut animum tentandi res novas habituros rebatur. Sed ibi, donec una fuerant, crebris invicem consultationibus re agitata, libertatem, quam per factionem iniquorum dominorum jure adipisci non potuissent, vi & manu asserturi discesserant. Servi ad Palicorum lucum confugiunt. Diodorus.

XXXII. Primus in Ancylio agro motus fuit: duorum fratrum praedivitum servis triginta auctoribus. qui heros somno sopitos quum jugulassent, eadem nocte accedentibus aliis usque ad numerum centum viginti, locum natura firmum insuper operibus muniunt. Neque Licinius Praetor, quamquam festinanter egressus, ante pervenire ad eos potuit, quam alii, & quidem armis instructi octoginta sese prioribus adjunxissent. Itaque frustra tentata oppugnatione C. Titinium, qui ante biennium capitali supplicio damnatus profugerat, pacta incolumitate inducit, ut specie sociandorum armorum castellum ingressus, sibi prodat. Arma capiunt.

XXXIII. Titinius ab eo tempore quo poenam effugerat, in liberos grassari, parcere servis solitus, non modo fidem apud ejusdem ingenii fortunaeque homines facile invenit, sed quia manibus promptus erat, dux adscitus est. Ita castellum proditione captum: fugitivi partim pugnando, alii metu suppliciorum corporibus in praeceps jactis, perierunt. Ibi quum servari sub signis milites, donec similium turbarum suspicio cessaret, ratio esset; dimisit Praetor copias: idque caussae fuit, accedentibus etiam aliorum pravis consiliis, ut neque nunciata P. Clonii Equitis Romani morte, quem servi sui occiderant, in tempore motus, otium illis augendi numerum, seque rebus omnibus confirmandi dare cogeretur. Fraude superantur.

XXXIV. Ergo post paucos dies praesentibus cum copiis profectus, quum Alba amne superato, praeter montem caprinum, in quo defectores consederant, Mox coeunt plures.

duxisset; adeo nihil eos terruit, ut contra sparso rumore *Praetorem Romanum metu intactos praeteriisse*, confirmarentur: adeo multis ad hanc famam confluentibus, ut septimum intra diem, quoque modo armati plures octingentis numerarentur. & sicut haec talia facilius augentur, quam incipiunt, paulo post supra duo millia hominum in armis fuere. Id ubi Praetor accepit, M. Titinio milites cum quibus Heracleam venerat, adjunctis insuper sexcentis quos Ennae detraxerat praesidio, tradidit.

C. Titinium vincunt.

XXXV. Sed infelix Titinio pugna contra desperatos & ingenio loci potiores fuit. multi milites amissi: caeteri abjectis armis fugientes, defectoribus & instrumentum belli quo maxime egebant, & magnam ex victoria famam reliquerunt. Certatim igitur, ut ad communem caussam spemque concurrentibus fugitivis, supra sex millia effecti, quum fiduciam numerus augeret, ne sine certis legibus imperioque agerent, Regem crearunt Salvium nomine, quem in mulierum orgiis tibias inflare solitum, ob illam & haruspicinae scientiam, quasi divinum hominem eo honore dignum existimarant: nec caussa nec omine dispari, atque ante aliquot annos Rex fugitivorum Eunus in eadem Sicilia fuerat.

Salvius Rex fugitivorum.

XXXVI. Caeterum Salvius acrius & constantius quam pro superioris vitae turpitudine imperium capessens, tripertito divisis copiis totidem duces praeficit: *praedas ex agris quantas possint agere, homines suam caussam sequuturos recipere, deinde in unum eo quem praedixerat loco convenire* jubet. His alacriter jussa exsequutis, magna vi tum aliorum animalium, tum equorum coacta, tantus exercitus coaluit, ut novus Rex Morgantinam validam urbem, cum duobus equitum millibus peditum viginti circumsederet. His rebus cognitis P. Licinius Italicas Siculasque copias, ad decem millia hominum, celeriter contractas, nocturno itinere ducit: occupatisque castris fugitivorum, in quibus pauci propugnatores, caeterum foeminarum caeteraeque praedae plurimum erat, atque direptis, ad urbem Morgantinam contendit.

Servi victi: deinde victores.

XXXVII. Fugitivos quemadmodum repentinus terror facile castris expulerat, ita notitia locorum & nox tutatae erant. omnes ferme incolumes, neque longe fuga palati, postquam vires animumque recollegerunt, *reddendam Romano vicem* fremunt, *& contra auctorem vertendas insidias. easdem tenebras, quae sibi novenissent, multo magis hostibus obfuturas. victoria incautos, praeda graves, si à superioribus locis incurses, dissipari posse.*

Salvii calliditas.

XXXVIII. Neque segnius quam loquuti fuerant, impressio facta: neque alius quam animis praeceperant, eventus fuit. Quum tamen pugna traheretur, trepidantibus Romanis, & magis desperatione fugae, quam virtute ac robore resistentibus; Rex fugitivorum opportuna calliditate pronunciari voce praeconis jubet, *ne quis nisi armatus caedatur.* nec mora fuit, quin plerique armis abjectis fugerent. Ex his millia quatuor vivi capti: haud plures sexcentis interfecti, quod ex Regis edicto parcitum inermibus fuerat. Salvius castris recuperatis, splendideque victoriae commodis & fama auctus, quum ut rebus secundis solet, magnus ad eum concursus fieret, cum numerosiore quam prius exercitu ad obsidionem Morgantinae rediit.

Urbs Morgantina contra servos à servis defenditur.

XXXIX. Defensa tamen urbs est, etiam servorum enixa opera, quos à Salvio solicitatos, oppidani, *ut potius à se libertatem acciperent, ita firmius bone-*

stiusque habituros, perpulerunt. Irritam deinde pactionem Prætor Romanus fecit: eoque dolore complures ad Salvium transfugerunt. Sub eosdem dies in Ægestanorum Lilybætanorumque agro servos idem furor, veluti contagio corripuit, Athenione Cilice duce: qui fratrum duorum locupletissimorum dispensator, circiter ducentis ex familia corruptis, ab herili sanguine, quod solemne & primum ejus militiæ velut sacramentum erat, rebellionem auspicatus, intra quintum omnino diem, mille hominum sub signis habuit.

Florus 3.19. 20. Diodorus lib 36. Ecl 1.c. 7 Florus. Diodorus.

XL. Apud quos, quia manu promptus, & divinationis astrorum peritus credebatur, in magna veneratione habitus, ipse quoque Regia insignia cepit. Cæterum diverso à prioribus instituto, non quoslibet ad se venientes in manipulos recipiebat; Sed delectu idoneorum habito, cæteros quæ sub antiquis dominis quisque fecisset, eadem sibi præstare coegit. Inde factum; ut & commeatu largiore uteretur, & agri à maleficio tuti essent: quibus *parci ut jam suis* jubebat, *sibi deberi totius insulæ imperium* dictitans, *ita diis cordi*: *neque se novas ad Regnum cogitationes, sed diu meditata, tantoque salubriora adferre, quod olim fortunam suam spondentibus astris prænovisset*.

Athenio alter Rex fugitivorum.

XLI. Hæc opinio, quum jam à principio satis insedisset animis, mox majorem fidem accepit ex eo, quod exponemus. Athenio contracto decem millium exercitu Lilybæum obsidere ausus, quum in urbis munitissimæ oppugnatione frustra tempus tereret, *non placere id consilium diis* caussatus, *cladem imminentem propera discessione vitandam* edixit. Forte dum in eo res est, nondum in tutum omnibus deductis copiis, naves prope Lilybæum appulerunt, cum delectis Maurorum cohortibus, quas auditis Siciliæ turbis, novus Romanorum socius amicusque Bocchus subsidio miserat, impigro viro Gomone præfecto.

Lilybæum obsidet.

XLII. Is cognitis quæ agerentur, noctu impressione in discedentes facta, quum post multa fugitivorum vulnera cædesque in oppidum se recepisset, Athenionis prædictionibus magnam apud cæteros admirationem atque fidem conciliavit. Cæterum ne servilibus tantum tumultibus Sicilia vexaretur, etiam per liberorum hominum inopiam aut petulantiam maleficia multa fiebant. Accedebat, quod indicto propter hos motus justitio neque jus dicebat quisquam, neque formidabat. Eratque hæc aliquanto crudelior servili pestis, quod illi palam velut jure belli agebant; hi latere cupientes, ubi res rapuerant, aut animalia abigebant, obvium quemque sine discrimine liberos servosque, ne quis index exsisteret, occidebant.

Siciliæ calamitas. Diod. apud Valesf. Diod. lib. 36. Ecl. 1 c. 10. & 11.

XLIII. Ita vix in urbibus satis cuique tuta, quæ possideret, habebantur: in agris pro derelictis erant omnia, & quanto quis opibus excellebat, tanto pluribus curis, quum ex maximo numero servorum, & qui fugerant infensi, & qui remanserant suspecti essent, anxia ei ac solicita vita degebatur. Spes quoque frustra fuit, fore ut duo servorum Reges, dum ad se quisque res trahere cupit, æmulatione virium in mutuam perniciem colliderentur. Quippe Salvius à Morgantina usque in Leontinos omnia perpopulatus, recensu copiarum facto, quum delectæ juventutis ad triginta millia reperisset, Heroibus Italis sacrificavit: dicataque velut in mercedem concessæ victoriæ purpurea stola, *Tryphonis* appellatione ab suis decoratus, ad imperium ordinandum serio adjicere animum cœpit.

Salvius imperium serio ordinat.

XLIV. Cæterum sedem Regni habiturus Triocala, sic appellata, quod his tribus, aquarum optimarum copia, bonitate circumjacentis agri, postremo situs

Ei se submittit Athenio.

Servile bellum in Sicilia.

propemodum inexpugnabili munimento præstabant, Athenionem acciri jubet, tamquam ejus opera usurus. Ille, præter opinionem omnium, dicto audiens, dimissis ad prædam, & solicitanda ubique servitia cæteris copiis, cum delectorum tribus millibus, tamquam ad Regem suum venit. At Tryphon homine mature in custodiam tradito, ne forte se oppugnaret, redactum in potestatem castellum, supra antiqua munimenta novis operibus firmat: spatiumque circa unius ferme milliaris fossa profunda circumducta, in urbis formam exædificat, Regia exstructa, & foro pulcherrimo amplissimoque. neve quid vel ad usum vel ad speciem Regni desideraretur, consilium ex prudentissimis quibusque deligit. ipse toga prætexta, tunica laticlavia amictus jus dicebat: lictores cum virgis & securibus ante se habebat: alia denique hoc genus solita Imperatoribus Regibusve usurpabat.

L. Apulejus Saturninus. Notæ Freinsh. hom. in Flor. 3. 19. 3. Cicer. pro Sex. cap. 17. Diod. apud Valesium. Cic. de Harusp. Resp. cap. 20. Diodorus.

XLV. Sub idem tempus, haud dubie quia tumultus servilis in Sicilia, velut occluso Urbis horreo, annonam arctaverat, L. Apulejus Saturninus Quæstor Ostiensis rei frumentariæ præfectus est, quod magnarum calamitatum initium fuit. Quum enim adolescens luxui & inertiæ deditus negotium segniter administraret, adempta sibi ab Senatu, translataque in M. Scaurum principem curatione sic indoluit, ut statim à priore luxuria ad temeritatem se referret; & popularem rationem amplexus, Patribus infestissimus acerbissimusque adversarius fieret.

Vrb. cond. ann. 650. Marius tertium Consul. Plutarch. Mario c. 20. Cic. de Provinc. Consular. cap. 8.

XLVI. Consularibus interea comitiis C. Mario tertium facto, collega L. Aurelius Orestes additur. Mario, quod belli gloria præfulgens, nuper egregiam justitiæ opinionem, & ex ea charitatem militum quæsiverat; & Consulatus absenti datus, & Cimbricum bellum cum provincia Gallia decretum. Hæc extra ordinem dabantur, etiam M. Scauri Metellorumque sententiis: quod inter magnos metus privatis adfectibus necessitates publicæ potiores erant. Prætores provinciarum eo anno L. Licinium Lucullum, M. Antonium certos; Fulvium & Pisonem ex conjectura reperio.

Prodigia. Liv. Epitom. Jul. Obseq. Plinius 2. 57. Plutarch. Vellejus 2. 12. 3. Auct. de Vir. illustr. cap. 71. Vellejus 2. 17.

XLVII. Magnum in Urbe ex pluribus bellis timorem, nam & maria piratæ infestare cœperant, auxerunt fœda prodigia. *canem apud se loquutum* Ariminenses, *arma cælestia inter se concurrisse, victis quæ ab occasu occurrerant*, Tudertes Ameriniique nunciaverunt. Ex haruspicum responso populus stipem Cereri & Proserpinæ tulit, Siciliæ numina placaturus, virgines ter novenæ dona canentes tulerunt, Siculum bellum L. Lucullo: piraticum M. Antonio provinciæ datæ: Piso Macedoniam, Fulvius Hispaniam sortitus est.

Sullæ acta sub Mario.

XLVIII. A C. Mario hic etiam annus in apparatu consumptus: nisi quod hoc & superiore Consulatu, per absentiam Cimbrorum, contra Gallos quosdam, & Germanorum nationes, quæ per eadem tempora in Galliam irruperant, rebus gerendis fortem & fidelem L. Sullæ operam fuisse argumento est, quod priore anno legatus Consulis Gallorum splendidissimos duces fudit, & Tectosagorum Regulum Copillum vivum cepit: & hoc tertio Marii Consulatu Tribunus militum, Marsos, magnam & populosam gentem, ad amicitiam Romanam à Cimbrorum societate perduxit. Marsi enim Italica natio, quum nullum in hac commemoratione locum habeant, relinquitur, ut Teutonis vicina gens intelligatur, quæ nunc quoque vestigia nominis & sedium antiquarum retinet.

Judicia C. Memmii, & T. Albucii. Val. Max.

XLIX. Eodem tractu temporis, quum omnia bellis, aut bellorum apparatu streperent; judicia insuper inquietam civitatem habuerunt. C. Memmius repetun-

darum absolutus est, frustra reum premente M. Scauri testimonio, quod ob notam inter eos simultatem minus ponderis habuerat. T. Albucius damnatus est, non ob culpam magis, quam propter vanitatem invisus despectusque, & jam ante ab Senatu negata supplicatione quasi prædamnatus.

Cic. pro Front. cap. 7. Cic. de Provinc. Consul. cap. 7.

L. Quum enim rebus non ita magnis in Sardinia Proprætore gestis supplicationem ab Senatu decerni petisset: primo omnium qui tali ex caussa literas misissent, est denegata. præcipue ideo, quod homo levis, & Epicuro, vanissimæ Græcorum sectæ deditus, jam in provincia quasi triumphaverat. Ejus accusationem duo, C. Julius Cæsar, & Cn. Pompejus Strabo postulabant: sed quia moribus adversum videbatur, ejusdem accusatorem aliquem esse, cujus Quæstor fuisset, C. Julius, qui præterea etiam rogatus à Sardis erat, prælatus est.

Albucii vanitas. Cic. in Pison. cap. 38. & Brut. c. 35.

LI. Dixisse tum & Q. Mucius Augur in Albucium, laudis forensis aucupandæ gratia creditur. Sed neque dignitas ætasque Scævulæ patitur, ut rem alioquin temporibus istis Romanæ juventuti usitatam, forensis operæ tyrocinio commendationem quæreret; & quod Scævula contra T. Albucium in judicio repetundarum dixit, id pro se dixisse, non obscure apud Ciceronem legimus, contra hominem inimicitias ex caussa haud satis gravi cœptas, juvenili ferocia exercentem.

An in Albucium dixerit Q. Mucius Augur. Cic. divin. cap. 19. & ibi Pedian. Cic. de Offic. 2. 14.

LII. Quod enim Albucius Græcarum literarum usque ad ineptias erat studiosus, Scævula, quum Prætor Athenis transiret, officii gratia ad se visentem Græce salutaverat, idemque lictores, & omnis deinceps cohors fecerat. ejus ludibrii sensus tam alte in pectus Albucii descendit, ut ex illo tempore Mucium insigniter odisset, atque etiam legibus repetundarum interrogaret. Sed & absolutum eo judicio Scævulam, apud eumdem Ciceronem relatum est. Idcirco duo diversorum temporum reorumque judicia in unum miscenda non fuerunt.

Apulejus Apolog. Cic. Bruto. cap. 26. Odiorum inter hos caussa: Lucilius. Cic. de fin. 1. 3 Cic. de Orat. 2. 70.

LIII. Sed hæc atque talia, ubi vetus historia deliquit, ex tenuibus & obscuris antiquitatum stricturis, difficulter eruuntur. Cæterum idem Albucius damnationem & exsilium multo sapientius tulisse proditur, quam paulo ante imperium habuerat: ne sic quidem omni studiorum deficiente fructu, quamvis in vanum ingenium inciderant. Nam Athenas reversus æquissimo animo philosophabatur: satyrisq; Luciliano stylo scribendis, suam pariter alienamq; stultitiam transducebat.

Albucius damnationem sapienter fert. Cic. Tuscul. 5. 37. Varro de re Rust. 3. 2. Velleius 2. 13. 3.

LIV. Sed majus aliquanto certamen, & adversus majores viros eodem anno Cn. Domitius Ahenobarbus commovit, M. Junio Silano, deinde principi Senatus Scauro, die dicta. Silanus *injussu populi collatis cum hoste barbaro signis, omnium quas deinde Cimbri intulissent cladium, præbuisse caussam* arguebatur. Sed quamquam tabella de reo data erat, plenissime absolutus est, quum duæ tantummodo tribus Sergia & Quirina tristiorem sententiam tulissent. Sed hanc accusationem Domitius Egritomaro Gallo hospiti paterno, dedisse dicitur, quod eum Silanus Galliam obtinens injuria adfecerat: cum Scauro propriæ irarum caussæ erant: sed aliis potior & recentior, quod illius opera alium quam se in patris sui locum augurem cooptatum fuisse Domitius dolebat.

Ascon. in Corn. M. Junius Silanus absolvitur. Cic. divin. cap. 20. Cic. Ver. 2. 47. Pedian. in Scaur. Suet. Nero 2. 1. Val. Maxim. 6. 5. 5.

LV. Igitur objecto, *sacra publica populi Romani deûm Penatium, quæ Lavinii fierent, opera ejus minus recte casteque fieri, alia quoque sacra populi Romani multa deminuta esse,* & mulctam irrogavit, & summa contentione reum opprimere studuit. Quo majori merito celebrata ejus justitia est, quod ad se venientem Scauri servum, multaque heri crimina deferentem, nec audire voluit, & *statim reduci ad*

Cic. pro R. Dejot. cap. 11. Diodorus apud Vales. Domitii clarum accusantis eximium factum.

Val. Maxim. Liv. Epitom. Cic. de Leg. Agr. 2. 7. Cic. pro orn.

Scaurum jussit. Inde factum, ut forte minus instructus Scaurum damnare non posset: at, quod anteponendum illi desiderio fuit laudem apud omnes, tantumque mox gratiæ inveniret, ut & legitima ætate Consul Censorque, & adhuc Tribunus pleb. Pontifex Maximus crearetur. quod tamen etiã prẽmiũ latę in Tribunatu legis fuit.

Ejusdem lex de Sacerdotiis

LVI. Tulerat enim, *ut quatenus propter religionem sacrorum populus sacerdotia mandare nequiret; minor dumtaxat pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is à collegio cooptaretur*. Ita tribus septemdecim vocabantur: quem novem tribus fecissent, is obtinebat: potentissimorum hominum collegiis cooptandorum suo arbitratu sacerdotum potestas eripiebatur. Hæc domi acta, foris interim res à prætoribus exercitibusque Romanis varia fortuna gesta. L. Lucullus in Siciliam civium Romanorum & nominis Latini quatuordecim millia trajecerat; additis Bithynorum Thessalorumque & Acarnanum octingentis; variarum deinde gentium auxiliares sexcenti, totidemque Lucani Cleptio, viro perstrenuo, duce accesserant.

Diod. lib. 36. Ecl. 1 cap. 12.

Bellum L. Luculli cum fugitivis.

LVII. Fugitivi prætoris adventu cognito, dissidebant sententiis *expectandos Triocalis hostes* Tryphon, *occurrendum venientibus* Athenio censebat. nam & hunc in gratiam receptum, consilio Tryphon adhibuerat. Sed & sententiam ejus sequutus est: egressique haud pauciores quadraginta millibus, castra prope Scirtheũ posuerant, à Romanis intervallo mille maxime & quingentorum passuum. Ita quũ quotidianæ velitationes fierent: tandem accidit, ut summis viribus concurreretur.

LVIII. Multis hinc inde cadentibus, tamen sustentata pertinacibus animis pugna est, donec Athenio, qui cum ducentis delectis equitibus prœliatus egregie fuerat, genu utroque saucius, tertia insuper accepta plaga pro mortuo concidit. Hic terror solvit fugitivorum ordines, & cum cæteris ipse Rex Tryphon Triocala beneficio noctis evasit, eadem Athenioni, quum inter mortuos fefellisset, saluti fuit. Cæterorum ad millia viginti cæsa: debellarique, si institisset Romanus, potuit; adeo superstitum animi ceciderant. vulgoque audiebantur voces *praceps & invisum diis consilium* damnantium; *neque aliud melius, quam ut ad dominos reversi, misericordiam potius illorum, quam certam bello perniciem experirentur*.

Pugna fugitivi vincuntur.

Sed per cunctationem victoris resumunt animos. Flor. 3. 19. 11. Diod. lib. 36. Ecl. 1. cap. 12. Auct. de Vir. Illust. cap. 62. Appian. Hispan.

LIX. Lucullus trahendo tempus, consternatis ad se redeundi copiam fecit: denuoque decretum est, *nihil non prius tentandum, quam ut se invisis infensisque ad ludibrium & cruciatus dederint*. Nona demum die adducta ad novam urbem signa, post magnum & inanem laborem, multis & hostium occisis, & suorum deperditis, ad extremum irrita & infrequentia discesserunt. Ita defensis Triocalis ad pristinam fiduciam erecti sunt animi fugitivorum, multasque Siciliæ clades intulerunt, sedente Prætore per negligentiã, aut quia prẽda provincię ditescendi prior cura erat.

LX. Repetundarem certe, nequidquam recusato contra leges judicio, ab Augure Servilio damnatus est. unde postea nullæ graviores in Urbe quam Serviliorum atque Lucullorum inimicitiæ longum ad tempus exstiterunt. Sed hæc aliquanto post acciderunt. In Hispania res incertæ ab aliquot annis fuerant, crebris utique latrociniis, interdum & bellis. occursum tamen à Romanis copiis est, donec crebrescente Cimbrico terrore, Sicilia quoque servilibus armis iterum infesta, Hispanias domesticis præsidiis permitti oportuit. Prætores tamen eo, sed sine exercitu mittebantur.

Hispaniæ res.

Cimbri funduntur à Celtiberis.

LXI. Interea Cimbri post Mallium & Cæpionem fusos, quum more fulminis omnia perrumperent, quidquid inter Rhodanum & Pyrenæum est depopulati, per

saltum

saltum Pyrenæum transcenderunt in Hispaniam: & quum ubivis vastationem facerent, à Celtiberis fusi fugatique sunt. Eam rem Imperatore Fulvio Prætore Romano gestam credentibus ut accedam inclinat animus, quia victos ab hoc Cimbros, neque aliam ei provinciam, quam Hispaniam reperio, quum Italiam Galliamque per omnes eos annos Consules obtinerent. Adde quod & res ita gesta traditur, ut haud multum imminutis copiis, consilium tamen relinquendæ Hispaniæ placere Cimbris potuerit.

Plutarch. Mario cap. 16. Liv. Epitom. Plutarch. Jul. Obseq.

LXII. Collatis enim castris, *equites suos ad vallum hostium accedere, deinde refugere* Fulvius jusserat. Id ubi per aliquot dies factum: Cimbrisque avide persequentibus, haud magnam custodiendis castris manum relinqui Romanus advertit, cum expeditis cohortibus terga illorum clam circumiens, postquam Cimbros suggressi de more equites longius abripuerunt, castra à suis deserta cepit. Eodem anno in Macedonia prospere cum Thracibus bellatum. Pisonis, ut opinor, ductu, *à quo Rhodopen etiam Caucasumque penetratum* L. Florus auctor est. quod quia de nobili illo Caucaso accipi nequit, neque Thraciæ aliquem hoc nomine montem fuisse reperio, auctorem pro re posui.

Thraces à Pisone. Front. Strateg. 2. 5. 3. Jul. Obseq. Florus 3. 4. 6. Plutarch. Cic. Bruto cap. 62.

LXIII. Dum hæc diversis in provinciis geruntur, C. Marius relicto ad exercitum M. Aquillio in Urbem ad habenda comitia venit; quia Consul alter L. Aurelius paulo ante fato concesserat. Multis egregiisque viris petentibus, Tribunus plebis L. Apulejus Saturninus, quo nemo post Gracchos ad concitandas vulgi mentes instructior eloquentia habebatur, cum populo agebat, *ut C. Marium Consulem quartum faceret: rebus accommodari consilia dictitans, nec temere mutandum negotiis manentibus, quod illorum caussa semel esset salubriter deliberatum.*

Saturninus populo suadet ut Marium quartum Consulem faciat.

LXIV. *Est enim ridiculum,* ajebat ille, *quæ ad provisam necessitatem præsidia paraveris, ea ad instantem dimittere. Proximis & superioribus comitiis, nulla oblivione legum, sed quia Cimbricum bellum in exspectatione erat, C. Marium semel iterumque refecistis. Atqui eo biennio velut turbine quodam actus hostium impetus in Hispaniam se avertit. nunc quia propius admovetur periculum, jamque suis imminere finibus, fidelissimi vetustissimique socii nostri Massilienses nunciant, alium ducem creabimus: tamquam ad parandum modo bellum opera Marii eguissemus, ad gerendum alius esset præstantior?*

Quod eo Imperatore contra Cimbros uti ipse constituerit.

LXV. *At vero non aliam ob caussam Mario secundum tertiumque Consulatum dedistis, quam quia summo discrimini summum opponendum Imperatorem esse constabat. Adversus hæc frustra leges ingerunt, quorum tanta est perversitas, ut perire per alterius imperium, quam incolumes ductu Marii esse malint. Atqui maximam deberi reverentiam legibus & scimus & defendimus: sed minime profecto majorem, quam Reipublicæ salutiq; Urbis ac Imperii, quarum rerum gratia constitutæ leges sunt. quod si aliquando contra bonum publicum pugnant, auctoritas ipsis jure merito abrogatur.*

Neque leges respiciendas, quæ obsteut.

LXVI. *Nuper P. Scipionem, multis etiam, uti nunc Mario, sic illi adversantibus, solvi legibus jussu vestro contigit: quem igitur ejus consilii pœnitet? quem illius, quo & prior Africanus ante legitimos annos imperium Consulatumque nactus est? Quod nisi esset factum, fortassis adhuc Carthago & Numantia starent, & quod omen dii avertant, Roma suis ruinis operta jaceret. Dii faciant. ut felices potius latique, quantum in duce momenti sit experiamur, quam post aliquam similem offen-*

Quibus etiam alii fuerint soluti.

sam, quales jam nimis multas, contra eumdem hostem dissimiles huic Consules mittendo, incurrimus.

Incommoda. si alius mittatur, Imperator exaggerat. LXVII. *Sed fac esse conferendum alium huic consilio, virtute, felicitate, an ideo tantum etiam auctoritatis ei apud exercitum erit? Ad ignotos milites novus ipse Imperator veniet: loca incomperta, animi hominum parum explorati, tota ratio belli minus expedita, omnia terribiliora atque molestiora occurrent. Marius in ea opinione apud hostem est, ut dum ille ad exercitum esset, arma nostra vitasse videatur: in eo amore apud socios, ut nullius imperata sint lubentius facturi: tanta apud exercitus virtutis atque justitiæ admiratione, ut hoc uno duce vincere sperent ac cupiant; neque aliter accipiant de successore mentionem, quam ut, si quis venerit alius, se quasi vinctos tradi hostibus putent.*

Marius Consul designatur. LXVIII. *Igitur vestrum potius judicium, provinciarum voluntatem, spem militum nostrorum, quam æmulorum C. Marii dicta sequimini: ne quem unicum Cimbrici belli à diis immortalibus oblatum ducem agnovistis, sub ipsum edendæ operæ tempus ab imperio removeatis.* Cupiente haud dubie Mario hæc agebantur, sed ille quasi per modestiam, aut placandæ invidiæ detrectabat. Ergo ab Tribuno, pari simulatione, acribus conviciis verberatus, *quod aris focisque in certo discrimine positis, desiderari operam suam patriæ proditor sineret;* tandem designatus est: cæteris, licet hæc ludibria intelligerent, minus repugnantibus, quia Cimbros, postquam exclusi Hispania fuerant, in Galliam reversos cum Teutonis iterum se conjunxisse compererant, & immanem futuram belli molem apparebat, nec temere cuiquam nisi Mario sustinendam.

Velleius 2. 12. Liv. Epitom. Plutarch. Mar. cap. 20. Florus 3. 3. 2.

Plutarch. Auct. de Vir. illustr. c. 73. LXIX. Factus est una Q. Lutatius Catulus, cujus & in Senatu magnæ opes, & ad populum illæsa gratia erat. Eodem anno L. Apulejus, quo plus à Mario militibusque gratiæ iniret, *uti veteranis agri qui in Africa captus Jugurthino bello fuisset, centena jugera dividerentur, tulit.* Accepta rogatio est, Bæbio Tribuno plebis qui intercesserat, à turba petulante lapidibus abacto, ii jam mores invaluerant, ut non ex utilitate publica, neque consensu leges ferrentur; sed sicut parti, quæ viribus & audacia potior erat, placuisset.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



M. Antonius Prætor in Ciliciam maritimos prædones persecutus est. C. Marius Consul summa vi oppugnata à Teutonis & Ambronibus castra defendit. duobus deinde præliis circa aquas Sextias eos hostes delevit: in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius

absens quintum Consul creatus est. triumphum oblatum donec & Cimbros vinceret, distulit. Cimbri repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo Proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editum insederat reliqueratque, quum virtute sua expliciti fugientem Proconsulem exercitumque consecuti, in Italiam trajecissent; junctis ejusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis: in quo cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquamdiu, ut novo homini ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo Rempublicam fatebantur. Publicius Malleolus, matre interempta, primus omnium insutus culeo, in mare præcipitatus est. Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ Reges gesta continet.

I. QUUM hic status ubique rerum esset, Romanis per Cimbrica, item Thràcia & Servilia bella distractis, Regibus Syrorum parricidiali bello vires imperii, majestatisque reverentiam solventibus; ne Ægypto quidem, sub qua & Cypri Regnum erat, per æmulationes Regum prohibente: Cilices, Syriacæ ditionis pars, maria latrociniis infesta tenebant, sensim etiam aliis nationibus ad eamdem licentiam corruptis. Contra hos M. Antonius Prætor cum Proconsulari imperio missus, partem eorum ad Misenum profligavit. Exinde, postquam propter difficultatem navigandi per aliquammultos dies commoratus Athenis esset, in Asiam venit: auctoque è Byzantinis aliorumq; sociorum navibus classe, prædones in ipsam Ciliciam persequutus, multis eorum captis depressisve paronibus, dignam triumpho, quem postea egit, victoriam obtinuit.

Florus 3. 6. 1. Strab. lib. 14. Trog. Prolog. 39. Appianus. Mithrid. Liv. Epitom. Cic. pro L. Manil. cap. 12. & de Orat. 1. 18. 2. 1. Tacit. 12. 62. 2. M. Antonius contra piratas mittitur.

II. Nescio an ea pugna, certe in Cilicia interfectus est M. Gratidius præfectus Antonii, & eidem perfamiliaris. C. Marius quartum, Q. Lutatius Consules inito magistratu mature in provincias profecti, summa ope bellum contra imminentes jam Italiæ Cimbros parabant: ita divisis partibus, ut in Alpibus ad præsidium Italiæ Catulus excubaret; Marius Galliam transeuntibus se objiceret. Nam & hostes bipartito agmine Italiam petere dicebantur. Cimbri per Noricos, Teutoni per Liguriam cogitabant irrumpere.

M. Gratidius. Urb. cond. ann. 651. Marius & Catulus bellum contra Cimbros parant. Plutarch. Mario c. 36. Frontin. Strateg. 1. 2. 6. Orosius 6. 5. Frontin. Florus 3. 3. 5.

III. Igitur propiore in dies discrimine, quia Gallorum multi palam hostilia agitabant, neque Liguribus ob levitatem ingeniorum credebatur; Marius quo certius exploraret animos, hoc commento usus est. Literas circum suspectos populos misit, quibus apertis, vetabat interiores quæ seorsim sigillo clausæ erant, ante certam diem legi: deinde priusquam ea dies venisset, tabulis repetitis, eos à quibus ante prædictum tempus resignatæ fuerant, haudquaquam constantis in societate fidei esse cognovit.

Marius explorat animos Ligurum.

IV. Castris deinde motis ad Isaræ Rhodanique confluentes quum pervenisset, locumque stativis idoneum judicaret; diligenter circummunivit eum, magnaque commeatuum copia replevit: ne rerum forte necessariarum penuria contra commodum suum pugnare cogeretur. Quod enim multi magnique ab his populis exercitus cæsi fuerant, non prius audebat in aciem descendere, quam confirmatos suorum animos, adsuetudine videndi audiendique terribiles hostium vultus strepitusque intelligeret.

Castra ad Isaræ Rhodanique confluentes communit.

Rhodani navigationem commodiorē efficit.

V. Interea nihil prætermittit summæ diligentiæ: militem alloquio erigit, exercet armis, durat opere; simul subvectioni commeatuum consulens, quam late circumstagnans Rhodani ostium; repletis arena altoque limo æstuariis morabatur. Idcirco Marius egregium molitus opus, ab alveo fluminis ad mare, qua situs commodior, nec tam vexatum æstu litus erat, ingenti fossa ducta, majorem Rhodani partem immisit, etiam grandibus ferendis navibus habili alveo. Sed jam Cimbrorum, Tigurinorum, Tugenorum, Teutonorum, Ambronumque immensa agmina aderant, mutato priore consilio junctis viribus incedentium: trucia visu corpora, horrendi fremitus, omnia etiam peritis alias militiæ nova & atrocia.

Pompon. Mela 2.5. Strab. lib. 55. Plutarch. Strabo. Orosius. Polyæn. Strat. lib. 8.

Non facit hosti pugnandi copiam.

VI. Nec faciebat pugnandi potestatem Marius, sed evastatis circa omnibus, etiā ad ipsa castra ferociter assultante hoste, tamen continebat suos: tantummodo per vices mittebat in vallum, ut eos oculorum auriumque terrores pati discerent: gnarus insuetos horum, si subito offundantur, plurimum percelli: eadem apud expertos usuque peritos vilescere. Hac arte ducis brevi perfectum est, ut milites non modo timere hostem desinerent, sed etiam valli magis quam armorum ope defendi indignarentur. jamque tribunorum & centurionum plerique deferre ad Imperatorem querimonias militum suasque audebant. quos ille acriter objurgabat, *patriæ proditores* appellando, *qui quantum in ipsis esset, florentissimum populi Romani exercitum, tutelam Italiæ, spem Urbis unicam, præcipiti temeritate perditum irent*. hæc privatim, & contra singulos. at multitudinis impetum comi sermone leniebat: *non ignarum se quibus viris præesset, neque virtuti illorum aut robori diffisum rem trahere. monitum deorum esse, ut debitum victoriæ tempus opperiatur*.

Prava superstitio mire movet animos. Frontin. Strat. 1. 11. 12. Plutarch.

VII. Facilius pravæ religionis ludibrio, quam rectæ reverentia regi vulgares animæ patiuntur: neque ulla continendis tum militibus efficacior ratio fuit. Et Marius, sive ipse quoque credulus talibus, sive utilitatis hujus gratia, sagam ex Syria, Martham nomine, in castris, & futurorum præsciam & sacrorum magistram habebat. Hanc artis suæ specimen in Urbe edere satagentem, Senatus superstitionis externæ contemptor, patriæ tenax, quum repulisset: ad Marium uxor Julia miserat: admirata prædictionis eventum, quod gladiatorio certamine victor, quem Martha futurum indicaverat, exstitisset.

Marius sagam habet in castris. Virg. Æneid. 4. 139. Plutarch.

VIII. Ut ergo mulieri tanto plus auctoritatis in exercitu conciliaret: lecticæ impositam cum veneratione circumferebat: eadem, quoties ad sacra obeunda prodiret, in purpureo amiculo duplici, quod aurea fibula subnectebat, hastam tæniis & coronamentis redimitam manibus ferens, conspiciebatur. Præterea, quod Alexandri Myndii fide relatum est, duo vultures frequenter in exercitu Marii apparuerunt, ex æneis collaribus noti, quæ captis milites addiderant, nuncii, ut credebatur, victoriæ, eoque numquam sine maxima militum lætitia conspecti. quemadmodum paucis post annis, ut probabile est, vaframentum Imperatoris sui imitatus, cervam Q. Sertorius habuit.

Batabates Matris Magnæ sacerdos. Diod. lib. 36. Ecl. 11. Plutarch. Diodorus. Cic. pro Sext. cap. 26.

IX. Sed illis temporibus, præter insitam hominibus vecordiam, & in metu cuivis superstitioni facilem, ludibriis hoc genus terribilem speciem A. Pompeji Tribuni plebis mors acerba & inopinata circumdederat. Batabates quidam Matris Magnæ Pessinuntius Sacerdos Romam veniens, ex adyto numinis vocem missam Senatui exposuit: *pollutum deæ fanum esse, Romanæque Urbis nomine publice adhibenda piacula. Obtemperantibus felicia tempora, & ingentes bello victorias fore*.

X. Senatus, quod id sanctissimarum & antiquissimarum religionum fanum habebatur, homini tamquam deorum legato lautia & locum comiter decrevit, templumque voveri deæ jussit. Hæc annunciaturus populo Batabates quum Rostra conscendisset, ubi concio ei ab alio Tribuno data erat; A. Pompejus agyrtam appellando, verba facere, coronamque auream gestare vetuit. cum corona enim insitatæ magnitudinis, & veste picta aureisque filis intertexta processerat. Ab A. Pompejo contumeliose tractatur. Diodorus. Plutarch.

XI. Sed ille quidem *non suam magis, quam Magnæ Matris injuriam esse* increpans, publico abstinuit: Pompejum, ubi dimissa concione domum vix pervenerat, ardens febris tanta sævitiâ corripuit, ut amissa voce, intra triduum exspiraret. Iste casus horrorem in omnium animos sparsit: redditusque Batabati solitus ornatus; ipse, quum multis muneribus auctus proficisceretur, ingenti non virorum modo, sed etiam mulierum agmine deductus est. Pompejus statim correptus morbo exspirat. Orosius. 5.16. Front. Strat. 4.7.5.

XII. Cæterum Cimbri sociique castris Romanorum adequitantes, quo illos ad pugnam elicerent, neque factis ferocibus ullis, neque verbis abstinebant. Ipsum quoque Imperatorem quidam Teutonorum armis & corporis habitu conspicuus, singularem ad pugnam provocabat. Et respondit Marius, *siquidem finienda vitæ cupidus esset, uti se suspenderet*: deinde ostenso parvæ staturæ & exactæ propemodum ætatis gladiatore, hunc ei *se parem dare*, per ludibrium dixit; *illum si superasset, cum victore honestius dimicaturum*. Teutonus quidam Marium provocat.

XIII. Nondum ea insania ceperat animos, ut provocationem etiam commilitonis sprevisse probro; contra decus militiæ & utilitatem publicam gladiatorio more sanguinem vitamque profundere, magnum & virtute egregium haberetur. Hostes, ubi pugnæ copia non fiebat, impatientia moræ ad oppugnationem castrorum versi, continuo triduo ad vallum intulerunt signa. Sed nemine contra exeunte, quum missilibus inulti caderent, præter castra Marii ducunt, *Italiam petere* clamitantes; *si quid ad uxores Romani milites vellent, se mandata perlaturos*. Duellorum insania tum explosa. Liv. Epitom. Orosius. Plutarch. Florus. 3.3.6. Florus. Vellejus 2.12.

XIV. Sexto demum die postremum agmen castra præteriisse fertur, tantam fuisse armatorum multitudinem. Neque deinceps una, sed tripartito incesserunt. Teutoni, qua proximum ad Alpes iter erat: Cimbri circumitu petebant Athesin, Helvetiis ad Noricas Alpes pergentibus. Marius, simulatque prætervecta hostium agmina fuerant, Teutonos, unde proximus Italiæ metus, ita subsequi cœpit, ut quam proxime illos stativa semper poneret, sed locis idoneis, & diligenter munitis. Hostes tripartito agmine petunt Italiam.

XV. Sic ad Aquas Sextias processum. inde quum parum ad Alpes itineris restaret, eo maxime loco de summa rerum dimicare Marius statuit. Erat castris ita captus locus ut hostibus quidem superiora, eoque tutiora essent; cæterum vallem fluviumque hostes tenerent. Id quamvis dedita opera factum à Mario quidam prodiderunt; propius fidem est, profectum à metatorum imprudentia vitium, consilio ducis, in occasionem victoriæ versum esse. Nam ille sitim metuentibus, digitum protendens, *en*, inquit, *aquam sed sanguine venalem*. succlamantibus, *duceret ergo, priusquam æstu sanguis exaruisset, prius esse munienda castra* respondit. Marius pugnare statuit ad Aquas Sextias. Florus. Plutarch. Front. Strat. 2.7.12.

XVI. Hoc opus dum demisso vultu miles aggreditur; à calonibus ortum pugnæ initium est: qui aquatum cum armis, qualia cuique sors obtulerat, profecti, quum à paucis hostium turbarentur, sublato clamore manus conseruerunt: ægreque militem continebat Marius, de agasonibus & jumentis solicitum, donec A calonibus oritur initium pugnæ. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 29. &c.

Mario. cap. 28. Orosius. Plutarch. Mario. Festus. Veget. 3. 10. Plutarch.

Ambronibus in prœlium procedentibus, ipse quoque instruxit suos. Exercitus hostilis haud postrema pars Ambrones erant, ad triginta hominum millia, eorumque maxime opera victi Mallius Cæpioque dicebantur.

Ambrones ad pugnam procedunt. Scalig. in Euseb. num. 2060. Gulfr. Hist. Britan. 3. 6. 14. & 23. Plutarch.

XVII. Hi licet onusti cibo, meroque accensi erant, non tamen incomposito gradu, neque incondito ululatu; sed militariter incedebant: cum pulsu armorum & tripudiis nomen *Ambronum* increpantes, quod sibi cognomentum ex latrocinandi licentia sumpserant, nec enim gentis hoc vocabulum est: eoque Galfridi tempore Britannicus sermo nebulones significabat. At hanc antiquitus appellationem etiam Ligures habuerant. Ergo quum in prima acie collocati hunc clamorem audissent, *suum esse nomen* ingeminantes, haud minorem reddiderunt. Cæteris etiam utrimque copiis, ut suis adderent animum conclamantibus, ferociter concursum est.

Vincuntur à Liguribus & Romanis.

XVIII. Sed Ambrones in transcensu fluminis occupatos Ligures turbaverunt. mox Romanæ legiones, à locis superioribus magna vi incumbentes, retruserunt ad amnem: multisque inter consternationem mutuo impedientium trucidatis, ipsi quoque amne superato, reliquos convertere aciem non ausos, ad munimenta plaustrorum, quibus pro vallo utebantur, prosequuti sunt.

Mulierum audacia.

XIX. Ibi vero terribilis & fœda visu facies fuit. mulieres cum horrendo clamore & ululatu, gladiis ac bipennibus raptis, inter armatos Erinnyum specie discurrebant, non suos minus quam hostem impetendo. *proditores* enim appellabant, *qui toties partas splendide victorias infami fuga corrumperent.* neque ferrum aut vulnera pavebant, quin ubivis occursantes, scuta Romanorum & ipsos sæpe gladios nudis manibus comprehenderent. Hunc eo die exitum sorte magis, quam voluntate Consulis commissa pugna habuit.

Marius hostē insomnem tenet, suis quiescentibus.

XX. Nox neutris satis læta sequuta est: quum clade suorum Teutoni dolerent, Romanos castra nondum permunita, hostium dissoni strepitus, belluarumque quam hominum vocibus similior stridor solicitos haberent; ipso quoque Mario curarum non experte, memori tamen Imperatoriarum artium, quas vix alio tempore copiosius prudentiusque explicuit. Nam & majorem ex re male gesta trepidationem apud hostes haud immerito conjectans, quo incertos consilij, insomnesque teneret, tota nocte per paucos suorum clamore per intervalla brevia sublato, suspensos, & omnibus momentis impressionem exspectantes ita defatigavit, ut postridie vicibus prope defectis ad prœlium venientes, leviore negotio devicti esse credantur.

Insidias hostibus ponit. Front. Strat. 2. 9. 1. Plutarch. Frontin. 2. 4. 6. Polyæn. Strat. 8. Liv. 7. 14. 7. Orosius. 5. 6. Senec. de Ira. v. 4. Liv. Epitom. Eutropius. Florus. 3. 3. 10. Mercur. Gall. ad An. 1613.

XXI. Eadem nocte Claudium Marcellum cum tribus millibus misit ad insidenda juga, quæ sylvis opaca castris hostium a tergo imminebant; ut pugna cœpta in aversos cum tumultu decurreret. quoque plus inferret terroris, ad speciem multitudinis, agasones, lixasque armatos simul ire jubet, jumentorumque magnam partem, stratis detractis, binisque tantum centunculis relictis. Cæteras copias cibo ac quiete refectas, orta luce ante castra in aciem locat. quo & hunc laborem ad se per iniqua loca subeundi hostibus adderet. equitatum tamen in campum permittit.

Pugna Marii cum Teutonis.

XXII. Hostis ira magis quam consilio, quæ maxima aut sola res exitio gentibus istis fuit, correptis subito armis, nec exspectato donec ad se veniretur, in adversum collem ruunt. sed ex superiore loco vim facientibus Romanis, qui pilo

omisso gladiis ac umbonibus, ex præcepto simul exemploque Consulis rem gerebant, repressi, pedem in planiciem referunt. Ita quum usque ad meridiem neutro inclinante victoria pugnatum esset; æstu atque lassitudine fatiscere Teutonorum acies cœpit. Sic adfectis hostibus, ubi decurrente, ut jussum erat, Marcello terror inopinatus à tergo ingruit; ancipiti metu distracti sunt ordines: neque prœlium deinde, sed cædes ad multam noctem fuit, quum nec ad pugnandum ultra, nec ad fugiendum, aut vires lassitudo, aut animos reliquisset.

XXIII. Armatorum millia centum his duobus prœliis oppetiisse mortem, aut capta esse, relatum apud auctores, qui modestissimi in æstimanda clade fuerunt: ab aliis cæsa traduntur ducenta millia, capta nonaginta, inter quos & Rex Teutobodus vir proceritatis eximiæ, proximo in saltu comprehensus est: alii quoque Reguli per Alpestria fugientes, à Sequanis excepti retractique. Neque desunt qui occisum ibi Teutobodum scripserunt. unde tot postea sæculis argumentum fabulæ fuit, qua ossa quædam portentosæ magnitudinis, pro Teutobodi reliquiis, quadragesimo ante anno quam hæc scriberem, admirata Gallia est; donec doctorum hominum scriptis pene puerilis error detegeretur. Occisorum numerus.

XXIV. Porro de mulieribus Teutonorum eadem, quæ de Cimbricis postea, referuntur. Romani quum uxores etiam liberique hostium interiissent, neque plus tribus millibus capitum fugisse crederetur, universam à se Teutonorum gentem esse deletam gloriati sunt. Hoc modo pugnatum ad Aquas Sextias cum Teutonis esse, non modo plures & nobiliores auctores sequenti probabilius visum; quibusdam Cimbros ponentibus, Teutonorumque in quintum Marii Consulatum transferentibus cladem: sed nomen ipsum Teutobodi, ab iis quoque, qui in cæteris discrepant commemoratum, quod muneris potius, quam hominis fuisse crediderim, ut prioribus credam efficit: nec enim aliud, quam Teutonorum Imperatorem significat: ut honoris magis quam hominis vocabulum fuisse videatur. Teutobodus nomen honoris non hominis. Gassendus in vita Peiresch. pag 45. & 250. Orosius. Diodor. apud Vales. Velleius. 2.12 4. Auct. de Vir. Illust. cap. 67. Sidon. car. 23. 13.

XXV. Ceterum quidquid ex tot provinciarum spoliis multorum annorum felici latrocinio congestum ab hostibus fuerat, quum in manus Romanorum incidisset, omnium consensu Imperatori (universi enim exercitus conclamatione appellatus Imperator fuerat) donatum est: nemine non confitente, *nullam ei satis dignam ex victoriæ fructu referri gratiam posse, qui rerum adeo lætarum auctor unus extitisset*. Magnificentissime his opibus usum fuisse Consulem, neque arcam potius pecunia, quam domum gloria locupletasse reperio: Prædam Imperatori donat exercitus Plutarch. Diodorus. lib. 36 Ecl. 3.

XXVI. Quippe convocata concione; *Vos quidem*, inquit, *milites, neque meam de vobis, neque patriæ spem fefellistis. Senatus triennio ante vos comparavit cum exercitu, quo Numidiam pacavimus! ego vos prætuli, & quum mihi data esset optio; has legiones aliasque delegi. Nec profecto aut vos Imperatoris, aut me militum pænitere debet. Meis auspiciis, consiliis, ductu, vestra virtute, truculentissimi Teutonorum domiti animi; immania corpora, quorum impetum non Romana, non barbara ulla sustinere acies potuit, vestris manibus prostrata sunt.* Marii Oratio ad milites.

XXVII. *Hi barbarorum omnium pugnacissimi fuerunt; quorum clade, credite mihi milites, Cimbros etiam & Helvetios vicimus. Cujus victoriæ magnitudinem neque nos, ad edenda quam prædicanda clara facinora aptiores, pro meritis exponere possumus: & hoc melius tantis exempta periculis patria, florentesque* Victoriam extollit.

facundia viri facient. Ego interim pro concione militaribus donis præstantem quorumdam virtutem ita honorabo, ut se conditum & benignum recte factorum æstimatorem nactos esse intelligant.

Exercitum laudat.

XXVIII. *Sed quoniam universus exercitus ita se gessisse videtur, ut nemo vel laudis vel præmii exsors esse debeat: plura quidem & ampliora Senatui patri æque reservo, ne illorum in vos benignitatem præripere videar: cæterum in præsentia meam quoque munificentiam æquum est vos experiri: ut & aliquod pro exhaustis laboribus susceptisque periculis habeatis operæ pretium; & ad reliqua belli eumdem animum, eamdemque patientiam & virtutem, & quo maxime superiores fuimus, amorem disciplinæ, eò lubentius retineatis.*

Vilissimo pretio prædam vendit militibus.

XXIX. *Sed unde mihi liberalitatis materia, quum prædam, ex qua donari milites ab Imperatoribus solent, mihi omnem concesseritis? neque redonare vobis eam audeo, ne vile mihi vestrum munus, vestrorumque animorum illustre testimonium esse putetis. Igitur quod unum relinquitur, non intercedetis, quo minus quod meum esse voluistis, eo, tamquam re mea, quemadmodum libuerit utar. Vendi jubebo, sed non nisi vobis, atque ita, ut ne quem vestrum pœniteat emisse.* Vilissimo deinde pretio curavit addicendum, eoque facto non tantum militibus ad omnia deinde promptissimis usus est; sed etiam principibus civitatis, quibus contemptui odioque fuerat, confessionem extorsit, pluris esse quæ sibi quisque dederit, quam quæ transmissa à parentibus habeat: & natales quamlibet sordidos, facile tantis virtutum radiis, ad æmulum clarissimis domibus splendorem illuminari.

Fiod ap. Val. Diodorus.

Marius quintum Consul creatur. Liv. Epitom. Eutropius. Strab. lib. 4. Olivas, in Mela. 2. 5. Plutarch. Mario. cap. 34.

XXX. Neque diu dubitatum fuit, quum designandi novi Consules essent, quin tam & fortis bellator, & magnificus victor, absens quintum crearetur: quod id etiam quod adversus cæteros barbarorum exercitus restabat operis, illius potissimum auspiciis ac ductu gereretur. Massiliensibus deinde, quorum fortis fidelisque opera, eo & superioribus pluribus bellis fuerat, quum alia quædam de manubiis, tum fossas quas ad Rhodanum duxerat, dono dedit. unde vectigal civitati, uberesque proventus fuere, donec id opus oblitum cœno, & impellentibus undis arena repletum, aquarum mortuarum faciem nomenque nostrum ad ævum pertulit.

Massiliensium commoda ex morte hostium.

XXXI. Sed & hostes terram Massiliensium, quam vivi vastaverant, mortui magno adfecerunt commodo: nam ossa in sepes vinearum versa; tabo carnium ita pinguefacta arva sunt; ut numquam largiori segete luxuriaverint. Tantarum rerum lætitiam, velut de industria prosperas res accumulante fortuna, novæ caussæ duplicarunt. Armorum hostilium splendidissimis triumphalem ad pompam reservatis, cætera cremare diis victor constituerat.

Marius arma hostilia solemniter cremat. Liv. 10. 7, 10. 23. 17. Liv. Epitom.

XXXII. Magno sacrificio instructo, laureatus circum exercitus stabat: ipse de more sumpta prætexta, incinctus cinctu Gabino, facem accensam corripuerat, jamque ambabus manibus elatam in cœlum rogo parabat subdere; quum accurrentes citatis equis amici moram exspectationemque & ipsi & cæteris injecerunt. Sed quum ad Imperatorem venissent, desilientes equis decreta Senatus nunciant, literasque porrigunt quibus ea perscribebantur.

Marius triumphum decretum differt.

XXXIII. Quibus lectis Marius, *quando ita Senatui Populoque Romano visum esset, quod felix faustumque dii faverent, Consulatum se accipere* ait, *triumphum* (is quo-

(is quoque decretus fuerat) *celebraturum, ubi reliquis barbarorum deletis copiis victoriam consummasset*. Magna omnium admiratione excepta vox est, quæ prima inter homines haberentur, propemodum contemptim differentis: major deinde fiducia cepit animos, minime quidem facturum fuisse arbitrantium, nisi aut virtute, aut deorum monitu fretus certam sibi de Cimbris quoque victoriam promitteret.

XXXIV. Posthæc inter plausum exercitus, strepitumque armorum, Consul altera quoque laurea, legatis Senatus imponentibus decorus, facem subdidit victis armis, sacrificiumque peregit. Circum hæc tempora lustrum quartum atque sexagesimum duo Metelli fratres patrueles fecerunt, Q. Numidicus L. F. & C. Caprarius Q. F. Censores. Inquieta hæc & severitatis atque vitiorum conflictu difficilis Censura fuit.

Duorum Metellorum Censura. Velleius 2. 8. 2. Cicer. pro Sex. cap. 47.

XXXV. L. Apuleius, cujus maxime opera C. Marium quartum Consulem factum diximus, ab eadem amicitia, Q. Metelli acerrimus osor, Censorem creatum domo per vim extraxerat, & in Capitolium confugientem armata manu obsederat: donec equitum Romanorum indignatione, non sine multa cæde rejectus est. eum ergo Apulejum, quum Tribunatu abisset, itemque opprobrium Curiæ C. Glauciam Q. Metellus Censor notabat: idem insititium C. Gracchum censu prohibebat. quod utrumque multitudini adversum, maximas in civitate contentiones excitavit.

L. Apuleii cum Q. Numidico inimicitiæ. Orosius 5. 17.

XXXVI. L. quidam Equitius C. Tiberii Gracchi filium esse simulabat, favente plebe & ad ea quæ volebat credenda facili. sed Censor *tres omnino filios fuisse Tiberio* dictitans, *quorum unus in Sardinia miles, alter Præneste infans, tertius posthumus Romæ decessisset; neque clarissimæ familiæ fulgorem obscuri homuncionis sordibus inquinari oportere*, in sententia persistebat. adeo incalescente rixa, ut ad extremum lapidibus à furente vulgo impeteretur.

Itemq; Gracchi insititii cum eodem Censore. Cic. pro Sext. cap. 47. Cic. de Orat. 3. 41. Apppian. 5. Cluver.

XXXVII. Sed & postea vir illorum temporum sanctissimus seditionibus vulgi vexatus, & ad summam civitate pulsus est; L. Apuleji primum Tribunatu, deinde P. Furii, cui equum publicum Censor ademerat. sed tum à collega Numidici Metello, Glaucia & Apulejus exempti notæ; & in Senatu retenti sunt. Neque dubium est, quin idem popularium studiorum tam metuens, etiam à C. Graccho censum acceperit: pro cujus asserendo statu violentissime concitata multitudo, supra consuetam pervicaciam insaniebat.

Auct. de Vir Illustr. cap. 73 62. Florus 3. 16. 1. Val. Max. 9. 7. 1. 3. 8. 6. Diod. ap. Vals Notatos à Numidico Censor alter eximit notæ: Val. Maxim. 3. 8. 6.

XXXVIII. Igitur & Gracchorum sororem Semproniam, Scipionis Æmiliani viduam, tribunitio jussu in populi concionem adductam legimus: sed eamdem, licet ipsa fori facies, vix primoribus viris, sine horrore ferenda, minæque amplissimæ potestatis, & innumerabilis populi fremitus, objecta mulieri omnium earum rerum insuetæ essent; tamen adigi nequivisse, ut Equitium pro filio fratris, osculo ferendo agnosceret. In eadem Censura Q. Metellus, quod ob Cimbricas maxime clades multo pauciores, quam superioribus Lustris censi cives Romani fuerunt; orationem ad populum de maritandis ordinibus & augenda prole habuit: multis dehinc ætatibus celebrem.

Sempronia Gracchum insititium agnoscere non vult. Agel. 1. 5.

XXXIX. Nam & Augustus Cæsar tanti eam fecit, ut Senatui totam legeret, populoque per edictum commendaret: & Adriani adhuc successorumque temporibus gravitate dictionis, & sententiarum salubritate se commendavit. neque

Oratio Q. Metelli de maritandis ordinibus.

Sueton. Aug. cap. 89. Agel.

referre piget inter alias eminentem: quo magis pudefiant nostra ætate, quos divinorum ex certissima disciplina peritos, pietate tamen ii vincunt, qui rationem unam docem, inter multas superstitionum ineptias, errorumque inexplicabiles humanâ industriâ labyrinthos habuerunt.

Ex ea Oratione pulchra sententia. Val. Maxim. l. 3. 8.

XL. Igitur *deos quidem immortales posse omnia* in ea oratione Metellus dixit; *sed hominibus nullam esse caussam opinandi, indulgentiores sibi fore, quam sint in liberos boni sapientesque patres*. Cæterum amor cœlibatus, aliis aliisque caussis ad finem Urbis duraturus, jam tum inoleverat: dum puellis aut etiam maribus illudendo, corrupta juventus, vitato matrimonii onere, libidinem solutius exercet. Cui tamen flagitio sub ea tempora haud raro obviam itum: judicio quoque memorabili, quod C. Cosconium Servilia lege reum; multisque & certis criminibus nocentem, in odium accusatoris Valerii Valentini judices absolverunt; ob recitatum Valerii carmen, quo *puerum prætextatum, & ingenuam virginem à se corruptam* poëtico joco significaverat.

Fugitivi C. Servilium Prætorem vincunt. Diod. lib 36. Ecl. 1.

XLI. Hoc etiam anno male contra fugitivos in Sicilia res à C. Servilio Prætore gestæ. capta quoque castra ejus auctores habeo. Sed in his quidem rebus sequi Diodorum tutius esset, genitum in Sicilia temporibusque quibus ista gerebantur, supparem: modo transmissus ad nos integer ille scriptor foret. In iis quas habemus reliquiis magis desidia quam clades Servilii, & is, quod nihil in eo imperio memoria dignum fecisset, accusatus postea Romæ solum vertisse traditur.

Athenio Rex fugitivorum. Florus. Diodorus. Diod. apud Vales.

XLII. Nam Athenioni proclivia omnia Prætoris ignavia fuisse creditum est: ad quem extincto forte Tryphone summa servilis imperii pervenerat. Quamquam, ut verum fatear, non video quid obstet, cur non & victum ab Athenione Servilium, & ex eo casu deinde timidiorem factum, occasiones pugnandi vitavisse credamus. Is certe sumpta veste purpurea, argenteoque baculo, & diademate, quum vicos, castella, oppida impune diripuisset, ad magnarum urbium obsidionem animum adjicere cœpit.

Messanam capere conatur.

XLIII. Messanam quidem parum abfuit quin improviso impetu caperet. Huc omnia quæ alicujus pretii essent, ut ad tutam custodiam, comportata ex agro Mamertino fuerant. Eo magis cupiditate amplissimæ prædę illectus, insidias solemne sacrum in suburbio celebrantibus struxit. Cæterum id ut impetu formidabile, ita vanum exitu consilium fuit. Athenio Macellam, Punicis quoque bellis haud ignobilem locum, communivit. inde emissis prædonum catervis omnia circum longe lateque populatus, eam de se famam excivit; ut non nisi Consulari imperio opprimendus crederetur.

Urb. cond. an 652. Prodigia. Diodor. Jul. Obseq. Liv. Epitom.

XLIV. Eam provinciam M. Aquilius inito magistratu Consul accepit; quia bellũ Cimbricum decretum C. Mario, Q. Catulo prorogatum in sua provincia exercituque imperium fuerat. Nova prodigia, novasque expiandorum cærimonias annus iste habuit. In Aventino lacte pluit: ancilia cum strepitu mota sunt: minori hæc terrore civitatis, ut in re sæpius audita, plus inusitatæ obscœnitatis exemplo movit animos, quod servus Q. Servilii Cæpionis Matri Ideæ se præciderat, tales jam fructus incipiente edere Pessinuntii sacerdotis in Urbem adventu.

Et eorum expiationes novæ.

XLV. Servus ex responso haruspicum trans mare exportatus est, ne um-

quam Romam reverteretur. Urbs lustrata. capra cornibus ardentibus per Urbem ducta, porta Nævia emissa, relictaque. Inter hæc Cimbris noto itinere per Noricas Alpes in Italiam irrumpere conantibus, Q. Catulus, ne custodia locorum plurium divideret copias, deductis undique præsidiis juga montium deseruit: ut in Carnos regressus, Atesis fluminis objectu hostem moraretur, castris in citeriore ripa positis.

Liv. Epitom. Flor. 3. 3. 12. Plutarch. Mario c. 36. Notæ ad Florum.

XLVI. Pro Athesi fluvio Plutarchus Atisonem ponit: idque hodie viris eruditis placere video. Sed neque Atisonem recte pro Natisone nominari reor: & quidquid sit de nomine, potius ad Atesin hæsisse Cimbrorum impetum, quam longius remotum flumen crediderim, quia Tridentinis jugis degressos, & Venetiæ deliciis effœminatos invenio: quod situi circa fluvium Atesim examussim congruit. sed ad historiam redeo. Cimbri discessu Proconsulis vacuum ad Alpes aditum nacti, quamquam hiems erat, nivibusque montium creverant vertices, nullam itineri moram fecerunt; quin per glaciem & altas nives, nudatis etiam nulla necessitate, sed ad ostentationem patientiæ corporibus, ad summum enitebantur.

Cimbri ad Atesin, an Atisonem venerint. Florus. L. Ampel. Plutarch. Florus. Orosius c. 16. Senec. de Ira. 3. 3. Front. Stratag. 4. 1. 13.

XLVII. Dehinc latioribus scutis insidentes non descenderunt, sed per lubrica gelu præcipitia, & confragosas rupes in modum ruinæ provoluti sunt. Q. Catulus in Tridentino saltu ita se muniverat, ut junctum ponte flumen utrimque operibus amplecteretur: majora castra in citeriore ripa, minora versus hostem essent. Cimbri, quum perventum ad amnem esset, manus & clypeos objecisse ruentibus aquis dicuntur, quasi fluvium retenturi; quod non tam ab ipsis stolide factum, quam à scriptoribus pueriliter creditum autumem: quorum nonnulli de iisdem Cimbris Celtisque gentibus aliis retulerunt, *eas contra exundationem aquarum gladios stringere, & velut in hostem, atque sensurum, vulnera moliri.* quæ merito severiores etiam Græci, cæteroquin læta fabulis natio, pro ridiculis & anilibus commentis explosere.

Cimbri per lubrica gelu præcipitia ruina devolvuntur. Ephor. apud Strab. in lib. 7. Ælian. hist. var. 12. 23. Possidon. apud Strab. & ipse Strab.

XLVIII. Certe flumina sic transiri cum exercitu posse, si quod firmissimum robore est, ad frangendum aquæ impetum supra, cæteri inferiore vado permeent, multis exemplis magnorum Imperatorum constat. Nam & postea Pompejus ita Cyrum in Albanos tendens transmisit; & Rubiconem Cæsar, & alios alii. Tale potius aliquid eo tempore tentatum à Cimbris fuisse ratio dictitat; quam ut amnium fluenta teneri manibus posse crediderint: nisi forte priusquam ad Atesin penetrarunt, fluvios nullos domi, nullos in tot aliis provinciis, quas pervagati populando fuerant, viderunt.

Fluminum transeundorum ratio.

XLIX. At Cimbri, postquam ista transeundi fluminis vana ratio apparuit, magnos injecerant in profluentem arborum truncos; ut pontem Romanorum convellerent: totas etiam cum radicibus arbores, & fragmenta rupium giganteo nisu ingesserunt, quo in adversam ripam, velut aggere jacto, transcenderent. His rebus tantus Romanis injectus terror, ut ex majoribus castris palam fuga inciperet fieri. quam ubi nullis precibus hortamentisque Proconsul impedire potest, præclaro consilio, ut signa potius & ducem sequuti, quam timore ablati viderentur; convelli aquilam jubet, & in primum agmen cursu perlatus, servatis ordinibus proficisci coegit.

Alia, qua tum usi Cimbri. Plutarch. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 30 et Mario cap 17. L. Ampel. Frontin. Auct. de Vir. Illustr. cap. 72. Plin. 22. 6. 2.

L. Equitum tamen partem abripuerat sparseratque consternatio: inter quos

M. Scauri severitas in filium qui fugerat.

& M. Scauri filius, severitatis paternæ, pudorisque ingenui miserabile futurus exemplum, quum Romam venisset, denunciante patre ne in conspectum suum accederet, animam quam hostilibus armis reddere timuerat, suo gladio, propriisque manibus expulit. Minora castra quum fortissime defenderentur, Cimbri virtutem militum honorantes, illæsis abire permiserunt. æneum taurum jurati, quem deinde inter manubias Q. Catulus domi suæ habuit.

Cn. Petrei factum celebre.

LI. Cn. Perreio Atinati, facti ejus gloriam adscribi video: qui centurio primipili tribunum, quod per castra hostium erumpere dubitaret, interfecit, legionemque in locum tutiorem deduxit: obsidionali corona mox à militibus donatus. Etiam L. Opimii clarum tum nomen fuit, qui provocatorem Cimbrum interfecerat. Per hæc tempora Urbem amentia potius hostium, quam viribus suis consiliisve servatam invenio. quam si statim infestis signis petivissent, non in minore consternatione offensuri fuerant, atque olim eamdem ab Alliensi pugna Galli repererunt. nunc consilii cum sociis capti memores, ut qui primi venissent in Italiam, cæteros opperirentur; agrum circa Atesin fuga Romanorum apertum late populati, mora belli in otii & luxus occasionem versa, indomitam prius vim mollitia cœli, solique Italici, & cultu ac cura corporum delicatiore fregerunt.

Florus. Plutarch. Diod. apud Valesium.

Cimbrorum vigor deliciis Italiæ resolvitur.

LII. Olim enim agere sub dio, lavari frigida, vesci cruda soliti, jam æstiva sub tectis agitabant, aquis calidis, carne cocta, scitamentis etiam & condituris, quales Italiæ fere mollissimus tractus Venetiæ promit, utebantur: pro labore, vigiliis, æstus frigorisque patientia, animis corporibusque mollitiem inducebant. Cæterum excitus à trepido Senatu C. Marius in Urbem venerat, dilatoque priore de caussa triumpho, & quia optime meritus exercitus aberat; quum de rebus omnibus colloquutus, adversus imminentes metus populum Romanum confirmasset, in castra Catuli profectus, suas etiam copias evocat è Narbonensi Gallia, ubi post Teutonicam pugnam eas reliquerat.

Catuli Strategema.

LIII. Quippe Catulus, quantum in re obscura colligi conjecturis potest; non prius consistere cum pavente exercitu, quam ad Padi ripam potuerat. Eo dum contendit, Cimbrorum pars ad amnem, qua transeundum Catulo erat, se objecit. Ille spem unam salutis habens, si flumen liberasset; in proximum collem avertit iter, tamquam ibi castra locaturus: paucisque in conspectu hostium positis tabernaculis, excitari ignes, strui vallum, lignatum etiam exire quosdam jubet. interea solvi sarcinas, deponi onera, deseri ordines ac signa vetat.

Frontin. Stratag. 1.5.3.

Cimbri decipiuntur.

LIV. Ita decepti Cimbri, dum stativa illic habiturum Romanum putant, ipsi quoque castris capere locum, & necessaria ex regione circumjecta eo convectare instituerunt. Quodubi factum Proconsul animadvertit, majoremque Cimbrorum partem per agros sparsam, subito eductis copiis & amnem transcendere, & castra hostium turbare potuit. Quum deinde Marianus exercitus venisset, trans flumen iterum castra mota: ut Italia Cispadana ab hostium incursionibus tuta esset.

L. Sullæ in eo bello strenua opera: Plutarch.

LV. Ibi L. Cornelii Sullæ præclara opera exstitit, qui infensus invisusque Mario ad Q. Catulum se contulerat, & maximis quibusque rebus ab eo præfectus, adversus Inalpinas gentes multa prospera prœlia fecerat. Is tum arcto ubique commeatu, quum ex agro vastationibus exhausto, tanti alendi

exercitus essent; tali industria egit, ut & Catuli copiis annonam uberem præstaret, & ab his etiam Marianorum sublevari egestas posset: hinc quoque auctis inter Consulem & Sullam odiis.

LVI. Cimbri conjunctos adversum se Romanorum exercitus venire conspicati, legatos ad Consulem miserunt, *agros urbesque suis & fratrum sedibus suffecturas* postulantes. Teutonos enim adhuc exspectabant, de clade illorum nihil dum credentes, cujus etiam nuncios excruciaverant. Marius quæsito, *quos illi fratres dicerent?* quum *Teutoni* nominarentur, ridentibus qui aderant; *omittite*, inquit, *fratres. tenent hi acceptam à nobis terram, & æternum tenebunt*. Tum legati se ludibrio haberi sentientes, *pœnas Mario* minati sunt, *quos Cimbris daturus esset statim; Teutonis, simul atque adfuissent*.

Cimbri legatos ad Marium mittunt

LVII. *Atqui adsunt*, inquit Marius, *neque sane civile foret, vos fratribus vestris insalutatis discedere*. ad quod verbum, quum introducti Teutonorum Reguli vincti essent, omnis de fortuna eorum exempta dubitatio est; Cimbrique his rebus auditis, continuo moverunt castra, & cum paucis suorum ad vallum Romanum adequitans Bojorix, Marium ad pugnam provocavit. Ille, *quamquam non esset moris apud Romanos, ex voluntate hostium pugnandi locum tempusque legere, tamen illi daturum* respondit, *ut tertio deinde die ad prælium se pararet.* locum etiam indicavit, apud Vercellas campum (*Raudium* an *Caudium* vocari oporteat, ambigitur) qui Romano equitatui explicando satis patens, hostili multitudini confusionem præbiturus videbatur.

Marius legatis Teutonos captos ostendit. Florus. Plutarch. Florus. Augustr. de Vir. illustr. cap 65. Vellejus 2. 12. 5.

LVIII. Ad hoc prœlium excogitatum à Mario ferunt, ut de fibulis ferreis duabus, quibus præfigi pilorum hastilia consueverant, una exempta, ligneus paxillus fragilis adhiberetur: quo excepta scutis hostilibus pila, neque remissuris habilia essent, & fracto ligneo clavo, gemino hostis incommodo ferrum se inflecteret. sic enim neque evelli poterat, & majori ad circumferendum scutum impedimento erat, quam si rectum in eo stetisset. Postquam tempus pugnandi adfuit, A. D. III. Kal. Sextil. in aciem exercitus educuntur.

Marii inventum ne pi a ren itti a b io stibus posse nt. Porphyr. in Horat. serm. 2. 1. 14. Cæsar. de Bel. Gal. 25.

LIX. Catuli copiæ viginti circiter hominum millia erant. Marius duo & triginta numerabat. Cæterum Romanis omnia ad pugnandum meliora sive consilio Marii, sive forte fuerunt. Translatitium enim est, ut felices duces, sapientes; quibus adversa fortuna fuit, etiam parum providisse credantur. Ergo & Marii artibus adscribi video, quod nebulosum diem nactus erat: quasi dies prœlii non fuisset prius constituta, quam qualis futura esset, sciri posset. cætera jam talia, ut ab ipso prospici potuerint: ita ordinata acie, ut adverso sole & vento pulvis in oculos & ora hostium ferretur; & ex splendore galearum, sicut ex captivis mox cognitum est, quasi cœlum ardere videretur.

Numerus Romanorum militum. Florus. Front. Strat. 2. 2. 8. Plutarch. Florus. Polyænus. Strat ag. 8.

LX. Cæterum ita struxerat aciem C. Marius, ut in medium acceptis Catuli legionibus, suos milites dextra sinistraque adjungeret, cornibus productis, & longe ante mediam aciem prominentibus. Id utrumne eo fecerit, quia suis & numero, & tanta modo victoria ab hoc genere hostium relata potioribus plus confidebat: an vero, ut ipse solus cum exercitu suo vicisse videretur, priusquam ad prœlium Catulus accessisset, in medio relinquam: illud enim experientiæ viri, hoc moribus congruit; & ambitioni quidem illius, sed ab inimicis adscriptum est.

Acies C. Marii.

LXI. L. enim Cornelius Sulla, qui prœlio interfuit, auctor est: sed & ipse Ca-

Cimbrorum acies.

Cic. Bruto cap. 35. Plutarch.

tulus in libro, quem de Consulatu rebusque gestis suis ad A. Furium misit, inter argumenta, quibus Marium morose maligneque secum egisse queritur, hoc recensuit. Cimbrici peditatus acies quadrata fuit: unoquoque latere passuum tria millia, prætereaque septingentos quinquaginta patente. Dextri adsultabant equites numero & ornatu conspicui. quindecim millia erant: arma singulis, lorica ferrea, scutum album, eminus missili telo, ubi ad manum ventum esset, magna gravique machæra rem gerebant.

Armatura Cimbrorum. Tacit. Ger. 38. 4. Plutarch.

LXII. Galeæ formis inusitatis, & rictu belluarum horrentes, alatis cristis in altitudinem crescebant, ad majorem quam essent corporum speciem hostium oculis objiciendam. Quum in propinqua exspectatione prœlium esset, Marius facto sacrificio, extisque porrectis, *suam esse victoriam* proclamavit: lotas deinde manus ad cœlum tendens, *centum boves immolaturum* vovit: vovit & Catulus eodem gestu *Fortunæ hujus diei templum*.

Impetum militum sequi coactus imperator.

LXIII. Sed equitatus Cimbricus, qui ab recto in Romanos itinere ad dextram deflectebat, duces quidem non fefellit, dolum hostium esse sentientes ad circumveniendam suorum paucitatem: cæterum milites, quum temere à manipulari quodam exclamatum esset, *fugere Cimbros*, tamquam ad persequendos concitato gradu contenderunt. Ea res omnia alia fecit, quam Marius animo præceperat. Siquidem impetum suorum sequi coactus, dum inter densissimi pulveris à tot millibus excitatam caliginem incerto itinere fertur, ab hostibus aberravit: eosdem hostes in Q. Catulum improvisus itidem occursus impegit. quod ipsis timori, ut in re subita, Romano in bonum cessit, qui multitudine hostium non animadversa, integros animos, neque ulla terribili specie præoccupatos in prœlium adferebat.

Florus. Orosius 5. 16.

Cimbrorum strages. Plutarch.

LXIV. Ita factum, ut incredibili strage, minimoque Romani exercitus damno, vis illa Cimbrorum, tot per annos omnibus late imperiis gentibusque formidolosa prosterneretur. Equites in quos primus pugnæ impetus inciderat, multis acceptis vulneribus, in suorum peditum agmen aversi, tantum consternationis intulerunt, ut ea una res universam aciem conturbaret. Ubi vero simul hostis adfuit, & velut ex composito discussa quæ diu tenuerat nebula, Sol cum vehementi vento ortus, pulvere ac splendore abstulit conspectum, & emollita insolitis deliciis corpora sudore dissolvit: non majori labore trucidata sunt agmina, quam necessum fuit in hominibus, quos post longa & atrocia latrocinia, tamquam manibus vinctis ad supplicium ultio divina tradiderat.

Romanorum in ferendo æstu mira patientia.

LXV. Nam etiam quo minus effugerent, ante signani longis catenis per baltheos transmissis ordines junxerant. Sed æstum Cimbris intolerabilem Romanus adeo facile ferebat, ut *neminem ex tot millibus sudantem anhelantemve fuisse conspectum*, ipse Q. Catulus prodiderit. In hunc maxime modum fusa Cimbrorum acie, reliquiæ ad castra refugerunt, vestigiis insistente Romano. Tum nova pugnæ species orta. mulieres plaustris carrisque suis, irrumpentem militem lanceis arcebant: ne suis quidem parcentes, quorum multos acerbe exprobrata fuga confoderunt. donec novo cædis genere territæ, quia crines cum ipsa cute capitis Romanus abscindebat, legationem ad Marium cum his mandatis miserunt.

Orosius. Florus. Plutarch.

Cimbrorum uxores legationem ad Marium mittunt.

LXVI. *Maritorum nostrorum interitu, nec te, nec deos incusamus, Imperator: tu hostes tuos superasti; diis etiam habenda gratia est, quod fortissimos viros, quum immortales esse nequirent, non a vili aliqua natione aut duce, sed à te vinci volue-*

runt, quem populus Romanus antiquissima belli gloria præfulgens, non refecisset toties Consulem, si alium virtute potiorem habuisset. Caterum ut vicisse viros, viro gloriosum: ita quo quisque est bellicosior, majori turpitudine cum fœminis pugnat.

LXVII. *Neque vero æquum est, innocentes aliena perire culpa: quod si passi injuriam a viris nostris estis, habetis vindictam, qua crudeliorem optare inhumanum esset, tot concisis Cimbrorum millibus, tot in captivitatem redactis. nos quid commeruimus, quod ex lege quam sexui nostro natura dictavit, viros sequutæ has in terras accessimus? nec si jura gentium, quidquid victi fuisset fieri victoris voluerunt, eidem intercedunt, quo minus jure suo, ut magnorum animorum insita misericordia dignum est, utatur.* Se innocentes esse testantur.

LXVIII. *Quare magna nobis spes est, te post excisum tot gentium terrorem ad summum gloriæ culmen elatum, virtutis parto egregie decori, adjuncturum esse illustrem clementiæ famam. Hæc adeo te consequetur, si à nostris corporibus vim atque injuriam abstinueris. Quod si libertatem integram abnuis, at Vestæ nos sacerdotibus dona, quo saltem Virginibus & sacris, pari castitatis servandæ lege serviamus.* Hortantur ut virtuti addat clementiæ famam. Orosius. Val. Maxim. 6. 1. 3. Ext.

LXIX. *Sic enim sunt mores nostri: libertatem ante vitam; pudicitiam ante utrasque ponimus. Audimus profecto numinis loco apud Romanos pudicitiam coli: huic aras esse, huic sacra constituta. Vestalium autem sacerdotio nullum in urbe vestra censeri sanctius, diisque gratius. Igitur non à nobis tantummodo, sed & ab hisce proficisci preces istas puta: sic tibi pudicitiam dicere; quæ castissime à tua Julia colitur, mihi cense tributum, Imperator, quod mea causa benigne in has consulueris: sic Virgines, pro ancillis nostris, ejusque honore castitatis & abstinentiæ, quam communiter culturæ sumus, deprecamur.* Liv. 10. 27. 1. Pudicitiam præferunt vitæ.

LXX. *Iidem dii, qui pro populi Romani tuaque victoria vota nostra audierunt, hanc à te velut manubiarum partem petunt: Largius quæ postulaveris daturi, quum per te plures, à quibus pure colantur, adepti famulas fuerint. Neque multum est, si verum licet fateri, quod à te petimus. Ita sunt propemodum in potestate tua nostra corpora, ut tamen in sua animi maneant. non potes his invitis auferre quidquam. si nihil concesseris, nihil retinebis.* Negant se multum ab eo petere.

LXXI. *Quæ sint Germanicarum mulierum ingenia, Teutonarum te docere potuit exitus, non sumus cognatis nostris aut cura castitatis, aut contemptu mortis inferiores.* Hæc ubi irrita rediit legatio, Romanique *fas esse* negarunt *concedi quod postulabatur*; proxima nocte totis castris Cimbricis mulieres suffocatis elisisque passim infantibus, aliæ ferro inter se concurrerunt, partim suspendio finierunt vitam. memorant *conspectã, quæ pedibus suis duos filios, seipsã è subrecto temone suspẽderit.* Necem sibi consciscunt. Jo. Satisberiens. Polit. 7. 25. Val. Maxim. Florus. Orosius. Plutarch.

LXXII. Viros etiam qui vel effugerant cladem, vel relicti præsidio aut ob caussam in castris fuerant, inopia arborum, funes jugales obductos ad cornua aut crura boum alligasse; deinde stimulis concitasse armenta ad cursum, quo strangulati obtritive interirent: Reguli interea duo mutuis vulneribus conciderunt. Sic quoque superfuisse feruntur ad hominum millia sexaginta, quos in captivitatem victor abstraxit. Cæsorum à nonullis centum viginti millia referuntur, quidam alia viginti millia adjiciunt huic numero. quum Romani de utroque exercitu trecentis minus desiderati essent. Mario c. 14. Liv. Epitom. Eutropius. Fœdum genus mortis.

LXXIII. Reguli Cimbrorum Bojorix non inultus, aliusque nomine Lugius in acie ceciderunt: Claudicus & Cesorix capti sunt. Signa militaria Marianus exer- Catuli majos quam Marii opera in Cimbrico prælio.

Eutropius. Plutarch.

citus duo tantum cepit: qui sub Catulo militabat, unum & triginta. Hoc argumento quum minime ambiguum esset, penes utras illo die Romanas copias victoriæ pars major fuisset; tamen ad se trahentibus prædam Marianis, aliud adjectum est evidentius: Parmensibusque legatis, qui tum forte aderant, velut arbitris delectis, ostensum à militibus Catuli est, pila quibus hostes transfixi jacebant, suis emissa manibus esse. id enim cognoscere promptum erat ex hastilibus, in quibus Imperatoris sui nomen inscripserant.

Marius tamen totam prope gloriam reportat. Val. Max. 8. 15. 7. Plutarch.

LXXIV. Mario tamen priorum rerum splendor, & Consulatus nomen, hujus quoque victoriæ gloriam sic adjudicavit, ut vix tenuis inde strictura Catulo relinqueretur. Jam tum his rebus in Urbe auditis, quum initio noctis nuncius provenisset, *nemo fuisse* dicitur, *quin cum domesticis hilariter epulando, inter deorum nomina C. Mario libaret*. Sed in communi civitatis lætitia, studium tamen Romanæ plebis eminebat, quæ alioquin Marii tota, nimiis in cœlum laudibus efferendo, *tertium post Romulum Camillumque conditorem* appellabat; *huic soli triumphum dandum* dictitans, *neque societate cujusquam imminuendum tanti viri & Imperatoris honorem*.

Marii triumphus. Cic. Tuscul. Quæst. 5. 19. Liv. Epitom. Plutarch. Eusebius. Juven. 8. 253. 10. 282. Auct. de Vir. illustr. cap. 67. Val. Maxim. 2. 2. 3.

LXXV. Cæterum excludi Catulum ne ipse quidem volebat, non invidiam modo aliam veritus; sed etiam ne militibus Catuli reclamantibus suo quoque triumpho impedimentum objiceretur. Quin & alio facto modestiam haud vulgarem prætulit. Quum enim totius civitatis consensu, tamquam haud dubius servator Urbis exceptus esset, duplexque triumphus offerretur, contentus uno fuit: simulque de Teutonis ac Ambronibus, quos ad Aquas Sextias, & de Cimbris, quos juxta Padum vicerat, speciosissime triumphavit.

Teutobodi proceritas. Florus 3. 3. 10. Gassend. in Vit. Peirescchii p 147. Eutropius. Plutarch. Florus.

LXXVI. Inter nobiles captivos Teutobodum Regem ante currum egit, tantæ proceritatis virum, ut super trophæa ipsa emineret. quæ res staturam arguit pedum vulgarium decem aut eo amplius. Duxit & Q. Catulus de iisdem Cimbris triumphum. utrumque suis prosequutus est Imperatorem exercitus: quem delectis ad internecionem cæteris, Tigurinorum autem copiis ex Noricarum Alpium præsidio fuga dilapsis, nec attinebat iisdem in locis detineri; & operæ strenuissime navatæ præmium eripi iniquum erat.

Præmia fortiter pugnantiū Plin. 22. 5. 1. Plutarch.

LXXVII. Quamquam & in castris jam honorem quibusdam Imperatores habuerant, quorum maxime conspicua virtus fuerat. Nam & Atinati Perrejo, à quo servatam in minoribus Catuli castris legionem diximus, datum ut Mario Catuloque adstantibus, immolaret foculo posito ad tibicinem prætextatus: & Camertium duas cohortes, quæ præ cæteris egregium certamen ediderant, civitate Romana totas donavit Marius: idque postea quum fecisse contra leges diceretur, ita defendit, præ strepitu armorum se legum vocem tum exaudire non potuisse.

Q. Sertorio habitus honor. Cic. pro Corn. Balbo c. 22. Plutarch. Sertorio c. 3. Marmor. apud Pigh. Cic. pro Sextio cap. 54.

LXXVIII. Quinto etiam Sertorio virtutis caussa honor est habitus, quod vestitu Gallico Cimbris immixtus, multa utiliter explorata ad Marium retulerat. Post hæc monumenta de manubiis Imperatores fecere: C. Marius templum Honoris atque Virtutis; Q. Catulus, quod Fortunæ hujusce diei voverat. Suam ædem Marius spreta peregrinorum marmorum nobilitate, artificumque Græcorum ingeniis, per C. Mucium Romanum hominem vulgari lapide curavit ædificandam: invidia credo ingenuarum artium, quibus quod plerosq; inimicos suos delectari viderat, rude & agreste ingenium quanta poterat cōtentione decus omne detrahebat.

Marius contemptor elegantiæ. Vitruvius. præfat. lib. 7. Val. Maxim. 2. 2. 3.

Nam

LXXIX. Nam & Græcas literas despiciebat hoc prætextu, *quod doctoribus suis ad virtutem parum profuissent*: virtutem autem ille potencia armorum metiebatur: & erat omnino adversus humaniora studia durior. Quare quum in dedicatione ædis ex more spectacula Græca ederet, ingressus theatrum adsedisse tantum dicitur, & statim discessisse. Atque idem, quum quod in illa natione commodum ac liberale inerat, tantopere aversaretur, à vanitate credendarum imitandarumque Græcarum fabularum non abhorruit: nam ut Bacchi victorias suis non fuisse majores indicaret, post alterum triumphum, cantharo potare solitus est, quod eo poculi genere post Indicas expeditiones usus ille diceretur.

Saluft. Jugurt. 85. 19. Cic. pro Archia cap. 8.

LXXX. At Q. Catulus longe dispari humanitate & modestia, neque insolens quidquam fecit dixitve, & pro magnificentia Urbis & elegantia temporum, monumenta sumptu & arte egregia struxit: Porticum in area publica, ubi olim M. Fulvii domus steterat: ædem, quam diximus, in Palatio, quæ regionum Urbis decima numeratur. Novus & inusitatus antea titulus ædis, eoque notabilior fuit, Fortunæ hujusce diei; quia prœlium initurus ita votum conceperat: sed hoc in singulos valere dies credebatur.

Catuli humanitas & opera de manubiis: Val. Maxim. 3. 6. 6. Plin. 33. 11. Cic pro domo cap. 38. Florus 3. 3. 20.

LXXXI. His rebus lætissima civitas, *defunctam se omni periculo, liberatam Italiam, assertum imperium, & charum numinibus populi Romani nomen* omnibus sermonibus celebrabat: maximo, quod *eadem, qua pugnatum erat die, pro Castoris juvenes duos laureatos Prætori porrexisse literas* percrebuerat: quodque in theatro inter spectandum, nullo certo auctore, victoriæ Cimbricæ plausum fuerat. *Hoc enim in tanto locorum intervallo fieri sine numine deorum nequivisse*: *neque alios juvenes quam Castorem & Pollucem* interpretabantur, proniore in fabulam fide, quod in victoria Paulli Macedonica vulgatum simile miraculum fuerat.

Victoria Cimbrica, eodem quo pugnatū est die, Romæ nunciata. Flor. 3. 3. 19. Jul. Obseq.

LXXXII. Subinde etiam ex Hispania Siciliaque rumores & nuncii grati adventabant. In Hispania victi Lusitani erant: M. Aquillius Consul rem adversus fugitivos bene gerebat. Iisdem consiliis usus, quæ priore servili bello salubria P. Rupillio fuisse noverat, commeatus angustia maxime subigebat hostem; cui omnis petenda ex desertis aut vastatis Siciliæ agris annona erat. Consul undique subvectis commeatibus ita abundabat, ut etiam civitatibus passim mutuum frumentū daret.

In Hispania et Sicilia res prosperæ.

LXXXIII. Sed hanc civitatis ob res lætas exsultationem continuo compressit inusitati sceleris vindictæque horror in Policio Malleolo, qui servis adjuvantibus matrem interemerat. Quo crimine simul atque damnatus est, os folliculo obvolutum, & soleæ ligneæ pedibus inductæ, & in carcerem ductus est, donec culeus compararetur: in quem deinde insutus vivus est, & in mare præcipitatus. Idque supplicii genus deinceps in parricidio, lege lata sancitum mansit.

Publicius Malleolus matrē interimit. Florus 3. 19. 11 Cic. de Leg. Agra 2. 30. Liv. Epitom. Orosius 5. 16.

LXXXIV. Nam antea, quemadmodum Athenis Solon, sic qui leges Romæ tulerunt, pœnas ponere crimini, de quo forte nec cogitabant, insuper habuere: neque enim ante Malleolum tam impius quisquam in Urbe repertus esse dicitur, excepto L. Hostio, qui post bellum secundum Punicum patre interfecto, primus inter Romanos teterrimi facinoris exemplum edidit. Hoc temporum tractu iterum Syria vehementissime agitata bellis est, quam super domestica Regum certamina, Judaica etiam & Ægyptia arma fatigabant.

Ejus et iniusta pœna.

LXXXV. Judæorum principe Hyrcano mortuo, filius natu maximus Aristobulus sumpto diademate primus omnium post instauratam urbem Rex appellatus

Aristobulus primus Rex Judæorum, post instauratam urbem.

vix deguſtato imperio ſucceſſorem fratrem habuit, qui Alexander cognomento Jannæus fuit. Is quum in ora maritima præter Ptolemaida Gazamque, & quod tyrannus Turris Stratonis Zoilus tenebat, omnia ſibi parere videret, adjungere cætera cupiens à Ptolemaidis obſidione orſus eſt. Syriæ Reges Grypus atque Cyricenus Antiochi, velut athletæ quos viribus defectis cedendi pudor dirimi non ſinit, ne præſidio eſſent, rebus acciſis, & mutuo metu vexabantur. Zoilus, quamquam coactis copiis omnia tentaret, haud ſatis idoneus defenſor erat.

Ptolemæus Lathurus Ægypti Regno pellitur. Porphyr. apud Euſebium. Pauſanias. lib. 1. Juſtin 39. 4. 1.

LXXXVI. Ad Ptolemæum Lathurum legatos mitti placuit, qui pulſus Ægypto Cypri Regnum occupaverat. Cauſſa pellendi varie traditur, ut ab initio haud dubie parum conſtanti rumore, & pro odio ſtudiove cujuſque in Regem aut matrem ejus. *Sævisse* quidam *in paternos amicos* ſcripſerunt: alii *fictum id crimen, & fraude Reginæ productos in publicum eunuchos vulnera quæ ſponte paſſi erant, tamquam Regiæ crudelitatis notam oſtentaſse; alia quoque adjecta atroci criminatione, ideo tam acerbe tractatos, quod inſidias matri ſtruentem prohibuiſsent.*

Ptolemæus Alexander cum matre regnat. Juſtin.

LXXXVII. Multitudo veris ſimulatiſque perinde moveri ſueta, concurſu ad Regiam facto, haud dubitanter interfeciſſet Ptolemæum, niſi propere conſcenſa navi furentium manus evaſiſſet. Inter hæc Ptolemæus Alexander, qui conſiliorum iſtorum haud ignarus in Ægyptum venerat, Peluſio evocatur, à matre, & ſicut decimo ante anno Cleopatræ cordi fuerat, ſed citius non potuerat obtineri, dejecto fratre Rex appellatur, ut commune cum matre jus imperii haberet.

Cleopatra etiā uxorem adimit Lathuro. Strab. apud Joſeph. 13. 18.

LXXXVIII. Mulier omnia divina humanaque odiis, armis, inceſtuque miſcere ſueta, etiam alteram majori filio uxorem Selenen adimit, quamquam duos ex ea liberos habenti: quam deinde in Syriam Grypo nupturam cum ingentibus auxiliis miſit, ne Cyricenus ad recuperandam Ægyptum amico & ſocio Lathuro ferre opem poſſet. Interea neque copias in Cyprum mittere deſinebat, ut ea quoque inſula filium expelleret: ſed ut quiſque in inſulam venerat, è veſtigio ad Ptolemæum deficiebat, præter Chelciam & Ananiam fratres Oniæ filios, qui fidi manebant Cleopatræ propterea, quod gens eorum Judæi in pretio apud Reginam erant.

Lathurus in Syriam venit. Joſeph. 13. 20.

LXXXIX. Lathurus precibus Ptolemæenſium motus exercitum triginta circiter millium imponit in naves, & vela in Syriam facit. Spem enim legati fecerant, ſimul fuiſſet conſpectus, protinus Gazæos ad illum, Zoilumque & Sidonios cum aliis circa civitatibus acceſſuros. Sed dum in curſu Ptolemæus eſt, fit certior mutata Ptolemaide conſilia eſſe, Demæneto quodam auctore, qui cives ſuos admonuerat, *ne vano fortaſse libertatis amittendæ metu, certum & grave jugum arceſserent. &* *periculum ex Cleopatra* oſtendebat, *non paſsura filium, quem etiam Cypro ejicere ſtuderet, ad ipſos Ægypti fines opibus & clientelis augeſcere.*

Ad Ptolemaidem movet.

XC. Ille nihilominus quo intenderat claſſe ducta, ad Sycaminum exſcenſionem facit: copiiſque recenſitis, ad Ptolemaidem movet. Oppidani neque ad ipſum mittebant legatos: neque miſſos ab ipſo recipere mœnibus, aut omnino audire voluerant. Zoilo tamen Gazæiſque ſocietatem cum eo jungentibus, Rex Judæorum Alexander, potentiam hoſtis veritus, ab obſidione Ptolemaidis diſcedit: pecuniaque Ptolemæo promiſſa palam amicitiam ejus fingit; at clandeſtinis in Ægyptum nunciis Cleopatram in perniciem ejus ſtimulat.

Alexandrum Judæum vincit.

XCI. His rebus compertis Lathurus parte copiarum in obſidione Ptolemaidis relicta, cum cæteris ad vaſtandum Alexandri Regnum proficiſcitur. It obviam

Judæus cum ingenti exercitu. quinquaginta hominum millia fuisse, quidam etiam octoginta tradiderunt. Ibi magnum ad victoriam momentum Ptolemæo Philostephanus attulit, aciei struendæ non vulgaris artifex. ingens Judæorum cædes fuit. triginta millia interfecta alii auctores sunt; Timagenes, millia quinquaginta.

XCII. Sed filii successibus invidens Cleopatra, mittit Chelciam & Ananiam duces, mox filium Alexandrum, deinde ipsa subsequitur: Ptolemæum undique proturbat. is non segniter invadit Ægyptum, quam sine copiis & Regibus facilem recuperatu existimabat. Sed à Cleopatræ ducibus iterum ejicitur. Regina cum Alexandro Judæo fœdus ferit Scythopoli: deinde in Ægyptum redit. Judæus, etiam regresso in Cyprum Ptolemæo, Syriam Cœlen magno iterum bello premit: Amathunta, Raphiam, Anthedonem, & nobilissimam Gazæorum urbem expugnat: multa millia occidit hostium, multa & ipse cæsus à Theodoro Zenonis filio, cæsus ab Apollodoro perdit.

Sed proturbatur à matre Cleopatra.

XCIII. Hoc ferme in statu res Syriæ & Ægypti erant: neque mora fuit, quin sævissimis iterum motibus urbis Romanæ quies & concordia turbaretur. adeo maximis quibusque opibus minimum securitatis inest, quando abolito justi honestique studio, mortales ambitione & avaritia væcordes, forensibus atque militaribus artibus, quæ firmandis publicis rebus esse debuerant, ad convellendas abutuntur.

Maximis opibus minimum securitatis inest.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



L. Apulejus Saturninus, adjuvante C. Mario, & per milites occiso A. Nonio competitore, Tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter Tribunatum, quam petierat gessit; & quum legem Agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam non juraverat, diem dixit: qui quum à bonis civibus defenderetur, ne caussa majorum certaminum esset, in voluntarium exsilium Rhodum profectus esset: ibique legendo, & audiendis magnis viris vacabat. Profecto C. Marius seditionis auctor, qui sextum Consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua & igni interdixit. Idem Apulejus Saturninus Tribunus plebis C. Memmium candidatum Consulatus, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, interemit. quibus rebus, concitato Senatu (in cujus caussam & C. Marius homo mutabilis, & varii consilii ingeniique semper secundum fortunam, transierat) quum eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia prætore, & aliis ejusdem furoris sociis, à Rabirio quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exsilio, ingenti totius favore civitatis, reductus est. C. Aquilius Proconsul in Sicilia bellum servile excitatum confecit.

C. Marius civilium tempestatum præcipuus turbo.

I. TEMPESTATUM, quæ deinceps continuata malorum serie Romanam urbem, per horrendas seditiones & arma civilia ad naufragium libertatis compulerunt, caussæ quidem variæ, sed præcipuus turbo C. Marius fuit, cujus inexplebilem sitim, neque soliti honores ulli, neque insoliti satiabant: quo minus semper avidus & hians, majorem, quam legibus aut voluntate civium adipisci erat, potentiam affectaret. Igitur commodissimum rationibus suis L. Apuleji Saturnini ingenium priori ejus Tribunatu expertus, eumdem magistratum denuo petentem modis omnibus juvandum existimabat.

Apulejus ob legatos Mithridatis violatos. Diod. apud Fulv. Ursin.

II. Apulejus enim non modo Q. Metellum, à quo notatus Censore fuerat, habebat odio, sed erat omnino Senatui ob hujusmodi caussam infestissimus. Rex Ponti Mithridates, quum sibi nihil non effecturus tuto videretur, si Patres muneribus propitiasset, legatos cum magna vi pecuniæ Romam miserat. Ea res ubi cognita Saturnino est, jam tum Senatus inimicus & obtrectator, cum magna contumelia principum, legatos ignominiosissime accepit. Illi à Patribus omnia pollicitis animati, accusato Saturnino, *uti de injuriis suis cognosceretur*, postularunt.

Reus agitur.

III. Lege Servilia de caussis hoc genus Senatores judicabant: quum igitur & factum atrox esset, semper enim apud Romanos sanctum habitum jus legationis fuerat, & judices reum odissent; in maximas angustias metusque conjectus Apulejus est. Idcirco gravitate periculi demissos animos gerens, ad communem infelicibus misericordiæ portum confugiebat, sordidatus promissaque barba cœtus obiens, & genibus hominum accidendo, prehendendo manus, obtestãdo cum lachrumis, nihil prætermittebat eorum, quę in ultimo timore fieri à periclitãtibus reis consueverũt.

A Patribus opprimi se queritur.

IV. Plebi præcipue salutem suam commendabat, *opprimi suam innocentiam invidia & conspiratione Patrum* dictitans: *non ob aliud quam quod commodorum plebis studiosissimus semper fuisset. neque spem ullam in religione judicantium esse, eosdem inimicos & accusatores & judices habenti.* Sic occupatis irritatisque vulgi animis, quum die ferendorum suffragiorum infinita hominum millia ad judicium concurrissent, territis judicibus factum est, ut præter opinionem omnium Apulejus absolveretur.

Patres ulcisci studet. Appianus. lib. 1. Civil.

V. Igitur vindictæ locum quærens, quum à Glaucia Prætore, illo quoque parem ob caussam inimico Metelli comitia Tribunicia haberentur, candidatum se ostendit. Non erat obscurum, quam id inimicum adversumque Patribus & quieti civitatis esset, itaque consensu hominum, quibus aliqua alterutrius eorum cura erat, effectum, ut eo præterito, novem utique Tribuni designarentur. tanto ille impotentius satagere, ut vel extremo loco adhæresceret. Sed competitor A. Nonius vir insignis pariter in ipsum atque Glauciam libera contentione invectus, ut repulso Apulejo ipse designaretur, obtinuit.

Val. Maxim. 9. 7. 3. Orosius. 5. 17. Appianus.

Occiso Nonio Tribunus per vim creatur. Florus 3. 16. Val. Maxim. Liv. Epitom. Appianus. Auct. de Vir. illustr. cap. 76. Plutarch. Mario c. 47.

VI. Quod ubi factum, & virum acrem Tribunitia potestate suffultum, homines scelesti timuerunt: protinus solutis comitiis, populi fæcem, & de C. Marii militibus aliquammultos immiserunt. à quibus in caupona quo forte trepidus confugerat, confossus est. Id facinus quum omnibus æquis atque iniquis sævum, atrox, neque contra mores tantum, sed etiam contra libertatem videri, auctores ejus intelligerent: operam enixe dederunt, ut postridie summo mane per infrequentiam L. Apulejus Tribunus plebis fieret.

VII. Sic nemo de Nonii indigno interitu queri ausus: eademque potestas quæ innocenti contra vim injustam auxilio esse non potuit; facinorosis adversus vindictam legum præsidio fuit. Neque multo melioribus artibus, quum deinde Consularia comitia haberentur, C. Marius sextum designatus est. Quo enim Q. Numidicum, qui unus ea tempestate nobilium recuperare velut mancipatum Mario Consulatum posse videbatur, illo honore depelleret, per tribus divisa pecunia ipse cum L. Valerio Flacco renunciatus est.

C. Marius sextum Consul.

VIII. Et ipsi quidem in mercedem meritorum datus videri Consulatus poterat. L. Valerium non ut collegam, sed ut administrum haberet, allectum ab eo constabat. Hunc in modum parti magistratus, nihilo deinde quietius sanctiusque gesti. idque licet fallere neminem posset, prodigiorum quoque terrores denunciare visi: clypeus ardens ab Occasu ad Ortum occidente Sole, scintillans transcucurrit: id Tarquiniis nunciatum; è Piceno, *terræ motu passim ædificia prostrata, fremitumque armorum ex inferno auditum esse*. In foro quoque Romano quadrigas auratas sudorem emisisse creditum.

Urb. cond. an. 654. Prodigia. Velleius. 2. 12. 6. Plutarch. Liv. Epitom. Plin. 2. 34. Jul. Obseq.

IX. Sed Apulejus inito magistratu, quo simulatione legum, jus omne perturbaret atque tolleret, promulgavit sane multas non sine motu civitatis, & propemodum manifesto bello. Ad hæc omnia adjutore C. Mario utebatur. cujus etiam in gratiam pleraque fiebant: quo & plebi militibusque ejus multa darentur, & inimicus Marii Q. Metellus opprimeretur. Igitur agrum, quem Cimbri Gallis, Marius Cimbris ademisset; publici juris factum esse contendens, ferebat, *ut colonis civium Romanorum nominisque Latini divideretur*.

Apuleji & Marii conspiratio. Cic. de Orat. 2. 25. Appian.

X. Achajam atque Macedoniam Thracico bello, Servili Siciliam desolatas, novis colonis: præterea Cæpionis aurum Tolosanum emendis alibi agris destinabat. adjiciebatur Mario, *ut in singulas colonias sociorum ternos cives Romanos facere posset*. Ferebat & Frumentariam, *ut semissibus & trientibus, quod Sempronia lex pretium posuerat, remissis, frumentum populo divideretur*. Id quum Senatus, à Cæpione qui tum Quæstor Urbanus erat edoctus, *ærarium huic largitioni ferendæ impar esse, contra rempublicam fieri* decrevisset; neque tamen Saturninus absisteret, etiam collegarum intercessione spreta: Cæpio cum viris bonis impetu facto disturbat pontes, disjicit sitellas, legem quæ contra Senatus auctoritatem & sacrosanctæ potestatis prohibitionem vi ferebatur, vi repellit.

Apuleji leges. Cic pro Balbo. cap. 21. Rhet. ad Heren. 1. 12.

XI. Sic frumentaria lege Apuleji rejecta; Agraria tamen, non sine magno tumultu, & civitatis dedecore perlata est. Sanctionem Apulejus addiderat, *uti ex quo die populus legem accepisset, intra diem quintum Senatus in eam juraret: si quis Senator non jurasset, is Senatu moveretur, eique mulcta esset sestertia quingenta*. quidam *expressum* referunt, *ut jurare nolentibus aqua & igni interdiceretur*. quæ non tam firmamenta legi, quam insidiæ primoribus, & ante omnes Metello parabantur: cujus gravitatem & constantiam si flecti recusaret, opprimi per caussam spreti juris publici posse rebantur.

Ejus lex Agraria. Appian. Plutarch. Florus. 3. 16. Orosius. 5. 17.

XII. Interea dimittuntur ab Apulejo per agros, qui ad diem comitiorum frequentes cogant rusticas tribus; quibus, quia stipendia sub Mario fecerant, firmissimis suorum propugnatoribus sperabat. Comitiis, quum de lege ageretur, eaque nec Urbanæ plebi gratissima esset, quod majorem sociorum & Latini nominis rationem habitam putabat; reperti ex collegio sunt, qui legi intercede-

Comitia turbulenta. Cic. pro Sextio cap. 16. Appian.

rent. Tum vero furiosa exarsit contentio, quum non modo Tribunorum inter se, sed etiam concionis discordes animi essent.

Apuleji ferocia. Auct. de Vir. Illstr. Appian. Epitom Liv. Plutarch.

XIII. Postremò Apulejus, postquam intercessores cum convitio Rostris deturbati erant, legem perferre pergit. Occlamatur à nobilibus & meliore parte populi, *tonare Jovem*; quod ubi esse factum, cum populo agi nefas habebatur. Ibi vero velut lymphatus irâ ac dolore Apulejus, magna voce, *jam grandinabit*, exclamat, *nisi quiescetis*. Ad hanc vocem non modo murmur & fremitus Urbanorum ortus; verum etiam togis circum brachia convolutis, saxisque & fustibus, quæ cuique tela sors obtulerat, res geri cœpta.

Marii turpis vafricies.

XIV. Diffugiunt agrestes, Apuleji factio. deinde resumptis animis à duce suo confirmati, correptis & ipsi paribus armis, adversarios loco pellunt. lex Agraria per vim perfertur. Nihil non horum de consilio Consulis Marii gerebatur. isque in Senatu quo magis adversarium illaquearet dolis, multa in speciem *de impotentia Saturnini* quæstus, adjecit, *neque se juraturum, neque alium, qui saperet, facturum existimare.* non dubitanter idem de se C. Numidicus confirmavit.

Ejus & Metelli dispar ingenium. Diodor. apud Vales. Appian. Plutarch.

XV. Sed neutiquam par utrique in eodem sermone fides erat. Metello timere turpe, mentiri morte pejus videbatur. Marius honestarum artium rudis, & atrocium belluarum more tantum ad nocendum instructus ingenio, quid polliceretur, aut quomodo servaret promissa, nihil pensi habebat. Vultum ac verba fingere, fallere, pejerare, quod deterrimo cuique promptissimum est, artem atque virtutem arbitrabatur. Die quinto quam rogata lex erat, Tribunus Patres ad jurandum in Rostra vocat. Marius vix quinta diei parte reliqua Senatum trepide cogit: verbisque de lege & jurejurando factis, *venisse sibi in mentem ait salubre consilium, ne plebs irritata turbas det, si jurare Senatus nolit. censere jurandum in legem siquidem lex esset. ita deceptam agrestem multitudinem Urbe amoveri: neque religione quemquam ejus servandæ legis adstringi, quam per vim & contra auspicia ratam Jove tonante constaret.*

Metelli constantia.

XVI. Neque diu cunctatus, quum nemo responderet, Patribus angustia temporis & atrocitate rei turbatis ac stupentibus, ad ærarium pergit, ubi jurare Quæstores moris erat: primusque omnium in legem jurat. Idem quum inter plausum & exsultationem præsentis plebeculæ amici ejus fecissent; cæteri deinceps ad unum omnes metu sequuti sunt. Unus inter tot primores Q. Metellus firmus immotusque in sententia perstitit: non minis Tribunitiis, vulgique strepitu territus animo; non propinquorum amicorumque precibus mollitus. Ajunt discedentem foro, cum prosequentibus ita disputasse, ut *peccare pravorum ingeniorum esse* diceret; *recte facere sine periculo, vulgarium: at egregios animos, ab justo honestoque nullis aut præmiis aut minis dimoveri.*

Glauciæ improbitas. Florus 3.16.2. Cic. pro Sex. cap.16. Velleius 2.15. 4.

XVII. Die sequenti L. Apulejus misso viatore *Q. Metellum extrahi Curia* jubet. appellati alii Tribuni vetant: ibi Glaucia Tribunitii furoris satelles ad rusticas tribus advolat: *frustra perlatam legem, frustra spem agrorum conceptam* clamitat, *si Metellus in Urbe sit: neque agros accepturum quemquam, si lex non sit: neque legem fore, si vim ejus solvi à quoquam impune contemnendo patiantur.*

Metello aqua & igni interdicitur.

XVIII. Eadem & Apulejus inculcat. pro suo lucro quidvis volente vulgo, facile fit plebiscitum, *ut ex certa die Metello aqua & igni interdictum sit: neque exinde tecto eum suo quisquam recipiat: eamque rem Consules proposito edicto*

conſciſcant. Omnium tanta re turbatis animis, quum deterior pars vulgi tollere Metellum cuperet, boni cives defenderent: atrox certamen imminebat, nec niſi multorum mortalium ſanguine, Urbiſque ipſius periculo tranſigendum.

XIX. Eo tempore Q. Numidicus egregium & virum & civem præſtitit: nam neque de ſententia, quam rectam atque ſalutarem eſſe ſciebat decedere; neque cuiquam cauſſa periculi eſſe voluit: patriæ ſalutem potius, quam conſpectum retinere cupiens. Gratias igitur agens civibus, qui ſe paratos ad omnia, pugionibus etiam accincti, offerebant, ægros animos leni ſermone mulcebat: *infinitis modis ſibi futurum moleſtius, ſi hoc modo manendum in civitate eſſet. neque vero grave aut indignum aliquid accidere, ſi proficiſcatur: nam aut revocaturos eum cives, ſi reſipuiſſent; aut ſi pergerent inſanire, ubivis melius, quam tali in civitate futurum*. Ita voluntario exſilio ſolum vertens, navigavit Rhodum: ibique legendo, & magnis audiendis viris vacans, fructum quem jam ex iiſdem ſtudiis præclarum ceperat, magis magiſque confirmavit. Is ſponte cedit. Val. Maxim. 3. 8. 4. Cic. pro Sext. cap. 47. & pro Balbo. cap. 5. Appian. Plutarch. Liv. Epitom. Velleius 2. Plin. 3. 17. a.

XX. Profecto C. Marius, ut plebiſcito comprehenſum erat, aqua & igni interdixit. At Apuleius licet civili certamine victor, haud adeo multa ex legibus ſuis egiſſe videtur, tempore excluſus, & abrogatis, poſt necem ejus quæ tulerat plurimis. Unam ſane eo anno deductam in Gallias coloniam invenio Eporediam, in Vagiennorum agro. ſed ne id quidem oppidum L. Apuleio originem debere argumento eſt, quod *ex libris Sibullinis conditum* affirmant. *nomen inde datum, quod Eporedicas Galli bonos equorum domitores vocarent*, accepimus. Eporedia colonia.

XXI. Ita non diu lætatus proventu ſcelerum Apuleius, ipſo, cujus in gratiam tam multa peccaverat, C. Mario vindice pœnas dedit. Quotidie enim inſolentior, ne amicos quidem jam reſpiciebat. denique Glauciæ Prætori ſellam conſcidit; quod ſe concionante jus dicens populi partem avocaſſet. Marium quoque, pro præſtito ei obſequio adſtrictum ad omnia quæ vellet ratus, cœptorum conſiliorumque impotentia laſſabat. atque is, quum hinc Senatus, inde plebis ſtudia voluntatemque ſpectaret, ſententiæ diu anceps, ad extremum facinus fecit plane illiberale & veteratorium, quo magis etiam inter ſe commiſit utroſque, faxque & incentor ſanguinariæ ſeditioni quæ mox inſequuta eſt, infidelis amicus, neque melior civis, exſtitit. Apuleiî ſcelerum Marius & conciſtor, et vindex. Auct. de Vir. Illuſtr. c. 73. Plutarch. Appian.

XXII. Quum enim noctu ad eum principes civitatis veniſſent, *ut perditis Apuleji conatibus obviam Conſul iret*, petentes: illis ignorantibus admiſſum alio oſtio Tribunum in diverſa ædium parte operiri juſſit. Deinde ſimulato alvi profluvio ad hunc, rurſus ad illos, ſæpius tranſcurrens, quum utriſque volentia reſpondiſſet, ita dimiſit, ut cupidiores contentionis abirent quam venerant. Saturninus, quo deſtinata perficeret, tertium Tribunatum plebis petebat, producto etiam, ut magis popularis videretur, in comitia quodam Quinctio libertini ordinis, vel, ut alii credebant, fugitivo, ſed qui, ut prædiximus, Tib. Gracchum patrem mentiebatur. Marii illiberale et veteratorium facinus.

XXIII. Ejus nominis favore quam charus populo fuerit, tum præcipue patefactum, quum à petitione nolens deſiſtere, juſſu C. Marii Conſulis in publicam cuſtodiam ductus eſt. Plebs enim clauſtris carceris convulſis raptum, humeriſque ſuis reportatum, una cum L. Apuleio Tribunum fecit. Tum vero ſemel ruptis omnibus timoris & verecundiæ vinculis, Apuleius nihil quod animo Subditicii Gracchi favor apud populû. Auct. de Vir. Illuſtr. cap. 62. Appian. Cic. pro Rab. cap 7. et pro Sext. cap. 38.

Florus 3.16. Val. Max. 9. 7.1. suo collibitum esset, aut turpe cogitatu, aut arduum factu putans, aliud facinus non modo summæ audaciæ, sed etiam exempli novi aggreditur.

C. Memmius candidatus Consulatus occiditur. Orosius. 5.17. Cic. Bruto. cap. 62. Grucchius de Comitiis lib. 2. pag. 66. Velleius 2. 12. 6. Appian Liv. Epitom. Florus.

XXIV. Comitiis Consularibus, quum haud dubiis suffragiis renunciatus M. Antonius esset; in alterum locum C. Memmius, C. Servilius Glaucia competitores erant. Non poterat ambigi uter potius crearetur, si suæ potestatis mentisque populus esset: jam viro nobili sordidum, acri & integro seditiosum, comparabant; & secundum legem petenti eum, cujus tum maxime Præturam gerentis haberi legibus ratio non poterat. biennium enim duos inter Curules magistratus interesse, neque continuari honores oportebat. Glaucia & Apulejus quum obesse consiliis suis legem viderent, Consulem autem Cajum utique Memmium, cujus vim, moresque timebant, fieri nollent, seditione mota, cui rei olim adsueverant, fugientem adversarium, percussoribus in conspectu omnium immissis, per quemdam P. Mettium fustibus comminutum sustulerunt.

Apulejus à suis Rex appellatus. Florus. Plutarch. Appian. Cic. pro C. Rabir. cap. 7. & Philip. 8. 5. et Catil. 1. 2. Val. Maxim. 3. 2. 18.

XXV. Turbatis ita comitiis, L. Apulejus domum cum operis suis regressus, intra privatos parietes concionem habet, acta defendit, studia suorum laudat, utque velint ad reliqua sibi præsto esse cohortatur. Illi lætis vocibus adstrepunt; suam operam pollicentur, fausta in eum omnia congerunt, *Imperatorem* aliis, aliis *Regem* appellantibus. easque voces ab homine væsano gratanter. exceptas reperio. Postridie Senatus in Curia, Eques & quidquid in populo integrum erat; in foro *convulsum civitatis statum*, *fractas & abjectas leges*, *salutem bonorum sceleſtiſſimi cujusque audaciæ obnoxiam* acerbe queritur, vindictam poscit, Apulejo cæterisque minitatur.

Liv. Epitom. Florus. 1. Orosius. Cicer. Auct. de Vit. Illustr. cap. 73. C. Marius Apulejum instituit reprimere.

XXVI. Fit Senatusconsultum, *ut C. Marius, C. Valerius, Consules, adhiberent Tribunos plebis & Prætores, quos eis videretur: operamque darent, ut imperium populi Romani, majestasque conservaretur*. Omnibus promptissime offerentibus, Marco etiam Scauro vehementer hortante, Marius Consul homo mutabilis ingenii, quum se adversus consensum Urbis caussam improborum civium tueri non posse cerneret, transit palam ad bonos, plebemque leni oratione sedatam centuriat, arma ex ædificiis publicis distribuit, portas communit, Flaccum collegam cum præsidiis in colle, M. Antonium Consulem designatum extra Urbem excubare jubet.

Apulejus fusus in Capitolium fugit.

XXVII. L. Apulejus cum suis, & quos præterea subito concire ex agris proximis potuerat, in forum venit. ibi occurrentibus Marianis aperto prœlio concurritur. Victus Apulejus cum suo fictitio Graccho, itemque Prætore Glaucia & C. Sausejo Quæstore in Capitolium evadit: *Marium Consulem sibi cogitatorum actorumque omnium auctorem esse* proclamat: & ad servitia concitanda pileum in modum vexilli extollit. Multi tamen rebellium, priusquam se recipere quo intenderant, possent, in clivo Capitolino conciduntur, ob hæc & priora quum Apulejus & qui cum eo erant hostes ab Senatu judicati essent; incredibili consensu Patrum Equitumque Romanorum armatis complectur forum: quos inter & M. Scaurus, & Q. Scævula hastilibus confecta ævo morbisque corpora sustinentes, in comitio stabant.

Obsessus ibi, dedit se Mario. Appian. Florus. Cicero. Orosius.

XXVIII. Postremo sive jussu Marii, sive dum ille consulto contatur, sponte aliorum fistulæ, quibus in Capitolium aqua deducebatur, abrumpuntur. Ea res tantam sitis rabiem injecit obsessis, ut C. Sausejus *incendi Capitolium* juberet;

juberet: *id magnis & infelicibus ausis pulcherrimum bustum fore*. Sed Apulejus & Glaucia, quibus in amicitia Marii plurimum erat fiduciæ, legatos mittunt, acceptaque fide, cum cæteris ducibus factionis, ab arce descendunt. Sed vociferante populo *nullam sine Senatusconsulto dari fidem potuisse*, C. Glaucia, quum in domum Claudii fugisset, extractus, fractaque cervice, publice occisus est. Cic. Bruto. cap. 62. Auct. de Vir. Illustr. Velleius. 2. 6.

XXIX. Cn. Dolabella Saturnini frater, & L. Geganius in Olitorio foro interfecti. Cæteros Consul Marius in Curiam Hostiliam accepit, quasi legitimum ad supplicium servaturus: sed intelligens artificium populus impetu in Curiam facto, aliis fores molientibus, aliis tegulas jacientibus in inclusos, vanam ei hanc calliditatem fecit. Ita multi mortales, quos inter Q. Labienus, & cum ipsis magistratus insignibus C. Saufejus, L. Saturninus, itemque ille, qui C. Gracchus vocabatur, eadem die qua Tribunatum inierat, id est, A. D. Nonas Decembres trucidati. Sed à plebe cum aliis conjuratis occiditur. Appian. Orosius. Auct. de Vir. Illustr. Ascon. in Ver. 2. Cicer.

XXX. Corpus L. Apuleji Saturnini in ipsa morte laceratum est: caput, deinde C. Rabirius ludibrii caussa per convivia circumtulit. Scævæ, servo Q. Crotonis, cujus manu cecidisse L. Apulejus ferebatur, libertas publice data: bona interfectorum, P. Furio Tribuno plebis ferente, publicata sunt. Crebræ per eos dies Senatus populique voces atque significationes *rescindi acta obscœni Tribunatus, revocarique ab exsilio Numidicum postulaverant;* quibus inducti L. Porcius Cato, Q. Pompejus Rufus rogationem de reditu ejus promulgarunt. erat omnino ea caussa Metelli, ut speciosa esset & facilis suadentibus legem oratio. De revocando Numidico agitur.

XXXI. *Eum virum patria se restitutum cupere dicebant, quem, si esset alibi natus, ultro adsciscendum, atque etiam quovis pretio invitandum in civitatem omnes faterentur. Nunc ab antiquissimis temporibus nobilem Cæciliorum familiam, hoc nulli majorum impar decus ideo nimirum protulisse, ut inter illustrem domi bellique navatam operam, Urbe quam ornasset pelleretur, & inglorium, neglectum, abjectum, in exsilio consenesceret! Quem vero animi proprie & vere Romani hunc publicum dolorem, & hanc turpitudinem perpeti posse? summæ virtutis & innocentiæ virum per Græciam Asiamq; & transmarinas provincias obambulare, quacumque incederet, probitate oris, sanctitate morum, testimonium suæ gravitatis, signum ægrotantis Reipublicæ, præsagium ruituræ circumferentem.* Oratio pro illa lege.

XXXII. *Quid enim aut salvi sperari bonis remotis viris; aut quid objici Metello posse, quo minus inter optimos numeretur? Quum ætas ejus in ea tempora incidisset, quibus antiqua virtus atque integritas mirifice decrevisset; in periculis fortem, in magistratibus & imperiis abstinentem fuisse: domi optimum patremfamilias, in Republica præstantissimum civem, gravissimum Senatorem egisse. Illud ipsum unicum viri crimen, quod in legem Apulejam jurare noluisset, ita comparatum, ut laudari satis nequeat. tantum uno illo facto gravitatis in moribus, constantiæ in periculis, pietatis in caussa patriæ eminuisse.* Metelli commendatio.

XXXIII. *Nec enim repugnasse illum voluntati populi Romani: sed exemplum dedisse omnibus, quid velle deberent, & quomodo vitare fraudem improborum, qui sub larva boni publici suis commodis prospexerint, eorumque audacia possent resistere. Frustra legem obtendi, quæ per fraudem lata, per iracun-* Contra legem Apuleiam disputatur.

Actio de revocando Metello.

diam jussa, neque initio probata sit, vel suis auctoribus. & nunc eodem populo rescindente, postquam esset omnibus exsolutus cæcitatis & imprudentiæ vinculis, abrogari posse, quod tum à decepto & properante decretum esset.

Civitatis voluntatem lege potiorem esse.

XXXIV. Idque ipsum omnino fieri oportere, jam totam civitatem, omnesque illius partes, gravi significatione voluntatis præjudicasse. Plane in legem Apulejam, auctore C. Mario, exigente populo Romano, jurasse Senatum; sed postea, quum ejus hominis actiones paulo maturiore judicio expendissent, hostem ab Senatu judicatum Apulejum, à Consulibus obsessum, à plebe cõtrucidatum esse. Minime decorum dominæ gentium civitati, ut quem ob pravas actiones interfecisset, ejus acta contra publicam utilitatem, contraque suæ voluntatis inclinationem servet, ac tueatur. talem fuisse Apulejum, ut odio nefarii hominis, etiam probæ commodæque, si quæ essent, rogationes esse irritæ, atque per alium referri deberet: legem ipsam talem, ut quia publicam utilitatem famamque lædat, abolenda sit, etiamsi ab optimo Tribuno & patriæ amãtissimo perlata fuisset.

Certum aliquid esse debere, quod homines sequantur.

XXXV. Omnino lætandum esse quod malis factis tametsi sera pœna, graves tamen sint reddita: sed non posse existimari quæ porro sit futura conditio vivendi in ea civitate, in qua pessimis exitium, optimis exsilium sit propositum: qui inter hos sint, incerti de suo statu, aliorum morte, aliorum fuga vel gaudere intemperanter, vel contristari acerbe cogantur. Neque temere exstiturum, qui pro Republica certaminibus gravissimis domi bellive se offerat; si etiam in summa integritate & prosperrimo rerum cursu, bonis factis, ubi præclare ceciderit tralatitius honos; sæpe nihil præter inimicitias & odia cum privatione dignitatis patriæque & charissimorum pignorum rependantur. neque à tanta iniquitate aut sua quemque merita, aut majorum ingentes laudes possint vindicare.

Metelli, & majorum ejus merita.

XXXVI. Si nihil fecisset Metellus, quam quod domando Jugurtha, labantem populi Romani auctoritatem, apud socios hostesque & aliorum ducum culpa ad pristinum splendorem industria ac virtute renovasset: tamen non fuisse committendum, ut adversus hoc tantum meritum tam ingrata civitas esset: jam multa Cæciliorum egregia posse commemorari, sine quorum ope longissimo tempore nullum sit magnum gestum à populo Romano bellum, nulla cum quoquam hoste suscepta contentio, in qua non aliquod insigne virtutis amorisve in patriam opus Metelli edidissent.

Metellorum cognomina bellica.

XXXVII. Extare quidem ejus operæ testimonium amplissimum in ipsis cognomentis, quibus fœcunda maximorum virorum familia, pari decore, appellationibus diversis distinguatur. Inde Macedonicos ortos, & Baleares, & Creticos, prætereaque Dalmaticos, quorum cognomentis totidem Romani populi insignes victoriæ commemorentur. Hos & his ortos quotidie pro Q. Numidico deprecari, alios coram, circumeundo civitatem, prensando obvios, profundendo lachrumas: alios memoria nominis & gloriæ, & quodam imaginum mœrore, quæ sordida neglectæque per lugentes domos, muta quadam significatione desiderare gentilem dominorum suorum videantur.

Πᾶθος à descriptione Q. Metelli Fil. Diod. apud Vales.

XXXVIII. An à quoquam non emortuæ pietatis adspici Q. Metellum adolescentem siccis oculis posse; tantum lachrumarum profundentem pro reditu patris, tantum in precandis etiam infimis civium subeuntem indignitatis? quum

ille jam maturus honoribus, nulla aliarum rerum cura, id unum in magnam petentis gratiam concedi postulet, quod sine summa immanitate negari non possit: ut Q. Numidicum, hoc est, custodem defensoremque suum recipiat Respublica, non minus orba ejus viri discessu, quam sit ea domus, quæ in copia multorum præstantissimorum virorum, tamen omni luctu calamitosius judicat fere desiderium unius.

Cic. ad Quirites post reditum cap. 3.

XXXIX. *Nam idem vobis L. Dalmaticus vir Consularis, idem C. Metellus Censorius, cum liberis suis, sæpissime, neque magis verborum, quam intimi doloris mæstitiæque significatione, confirmarunt. Jam sororum ejus filios Lucullos, Servilios, Scipiones quid referam, illustrium virorum posteros ipsosque jam magnis populi Romani beneficiis ita usos, ut majora meriti videantur? Non possunt horum omnium tam justæ, tam adsiduæ preces sperni, non debent. At legem objiciunt, quos confiteri in hoc facto sensum suum operamque merito pudet! omitto eos, qui tamen nec genere spernendi, nec numero pauci sunt, qui legem fuisse negent. fuerit sane lex, & quod per vim rogatum est, jure valere defendamus: tamen & olim Furius Camillus, & nuper P. Popillius in civitatem recepti sunt, quum iis legibus pulsi essent, quas fuisse leges nemo dubitaret. Nam quæ in sciscendis rogationibus populi potestas est, eadem in abrogandis valet: & minor est pudor emendare, quæ peccata sunt, quam errorem contumacia tueri.*

A precibus propinquorum.

XL. Quum hæc consensu prope omnium audirentur, tamen factione Marii Consulis, & improbitate P. Furii, conatus ille tum quidem frustra susceptus est. Homo libertini generis, ob equum à Censore Metello ademptum adeo pertinaciter retinebat iras, ut Q. Metellum adolescentem ad genua sibi accidentem in conspectu populi superbissime fastidiret, irritumque petitionis repelleret. Quæ res summam uti Furio invidiam, ita Metello laudem attulit, qui ob enixum reducendi parentis studium, non minus magnifico nomine, quam si opulentissima gente perdomita cepisset, *Pius* appellatus est: tantumque favoris promeruit, ut in petitione Pontificatus Consularibus viris adolescens præferretur.

P. Furius restitutionem Metello impedit. Plutarch. Mario cap. 52. Appian. 1. Civil. Diod. apud Valesium. Diodor. Auct. de Vir. Illustr. c. 63. Diod lib. 36.

XLI. Dum hæc in Urbe, mixta bonis malisque exemplis geruntur, M. Aquillius Proconsul bene cum fugitivis in Sicilia depugnavit, Regemque illorum Athenionem sua manu interfecit; ipse vicissim ab eodem iuxta caput vulneratus. Reliquiæ servorum ad decem millia, quum pugnandi copiam non facerent, in loca munita & inaccessa refugientes, clausæ obsessæque ad id necessitatum redactæ sunt, ut præ fame alii ab aliis vorarentur. Circa idem tempus etiam Atheniensis ager servili tumultu vastatus est, ex arce Sunii promontorii: quam præfectis & custodibus interfectis metallarii, multa hominum millia occupaverant. neque quando aut à quo motus iste compressus sit reperio. nisi quod suspicari licet Posthumio Consuli Achajam provinciam evenisse. collegam enim Antonium in Urbe mansisse, argumenta multa sunt.

Jul. Obseq. M. Aquillius fugitivos in Sicilia vincit. Eusebius. Posidon apud Athene. 6. 20. Pausanias.

XLII. Quum deinde M. Antonius, A. Posthumius Albinus Consules essent, C. Julius L. F. Pontifex nunciavit *in sacrario in Regia hastas Martis movisse.* de ea re ita censuit Senatus, *ut M. Antonius Consul hostiis majoribus Jovi & Marti procuraret: quod & cæteris diis (quibus videretur) placandis, ubi procurasset, satis habendum. si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet.* Quod postre-

Urb. cond. an 654. Prodigia procurata. A. Gel. 4. 6.

mum arguit, nondum pacata Sicilia, & malis Italiæ frugibus, famis metum fuisse: quem etiam fremitus ab inferno ad cœlum ferri auditus significare putabatur.

C. Cæsar nascitur. Jul. Obseq. XLIII. Ob id & pleraque alia prodigia (nimbis enim & procellis aut fulmine dissipata plurima, Lanuvii in æde Junonis Sospitæ in cuniculo deæ sanguis guttæ, in Urbe bubo visus; Nursia sacra ædes terræ motu disjecta fuerat) Urbs lustrata. populus stipem, matronæ thesaurum, & virgines donum Cereri & Proserpinæ tulerunt. Per virgines viginti septem cantitatum: signa cupressea duo Junoni Reginæ posita. At hi procurandorum prodigiorum tam diligentes & periti, maximam futuram præsentis status pestem nullis sacrificiis expiarunt. Natus enim hoc anno C. Julius Cæsar traditur, Reipublicæ quam repererat, & æquæ libertatis eversor.

C. Claudii celebres ludi. Pighil Annal. Cic. de Offic. 2.16. Fenest. apud Plinium. 8.7. Plin. 36.5. Cic. in Ver. 4.3. Val. Max. 9. 2.4.6. Cic. de Orat. 3.11. XLIV. Iisdem Consulibus C. Claudius App. F. Pulcher Ædilis Curulis insignes ludos fecit: tum primum in Circo elephantis pugnantibus. cætera quoque splendide apparata, passim ab amicis ac hospitibus commodato sumptis, quæ ad instruendos ornandosque ludos pertinerent. Praxitelis certe Cupidinem, Mamertina civitas & Herorum domus, quæ jam inde ab Ap. Caudice in clientela Claudiorum erant, tempore muneris in foro proponendum commodarunt. id quoque solito magnificentius factum, quod scenam, quæ ante vacuis pictura tabulis tendi fueverat, varietate colorum adumbravit; tam spectabili artificio, ut ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent.

Cic. Bruto. cap 92. Sex. Titii certamen cum M. Antonio. XLV. Sed alia diversique longe generis spectacula Tribunorum discordiæ, & præcipites quocumque impellerentur motus, ediderunt. Maximum certamen Sex. Titius excitaverat, homo loquax & satis acutus; sed qui M. Antonio Consuli rebus omnibus impar esset. cujus eloquentissimi viri non seriis modo & perpetuis actionibus, sed etiam brevibus contortisque ingeniose dictis vapulabat. Nam ubi se nihil proficere agendo cum populo, suaque monita sperni sentiens, *Cassandram esse* dixisset: excepit Consul, *multos possum tuos Ajaces Oileos nominare*..

Corvorum se lacerantium prodigium. Jul Obseq. Val. Maxim. 1.1.13. Cic. de legib. 2.12. XLVI. Postremo non hominibus modo (nam & à collegis repugnabatur) sed etiam avibus iniquis, legem Agrariam, quam ferebat, omittere coactus est. Dum enim inter latorem & adversarios rogationis in concione certatur; duo corvi in alto volantes, ita pugnaverunt, ut rostris unguibusque lacerarentur. Re ad Augures relata, *collegium sacrificandum Apollini, & de lege supersedendum* pronunciavit. Interea reliquias servorum rebellantium M. Aquillius ferro fameque ad paucissimos redegit. ne enim se dederent, ad extrema omnia perpetienda metu suppliciorum continebantur. postremo non amplius mille homines, cum duce Satyro, deditionem fecerunt.

Finis belli Servilis in Sicilia. Liv. Epitom. Jul. Obseq. Diod. lib. 36. Ecl. 1. Florus 3.19.3. Appianus. Hisp. I. Civil. Cic pro Rab. cap. 9. Val. Maxim. 5.1.2. & 8.1.3. XLVII. Hic finis alterius belli Servilis in Sicilia fuit, multis utrimque cladibus, ad annos fere quatuor gesti. Cæcilius Calactinus, nobilis ex Sicilia rhetor, & temporibus hisce proximus, de hoc cæterisque bellis Siciliæ Servilibus commentarium edidit: in quo fuit præscriptum, *consumpta iis esse servorum decies centena millia*. unde suspicari licet, quanti feracissimæ insulæ sua fertilitas steterit: & quam facile quæ vulgo maxima felicitatis instrumenta putantur, si justitia & temperantia absit, in contrarium vertatur.

XLVIII. Iisdem Consulibus adversus Lusitanos prospere pugnatum esse reperio. L. Cornelium Dolabellam in Hispania tum fuisse certum; exercitum quoque Romanum, credibile est: quia sub initium ejus anni profligatum in Sicilia bellum, cum Cimbris ante finitum fuerat: quæ duo impedimenta per aliquot annos copias in Hispaniam duci prohibuerant. Novi deinde Tribuni plebis quum inivissent, acrius de revocatione Metelli actum; & è veteri collegio tres postulati sunt; è quibus damnati duo: tertius ante sententiam judicum pœnas dedit.

Cum Lusitanis prospere pugnatum.

XLIX. C. Canulejus Tribunus plebis diem P. Furio dixerat. sed reum omnibus notis turpitudinis insignem, præsertim ob Metelli Pii contumeliam ea concionis invidia excepit, ut priusquam dicere caussam posset, à furente populo discerperetur. C. Decianus, qui modo in Tribunatu L. Valerium Flaccum Ædilem Curulem frustra accusaverat, vir factis innocens, ob verba quædam incommodiora damnatus est. Is quoque P. Furium accusaverat: & in ea actione de morte Saturnini interjecerat querelas. ideoque neque damnavit reum, & ipse civitate caruit.

P. Furius à populo discerpitur.

L. Ejusdem Saturnini infausta memoria Sex. etiam Titium in exsilium egit: qui accusatus ob alia, M. etiam Antonii testimonio reum onerante, tamen erat evasurus, quum gratiosus Agraria lege, & à plerisque innocens haberetur: nisi propterea quod imaginem L. Apuleji domi habebat, suffragiis totius concionis esset oppressus. Inter hæc tam aperta Apulejani nominis odia Q. Calidius rogationem de Q. Metello revocando pertulit: quam rem prope per biennium concionibus omnibus agitatam, tandem victus consensu civitatis Marii livor impugnare destiterat.

Saturnini infausta memoria. Val. Maxim. 5. 2. 7. Auct. de Vir. illustr. cap. 62. Cic. pro Plancio c. 28.

LI. Et populum sua sponte in favorem Numidici pronum, omnes Metelli Metellorumque liberi, sed ante omnes indefessa supplicandi diligentia Metellus Pius plurimum movit. is barba capilloque submisso in sordida veste flens circumibat: modo Quiritium universorum, modo singulorum invocans fidem: sæpe, quo efficaciores preces forent, ad genua hominum se demittebat. Idcirco licet exempli parum salubris videretur, redeundi spem exsulibus ullo modo ostendi; Calidia rogatio accepta est. Is quoque reditus haud minus magnum virum probavit, quam discessus ex Urbe demonstraverat.

Metelli Pii preces pro patre. Diod. apud Valesium. Plutarch. Mar. cap. 52. Cic. ad Quirit. post redit. c. 10 Diodorus.

LII. Forte Trallibus in theatro sedenti literæ de perlata lege, summisque Senatus atque populi & concordibus studiis sunt redditæ. has ille non nisi finito spectaculo perlegere dignatus, eumdem lætis rebus, quam antea asperioribus retinuit vultum: animo in omnia juxta firmo; nullumque paulo robustioris adfectus indicium edente. Revertentem tantus civitatis favor excepit, ut diem suffecisse gratulationibus ad portam occurrentium negent. Postridie quum ei concionem Q. Calidius dedisset, hanc in Sententiam verba ad populum fecit.

Metellus Romam revertitur. Val. Maxim. 4. 1. 13 Auct. de Vir. illustr.

LIII. *Quantas ego vobis grates agere debeam, Quirites, quia verbis exponere nequeo, rerum enim gravitas & amplitudo vim orationis longe exsuperat; id potissimum conabor efficere in præsentia, ut beneficii vestri magnitudinem ipsi intelligatis. sic enim utrumque vobis cognitum atque persuasum erit: & me daturum operam ut æqualem vestræ prolixissimæ voluntati gratiam, si non opere, quod factu perquam est difficile; animo certe, votoque ac conatu rependam, & majora esse vestra promerita, quam ut temere quisquam ea non admonitus neque edoctus quanti sint intelligat.*

Ejus oratio ad Quirites. Velleius 2. 45. 3. Liv Epitom. Quadrigar. apud Agellium 13. 27.

LIV. *Id quidem in promiscuo apertoque positum est, quidquid in Urbe rerum do-*

Beneficia populi enumerat

mina honores amplissimi, dignitas eximia, locus in summo terrarum orbis consilio illustris, conferre homini felicitatis possunt, id omne ferente viro fortissimo, Q. Calidio Tribuno plebis, vobis approbantibus atque jubentibus, redditum mihi ac restitutum esse. Præterea patriam, domum, penates, quæ cuique gratissima esse solent, vestro beneficio recepi. filium pientissimum, charissimos fratres, jucundissimos propinquos amplexus, vestri muneris magnitudinē ex modo meæ horūq; lætitiæ metiri potui.

His aliud majus esse innuit sibi redditum.

LV. *Amicis insuper, neque numero spernendis, nec genere (quando quibus chara Respublica est, iidem ferme salutis meæ fuerunt studiosi) aucto etiam post absentiam desiderio, quum iterum frui datur, vestri favoris, per quem rei mihi longe pretiosissimæ tanta restituta facultas est, non possum non meminisse. Estne igitur aliquid his in rebus amplius? Est profecto! nam ut ego quidem existimo, vir bonus quandoque his omnibus, si non lubenti, æquo tamen animo careat: ubi teneri illa tam grata nequeunt, nisi fas & honestum negligatur.*

Id dictum uberius explicat.

LVI. *Cujus rei quamquam est in utraque fortuna mea magnum & præsens monumentum, de me tamen nihil dicerem, nisi res ista plus ad hujusce diei gratulationem, quam ad molestam præteriti temporis recordationem pertineret: immo tanto erit hæc commutatio rerum lætior, quum priorum juxta posita imagine illustrabitur. Igitur quum pestiferas leges L. Apulejus ferre inciperet, earumque rerum fundamenta jaceretis, quas deinde, quod aliter fieri nequibat, cum ipsis auctoribus averruncandas putavistis: idem ego patriæ amantissimus, cupidus vestri, pater non tristis, amicus non morosus, horum omnium potius ferre desiderium, quam videre ruinam, nedum hæc velut cuniculo suffodientibus auctoritatem atque manum præstare malui.*

Conscientiam viro bono pluris esse quam cætera. Val. Max. 2. 13

LVII. *Nec erant hæc latu parum acerba aut levia: sed tamen in animo meo tantum valuit ea consolatio, quod his interea omittendis servata mihi fides in Rempublicam, servata patriæ charitas, officium civis, dignitas Senatoris erat; ut nullam mihi voculam excidisse, nullam lachrumam aut frontis vultusve nubeculam conspectam neque exceptum aliud indicium à quoquam putem, quo aut pœnitentia consilii mei, aut deploratio fortunæ argueretur. Vincit enim omnes vitæ suavitates mentis bene sibi consciæ tranquillitas: & hæc recordatio, nihil me in Republica aut fecisse turpiter, aut suasisse cupide; nihil aut dixisse per adulationem, aut reticuisse per metum, adeo sensum omnem absterfit exsilii mei, ut pro nihilo ducerem loco sejungi à vobis, quibus animo manerem affectuque conjunctissimus.*

Ideoque cæteris quam honesta mente carere malle.

LVIII. *Sane tum quoque nihil jucundius fuisset, quam si conspectu complexuque horum omnium frui, simulque cum his consultare de Republica, leges moresque bonos tueri, resistere pravis licuisset. Cæterum majoris illa felicitatis videbantur, quam ut à diis immortalibus petere aut sperare deberem. Quod igitur vel optare improbum videbatur, id mihi reddidistis, Quirites, ut de meo reditu, quum ab eo qualis discesseram nihil sciretis immutatum, sciſceretis. Qua una in re quum multiplex insit gratia, quod ab unoquoque cerni potest, quodve prius est significatum, de iis in præsentia taceo: id silere nullo pacto possum, in quo non solum magna est præsentis temporis exsultatio, sed etiam futuri fiducia.*

Nunc illa sibi reddi à populo, hanc non eripi.

LIX. *Sive enim ad me refero cogitationem, sive inimicos respicio: sive ad hunc populum Romanum oculos verto; nihil occurrit, quod non sit aliqua nec mediocri gratulatione dignum. Me enim quia revocastis eadem illa sentientem, ob quæ eram ex Urbe ejectus, amplissimum præbetis testimonium, tum quoque si quid acciderit, id*

innocenti, vobisque invitis, accidisse. Inimicos autem sic ulciscitur hæc mea restitutio, ut si aliquando patriæ charitatem suis affectibus anteferre didicerint, iis plurimum profutura videatur.

LX. *Quum enim nihil æque ac honores opesque affectent, quas sine vobis adipisci nemo salvis legibus potest, hinc sensum cognoscere populi Romani, eademque perspicere poterunt, quanto meliora ac honestiora sint, quæ volentibus & scientibus vobis, quam quæ deceptis obtinentur. Vos autem, Quirites, hoc facto documentum omnibus gentibus exhibuistis: populum Romanum etiamsi cum aliis commune hoc habeat, ut aliquando circumveniri possit ac decipi: tamen id habere proprium & eximium, ut in errore minime diu perseveret.* Idque publice esse docet utile.

LXI. *Idcirco quod à vobis peccatum aliquando fuit, id eis adscribendum apparet, qui vos simulatione honesti bonique ad alia omnia illexerunt: quod autem re plenissime cognita, vestræ voluntati, vestrisque relicti moribus statueritis, id tale esse, ut incæpto magnificum, jure honestum, utilitate non aspernandum omnes fateantur. Atque id mihi fundamentum est minime infirmum egregiæ spei, fore in posterum, ut vestro judicio atque voluntate perspecta, melius & æquabilius se res Romanæ habeant, probi confirmentur, pravi corrigantur: si qui corrigi non poterunt, ab eorum tamen furore consensu plurimum & meliorum defendatur Respublica.* Populi judiciū laudat.

LXII. *Sed hæc omnia quia non sine numine deorum facta sunt, eorumque tutela opus habent, quorum munere data sunt & restituta: ad salutandos eos, & precandos, ut hanc mentem perpetuam populo Romano esse velint, ire me æquum est.* His dictis in Capitolium adscendentem, & inde repetentem lares suos, tota propemodum civitas deduxit. Sub eosdem dies C. Marius, ne reditum inimici videret, per caussam voti, quod bello Cimbrico Magnæ Matri vovisset, in Asiam navigavit. C. Marius Metellum redeūtem videre gravatur. Quadrigar. apud Agel. 13. 27. Plutarch. Mario cap. 32.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.


QUUM Marcus Aquillius de pecuniis repetundis caussam diceret, ipse rogare judices noluit. M. Antonius qui pro eo perorabat, tunicam à pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero ejus rei solus auctor. T. Didius Proconsul adversum Celtiberos feliciter pugnavit. Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit, mortuus, heredem populum Romanum reliquit, & ejus regni civitates Senatus liberas esse jussit. Ariobarzanes in Regnum Cappadociæ, à L. Cornelio Sulla reductus est. Parthorum legati à Rege Arsace missi ad Sullam venerunt,

ut amicitiam populi Romani peterent. P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, quoniam legatus Q. Mucii Proconsulis à publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus, in exsilium missus est. C. Sentius prætor contra Thraces infeliciter pugnavit. Senatus quum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur; sustinente causam ejus M. Livio Druso Tribuno plebis: qui, ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionum plebem concitavit. Præterea motus Syriæ Regum continet.

Urb. cond. ano. 655. Jul. Obseq.

I. Q. Cæcilius Metellus Nepos in Consulatu collegam T. Didium habuit, eum qui de Scordiscis nobilem triumphum duxerat. Hi quum iniviſſent magiſtratum, prodigia frequentia nunciata. Bubo conſpectus in Capitolio ſupra deorum ſimulacra fuerat. deinde taurus, ad piandum adhibita victima, ante cultrum exanimis procubuit. Sereno tonuit. Fulmine pleraque decuſſa. Haſtæ Martis in Regia motæ. Apud ædem Apollinis quum Decemviri immolarent, caput jecinori defuit.

Cic pro Sext. cap. 64. & ad Atticum 2. 10. pro domo c. 16. & 20. & Philippic. 5. 3. Val. Max. 1. 8. 1 Cic. pro Balbo cap. 24. Marmor Capitol. Cic. de Orat. 2. 47. Atheo. 1. 5. 14. Diod. lib. 36. Ecl. 1. Cic Ver. 5. 6. Cic Brut. c. 62. Liv. Epitom. Cic de Offic. 2. 14. Cic. pro Flacco cap. 34.

II. Sacrificantibus anguis ad aram inventus. Item androgynus in mare deportatus. In Circo pila militum ardere viſa. id quidem portendiſſe victoriam judicatum eſt: quemadmodum fruges & tempeſtates bonas, quod ludis in theatro creta candida pluit. His temporibus lata eſt ex nominibus Conſulum *lex Cæcilia, & Didia* appellata, *de trinundino ferendarum legum: &, ſi pluribus capitibus promiſcue ſit latum, populo repudiare aut accipere quæ viderentur; liberum: neque totam ſimul rogationem aut abjicere, aut jubere neceſſum eſset.*

III. Sub hæc tempora, quo ſanctius religiones Cereris haberentur, cujus pacem ad Siciliæ tutelam plurimum pertinere putabant; ſacerdotem à Velia arceſſi placuit, quæ perita ſacrorum Græcorum eſſet: Prætoremque Urbanum C. Valerium Flaccum de Civitate ejus ad populum ferre. C. Valerius ex Senatuſconſulto ad populum tulit, *ut Calliphana Velienſis* (id nomen mulieri) *civis Romana eſset*. Eodem anno L. Cornelius L. F. L. N. Dolabella Proconſul ex Hiſpania ulteriore de Luſitanis Urbem triumphans ingreſſus eſt, A. D. V. Kal. Februarias. M. Aquillius, cujus ſi non majora, celebriora certe, lætioraque Urbi geſta fuerant, exemplo P. Rupillii, de Fugitivis ovatione contentus fuit.

Sacerdos Cereris Velia Romam vocatur.

IV. Tum producti in Circum deditittii, aliud quam exſpectabatur, populo Romano ſpectaculum dedere. Quum enim in hoc tantum prorogatam ſibi vitam cernerent, ut alienæ voluptatis cauſſa per ludibrium morerentur, ferrum quod adverſus beſtias datum erat, in mutua vulnera ſtrinxerunt. Superſtes omnibus Satyrus venabulum in ſua viſcera direxit. Multi rebantur majori gloria periiſſe victos, quam victorem vivere. vir enim bello fortiſſimus, ſed avaritia infamis, anceps judicium ſuſtinebat, à L. Fufio de pecuniis repetundis poſtulatus. & quoniam multis criminibus teſtimoniiſque convictus, miſericordiam judicum, in qua una reliqua ſpes erat, precum humilitate concitare aſpernabatur; non evitaſſet triſtia ſuffragia, ni M. Antonii eloquentia ingenioque fuiſset liberatus.

Fugitivi in Circum deducti, mutuis vulneribus ſe conficiunt.

M. Antonius M. Aquillium defendit.

V. Is inter perorandum moto inſigniter conſeſſu, quum & ſedenti inter judices Mario collegam ſuum, communemque imperatorum ſortem commendando,

dando, lachrumas expressisset, mira movendorum affectuum arte mœstum atque sordidatum senem excitavit. *Huc*, inquit, *ades M. Aquilli, & quoniam verba mea fletus impedit, tu saltem pro temetipso, in hoc fortunarum capitisque discrimine hos roga. Est omnino, est etiam, ubi fortes viros non pudeat, demittere paulisper invictos spiritus, & quemadmodum deos, sic etiam in quorum manibus fata nostra dii posuerunt deprecari. Me miserum, non movetur, silet, siccos oculos, vultum priorem retinet: homo nihil ab adolescentia aliud meditatus, quam ut omnia quæ sibi putaret optanda, per virtutem obtineret, quid sit rogare nescit*

VI. *Vos igitur judices quid facietis? quo tandem animo eritis? hancne condemnabitis tam rigidam mentem, quæ, utinam aliquantum suo periculo flecteretur. Sed ille maximis periculis assuetus, timoris expers, & qui in asperrimis bellis militem constantissimum, imperatorem invictum præstitit; interire quam supplicare melius, sanguinem quam lachrumas fundere facilius putat. Atque utinam, quæ pro Republica passus sit vulnera, quas exceperit plagas, videre possetis: non vererer ne minus ad misericordiam facta hujus, quam aliorum verba valerent; neve sanguini huius pro Republica effuso denegandum clementia vestra duceret quod multorum sæpe reorum pro semetipsis edito plorattui tribuendum judicavit.*

Excusat reum quod supplicare nesciat. Cic. pro Milon. cap. 37.

VII. *Sed bene*, inquit, (tunicam Aquillii cum dicto scindens) *quod fide cicatrices adhuc indubitabili testimonio vulnerum pro patria exceptorum honesta loca monstrant: pro hac, inquam, patria, cuius conspectu carere miserum esset eos quorum opera conspicuam suam inter omnes populos amplitudinem illa retinuit.* His atque similibus ab Antonio dictis, quum etiam multa de vulnere illo, quod Aquillius ab Athenione acceperat, dixisset, & si post hæc omnia talis amittendus civis esset, facunde miseraretur; concionem universam velut injecta manu ab ira criminum, ad lenitatem ac misericordiam ita retraxit, ut summa populi Romani voluntate, M. Aquillius haud dubitanter absolveretur. quod notabile summi Oratoris artificium, neglectum annalibus, solo Cicerone auctore, Livius in historias suas retulit.

Tunica eius discissa cicatrices monstrat. Quintil. 2.15.

VIII. Interim Siciliam supra horibiles bellorum calamitates, etiam magistratuum Romanorum avaritia crudeliter vexatam L. Sempronius Asellio Prætor abstinentia & æquitate sua recreavit, quæ res quo rarior his temporibus, eo magis necessaria diligentius quam in transcursu notanda est. Romanus populus, quum olim bonis legibus institutisque uteretur: maxima bella feliciter confecit: multisque devictis populis pulcherrimum & firmissimum omnium, quorum memoria exstat, imperium constituit. Sed eodem auctu crescente fama atque opibus superbia & luxus invaluit: explosaque veteri frugalitate & patientia, qui in otio atque deliciis contererent vitam, clari beatique habebantur. Sumptuosæ epulæ, unguenta, vestis stragula, ceteræque supellectilis immensa pretia in honore erant: quacumque adspiceres ebore atque argento nitebant triclinia; neque ea potior pars impensarum, materiam longe uincente manipretio.

L. Sempronii Asellionis laus Livii Epitom. Diod. apud Valesium.

Florus 3. 12. 7. Diodorus.

IX. Vina quantumuis bona, nisi Falerna aut Chia essent, contemnebantur: in piscibus, ceteroque obsonatu, idem fastidium erat, neque alia

Scævulæ integritas & justitia.

Plin. 14. 6. 5. 9. 17. 9. 7. 39. 5. Diodorus. Just. 38. 8. 10. Plin.

reliquarum rerum ratio mollibus pellucidisque vestibus, meretricio potius quam muliebri cultu juvenes amicti vel in foro conspiciebantur. Atque inter hæc certamina vitiorum, uti cuique rei dignitas ex insania hominum constabat, pretia in immensum augebantur. Falernum centenis in testam denariis: Pontica salsamenta quadringenis vendebantur: quaterna talenta coquorum laudatorum æstimatio erat: delicatos pueros etiam majore multo pecunia licitabantur. Hi mores ut exhaurire arcas docuerant, ita his artibus exhaustas aliis æque perniciosis replere cogebant inde mira mox rapinarum, injuriarum, fraudiumque & perjuriorum seges. neque alii jam in provinciis quam apud Urbem mores erant: luxus & avaritia omnia pervaserat.

Q. Mucii Scævolæ integritas.

X. Sed supererant adhuc pauci ex insignibus viris pristinæ severitatis & parcimoniæ memores: quibus debet imperium populi Romani, quod aliquanto diutius stetit. Hi ubi in provincias cum imperio venissent, serio vitiis obviam ibant non magis acerbitate pœnarum edictorumve, quam exemplo: quum suam quisque vitam, velut ex alto & conspicuo loco, imitandam provincialibus proponerent. Ex his vel clarissima fama circum hæc tempora Q. Mucius Scævula fuit. Qui Prætor in Asiam missus, probatissimum ex amicis P. Rutilium integerrimæ vitæ hominem sibi legavit, cujus fide, consilio, industria ad omnia uteretur. Jam primum neque ipse cuiquam ne minimo quidem sumptui erat; neque comites esse patiebatur: omnia, quæ socii Proconsulibus Prætoribusque præbere consueverant, sua pecunia emebat.

Val. Maxim 8. 15. 6. Diodorus.

Et in provincia administranda justitia Cic. ad Attic. 6. 1. 38. Diodorus.

XI. Frugalitate deinde & incorrupta justitia provinciam ex pristinis calamitatibus mire recreavit. Superiores Proconsules, ne offenderent Equites, in quorum manu judicia Romæ, & apud eosdem in provinciis publica erant; quadam quasi societate cum avaris & violentis hominibus inita ferri agique omnia ex illorum arbitratu sinebant: interdum & ipsi pro se rapiebant, spoliabant: nihil à cupiditate intactum; nihil à libidine purum patiebantur. At Q. Scævula se suosque abstinentia, ceteros jure diligenter & sancte dicundo, & qui eorum insanabiles essent, pœnis coërcebat. Asiaticos suis legibus inter se disceptare jubebat: pactiones publicanorum servabat: extra quam si ita negotium gestum esset, ut eo stari non oporteret ex fide bona de quibus rebus in jus itum esset, quod caussa cognita dati judices (dabat autem inculpatos) pronunciassent, dari fieri exclusa calumnia cogebat. atrociora crimina capitali vindicta inexorabiliter prosequebatur: ut etiam dispensatorum societatis facile principem quamquam de libertate cum dominis pactum, manumissione non expectata, in crucem tolleret.

Publicanorum injurias coercet. Cic. ad Attic. 5. 17. Cic. Verr. 2. 2. & ibi Pedianus, & adhuc Pedian. in divin. Val. Maxim. 8. 15. 6.

XII. Interim & publicani, spectaculo ipsis acerbo, provincialibus læto, omnibus novo, ab iis quos antea modis omnibus impune vexaverant, condemnati in vincula ducebantur. *His rebus quum per menses ferme novem (nec enim diutius in provincia fuit) indefensam operam dedisset*: tantam ubique approbationem promeruit, ut & in provincia decreto civitatum Mucia festum instituerentur: & Senatus deinceps ituris in provinciam magistratibus, exemplum atque formam officii Scævulam proponeret. Haud dubie publicani fremebant. nam & occasione vindictæ oblata, quum in Scævulam non possent, in Rutilium deinde virus conceptum bilemque turpiter effuderunt, ut in loco exsequemur.

Ascellionis abstinentia & æquitas.

XIII. Sed P. Asellio patre Quæstorio natus, quem recens Q. Scævulæ gloria laudabili æmulatione accenderat, optimum ex amicis C. Longum secum in Siciliam legatum & adjutorem duxit. Syracusis deinde splendidissimum Equitum Romanorum adhibuit Publium quemdam quem, vidit & valde laudat, forte beneficiis eius usus Diodorus, cuius ex reliquiis hæc nobis historiæ concinnata est portio. Horum consiliis & opera tumcę etam jurisdictionis partem præclare absolvit: tum imprimis effecit, ut iis maxime prospiceret, quorum opportunissima ad iniuriam infirmitas erat. Pupillis enim & viduis quibus legitimi tutores non essent, quum alii magistratus dare tutorem consuevissent, tutorem neminem dedit: *se tutelam illorum curamque recipere* professus. præstititque promissa, & litibus eorum omnibus diligenter & integre judicatis, ipsos patrimoniumque eorum contra potentium aut callidiorum hominum iniquitatem protexit.

Mucii exemplum Asellio sequitur.
Diodorus.
Pr. Inst. de Atil. tut. in fin. de Offic. Præt.
Diodorus.

XIV. Privatis etiam publicisque maleficiis secundum leges moresve bonos coërcendis adsiduum vindicem, pacis vigilantissimum custodem exhibuit; servos, ne iterum res novandi occasiones captarent, cum telo esse vetuit. Hæc instituta quum toto imperii sui tempore constanter retinuisset, ita decessit ex Sicilia, ut quam intraverat miserrime adfectam insulam eam tantum non ad pristinæ felicitatis exemplum beatam florentemque relinqueret. Romæ quoque Censores creari non tempus magis, quam mores postulabant. Petiturus esse Marius credebatur. sed ille abstinuit, offensas declinans, quæ tam corrupta civitate bono Censori certæ grauesque imminebant. sic ipse prætulit uerbis: sed alii metu repulsæ territam hominis ambitionem putabant, quod ex Apuleiana seditione magna se apud Senatum pariter populumque inuidia laborare sentiret.

Salutari Siciliæ instituto. Cic in Verr. 5. 3.
Plutarch: Mario. cap. 32.

XV. L. Valerius L. F. L. N. Flaccus, M. Antonius C. F. M. N. creati. T. Didius Consul in Hispania citeriore contra rebelles signis collatis feliciter dimicauit. eidemque prorogata in annum sequentem Prouincia est, quo Cn. Cornelius Lentulus P. Licinius Crassus Consules fuerunt. *His Consulibus anni magni conversionem cum phœnicis avis vita (sic enim solere) Manilius senator factam prodidit circa meridiem, quo die signum Arietis Sol intraverit.* Hoc demum anno Senatusconsultum factum est, *ne homo immolaretur*. & ex eo sociis etiam qui tam prodigiosa sacra usurpabant, jus interdictum. In Urbe supplicatum est, quod androgynus inventus erat: homo in mare deportatus est. Pisauri ex terra fremitus auditus.

T. Didius in Hispania bene rem gerit.
Capitol. Fragmen.
Iul. Obseq.
A. V. C. 656
Anni magni conversio.
Plin. 10. 2. 3. 30. 1. 23.
Plutarch. Quæst. Rom. cap. 83.

XVI. Muri pinnæ sine terremotu passim dejectæ, ciuiles significare discordias nisæ. Nursiæ simulacrum Jouis in partem sinistram conuersum. Cupressea simulacra Junonis Reginæ posita sunt per uirgines ter nouenas, quæ Urbem lustrauerant. Conditum a Censoribus Lustrum est quintum atque sexagesimum. Alia Censuræ acta latent; nisi quod princeps Senatus lectus est M. Æmilius Scaurus, quem & superiores Censores binis lustris legerant, nec enim ornata ab Antonio manubiis Imperatoris Rostra magnopere ad rem pertinent. Una tamen res haud indigna memoratu, motus Senatu M. Duronius traditur, quod legem de coërcendis conuiuiorum sumptibus latam Tribunus plebis abrogarat. isque M. Antonium, ab hac ira postulavit ambitus; faceto ad Censorem Helvii Manciæ dicto; *aliquando ipsi suum negotium agere liceret.*

Prodigia.
Capit. Frag.
Cic. de Orat. 2. 47. 3. 3. 2. 68.
Val. Maxim. 2. 9. 5.
Iul. Obseq.

Adversus Mæsos & Celtiberos, bene pugnatur. Cic. in Pison. cap. 34. Jul. Obseq. Liv. Epitom. Saluft. apud. Agel. 3. 27. Plutarch. Sertor. cap. 4. Eusebius num. 1916. Cassiod. Chron. Scalig. ap Euseb. n. 1953. A. V. C. 617. Prodigia.

XVII. Eodem anno contra Mæsos Dardanosque, itemque in citeriore Hispania, bene gesta Respublica est. Prius illud decus incertum est, utrumne sit ad alium quem ducem referendum; an uero tribui C. Sextio debeat, quem Proprætore Macedoniæ Denseletis sociis, aduersus cęterorum barbarorum defectionem bellasse nouimus. Celtiberos eorumque socios haud dubie T. Didius Proconsul uicit. quo tempore incluta Q. Sertorii uirtus fuit, qui in exercitu Didii Tribunus militum agebat. Cn. Domitius Ahenobarbus, C. Cassius Longinus Consules sequuntur. Lupus Urbem ingressus, in domo priuata, bubo in Capitolio occisus. Fulmine pleraque decussa. Signa aurata Jouis cum capite, columnaque disiecta. Fæsulis sanguine terra manauit. Arretii mulieri è naso spicæ farris natæ; eadem farris grana uomuit. Urbs lustrata est.

Cyrenarum Regnum testamento Regis transfertur ad populum Romanum. Sext. Ruf. cap. 13. Justin. 39. 5. 2. Appian. Mithri. fin. Liv. Epitom. Eius Regni descriptio.

XVIII. Hoc anno Ptolemæus, qui Cyrenis regnauerat, quum testamento populum Romanum hęredem reliquisset, decessit. Huic Ptolemæo cognomentum *Apioni* fuit: ab Ægyptio numine Api. quo etiam uocabulo Rex alter fuit, qui nicesimo post anno Libyam in qua regnauerat, imperio populi Romani, eodem usus genere liberalitatis, adjecit. eaque parum animaduersa res, ad perturbandam rerum gestarum seriem fraudi quibusdam scriptoribus fuit. Cyrenaicum Regnum eo tempore civitas maxime Libyæ Pentapoleos complectebatur, à numero pręcipuarum urbium *Pentapolis* appellata. Prater ipsam Cyrenen, Berenice, Arsinoë, Ptolemaias, Apollonia fuerunt.

XIX. Id Regnum antiquitus ditionis Ægyptiorum Regum fuit: Ptolemæo Physcone genitus Apio, fedex pellice, testamento patris acceptum, ad Romanos, quam suam stirpem transmittere maluit. quod quo minus prohiberent qui tum Ægyptum tenebant, præter inveteratam nominis Romani magnitudinem, domesticis incommodis vetabantur. Ne tamen per occasionem amissa recuperarent, ipsis fortasse Cyrenensibus adsueta imperia, quam nova & externa desideraturis; *civitates liberas esse*, *suisque legibus uti* Senatus jussit: satis pro suo futurum ratus, quidquid alienæ ditioni detraxisset.

C. Sertorius Castulonem recuperat. Plutarch. Sertor. cap. 4.

XX. Hoc etiam anno res in Hispania Imperatore T. Didio gestæ. Urbs celeberrima Celtiberorum Castulo culpą militum amissa, statimque virtute & ingenio Q. Sertorii recuperata est adiecto & auctario vicini oppidi expugnati, a cujus juventute adjuti rebelles fuerant. Quippe Castulonenses, ubi pars Romanarum copiarum hibernabat, quum ex copia rerum milites multa petulanter, & plerumque tumulentos agere viderent, à Gyrisenis clam evocato auxilio, passim per domos, ut quemque Romanum nacti erant, obtruncant. Orto tumultu Q. Sertorius cum paucis, qui forte cum eo erant, oppido elapsus, aliosque subinde, qui inter trepidationem evadebant, colligens, mœnia circumibat, donec ad portam qua admissi hostes fuerant, pervenit. ad quam collocato præsidio, quod facere Hispani, dum ad occidendum præsidium plus celeritatis quam consilii adhibent, neglexerant; cum cęteris irrumpit in urbem: incautos & nihil jam hostile, deletis aut fugientibus, ut rebantur, Romanis exspectantes invadit, turbat. pars intra oppidum, multi ad portam, quo erupturi properaverant, opprimuntur.

Gyrisenorum

XXI. Puberibus omnibus interfectis, Q. Sertorius armis vestibusque Celtiberorum sumptis, protinus ad Gyrisenos tendit. Illi specie patrii cultus de-

cepti, quum redire suos re Castulone ex sententia perpetrata putarent: portis patentibus obviam per gratulationem effunduntur. ibi facta celeriter impressione, multi mortales intercepti: cęteri dediti sub corona venierunt. Egregium deinde par Consulum iniit P. Licinius Crassus, Q. Mucius Scævula, qui in omnibus magistratibus, præterquam Tribunatu, collegæ fuerant. His Consulibus & caussæ Socialis belli quædam, & præsagia complura exstiterunt. Lex Licinia Mucia de civibus regundis qua maximus numerus sociorum pro civibus Romanis se gerentium, ad suas quisque civitates remittebantur, ita alienavit principum Italicorum animos, ut ea vel maxima caussa belli post triennium erupturi fuisse credatur.

Oppidum pulchro stratagemate capit. A. V. C. 658. Socialis belli caussæ & præsagia. Cic pro Corn. Apud Ascon. Cic pro Bruto cap. 43. Cic. Offic. 3. 11.

XXII. Prodigia multa nunciata sunt. Lactis pluvia Cære: Hiatus terræ Venafro. Pręterea fulminis afflatu pleraque animalia exanimata. Agnus biceps; puer ternis manibus pedibusque natus. sed hastas Martis motas, tumultus certam significationem habere visum: illud etiam instantis inter consanguineos populos belli, quod vultures canem mortuum laniantes ab aliis vulturibus occisi comesique fuerant. Sed & maioris miraculi res additur: Eutychiden quemdam Lebadiæ in Throphonii antrum digressum (multorum mensium expiatione, variisque superstitionum & terribilibus ludribiis, curiosorum hominum ea temeritas constabat) tabulam æneam extulisse, quæ ad Res Romanas pertineret.

Prodigia. Ascon. in Cornelian. Jul. Obseq. Pausanias. lib. 9.

XXIII. Cęterum domi forisque satis tranquillus annus fuit. eoque Q. Scævula Consul, quum alioquin regendis provinciis, ad gloriam ex Asia partam nihil ultra posse adiici putaret, detrahi aliquid posse; ne sumptui esset ærario, provinciam deposuit: cuius cupiditate plerique, etiam satis boni solebant delinquere. L. Crassus Galliam citeriorem sortitus, provinciam excursionibus ignobilium latrunculorum infestam pacavit, summa diligentia oppressis prædonibus, *quem ideo spiculis prope scrutatum esse Alpes* Cicero dixit, *ut ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret.* Sed huius quidem ineptæ cupiditatis fructu caruit: opprobrio manente. Quum enim Romam reversus triumphum à Senatu postularet, Senatusque propter summam ejus in Republica potentiam ac dignitatem in decernendo gratificaretur, Q. Scævula non dubitavit Reipublicæ magis quam collegæ habere rationem, intercessitque ne Senatusconsultum de triumpho ejus fieret, qui neque eo nomine, neque numero præditos, ut digni essent, qui hostes populi Romani esse dicerentur, adhæc nullius illustris, neque certi ducis signa sequutos confecisset.

Consul Scævula provinciam deponit. Jul. Obseq. Ascon. in Pisonianam. Cic. de .ureh. 2. 8. Cic. in Pison. cap. 26.

XXIV. Ita contra virum eloquentissimum, integerrimi gravissimique, auctoritas vicit, ne peruulgato eximiæ virtutis aut felicitatis præmio; & iniuria honorem cum severa lege meritis; & Reipublicæ detrimentum prouenirent; minus postea adnisuris plerisque, si eadem merces mediocribus rebus, quæ maximis, summaque ut plurimum cura periculoque conficiendis præstaretur. De cętero sancte integreque consul Licinius præfuerat: ut neque inimicorum judicia conscientiamque exhorresceret. Namque C. Carbonem euius patrem damnaverat, studio vindictę ad speculanda acta sua venientem, adeo non submóvit, ut insuper locum ei daret in tribunali, nec nisi eo coram cognosceret. Dixisse tamen Crassum ferunt, quum se ita videret observari, se nullius rei tam pœnitere, quam quod umquam in iudicium vocauisset.

Præmia non eadem mediocribus rebus danda, quę maximis. Cicer. Val. Maxim. 3. 7. 6.

Heleſinis leges ſcribuntur à C. Claudio. Cic. Verr. 3. 2. 2. 49.

XXV. Interim in Urbe Siculis Haleſinis, quod habebant inter ſe de Senatu cooptando controverſias, Roma leges petentibus; cenſuerunt Patres *uti C. Claudius Ap. F. Pulcher, prætor, de Senatu cooptando leges conſcriberet*. C. Claudius, qui antiquis noviſque de cauſſis bene Siculis cupiebat, adhibitis omnibus Marcellis qui tum erant, inſulæ Patronis, de eorum ſententia leges Haleſinis dedit, *ne quis minor annis triginta, quive quæſtuariam artem exercuiſſet; cuive cenſus juſtus non eſſet, legeretur*. Iiſdem Conſulibus graviſſimam ſeditionem Tribunus plebis C. Norbanus excitavit, die Q. Servilio Cæpioni dicenda. Reum L. Licinius Conſul defendebat. intercedebaturque rogationi à duobus de collegio L. Cotta, T. Didio. ſed Norbanus concitata plebe, & vi pulſis ex templo intercesſoribus pertulit legem.

Seditio in judicio Cæpionis. Cic. Bruto. cap. 44. Cic. de Orat. 3. 47 Val. maxim. 6. 9. 13. Timag. apud Strab. lib. 14.

XXVI. In illo tumultu & fuga quum alia indigna facta, tum M. Æmilium principem & Senatus & civitatis lapide percuſſum eſſe conſtabat. Damnatum fuiſſe Cæpionem, atque in carcerem ductum conſentitur. exinde duplex fama eſt: alii necatum, & a carnifice in Gemonias unco tractum; alii exemptum vinculis, in exſilium iviſſe tradiderunt. quæ & à pluribus affirmata, & alioquin probabilior ſententia eſt, exſtante quoque liberatoris nomine. *L. Rhegium Tribunum plebis* edunt; *cum veteris amicitiæ memoria: non auctorem modo libertatis, ſed etiam comitem fugæ fuiſſe*. Certe M. Cicero inter exempla clarorum virorum, quos ipſe viderit civitatem Romanam amittere, Q. Cæpionem nominat, eumdemque Smyrnæ civem effectum ait: quemadmodum (paulo poſt hæc tempora) P. Rutilium.

Cæpio bis damnatus.

XXVII. Bis damnatum eſſe Cæpionem (nam & ſtatim poſt infelicem pugnam Senatu motum bonis publicatis oſtendimus) incredibile videri non debet, tempora Reipublicæ & legem Norbanam per vim latam reputantibus: præſertim quum alioqui novum non eſſet, eumdem ſæpius diverſis ex cauſſis damnari, quod & in C. Catone factum eſſe docui; & antea ob rem male geſtam, nunc ob ſacrilegium auri Toloſani condemnatus videri poteſt. Nam & auri Toloſani mentio nuper in Apuleii Tribunatu mota fuerat: & *hanc exſilii cauſſam fuiſſe Cæpioni diſerte* Timagenes prodidit, à quo etiam annotatum, divinæque ultioni adſcriptum eſt, *liberos Cæpionis impudicitiæ criminibus infames turpem vitæ exitum habuiſſe*. Ejuſdem anni comitiis ex tribus candidatis Conſulatus L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus deſignatus eſt: alterum (L. Cornelium Dolabellam fuiſſe non inani conjectura putant) hominem ita nobiliſſimum, ut tamen in eo cætera ornamenta pluris, quam ipſa nobilitas, eſſet, C. Cælius Caldus homo novus, nec ulla ferme re conferendus, in petitione ſuperavit.

Strab.

Pighi.

Cicero de Polit. Conſ. cap. 3.

Prodigia. A. U. C. 659. Jul. Obſeq. Cic. de Orat. 2. 25. & 49. Val. Maxim. 8. 5. 2. Cic. divin. cap. 16.

XXVIII. C. igitur Cœlio, L. Domitio Conſulibus Novemdiale ſacrum fuit quod in Volſca gente lapidibus pluerat. idem prodigium è Veſtinis nunciatum. Vulſiniis Luna nova decidiſſe viſa, non niſi poſtero die hora tertia comparuit. Puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina fœminea natura, mortua nata. Avis incendiaria viſa, occiſaque. Fax in cœlo apparuit, & totum cœlum ardere viſum. Terra ſanguine manavit, canes ſaxa tegulaſque vulgo roſerunt. Fæſulis ingens multitudo inter ſepulchra lugubri veſte, pallida facie, interdiu ambulare gregatim viſa. P. Sulpicius C. Norbanum L. Apuleia reum fecit maieſtatis, celebris poſtea orator, & jam in illa adoleſcentia non contem-

mnendus. ideo caussam quoque idoneam nactus, tantum excitarat incendium, ut L. Crassus ad restinguendum vix conaretur accedere.quum etiam princeps M. Scaurus religione testis, studio & acerbitate accusatoris in reum incubuisset.

XXIX. Sed Crassus *Quæstorem sibi Norbanum fuisse* memorando, *cui ipse Romanis moribus parentis esse loco debeat*, caussam invidiosissimam tanta dexteritate tractavit; ut quum inter initia vix tenuis venia daretur pro seditioso & pravo homine dicenti, optatum judicii eventum absoluto Norbano habuerit. Crimen ab audacia Tribuni ad Romani populi nec injustum dolorem referebat, reprehendendaque Cæpionis fuga, & exercitus deplorando interitu, dolorem suos lugentium oratione refricabat: ut jam ipsi quoque judices, mœstitia & murmure adstantis populi, memoria publicæ calamitatis, & proprio in Cæpionem odio (Equites enim Romani judicabant, à quo ordine judicia ad Senatum transferre Cæpio molitus fuerat) quidquid in illum à quoquam factum esset, non injuria accidisse crederent.

Crassus Norbanum defendit.

XXX. Scauri quoque ceterorumque testimonia, non inficiando, sed ab eadem populi ira refellebantur: *quod per illam excitato tumultu esset factum, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude Capitali poni non oportere*. Ita vir disertissimus, seditioso ac inutili cive in Republica retinendo, præclaras fori artes & pulcherrimum vitæ civilis instrumentum misere dehonestabat. Sub idem tempus decem in Hispanias legati sunt, ordinandis provinciis, quas T. Didius P. Crassus Proconsules recens pacaverant. P. Crassi res adeo sepelivit vetustas, ut vix In Hispania fuisse sciremus, nisi Triumphi ejus exstaret memoria; Straboque nobis P. Crassum narraret ad Cassiterides insulas ex Hispania navigasse.

Decem legati mittuntur in Hispanias. Cic. de Offic. 2. Appian Hisp. Strab. Fen. lib. 3. Front. Strab. 2. 10 1. Appianus. Liv. præfat. Cic. pro Muren. cap. 17. Val. Maxim. 3. 8.

XXXI. T. Didii aliquanto illustriora gesta sunt: qui Vaccæorum millia viginti occidit: Termestinos, validam nec umquam satis pacatam gentem in planum deducere urbem coëgit & cingi mœnibus vetuit. Colendenses, oppido post novem mensium obsidionem recepto, cum uxoribus & libris vendidit. Hæc omnia vir belli peritissimus, non vi tantum ac armis, sed etiam ingenio veteranique ducis calliditate perfecit. Semel acerrimo prœlio, quum ad noctem usque, sicut incerta victoria, ita multa utrimque cæde pugnatum esset; pleraque suorum corpora silentio densæ noctis sepelienda curavit. Postridie Hispanis per inducias ad simile officium procedentibus, quia multo pauciora Romanorum quam sua cadavera cernebant, ceciderunt animi: conditionesque pacis ex voluntate Imperatoris acceptæ sunt.

T. Didii gesta in Hispania.

XXXII. Pulchrum & bonis quoque viris imitabile vaframentum hoc fuit: illud alterum, licet decem legatis approbantibus, numquam laudaverim. Quosdam ex Celtiberis convenas circa Colendam C. Marius annis aliquot ante locaverat. iique audaces & egeni pacem provinciæ, in posterum quoque turbaturi videbantur. Idcirco postquam agros Colendensium, hos enim T. Didius promiserat, accepturi cum uxoribus & liberis ad castra Romana venissent; educit milites Proconsul, castrisque recipit barbaros: sic enim numerum capitum describi melius posse. ab eadem caussa segregari pueros mulieresque à viris jubet. Postremo his ita uti voluerat factis immisso milite universos trucidat. adeo jam in præceps ire mores à veteri gravitate cœperant; ut homines se mirifice callidos, patriæque vehementer consultum existimarent, quod particulam ditionis superuacuæ, ne

Ejus illaudatum stratagema. Plin. 19. 8.

sic quidem firmiter, populo retinebant: justitiam famámque, quibus nulla per hómines possessio est præstabilior, decoxerant.

L. Philippi repulsa. A. V. C. 660. Laserpitium Cyrenis publice advectum. Eusebius. Chron. Jul. Obseq.

XXXIII. Hujus etiam anni Comitia non dissimilem superioribus eventum habuerunt per L. Philippi repulsam: quem nobilissimum eloquentissimumque virum, eumdemque summa apud ordines gratia, obscuræ sortis homo M. Herennius superavit; C. Valerio Flacco collega additus. His Consulibus Cyrenis advecta publice Laserpitii pondo triginta, sic libertatem istis civitatibus ab Senatu indultam esse arguunt, ut tamen vectigalium agrorumve pars populo Romano exciperetur. sicut raro gratuita sunt potentiorum beneficia. Natus eo anno poëta nobilis traditur, T. Lucretius Carus.

Prodigia.

XXXIV. Prodigia multa fuerunt. Romæ & circa, fulmine pleraque decussa. Ancilla puerum unimanum peperit. Fregellis ædes Neptuni nocte patefacta. Vitulo mari quum exta demererentur; gemini vitelli in alvo ejus inventi. Arretii signum æneum Mercurii sudavit. In Lucanis gregem vervecum, quum pasceretur, & nocte in stabulo, flamma circumdata nihil adussit. Carseolis torrens sanguinis fluxit. Lupi Urbem ingressi. Præneste lana volitavit. In Apulia mula peperit. Romæ milvus in æde Apollinis comprehensus. Herennio Consule bis immolante, iecinori caput defuit. In sacro novemdiali cœna deæ posita, à cane adesa antequam delibaretur. Vulsiniis prima luce flamma cœlo emicare visa, quum in unum coisset, os flammæ ferrugineum ostendit; cœlum visum descendere, cuius hiatu vortices flammæ apparuerunt.

Sullæ Prætoris ludi. Plinius l. 8 20. Auct. de Vir. Illustr. cap 75. ex Emendat. Pighi. Seneca. de Brevit. vitæ cap. 21. Val. Maxim. 7. 5. 5. Plutarch. Sulla cap. 6. Cic. de Offic. 2. 16.

XXXV. Hæc tam multa atque formidabilia lustrationibus prospere expiata fuisse creditum: utique postquam domi forisque pax fuit, L. Cornelius Sulla Prætor, cui inter cives & peregrinos jurisdictio evenerat, centum leonum jugatorum pugnam in Circo dedit, omnium primus. neque hoc maximum in ea re miraculum, sed quod solutos dedit: quum antea alligati darentur. Rex Bocchus ornandis amici ludis & leones miserat, & Mauros jaculatores, à quibus conficerentur. Hanc Præturam Sulla, mox in manu totam habiturus Rempublicam, ægre, neque optimis artibus adeptus est. Jam inter anni superioris candidatos repulsam passus erat: quam ille sugillationem in commentariis suis hoc colore inumbrat, *populum maximos ab se ludos propter amicitiam Bocchi exspectantem, Prætura negata cogere ad Ædilitatis petitionem volvisse* nam ab Ædilibus, inveterato iam more, splendidissima munera populus exigebat.

Ejus Prætura non optimis artibus parta Marmo. Capitol. Ascon. in Pison. Jul. Obseq. Cic. apud Auct. de Caussis cot. rupt. Eloq. 35. 2. Suet. de claris Rhetor. 2. 6 Agel. 15. 21.

XXXVI. Sulla, cui præter ætatem minoribus gerundis magistratibus tempus terere non placebat; Ædilitate tranimissa, nihilominus comparavit bestias, in Prætura daturus. eaque spe, simul ambiendo largiendoque, populum induxit, ut iterum, petentem, Prætorem facerent. Idque salsè ipsi exprobatum est a Cæsare, de cujus faceto ingenio supra narravimus: qui Sullæ per iram minitanti, *sua se potestate usurum*; *recte*, inquit, *tuum appellas*, *quod emeris*. Eadem æstate duo, ex Hispania triumphi à duobus Proconsulibus intra triduum ducti. A. D. IV. Idus Jun. de Celtiberis T. Didius T. F. Sex. N. triumphavit. pridie Idus de Lusitanis P. Licinius M. F. P. N. Crassus. Neque tamen Hispani quiescebant, quin statim res novas molirentur, nisi motus eos mature supplicio quorumdam principum, urbiumque ruinis Nasica compressisset.

Cen-

*XXXVII. Censoriis deinde Comitiis Cn. Domitius Ahenobarbus, L. Licinius Crassus facti, Latinos, uti se vocabant, rhetores claudere ludum impudentiæ jusserunt. Cujus edicti verba veneratione antiquitatis lubens refero. *Renunciatum est nobis esse homines qui novum genus disciplinæ instituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quæ liberos discere, & quos in ludos itare vellēt constituerunt. Hæc nova quæ præter consuetudinē ac morem majorum fiunt, neq; placent neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habēt, & iis qui eo venire consueverunt, videtur faciundū ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere.* Cn. Domitii, L. Crassi Censura.

XXXVIII. Credo multos eorum, qui talia nunc legunt, ex præsentibus moribus miraturos, quid ita Crassus clarissimæ homo eloquentiæ, studia quibus favere debebat, sustulerit? imo tum quoque non defuerunt, qui dicerent, Crassum acui adolescentium ingenia, veluti per invidiam, noluisse: quum ille contra, ingenia obtundi, corroborari impudentiam nollet. intelligebat enim vir ingeniosissimus, quod utinam omnes qui civitatibus præsunt, quanto Reipublicæ dehonestamento & periculo, adolescentuli pro egregiis & profuturis, absurda, fatua, & ab usu rerum abhorrentia doceantur. Crassus Orator cur scholas Rhetorum sustulerit. Cic. de Orat. 3. 24.

XXXIX. Cæterum Censoribus haud plus contra mores aliorum, quam propter suos certaminis fuit. Crassi celebris contra collegam oratio fuit, qua in maxima populi concione, si umquam fuit, Cn. Domitium haud minus facetis quam seriis prudentibusque dictis obruit: in utroque genere pariter validus, ingeniique tam admirabili temperamento, ut urbanissimus salsissimusque omnium, idemque severissimus & gravissimus videretur. De Cn. Domitio Ahenobarbo dixit, *non esse mirandum, quod ahenam barbam haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum.* Novi inter hæc Consules C. Claudius Pulcher, M. Perperna supplicationem ad pulvinaria deorum indixerunt prodigiorum caussa. quod in æde Fortunæ Equestris bubo comprehensus inter manus expiraverat. Fæsulis fremitus terræ auditus; puer ex ancilla natus sine foramine naturæ, quà humor emittitur; mulier duplici natura inventa; fax in cœlo visa; bos loquuta fuerat. examen apum in culmine privatæ domus consederat. Censorum inter se certamina. Cic Brut. cap. 44. Cic. de Orat. 2. 56. Sueton. Neron. cap. 2. Vrb. cond. ann. 661. Supplicatio prodigiorum caussa.

XL. Volaterris sanguinis rivus manaverat. Romæ lacte pluerat. Arretii duo androgyni inventi; pullus gallinaceus quadrupes natus, fulmine pleraque icta fuerant. Populus Cereri & Proserpinæ stipem tulit. Virgines viginti septem carmen canentes, Urbem lustraverunt. Censores recensito Senatu, & M. Scauro quartum principe lecto, lustrum fecerunt sextum atque sexagesimum. quo inter se consensu, non reperitur: censuram sane totam dissimilitudine morum & frequentibus jurgiis discordem fuisse constat. quum austeritatem atque contumaciam Domitio Crassus, sumptuosam domum & alia luxui propiora Crasso Domitius objectaret. Lustrum conditum. Fasti Capitolin. 17. 1.

XLI. Sane multa egerat Crassus, quæ severe judicanti, Censorem haud satis decere viderentur. duos scyphos ex argento Mentoris manu cælatos sestertiis centum, hoc est, tribus fere millibus imperialium emptos: itidem argentum factum sex millibus nummis in libras, sive imperialibus plus minus centum quinquaginta, empta habebat. sed præcipue magnificam in palatio domum adversarius taxabat, graviterque increpans tanti habitare Censorem, pro illa sestertium sexagies (ad centum octoginta millia imperialium) identidem offerebat. Crassi Censoris luxus. Plin. 33. 11. 10. 17. 1. 36. 3. 1. Val. Max. 9. 1. 4.

Et Crassus, ut erat præsens ingenio semper, & faceto lepore solers, *addicere se* respondit, *exceptis sex arboribus*, eæ fuere loti, patula ramorum opacitate insignes. ibi Domitio, *ne uno quidem denario, si hæ demerentur, emptam domum cupiente;* Crassus *utrumne igitur*, inquit, *ego exemplo gravis, & ab ipsa mea Censura notandus sum, qui in domo quæ mihi hæreditate obvenit, comiter habitem; an tu, qui sestertio sexagies umbram sex arborum æstimas.*

Crassus murenam mortuã luxit. Val. Maxim. Plin. 34. 3. 6. 17. 2. Macrob. Saturna l. 3. 15. Ælian. Hist. Animal. 8. 4.

XLII. In eadem domo triclinia ærata & in atrio columnas habebat Hymettii marmoris, quarum decem ad ornandam in Ædilitate scenam, centum sestertia pactus, emerat: ipsas quoque exprobrante Domitio, quum eo tempore ne in publico quidem columnæ ullæ marmoreæ essent. Idem ei quasi deforme crimen in Senatu objecit, quod murenam in piscina domus suæ mortuam, atratus, tamquam filiam luctu prosequutus esset. Nec inficiatus ille tantummodo alia sugillatione pensavit probrum: *sibi quidem humanos affectus, & facilem in lachrumas misericordiam esse: at Domitium tres uxores siccis oculis extulisse.*

Cappadociæ Regnum Nicomedes & Mithridates adfectant. Memnon ap. Photium. Appianus, Mithrid. Plutarch. Mario cap. 33.

XLIII. Per ea tempora turbatæ res Asiæ pulcherrimam L. Sullæ crescendi occasionem præbuerunt. Cappadociæ Regnum hinc Nicomedes Bithynus, inde Ponticus Mithridates vehementibus studiis adfectabant, neque parum ad Romanos pertinebat, jura sociorum pacemque tueri. Sed acrius excitabantur Mithridatis incremento, cujus olim suspectam potentiam habebant. accedebat Marii cupiditas, qui nulla satietate gloriæ bellum optabat, quum aliarum artium rudis, rebus quietis senescere famam suam videret. Neque aliud ei propositum fuisse rebantur, quum in Asiatico itinere multas provincias obiret, quam ut res Regum speculaERetur, & eos inter se committeret, quo tempore Mithridati in colloquio aperte dixit, *aut parendum Romanis, aut operam dandam, quo esset illis potentior.*

Mithridates legatis Romanis molliter respondit. Diod apud Fulv. Ursin. Justin. 38. 5. 38. 2. 10. 38. 34. Memnon.

XLIV. Sed Mithridates, nondum ita paratis rebus, ut bellum sumeret, & illi, & qui postea venerant legatis, molliter respondit: neque thesauris pepercit, quo pacem retineret; & quamquam a Nicomede lacessebatur quievit. Scytharum quoque Regulis erepta restituere jussus, quædam reddidit. Cappadociam tamen uti relinqueret, ab animo impetrare non potuit. Hanc sua manu perfide interfecto sororis filio raptam, deinde iterum amissam, quum armis repeteret; Nicomedes suæ quoque Bithyniæ timens, Laodicen uxorem, quæ prius Ariarathi Cappadociæ Regi nupta fuerat Romam mittit: *ut se matrem adsereret pueri, cui Nicomedes, tamquam Ariarathis filio, Regnum tradiderat.*

Senatus Cappadociam & Paphlagoniam liberas esse jubet. Strab. l. 12. Justin. 37. 7. 8.

XLV. Hoc comperto Mithridates Gordium mittit, nihilo verecundiore mendacio defensurum, *filium ejus Ariarathis qui bello Aristonico cecidisset, puerum eum esse, qui esset à Mithridate in possessione Regni collocatus.* Senatus impudentiam Regum miratus, *Cappadoces, quod exstincta Regum stirps esset, liberos esse* jubet. idem decernitur de Paphlagonia, quam Nicomedes obtinebat: per filium ille quidem sed imposito *Pylemænis* nomine justum videri hæredem voluerat. Eo tempore Cappadoces admirationi Romanis fuerunt. *Magnas ageret Senatui populoque Romano gratias* dicebant; *qui se compotes facere vellent ejus conditionis, quam inter omnes Rerumpublicarum formas pro præstantissima omnium optimaque ipse populus Romanus elegisset.*

Cappadoces libertatem sibi salutarem esse negant.

XLVI. *Sibi quoque prima fronte nihil visum fieri posse felicius, quam si simili jure modoque, atque princeps omnium gentium populus regerentur. Sed postea sic à ma-*

joribus natu accepisse, quemadmodum singulorum hominum, ita generum etiam varias longeque inter se diversas differentias esse. paucos ad imperandum natos, nullius æqui juris tolerantes. alios sive ad regimen rerum, sive ad obsequium vocentur, parere per vices & imperare nosse: maximam hominum multitudinem ita comparatam, ut tantummodo sequi recte præcipientes, non etiam præesse cuiquam queant. In hac conditione quum pleramque Orientis partem, tum etiam Cappadocum genus esse. raros in ea gente viros excellentes & imperio dignos nasci. si libertas sit, summos magistratus sæpenumero perventuros ad eam hominum sortem esse, quæ ne sibi quidem consulere possint: nedum ut publicæ consulerent rei.

XLVII. *Inde nihil se præter incommodum dedecusque gentis, & internas exspectare posse discordias. In populo Romano multos esse præstanti virtute & moderatione viros, qui nec se indignos imperio censeant, nec aliis sibi similibus dicto audientes esse graventur. Sibi tam felicibus esse non licere. Cappadocū ingenia, nimis acerbe fortassis, non tamen prorsus sine causa (fatendum enim esse) proverbiorum carminumque mordacitate perstringi. Quidquid sit, ab ultima gentis origine Regibus paruisse Cappadociam constare. Nec à tam vetustis institutis esse ad longe diversa securum transitum, præsertim ubi nulla magna incommoda priorum tempora infamia aut odiosa effecerunt. Neque aut parum grati animi, aut nimis absurdi damnari se oportere, si oblatū à Romanis eum Reipublicæ statū abnuant, quo ipsi patroni uterētur.* Simi'i suam gentem Romanæ esse inficiantur.

XLVIII. *Etiam diis immortalibus nihil tam eximium aut dulce quam ipsam immortalitatem esse. tamen repertos dici, qui hoc accepto munere valde indoluerint. adeo quemlibet non quod optimum, sed quod sibi convenientissimum sit, expetere debere. sibi liquere, non posse Cappadoces sine Rege vivere.* Romani *nihil sua referre* dicentes, *si Regiam servitutem Cappadoces, quam libertatem æquam mallent, quem vellent ex suis ipsi legerent*, permiserunt. In Gordium multorum inclinabant affectus: sed quia palam erat, ingratum id ob amicitiā Gordii cum Mithridate Romano populo fore, Ariobarzanē legerūt. Senatus re audita *regnare Ariobarzanē* jussit. Quemlibet quod sibi convenientissimū sit, expetere debere.

XLIX. At Mithridates qui nec omittere Cappadociam, nec offendere Romanos sustinebat; adfinitate cum Tigrane Armenio, data ei in matrimonium filia sua Cleopatra contrahit. deinde per Gordium dissimulanter instigat, *ut Ariobarzani novo & segni Regi bellum inferat.* Mittuntur à Tigrane Mithraus & Bagoas duces: quorum primo adventu Ariobarzanes, sublatis rebus suis, Romam profugit. Hic rerum status, quum virum acrem, bellique & pacis artibus promptum desideraret, L. Sullæ, qui prætor superiore anno fuerat, Cilicia provincia decernitur, finitima Cappadociæ: non tantum ut eam inter Regni Syriaci præcipites casus, quos extremo hoc libro exponemus, populo Romano servaret; sed etiam ut adversus Tigranem Mithridatemque Reges ex propinquo & providere, quæ ex Republica essent, & conari facilius posset. Mithridates Tigranem concitat in novum Cappadociæ Regem. Just. 38. 3. 2. Appianus. Mithrid. Plutarch. Sulla cap 7. Auct. de Vir. illustr. cap. 75. Liv. Epitom. Vellejus 2. 24. 3.

L. Is modica secum adducta militum manu, cæterum sociorum auxiliis instructior, Gordium cum Cappadocibus occurrentem, multis hostium interfectis, profligat: mox Armenios, suppetias illi venientes, majori cum strage expellit Regno: reductumque Ariobarzanem nemine ultra resistere auso, Regem appellat. Quum deinde provinciam obiens circa Euphratem ageret; venerunt ad eum ab Arsace Parthorum Rege legati, amicitiam populi Romani petitum, neque parvum id Sullanæ felicitatis argumentum putatur, quod à Regum opulentissimo, qui Sulla Tigranis duces Cappadocia expellit.

primi missi legati sunt, eos ad hunc potissimum fortuna deduxit. Et agnovit, destinatam sibi magnitudinem Sulla, positisque tribus sellis, inter Ariobarzanem Regem & Orobazum (id legato nomen erat) medius adsedit. quod varie laudi aut crimini Sullæ datum; Orobazo capitale fuisse traditur, majestatis imminutæ vindictam severius exequuto Rege.

Judicium cujusdam physiognomicum de Sulla. Vellejus 2.3. Plutarch. Liv. Epitom. Cic. de Orat. 2.53.

LI. Ferunt Chalcidensem quemdam ex Parthico comitatu, qui se naturam cujusque ex forma perspicere profitebatur, considerato Sullæ vultu, animique & corporis motibus, *necessum esse* pronunciasse, *ut vir talis omnium evadat maximus. adeoque se mirari, quod etiamnum sibi quemquam æqualem esse pateretur.* Sed hæc quidem foris magnifica populo Romano pudenda domi judiciorum publicorum corruptio deformabat, quæ adversus pestilentes cives instituta, jam in perniciem bonorum vertebantur. P. Rutilius, quum confessione omnium probitatis atque innocentiæ exemplum haberetur, repetundarum postulabatur; longissime à moribus ejus abhorrenti crimine.

P. Rutilius ab improbis adversariis judicio adfligitur. Posidon. apud Athenæ. Senec. Epist. 82. 17. Cic. Bruto cap. 30. Cic. de Orat. 1. 53.

LII. Sed quia contra publicanorum injurias Asiam defenderat, conspiratione Equitum, penes quem ordinem tum erant judicia, facile & calumniatores improbos, & judices perjuros nactus est. Et quo magis sciamus, quales potissimum habuerit adversarios, præcipuus ei condemnationis auctor Apicius exstitit; haud minus iis temporibus luxu infamis, quam postea Tiberio imperante Marcus fuit. Sed res tam indigna non oppressit virtutem clarissimi viri, sed illustravit. Jam primum neque capillum barbamve reorum more promisit, vestemve mutavit; aut deprecatus quemquam est: & quum summis oratoribus, L. Crasso, M. Antonio amicis uteretur; neutrum adhibere voluit, injuriam interpretatus innocentiæ, si quæ malos quandoque defendisset eloquentia, ad eam in suo periculo confugere videretur: paulum partium C. Cottæ tribuit desertissimo adolescenti, sed filio sororis. Dixit & caussam illam ex parte quadam Q. Mucius, qui Proconsul illius in Asia fuerat, majore vir jurisprudentiæ, quam eloquentiæ fama.

P. Rutilii gravitas & injusta condemnatio. Cic. de Orat. 34. Cic. pro Fontejo cap. 13. Val. Maxim. Orosius. Vellejus. Diodorus: ap. Vales.

LIII. Cæterum ipse P. Rutilius, Socratem Atheniensem imitatus, quum præter pecunias captas, multa quæ ad suspicionem stuprorum atque libidinum pertinerent audivisset; ita respondit, ut objecta quidem perspicue dilueret: cæterum neque supplicaret judicibus, neque verbum ei ullum mollius aut viro bono indignum efflueret; reique magis publicæ quam suam vicem miseraretur. Sed ille, quum opinione bonorum omnium pro absoluto haberetur, scelere judicum, non sine gemitu civitatis est condemnatus.

Inter eius inimicos C. Marius. Val. Maxim. 2. 10. 5.

LIV. Hujus tam infamis operis particeps etiam fuisse C. Marius creditur, per inimicitiam Metelli infestus Rutilio, & communi adversus bonos odio, quorum veris meritisque laudibus barbarum ingenium gravabatur. Idcirco Rutilius, nullo inter tales commorandi desiderio, Mitylenen, relicta Urbe, migravit. quamquam exsilium ei jussum non erat. Bona tamen publicata: majori rubore judicum, quam domini damno. minorem enim pecuniam ei fuisse quam æstimata lis esset: eamque omnem justis legitimisque titulis ad eum pervenisse patefactum est.

Rutilius à civitatibus & Regibus summo honore adficitur. Liv. Epitom. Jul. Obseq. Sex. Ruffus.

LV. Itaque neque auctoritas summi viri, neque facultates ullum ex hoc judicio detrimentum passæ; quin magis ornatæ auctæque fuerunt. Simul enim Asiam eum petere percrebuit, omnes provinciæ civitates legatos obviam miserunt, ubicumque secessum optavisset, officia sua deferentes: & proficiscenti, ne quid deesset, Q. Mucii liberalitas providerat: deinde in Asiam ingressum, quotquot illum antea

Reges nationesque cognorant, tanta accipere munera coegerunt, ut multo copiosior esset exsul, quam ante judicium Consularis in Urbe fuerat. *Appian. Hispan.*

LVI. Dum ista Romæ & alibi fiunt, C. Geminius Prætor adversus Thracas infeliciter pugnaverat, magno Macedoniæ malo, quam victores, præcipua Mæsorum importunitate, cruente vastarunt. Sed in Hispaniam C. Valerius Proconsule missus, viginti millibus Celtiberorum cæsis, Imperator appellatus est. Belgedensis populi furor tumultum eum conciverat, obsesso in Curia, concrematoque Senatu suo, qui rebellare contra Romanos cupientibus resistebat. In hujus seditionis auctores, quotquot in manus venerunt, jussu Proconsulis post victoriam severe animadversum. *Nu. ap. Pigh. Thraces. Geminium vincunt.*

LVII. Inter hæc Rutiliani judicii recente invidia, quum Senatus Equestris ordinis Regnum in judiciis ferre non posset, ad se transferre judicandi potestatem nitenti M. Livius Drusus adjutorem se præstitit, qui tum creatus Tribunus plebis fuerat. Sed ille meliore fortassis animo, quam consilio usus, quo majores ad ea quæ parabat, sibi vires quæreret, ad deliniendam plebem Agrarias aliasque promulgare leges cœpit, pernicioso eventu, & quando & plebe, sociisque concitatis grave patriæ bellum, & sibi immaturum, suisque ornamentis, quæ præclara multa habebat, prorsus indignum exitum peperit. *M. Drusi Tribuni plebis actiones. Liv. Epitom. Flor. 3. 29. 3. 17. 4. Vellejus 2. 13. Auct. de Vir. Illustr. cap. 66. Orosius. 5. 18. Appian. 1. Civil.*

LVIII. Jam enim ad pœnas tot gentibus quo jure qua injuria oppressis Romanum Imperium sua vitia trahebant: ut sociali prius, inde civilibus bellis vexatum, paulatim eo deficeret, ut exhausta civitas, quæ consanguineos antea populos fastidierat, advenis vernisque replenda esset; neque jam cives modo barbaros, sed etiam dominos pateretur. Adhuc tamen non stabant modo Romanæ opes, sed etiam incrementum capiebant: iisdem fere qui domi malis consiliis moribusque Rempublicam affligebant; foris eamdem militaribus factis atque disciplina fulcientibus. *Romani Imperii mutatio in pejus.*

LIX. Neque minus vitiis externorum Regum, quam suorum civium industria res Romana crescebat. Jam Paphlagonum Cappadocumque Regna, alterum libertatem, alterum Regem à Romanis ita acceperat, ut tamen sua omnia in potestate populi Romani esse, non dubitarent. Cyrenen ab Ægyptiaco Regno, à Syris Ciliciam avulserant: majorumque inde progressuum caussas continua eorum Regum bella struebant. Neque alienum ab historia sua Livius existimavit, eas hoc loco res exsequi, quæ opulentissimo & maximo Regno, Seleucidarum senescente potentia, Romanos dominos imposuerunt. *Vitiis externorum Regum crescit. Liv. Epitom. Cic. Ver. 4. 30.*

LX. Sed hos tantarum rerum tam notabiles transitus, tenuibus scriptorum, iisque pugnantibus inter se reliquiis, quo laboriosius erat evolvere; tanto intentiore cura scrutatus, ut verissime potero, tradam. quando Reges isti non minus intricatam gestorum memoriam habent, quam gesta ipsa, nominibus, matrimoniis, imperiis prodigiose mixti, habuerunt. Neque qui nostro aut patrum ævo tempora curiose digesserunt, satis aut inter sese, aut cum rerum gestarum fide consentiunt. Igitur Josephum atque Porphyrium maxime, locis & ætati, de quibus scribimus proximos; & ubi variant auctores, probabiliorem sententiam sequuti, Grypum Antiochum, quinto & quadragesimo vitæ, undetricesimo Regni anno, cujusdam Heracleonis dolo interfectum ponimus, Regnum ad se trahere molientis, quo tempore Consulatum Romæ Cn. Cornelius Lentulus, P. Licinius Crassus gerebant. *Syriaci Regni senectus & deliquium. Joseph. 13. 21. Trog. Prol. 39. Athenæ. 4. 23.*

Seleucus Grypi filius.

Porphyr. apud Eusebium. Appian. Syriac. Joseph. Strab. lib. 16.

LXI. Igitur post longa fratrum certamina, quum submotus hoc modo Grypus Seleuco filio fecisset locum, atque ita veluti defessum pugilem recens viribus excepisset; superatus bello Cyricenus, quum caperetur, manus sibi intulit. Seleucus Antiochia potitus, Antiochum Cyriceni filium ad necem quærebat. Sed ille servatus meretricis opera, quæ propter eximiam formæ pulchritudinem eum deperibat, ad Aradios tamquam ad asylum confugit. Aradii enim, concessu Seleuci Callinici, hoc jure utebantur, ut Syria profugos bona Regum venia reciperent, neque dedendos repetentibus, neque invitis illis aut ignorantibus emittendos.

Ab Antiocho Pio victus perit.

LXII. At Syri, quos asperum Seleuci violentumque ingenium alienaverat, servatum sibi Regem miraculo jactantes, *Pium* appellarunt, tamquam morum merito gladios patruelis evasisset. Igitur, auctis ab eodem favore celeriter viribus, Seleucum expellit Syria: persequutusque in Ciliciam, apud Mopsuhæstiam prœlio vincit. Seleucus ad reparandas vires, quum acerbe pecunias exigeret, ab oppidanis igne in gymnasium, ubi diversabatur injecto, manu sua mori maluit: ædificium cum amicis Regiis incendio haustum est. Pro eo statim, tamquam Hydræ reciso capite, fratres Antiochus & Philippus, re & appellatione gemini, hostes Pio exoriuntur, quum fratris mortem capta rebelli urbe soloque æquata vindicassent; superveniente Pio amiserunt exercitum, alterque fratrum Antiochus, dum in fuga Orontem eques transmittere conatur, verticibus amnis una cum equo raptus est.

Quatuo Syriæ Reges intra triennium occisi.

Nu. apud Scaliger. in Euseb. num. 23.

LXIII. Nec eo segnius bellum Philippus prosequebatur, Philadelphi sumpto cognomine, ob gemini, ut videtur, fratris desiderium. Huic tam præcipiti mutationi rerum, quatuorque Regum mortibus, triennium fere suffecit: annusque tum tertius agebatur centesimæ septuagesimæ primæ Olympiadis, quo Consules Romæ C. Valerius, M. Herennius fuerunt. Philippo igitur Pioque de Syriæ Regno dimicantibus, quartus etiam Grypi filiorum diadema sumpsit Demetrius, quum ad cætera Syrorum mala, ne umquam deesse faces suscitandis bellorum incendiis possent, generis Regii fœcunditas accessisset. Eucærius is vocabatur: quem Ptolemæus Lathurus Cnido excitum, Damasci constituerat Regem.

Porphyr. Appian. Joseph.

Eorum intricata historia.

LXIV. Quæ deinde sequuntur, vix explicari possunt: ita miscente omnia scriptorum negligentia & dissensu vix tenuis intermicat strictura veri. Porphyrius Philippo biennium tantum tribuit Regni: Josephus etiam fratribus strenue resistentem Antiochum Pium, celeriter occisum à Parthis esse: Porphyrius pulsum ab æmulis, confugisse ad Parthos, ac ibi usque ad Asiaticam Pompeji victoriam fuisse tradit; Justinus in angulo Ciliciæ delituisse. Nobis nullum, cui certius ad veritatis inquirendæ usum insistere possimus firmamentum est, quam temporis haud dubia notatio, quo Syriam Pompeius ordinavit. Nam id Consulibus D. Junio Silano, L. Licinio Murena, factum esse constat.

Syria ab Tigrane occupatur.

Justin. lib. 40. Appian.

LXV. Sed octodecim ante hos Consules annis, ab Tigrane occupatam fuisse Syriam, Pompeji Trogi mutilator locis duobus adfirmat: à quo cur minime dissentire Appianum putem, ubi res referendæ Tigranis erunt, apparebit. Ergo ad L. Sullæ, Q. Metelli Consulatum, Antiochi Pii, & æmuli ejus Philippi Regna produci necessum est: quando hi dicuntur ab Tigrane Armenio spoliati. Cæterum Pius ille cognomento suo minime respondens moribus, Selenen novercam,

Ægyptii Regis aliquando conjugem, deide Grypo, postea Cyriceno nuptam in matrimonium accepit: honesti atque adeo humani moris in tantum perturbatis legibus, ut multiplicatarum inter duos necessitudinum varietatem intelligere labor sit: nominibus distinguere velle, vanitas. Mesopotamia vastatur à Parthis.

LXVI. Tales ferme quum Syriæ res esset, Regibus cognatis acriter inter se pugnantibus, gravior à Parthis Arsaces, ab Armenia Tigranes, hostis accessit. & intra biennium mortibus aut fuga Regum, omnis illa Seleucidarum progenies in Syria disparuit. Parthi Mesopotamiam populabantur. profectusque eo Pius Antiochus, si Josepho credimus, fortiter pugnans interemptus est. Sed verior sententia est, pulsum armis Philippi ac Demetrii ad Parthos fugisse. certe multos post annos superstes, atque adeo iterum Rex in Syria fuit. Inter has inexpiabilium bellorum clades Regum suorum pertæsus populus, ad externa respicere imperia cœperat. Porphyr. Trogi Prolog. 40.

LXVII. Tres omnino de quibus cogitari posset, Reges erant: Mithridates, Ptolemæus, & Armenius Tigranes. Ptolemæum ut perpetuum Syriæ hostem aspernabantur, implicitus bello Romano Mithridates (nec enim bellum fore in obscuro erat) ne Regnum quietis egens novis turbis involveret, timebatur. nihil melius visum, quam ad Tigranem concedere, cujus potentia sicut metuenda alienis, ità præsidio futura illi se permittentibus esset. In hanc sententiam itum. Tigranes Syriæ Regnum, imposito Magadate præfecto, multorum annorum sic satis pacata possessione tenuit. Ob has tum caussas, aliasque, de quibus est expositum, missus ab Senatu Sulla provinciam Ciliciam habuit. Syri ad externos Reges respiciunt. Justin. 40. 1. Appian. Syriac. Justin.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

M. Livius Drusus, Tribunus plebis, ut majoribus viribus Senatus caussam susceptam tueretur, socios & Italicos populos, spe civitatis Romanæ solicitavit: iisque adjuvantibus, per vim legibus Agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit, ut æqua parte judicia penes Senatum & equestrem ordinem essent. Quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Itali defectionem agitare cœperunt, eorum coitus, conjurationes, & conciones in conciliis principum, referuntur. propter quæ Livius Drusus etiam Senatui invisus factus, velut socialis belli auctor, incertum à quo, domi occisus est.

Urb. cond. an. 662. Prodigia frequentia. Plin. 33. 3. 2. 83. Jul. Obseq. Orosius. 5. 18 Cic. de divin. 1. 44. Strab. lib. 6. August. de civit. Dei. 3. 11.

I. L. Marcio Philippo, Sex. Julio Cæsare Consulibus, bonis ubique populi Romani rebus, prolato imperio, magnis ærarii opibus, in quo tum auri octingenta quadraginta sex pondo erant; prodigia quæ his omnibus interitum minari viderentur, frequentia exstiterunt. Sub ortu Solis, globus ignis à septemtrionali regione cum ingenti sono cœli emicuit. Arretii frangentibus panes, cruor è mediis fluxit. In Samnitibus, itemque Ænariæ vastissimo terræ hiatu, flamma prorupit, & usque in cœlum extendi visa est. In Vestinis per dies septem lapidibus testisque pluit. Circa Rhegium terra mota, pars magna urbis murique diruta. In Spoletino colore aureo globus ignis ad terram devolutus, majorque factus, à terra ad Orientem ferri visus, magnitudinem Solis obtexit.

Montes inter se cōcurrunt.

II. Cumis in arce, simulachrum Apollinis sudavit. Ædes Pietatis in Circo Flaminio fulmine icta: ancilla serpentem peperit. Sed nihil formidolosius fuit, quam quod in agro Mutinensi montes duo inter se concurrerunt crepitu maximo adsultantes recedentesque, inter eos flamma fumoque in cœlum exeunte, interdiu, spectante è via Æmilia magna Equitum Romanorum, familiarumque & viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ, animalia permulta; quæ interfuerunt, exanimata sunt.

De prodigiis sensus auctoris.

III. Sed mihi talia sæpe referenti, faciundum omnino videtur, ut quo proposito quaque caussa hæc recenseam, & quale de his concipiendum judicium putem, semel exponam. Ego vero quod in vetustioribus libris reperiebam, quum sæpe his recisis pauca de quorumdam annorum gestis superessent, quadam necessitate, & quia subinde inerant, quæ cognoscere cupidi antiquitatis non nollent; nequaquam prætermittenda censui. præsertim quum priscis temporibus tanti haberentur, ut in iis sæpe senatus populi Romani, Sacerdotesque, diu plurimumque fuerint occupati. Accedebat, quod idem à Livio diligenter factum esse videbam; neque consilium erat, historiam illius utcumque supplenti, præterire, quæ ab ipso pertractata fuisse constaret.

Raderus ad Curtium. 4. 10. 7.

Gregorius Livium abolere conatus.

IV. Sane non eram nescius, ob eam rem T. Livium quibusdam displicuisse: Papamque Gregorium quo narrari odio superstitionum, quas ille descripsisset laudassetque, tam infestum ei atque iratum fuisse, ut ejus opera omnia abolere conaretur. Sed ego neque Gregorio tam lævam mentem fuisse crediderim; & alia quædam tradi de eodem illo video, quæ studiosus veritatis nemo recipiat. Neque sane tam ineptus in his est Livius, ut non aliquoties temere ficta aut credita prodigia, hominumque inanes interpretationes taxet. Cæterum quidquid de illo fuerit, mihi sane vel ideo hæc annotare placet, ut qui hodie rebus ejusmodi multum moventur, eadem se credere, iisdemque aut confidere, aut perturbari discant, quæ dementata vanis opinionibus, veræque sapientiæ penitus ignara tempora respexerunt.

Hominum fatuitas in narrandis credendisque prodigiis.

V. Eadem enim adhuc fatua & insulsa fabula luditur, narranturque & audiuntur magna adseveratione pleraque, in quibus nihil sit prodigiosum præter hominum amentiam, post divinæ veritatis aperta oracula, rationisque lucem, & tot ætatum experimenta, adhuc indocilem inania contemnere. Neque ego nihil metuendi cuiquam auctor sim; sunt enim quæ non immerito, nec tamen ut prodigia timeantur. Nam si forte, quod nonnumquam accidit, flumina restagnent,

gnent, aut terra moveat, percelli atque extimescere non inhumanum est: sed nimirum id non prodigium, & omen venturæ calamitatis, sed initium & caussa præsentis est: neque mortes animalium, ruinam ædificiorum significat, sed adducit.

VI. Cætera etiam, quantumvis raro eveniant, quæ tamen caussis naturalibus fiunt, in portentorum numero ponere perquam importunum est. Si fulmine tactum Imperatoris alicujus prætorium est, si equus exanimatus; castrorum videlicet oppugnationem, & clarissimorum virorum interitum significavit. Atqui necessum est, salvis naturæ legibus, frequentissima cœlo descendere fulmina: quæ & ipsa omnia in aliquod certe corpus incidere necessum est. Toties igitur omnia fierent, quoties fulminaret: atque eadem de cæteris ratio esset; pluviæ, venti, frigora, etiam animantium inanimorumque omnia genera, quoties se ulla caussa commovissent, prodigia nunciarentur! Sane ingenita humanis mentibus dulcedo est mira & nova jactandi credendique. isque mos jam olim omnia sic replevit miraculis, ut majus jam mirum sit, nullum aut annum, aut propemodum locum reperiri, qui miraculo vacet. *Naturalia non sunt ponenda in prodigiorum numero. Iul. Obseq. Cos. Lycosth. cap. 10.*

VII. Igitur gaudentibus generis humani ludificatione ac miseria geniis, non fuit difficile, apud curiosa & improvida ingenia, putidissimam fraudem in artis opinionem atque auctoritatem adducere. Unde plurimæ apud varias gentes divinationum species exortæ: institutis dissimiles, vanitate pares. Nam ut in universum quod sentio dicam: nulla earum rerum, quæ oculis patent, eam naturam habet, ut quod voluntate DEI aut consiliis hominum gubernantibus futurum est, ulla certa prædictione possit enunciare. Hinniant equi, garriant aves, vortices amnium turbinentur ut volent, radiorum lucis inenarrabilis permistio in aëre quorumlibet figurarum efformet ludibria: non ideo quid prosperum cuilibet Reipublicæ, quid adversum immineat, ullo pacto noveris. *Diabolorum fraudem invitat inepta cæcultas.*

VIII. Sane cognati animæ humanæ spiritus, quos corpore non onustos, Angelorum vocabulo significamus, quia scire facile possunt, quod geritur; sæpenumero feliciter conjiciunt, id quod geretur. Cæterum neque horum omnis prorsus erroris expers sagacitas est: & sancti purique spiritus, nihil tale, nisi mandato DEI denunciant hominibus: credere perversis, quia & falli possunt, & fallere cupiunt, nimis excors est, & perniciosa securitas. Unum immotæ certæque fidei oraculum superat, ita sapienter accommodatam aptamque rerum inter se seriem, à potentissimo justissimoque DEO esse, ut ad extremum neque male bonis esse possit; neque bene malis. Neque M. Drusum eo tempore prodigia, sed ipsorum mala mens in exitium impulerunt. *Angeli boni futura non nisi mandato Dei denunciant hominibus. Lips. Polit.*

IX. Drusus, ut Senatus judicia redderet, in omnes se formas vertebat, quibuslibet quælibet indulgendo, ut neque falso jactasse videatur, *nemini se quidquam ad largiendum reliquisse, præterquam si quis aut cælum dividere vellet aut cænum*. Igitur ut socios Latini nominis, Italicosque populos adjungeret, jus civitatis enixe petentibus, *ea de re laturum*, *Senatumque auctorem fore* spopondit: *si ad eas quæ essent in manibus perferendas leges operam navassent*. Jam ab antiquissimis temporibus qui Latinæ formulæ socii erant, suffragium ita ferebant, ut ex opportunitate magis temporum jus illud usurpare, quam certa confessaque possessione niti viderentur. Multum tamen in illis virium erat, quia *Drusi largitiones. Liv. Epitom. Auct. de Vir. Illustr. cap. 66. Florus 3. 17. Diod. lib. 37. Ecl. 1. Appian. Jur. Civil. Dionis. 8. 74.*

M. Livius Drusus Tribunus plebis.

non tantummodo sanguine commerciisque permixti, multosque Romanos cives suis in urbibus habentes haud leviter gratia & auctoritate pollebant; sed etiam suffragiorum potestatem anxie retinebant; sæpe sub Comitiorum tempora frequentes in Urbe, neque umquam acerbius offensi, quam si, quod raro factum, ex Urbe exire à Consulibus juberentur.

Plebem devincire studet Drusus. Cic. pro Sext. cap. 64. Appian.

X. Igitur nemine uno ad tantas inimicitias suscipiendas facili, Senatu quoque tum verecundia cognationis, tum metu alienandi socios, cunctante; haudquaquam parvi ad omnia momenti favor Italicorum populorum in comitiis erat. Prior tamen atque potior cura Druso fuit, ut plebe Romana tribubusque propitiis uteretur: id ubi consequutus esset, cætera sibi in proclivi futura rebatur. Igitur quodam tempore, quum incredibilis hominum vis ad Rostra concurrisset, talem orationem habuit. *Sæpe ego adolescentulus, atque etiam puer patris mei M. Drusi sermonibus interfui, quum de Republica, cum familiaribus suis, principibus civitatis nostræ, disputaret. Quin & digressis illis multa sciscitantem diligenter edocebat quod me iisdem artibus consiliisque Rempublicam aliquando capessere volebat, quibus ille eam periculosissimis temporibus pulcherrime felicissimeque gessisset.*

Tota simul Respublica curanda. Cicer.

XI. *Sed summa omnium ea ferme pertinebat, ut medicinam rebus ægris adferre studenti, ante omnia duo tenenda diceret, quæ qui neglexissent, exulcerasse magis vulnera, quam sanasse contendebat: alterum ut ad totam Rempublicam curandam omnis conatus conferretur; alterum ut unde majus esset periculum, inde inciperet medicina. Sicut enim in corpore, etiamsi forte membrum aliquod ita foveri alique posset, ut inusitatam in molem atque firmitudinem evalesceret; tamen illud tamquam certa pestis, illius etiam tam diligenter curatæ partis, vehementer esset vitandum; ita qui in civitatibus paucorum potentiam nimis extendere; aut contra plebis opes supra modum augere instituerunt; eas plerumque conciliarunt turbas; ex quibus & ipsi, & quos confirmatos cupiebant, in pejorem conditionem, quam antea habuissent inciderunt.*

Drusi patris consilia.

XII. *Igitur pater meus, illo suspiciosissimo tempore Gracchanorum tumultuum non tamquam inter bello dissidentes legendas sibi partes arbitratus est; sed tamquam ejusdem urbis cives communis utilitatis vinculo continendos. haud dubie quieturis factionibus, ubi se quisque videret adsequutum, quid salva Republica concupiscere ac sperare potuisset. Felix id consilium fuit: nec alio tum remedio Gracchanæ seditiones cohibitæ, Patres facti populares, placatus Senatui populus; quam quod ita Tribunatum gessit Drusus, ut sibi nihil præter laborem & pericula sumens, auctore Curia in plebem liberalis, concordiam ordinum, superiorum temporum injuriis odiisque labefactatam, nova beneficiorum amorisque dulcedine refoveret.*

Ea sequuturum præfert filius.

XIII. *Quod igitur patris sermonibus exemploque consilium utilissimum sanandæ Reipublicæ esse didici, id hoc maxime tempore sequi certum est, Quirites. Quo in proposito primum orandi mihi sunt dii immortales, ut huic populo bonam mentem duint: deinde homines, quotquot aut jure civitatis hujus utuntur, aut inter socios Latini nominis locum habent, & unusquisque contentus his bonis, quæ opulentissima omnium Respublica tribuere singulis, salvo statu suo potest, ulteriora non appetat: aliis non invideat: Senatui constare auctoritatem suam, populo li-*

bertatem velit. Ea res bene observata efficiet, ut qui populorum omnium potentissimi sumus Romani, iidem & sapientissimi ac felicissimi habeamur.

XIV. *Sed quia simul omnia nec attentari debent, nec obtineri possunt; quod bene vertat, in animo est, ad eam prius civitatis partem respicere, quæ maxima necessitate premitur. Nam cætera tametsi prætermitti non oporteat, differri tamen minori incommodo possunt: at magnam plebis Romanæ partem, in his florentis imperii opibus, non habere unde familiam alat; id profecto tolerare diutius pudendum ad famam, res sævum atque inhumanum, concordiæ quietique periculosum atque inimicum foret. Igitur Agrarias frumentariasque leges promulgabo, non ut novum aliquod beneficium populus Romanus accipiat, sed ne careat eo, quod olim ei multorum rogationibus datum est. Quibus artibus per omnes hos annos fructus earum legum ereptus vobis sit, Quirites, queri nihil attinet; nec enim, ut quemquam ob præteritas injurias oderitis, sed ut recepto jure vestro quietem & habeatis & præstetis, auctor sum.* Agrarias Frumentariasque leges promittit.

XV. *Neque vero locupletibus displicere res debet. misereantur potius civium suorum, quos post repetitas toties leges, post divisiones agrorum, in eadem egestate nunc quoque agere vident: validiore ad eripiendum fraude, quam ad restituendum jus & leges esse potuerunt. Equidem viros virtute & opibus præstantes novi, qui hac injuria pauperum in tantum commoventur, ut quod ipsi de agro publico tenent, lubenti animo sint redditurі: modo idem cæteris fiat, neque pauci & optimi nullo populi emolumento, possessionibus suis careant, & ultro à sui dissimilibus irrideantur. De his non dubito, quin adjutores propugnatoresque legum nostrarum habituri simus, modo tales nos præbeamus, ut animo nostro constantiæque possint confidere.* Ostenditur locupletes repugnare non debeant.

XVI. *Plerosque etiam reliquorum aut reputatio suarum opum permovebit, quum etiam restitutis quæ contra leges possident, futuri sint prædivites: aut quietis amore semel auferri tot certaminum materiam patientur: aut honorum impellet bonis artibus parandorum aviditas, ut beneficia populi cupiant promereri. Qui relinquentur deterrimi omnium, non ita multi erunt; & consensui civitatis non resistent. Hæc ita non inepte licet argumentari de singulis. Senatum vero, cui & maxima communis salutis cura est, & præcipua Reipublicæ scientia, quis credat huic adversaturum consilio, quod variis temporibus probavit ipse, cuiusque patri meo auctor exstitit? Certe quantum ego possum recordari, quanto quisque Patrum illustriore fortuna famaque egit, tanto sæpius ac diligentius de concordia ordinum, cura pauperum, libertate omnium disserentem audivi.* Senatum utique adsensurum pollicetur.

XVII. *Neque præter paucos, qui nihil non ad suam avaritiam referunt, quisquam est, qui propter iniquum lucrum interire cum Republica, quam illo dimisso, salvus in salva civitate degere malit. Sed forte de agrorum jure, quod indubitatum atque certum est, nihil præter summam in mala caussa impudentiam opponi poterit: Frumentariam legem arguent, quod nimis liberalitate sit ærarium exhaustura; Hic vero quid primum, quid postea dicam? Ideone ærarium habemus, ut semper clausum inaccessumque teneat quas hausit opes, tamquam inexplebilis Oceanus, aut Regia Ditis numquam redditura quod absorbuit? An pote-* Frumentariæ legis æquitas.

rit aliquis esse usus sanctior atque laudabilior, quam si his opibus sustententur ii, per quorum vulnera sudoremque comportatæ atque congestæ sunt?

It facilitas.

XVIII. *Ex manubiis triumphorum aut provinciarum vectigalibus illæ creverunt; sed hæc sine civium Romanorum legionibus neque parari potuerunt, neque parata conservantur. Sed neque verendum est, ut impar oneri futura sit respublica; modo simus in aliis decernendis sumptibus moderatiores. Neminem nominabo. sed ideo cuiquam obscurum esse poterit, quantæ summæ, quibus hominibus, & quos in usus decretæ præstitæque sint? Ibi potius parcos homines, & futuri providos esse oportuit, quum de ornandis ambitiose provinciis, magis in singulorum gratiam, quā ullum Reipublicæ commodū ageretur: nunc ubi necessaria tot millibus civiū alimēta petuntur, profusio in laude, parcimonia prope crimē est.*

Utramque eœm simul, quam alterutram solam tolerabiliorem esse docet.

XIX. *Nec tamen ego temere omnia eroganda censeam: sed neque opus est. & Agraria lex servata, tolerabilem efficiet Frumentariā. ideo decepti decepturive fuerunt, qui duplici largitione pessundari perdique Rempublicam clamitabant. Contra est, & alterutra lex per se esset longe, quam simul utraque gravior. Si enim agros non damus, huic innumerabili turbæ quæ annona sufficiet? Si damus agros, neque dari omnibus poterunt, & quæ relinquentur multa millia, quo alio beneficio consolabimur, aut à fame defendemus? Nihil ergo melius, quam in agros duci quotquot poterunt. Sic & illi quo se tueantur habebunt; & in Urbe manentibus citra metum publicæ paupertatis alimenta præstabuntur.*

Leges Agrariæ Frumentariæque perferuntur.
Liv. Epitom.
Florus. 3.17.
Appian. Jur. Civil.
Plin. 33. 3. 8.

XX. Hujusmodi crebris orationibus quum satis profectum arbitraretur, Agrarias Frumentariasque leges, quales antea Gracchus in Tribunatu tulerat, ferre instituit. Mira vis hominum ad diem promulgandarum occurrisse dicitur, plebe sociisque incredibili studio certantibus. Idcirco contra voluntatem optimatium per vim latæ leges: Coloniæque per Italiam & Siciliam, quod olim ferente Apulejo jussum, deinde intermissum fuerat, deductæ. Postea Drusus, ne sumptibus succumberet ærarium, in cudendis nummis argento partem æris octavam miscendi auctor fuit. Quum hæc non ita magno certamine constitissent; acriore conatu pugnaque ad legem Judiciariam perferendam fuit opus. qua in re quum dedisse operam videretur, ut & Senatui gratum faceret, nec irritaret Equitum odia, & utrique ordini partem æquam judiciorum tribuisset; ea ipsa re offensionem omnium incurrit.

Judiciaria lex Drusi & Equites offendit.
Appian.
Auct. de Vir. Illustr. c. 66.
Cicer. pro Cluent. c. 56.
Appian.
Cicero.
Auct. de Vir. Illustr.

XXI. Senatus crebris seditionibus imminutus, ad numerum trecentorum decreverat. Tulit ergo Drusus, *ut bis totidem numero Equites Romani, delectu insigniorum habito, adderentur. ex his sexcentis decuriæ judicum fierent: si quis pecuniam judicandi caussa accepisse diceretur, de ea re quæstio esset*. At vero crimen ita pervulgatum persequi, ut adsuetudine videndi pro crimine haberi desiisset, acerbum plerisque videbatur. adeoque C. Flavius Pusio, Cn. Titinius, C. Mæcenas principes Equestris ordinis, Curiam his legibus ingredi aperte recusarunt. Et accedebant aliæ suspiciones, hoc agi ut penes solum Senatum, exclusis posthac Equitibus, Judicia forent. Etiam difficilem electionem faciebat, præteritis ignominiam, delectis invidiam allatura æmulatio.

Et Patres:

XXII. Neque Patres patienter ferebant, tanto simul numero cooptari in amplissimum ordinem Equites. *quem deinde consensum sperari posse, antiquo Senatu, quæ communicata cum novis hominibus essent, pro amissis aut maculatis habituro: his non quieturis, donec omni antiquato discrimine, par dignitas*

utrisque constitisset? Hoc habitu animorum, discordes inter se ordines, in uno consentiebant, ut ex æquo Drusum odissent: quidquid ingratum aut molestum cuiquam accidebat, illi auctori imputantes, quum grata & volentia taciti amplecterentur. Præ cæteris graves adversarios duos habuit Q. Servilium Cæpionem, & L. Marcium Philippum tunc Consulem.

XXIII. Pro Equitibus Cæpio, pro Senatu Consul, infensis in Tribunum animis ibant. Simultas cum Cæpione privatis orta caussis violentior erat: quemadmodum nulla solent infestiora esse odia, quam quæ ex magna familiaritate cœperunt. At horum tam intima aliquando amicitia fuerat, ut inter se matrimonia permutarent. quæ res ab honestate, quam moribus Romanis remotior, magis solvendæ juvenum, quam adstringendæ concordiæ fuit. Itaque mox parum digna accedente caussa dissiluit, quum annulum forte in auctione vænalem, insanis studiis simul licitarentur. Par utrique dignitas, pares animi, potentiæ gloriæque idem studium: & quanto genere divitiisque & liberalitate Drusus antecedebat; tanto plus audaciæ confidentiæque Cæpioni, & in prava facinora calliditatis erat.

Q. Cæpio adversarius Drusi. C c. Bruto: cap. 65. Florus. Diod apud Valesium. Strab. lib. 11. Plin. 33. 1 18.

XXIV. Sed prior Cæpio impetu in Senatum facto, M. Scaurum repetundarum, L. Philippum ambitus reos fecit. Absolutus tamen uterque est. Scaurus eo insignius, quod quum *in Asiatica legatione à Mithridate alisque pecunias contra leges cepisse* argueretur; vicissim & ipse postulavit Cæpionem, acceptaque breviore die inquisitionis, effecit, ut ille prior diceret caussam. Paullo ante Judiciariam Drusi legem ea actitata, maturitatem legi attulerunt. Quum enim lege Servilia obtinente, in multos clarissimos atque innocentissimos viros Equitum peculantia deæviisset, ea de re pro libertate ingenii sui ætatisque gravissime questus Scaurus, & Tribunum plebis M. Drusum ad commutanda judicia aperte cohortatus est.

M. Scaurum, L. Philippum reos facit. Ascon. in Scaur. Val. Maxim. 3. 7. 8. Vellejus 2, 13. Vellejus.

XXV. Idque mox à Druso, ut Vellejus Paterculus judicat, meliore ingenio animoque, quam fortuna factitatum. quem ego Vellejum hoc loco non fidei caussa nomino, sed ideo, ne temere credatur homini spurcissima adulatione tradere paratissimo, quidquid Tiberio Cæsari matrique ejus Liviæ, genus ad hunc Drusum referentibus, gratum fore credidisset. At ego Drusum M. Livii Consularis atque Triumphalis viri filium multa laudanda, non sine mixtura magnorum vitiorum habuisse comperio. Juveni eximium populi favorem, paresque divitias reliquerat pater: quibus rebus ille facundiam, & in promittendo fidem quum adjecisset, & pro cætera claritudine animum quoque haberet; nemo iis temporibus fuit, cujus patrocinio amplissimi ordinis dignitas rectius concredi posse videretur.

Drusi ingeniū bonis malisq; mixtum. Diod. apud Valesium. Florus. Val. Maxim. Auct. de Vir. illustr c 66.

XXVI. Superbum tamen, dominandi cupidum, præfracteque contumacem fuisse, satis evincunt, quæ minime ambigua suspectaque sequuntur. Quippe tædio præsentium & ingratis hominum judiciis exagitatus, Senatum, quem antea unice defenderat, despicere, eique acerbior esse cœpit. tanta quidem impotentia, ut aliquando L. Philippum Consulem, quod agentem se cum populo interfari ausus esset, ne viatore quidem, sed aliquo ex clientibus misso, in carcerem rapuerit, tam violenter obtorta gula, ut multus è naribus ejus sanguis efflueret. Nec hoc acerbissimum fuit; sed quod Tribunus inter hanc conculcatæ majestatis Consularis indignitatem cavillis laudabat, *non cruorem illud, sed muriam de turdis esse* dictitando. quod Consul Philippus luxui mensarum paulo intemperantius indulgebat.

Ejus vitia. Dicta incivilia. Plin. 9 54.

XXVII. Neque reverentior in Senatum fuit, à quo vocatus in Curiam, *quare*

Val. Maxim. 9. 5. 2. Auct. de Vir. Illustr. Florus. Liv. Epitom. Plin. 28. 9. 25. 8 *non ipse potius in Hostiliam*, inquit, *propinquam Rostris?* & paruit Tribuno Senatus; quum Senatus imperium pro nihilo Tribunus habuisset. Ne jam illud incivilis animi maxime in eo notabile signum esset: quod obsistenti Q. Cæpioni præcipitium de rupe Tarpeja interminatus est. At socii, quibus adipiscendæ civitatis cupidine, mora omnis nimia videbatur, rogationibus quas voluerat Drusus, ipsorum maximo studio perlatis, mercedem navatæ operæ impatientissime flagitabant. Idcirco Drusus hinc prementibus Italis, inde tota resistente civitate, postquam nihil aliud fatigando, præter omnium odia quæsitum videt, anxius & incertus consilii, ad differendum, cui præstando impar erat, cogitationem curamque omnem convertere cœpit.

XXVIII. Quo tépore etiam caprinũ hausisse sanguinem creditur, ut simul invidiã Q. Cæpioni crearet, tanquam veneno appetitus. Cecidisse quidem repente in publico ajunt, idque, quum per Italiam percrebuisset, vota pro eo passim publice suscepta. Quidam comitialem morbum fuisse putaverunt: qui olim apud Anticyram hellebori usu depulsus, curis vigiliisque confectum repetiverit. Eo magis properandum socii, dum adhuc Drusum haberent, omnemque deinceps hoc exstincto spem suam in irritum casuram arbitrati, quemadmodum M. Fulvio, C. Graccho trucidatis cecidisset: consilio inter se inito vim parare, dolos nectere, quidlibet quod perficiendo negotio conducere videretur, moliri atque tentare cœperunt. Feriæ Latinæ indictæ à Consulibus erant, quæ antiquissimo more in Albano monte, totius ferme Italiæ concursu celebrabantur. ibi scelestum consilium socii ceperunt, ut sacrificantes Consules Romanos, inter ipsa sacra & aras in modum hostiarum cæderent. sed id nefas proditione discussum: & ab ipso Druso admoniti Consules non præbuerunt se insidiantibus.

Morbus sponte contractus. Liv. Epitom. Auct. de vir. illustr. Liv. 21. 63. 10. Florus 3. 18. 8.

XXIX. Cæterum hæc tam tristia & formidolosa tamen alicujus boni caussa populo Romano fuerunt, dilatis civilibus armis, & ad tempus obrupta simultate, quæ inter Marium & Sullam in apertam seditionem erumpebat: veterem virorum æmulationem inflammante Bocchi Regis recente dono: qui amicitiæ suæ cum populo Romano monumentum, Victoriam auream, & juxta effigiem Sullæ suamque, tradentis illi Jugurtham miserat. Quæ signa quum in Capitolio posita detrahere Marius acriter repugnante Sulla, cuperet: amicorum interventu, & temporibus Reipublicæ sopita interim rixa est. Atque id nisi factum esset, Respublica stare non potuisset. Quippe socii, quum patefactis insidiis suis, nihil aliud exspectare possent, quam ut in auctores quæreretur: quum semel ruere cœpissent, alia quotidie & atrociora machinari non desinebant.

Marii & Sullæ simultas ad tempus obruta Reipub. periculis. Plutarch. Mario c. 53. Plutarch. Sulla cap. 8.

XXX. Eo tempore magnum ab Urbe periculum Cn. Domitius avertit. Is nescio qua de caussa itinere suscepto, forte in Pompædium Silonem incidit Marsorum principem, cum magno hominum agmine eadem via venientem. Quum familiariter inter se salutassent, *ecquonam tanta stipatus caterva tenderet?* Domitius interrogat. ubi *Romam ire, vocatum à Tribunis plebis, civitatis accipiundæ gratia* responsum est: *imo vero*, ait, *non aliud tam inimicum spei vestræ consilium capere potuisses, Senatus nihil tam indignum sua majestate credet, quam cogi: & quod rogantibus concessurus fuit donum, minantibus pernegabit. Quapropter etiam atque etiam videte, quid incipiatis. violentum consilium turpia initia, ancipites eventus habet: & si, quod equidem haud minus vestra quam nostra caussa abominor, quam*

Cn. Domitius Socios Urbem petentes avertit. Diod. apud Vales.

feliciſſime ſucceſſerit, quæ pax aut ſecuritas eſſe poterit inter infenſos inviſoſque gentibus? omnia vobis aſpera adverſaque prævideo, vim & metum oſtentantibus: per modeſtiã & juſtas preces, non honeſtior modo, ſed etiam tutior ad civitatẽ via eſt.

XXXI. Hac oratione perſuaſus Pompædius abduxit ſuos, Urbemque non tranſlatitio diſcrimine liberavit. Pugionibus enim ſub veſte accincti venerant, neque genere hominum neque numero ſpernendi. Decem millia, delecti ex omni multitudine quæſtiones timentium, Curia circumſeſſa civitatem petere deliberatum habebant; ſi negatum eſſet, ferro atque igne graſſari. Sed neque Conſulibus ſatis cum Senatu conveniebat, ita permixta omnia ſimultatibus turbiſque fervebant: Ludiſque Romanis, quos M. Claudius Marcellus Ædilis Curulis edebat, L. Philippus in maxima civium concione *videndum ſibi aliud eſſe conſilium* dixit, *illo Senatu ſe Rempublicam gerere non poſſe*. Commotis per hæc vehementer animis, A. D. Idus Septembres Senatus frequens vocatu Druſi in Curiam venit. Aderat & L. Craſſus, iſque ante omnes, quum pro copia ſua vique dicendi, Senatus contumeliam efficaciſſime defleſſet, irritavit Conſulem, acris & arrogantis ingenii virum, ut manum in illum injici juberet. — Conſulis & Senatus diſcordia. Ci. de Orat. 3. 13. 3. 4. Val. Max. Cicer.

XXXII. Contra Craſſus negando *ſibi Conſulem videri, cui Senator ipſe non videretur*, lictorem repellebat. Poſt longam vehementemque contentionem, Senatus auctoritas in ſententiam Craſſi facta, *nunquam Senatus neque conſilium Reipublicæ, neque fidem defuiſſe*. Craſſus deinde, poſtquam ſcribendo adfuiſſet, cum febri domum rediit, dieque ſeptimo lateris dolore conſumptus eſt: hoc tamen ei commodum adferente maturo obitu, ne flagrantem bello Italiam, & quæ deinde mala cumulate ingruerunt, videret. Jam enim & Druſi ſuſceptus pro Senatu Tribunatus infringi: & ipſe in mala apud eum ordinem gratia eſſe cœperat: cauſſamque turbarum omnium optimates in illum conferebant: *unius adoleſcentis temeritate convulſa civitatis jura, majeſtatem Senatus imminutam, Reipublicæ vectigalia ſublata eſſe: nunc etiam erectos ſpe civitatis obtinendæ ſocios inſanire cœpiſſe. neque finem miſeriarum fore, donec horum omnium dux & auctor tolleretur*. — Craſſi Oratoris extrema. Cic. de Orat. 1. 2. Pedian. in Corn. Liv. Epitom.

XXXIII. Fit adverſus vitam Druſi conſpiratio. Q. Cæpio pertinaciſſimus ejus æmulus, & importuniſſimus homo Q. Varius Tribunus plebis, in conſilii communionem adſciſcuntur. Horum opera Conſules excita ſociorum multitudine ab Hetruſcis maxime & Umbris, perniciem juveni ſtruebant. Hos enim Agraria lege ſua offenderat, quia novis Coloniis deſtinabat populi Romani publicum agrum, cujus magnam partem ad id temporis ſocii, ut cuique opportunum fuerat, clam, palamve poſſidebant, etiam bene conſciis hic metus accidebat, ne confuſis olim agrorum finibus, contenti ſuo Romani non eſſent, ſed etiam vicinorum jura ſolicitarent. Druſus intellecto ſuum in caput illas comparatas inſidias eſſe, domi in ſubobſcura quadam porticu agere cœtus, habere conciones, raro in publicum egreſſu, ne ſe periculis offerret. — Druſus inſidiis petitur. Florus 3. 18. 3. Cic de Natur. Deor. Appianus. Lib. 1. Civil.

XXXIV. Eo vehementius accuſatus in Senatu, quo aliquando retunderet criminantes in forum profectus eſt: eaque ipſi poſtrema cum populo actio fuit. Habebat ille in more, quod & C. Gracchi inſtitutum fuerat, ut ſegregaret turbam, & paucos interioris admiſſionis haberet. ſed ne ſic quidem evitare periculum potuit. Quippe ab immenſo illo & incognito agmine, quo ſemper ſtipatus incedebat, deductus, quum in atrio domus ſuæ & porticu quam diximus, multitudinem dimit- — Domi ſuæ occiditur. Auct. de Vir. illuſtr. c. 66. Senec. de Benef. 6. 34. 1. Velleius 2. 14. 3. Appianus.

Seneca de Brevi.vitæ 6. 3. Sempr. Asellio apud A. gel. 13. 10. Liv. Epitom. Cicer. Florus 3. 17.

teret, *iEtum sese* exclamans, corruit, & inter pàucas horàs decessit. Priusquam expiraret, ad circumstantes mœrentesque dixisse fertur, *Ecquando propinqui amicique, similem mei civem habitura est Respublica*? Percussus autem est circum inguina, crepidario cultro, quem in vulnere percussor reliquit. minister necis in turba latuit: invidia penes Cæpionem & Philippum, & Varium fuit; frustra disseminato à quibusdam rumore, *quasi rerum temere motarum conscientia & angore, se periculis instantibus, voluntaria morte desperabundus exemisset*.

Vox ejus pulcherrima. Vellejus 2. 15. Diod. lib. 37. Eclog. 1. Orosius 5. 18. Iul. Obseq. Sesenna apud Cicer. de divinat. 1. 44.

XXXV. Tali fine vir tot naturæ fortunæque dotibus cumulatus, alienas pariter spes, & suas terminavit. De cujus vitiis quando pro muneris nostri fide tacendum non putavimus; illam quoque vocem quæ ex multis ejus præclaris pulcherrima ad nos pervenit, lubenter referemus. In Palatio domum ædificabat, quo loco M. Cicero habitavit. *eam promittenti architecto sic ædificaturum, ut libera ab omni vicinorum despectu, instituta domini fido secreto tegeret*: *Tu vero*, inquit, *si quid in te artis est, sic potius struito, ut quidquid agam, omnes videant*. M. Livii Drusi interitu quum oppressum iri bellum Italicum Senatus speravisset, res in contrarium vertit: statimque his auditis socii in arma iverunt. quod quum ita futurum esse plerisque appareret, tamen velut ex abundanti prodigia fœda præcesserunt.

Prodigia ante Sociale bellū.

XXXVI. Namque domesticorum animalium omnia genera, repente efferata, stabulis pascuisque relictis, ad sylvas & montes fugerunt. Canes cum ululatu per agros more luporum oberrarunt. Quum ex agris in Urbem pecora armentaque Latini agerent, animalibus subita rabie concitatis, strages hominum facta: lachrumari animalia visa sunt. Cœlum discessit, ex occulto voces auditæ, quæ pericula belli nunciarent. quodque tristissimum haruspicibus visum Lanuvii clypei sunt à muribus arrosi. Quod sequitur, magis Senatus Romani fatua & crudeli superstitione, quam rei miraculo prodigiosum fuit. In agro Romano androgynus viro nupserat. id à marito ad Senatum, ab Senatu ad Augures delatum quum fuisset, ex auctoritate Tuscorum haruspicum vivus est crematus.

Drusi leges aboleantur. Ascon. in Cornel.

XXXVII. Et ne Græca ingenia plus vidisse putemus, sub eadem ferme tempora Athenis alius simili supplicio consumptus est. Tanta eo sæculo ignorantia veri, apud sapientissimos, ut rebantur, populos, tantaque humanarum animarum vilitas fuit. Cæterum sublato quemadmodum diximus Druso, inimici morte hujus minime satiati, plenam victoriam concupiverunt. Jamprimum L. Philippo Consule referente, quidquid ille legum tulerat, uno Senatusconsulto tollitur. *contra auspicia latas, neque his teneri populum*, dictitabant. Ex diverso Equites Romani, quibus, quæ à Druso patefacta Curia fuerat, iterum occludebatur, Q. Varium, quem propter obscurum jus civitatis cognominabant Hybridam, vastum hominem atque fœdum, sed non spernenda dicendi facultate magnam vulgo gratiam adeptum: rogationem ferre impulerunt, *ut quæreretur de iis, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent*.

Appianus. lib. 1. Civil. Val. Maxim. 8. 6. 4. Cic. de Orat. 2. 28. 32. 1. 3. Cic. Bruto cap. 62. 56. Diod. lib. 37. Ecl. 1.

XXXVIII. Eo crimine civitatis principes rei destinabantur, *à quibus, pro navata contra populares partes opera, promissa sociis civitas* dicebatur. Idcirco Equites, si hos, uti facile erat judiciorum potestate præditis, damnatos expulissent; majore deinceps licentia quidquid collibuisset acturi videbantur. Intercedebat pars Tribunorum: sed his equites strictis sicis circumstantes injecerunt metum, perlataque lex est, magna & præsenti Reipublicæ clade, neque enim postrema hæc caus-

Equitum in judiciis iniquitas & petulantia.

sa fuit, cur tumescens olim Sociale bellum, velut effractis claustris vehementius erumperet, eoque nondum consopito Civile insuper oriretur. Sed Equites uti voluerant perrogato, contati non sunt, quin splendidissimo cuique subornatis accusatoribus, periculum facesserent.

XXXIX. Inter quos L. Calpurnius Bestia vir Consularis, ne se potestati inimicorum crederet, in exsilium, quam in judicium ire maluit. M. Aurelius Cotta per invidiam Tribunatu quem petebat, depulsus, deinde L. Varia postulatus, caussa facunde dicta, ut erat insignis orator, in Equitum impotentiam, & exercita judiciorum specie latrocinia libere invectus. *Quid igitur superest*, inquit, *horum libidine atque crudelitate intactum? aut quid ultra desiderant importunæ belluæ, qui neque luctu innocentum civium, neque periculis optimorum, neque ulla calamitate Reipublicæ possunt exsatiari? Quamquam enim pro caussa mihi satis dictum est, tamen ab his judicibus nec exspecto æqua suffragia, nec desidero. Damnari enim à talibus quam absolvi honestius puto. & si facultates & patriæ conspectus adimitur, quocumque locorum pervenero, quietus & fortunam conscientia levans, jactationem horum & cruciatus audiam, qui pravis mentibus, hoc est, truculentissimis tortoribus relicti, quo diutius in hac Urbe vivent, plures scelerum suorum persolvent pœnas, diis hominibusque exosi, neque his quos reliquerunt in civitate, quam quos expulerunt, chariores.* In quam M. Cotta invehitur.

XL. *Scilicet ea nunc tempora sunt; ut qui salvam Rempublicam velint, eam his viris spoliare cupiant, quales illi multos ejecerunt, alios plures paulo post ejecturi videntur. Tuam quidem, ò infelix patria, vicem dolere non desinam: erit tamen nonnulla consolatio, quod quas impendere tibi clades certum est, audiam potius quam videbo. Me quidem si respicio, in qualibet solitudine, inter serpentes & bestias, quam apud hos Romæ tutius feliciusque vivam. bonorum miseret, qui pauci inter multos, & ab his, & propter hos intoleranda quævis patientur!* Hæc atque talia quum ingenti concitatione animi & verborum effudisset, non exspectatis suffragiis Urbe cessit. Comitata eum Rutilia mater est, fratris Publii experimento nihil in exsilio mali esse docta. Deinde ultro Urbe cedit.

XLI. L. Mummium Achaicum, clarissimis gestis, extrema ætate hominem, ne aliorum exemplo damnationem voluntario secessu anteverteret, Equitum insida promissa turpi arte deceperunt. favorem enim & læta suffragia prolixe polliciti, ubi ad ferendam sententiam ventum est, fugam ei frequentes jusserunt. Sic in Delum insulam profectus ille, quod superaret ætatis, ab ingrata patria pulsus, ab iis quos patriæ subjecerat receptus, exegit. Hæc ita ferme sunt ab Appiano tradita. Sed ut in rebus Romanis auctores Græci haud raro hallucinantur, non L. Mummium, sed L. Memmium accusatum lege Varia putem: quæ duarum familiarum nomina sæpius permiscentur. Nam L. Memmium caussam eo crimine dixisse Cicero narrat: Mummium nemo auctor est, tam diu produxisse vitam, ut quarto & quinquagesimo post suum Consulatum anno potuerit accusari. Inter hos illustrium hominum casus, M. Æmilii Scauri, adversus intentatum periculum victrix gravitas & pervicacia exstitit. Q. Cæpio vetus inimicus Scauri, & ipse in illum L. Varia dixerat, & cum Q. Vario Tribuno plebis egerat, ut adesse eum juberet, hanc opprimendi senis maxime idoneam occasionem reperisse sperans.

L. Mummius ab Equitibus deceptus, in exsilium mittitur. Cic. aut alius auct. de Orat. antequam iret in Exil. cap. 11. Senec. Consol. ad Helviam. 16. 9. Appianus.

Charis. Grammatic. lib. 1. Pedian. in Scaur.

XLII. Annus illi alter atque septuagesimus ætatis agebatur, & præter annos etiã Scauri brevis & nervosa defensio.

Auct. de vir. illustr. cap 72. Tertian. Quintil. 5. 12. 9. Val. Max. 3. 7. 8.

adversa valetudine corpus adflictum gerebat. *Sic adfectum* negabant amici, *populari invidiæ licentiæque objici oportere*. Sed ille pristinum animi vigorem retinens, nobilissimis juvenibus innixus descendit in forum, acceptoque respondendi loco, pauca verba in hanc sententiam proloquutus est. *Q. Varius Sucronensis M. Scaurum principem Senatus socios in arma ait convocasse: M. Scaurus princeps Senatus negat. testis nemo est. utri vos Quirites convenit credere?* Hac voce ita commutatos hominum animos tradunt, ut ipse etiam Tribunus, pertinaci populi acclamatione victus, *morari se eum* negaret. Non tempero mihi quin statim adscribam, licet posteriorem tempore Varii exitum, quem scelerum & turbatæ Reipublicæ justa oppressit ultio, hac etiam inique circumventis donata consolatione, ut nocentissimæ rogationis auctor sua ipse lege damnaretur.

Q. Varii exitium. Val. Maxim. 8. 7. 4. Cic. Bruto. cap. 89. Cic. de Natur. Deor. 3. 33.

XLIII. Ne hoc quidem ei concessit fortuna, ut saltem in exsilio prorogaret vitam, communem cum tot innocentibus sortem habiturus: sed à sociis, ut opinari licet, exceptus, summo cruciatu supplicioque pœnas ejectis interfectisve clarissimis viris dedit, etiam Metellum veneno sustulisse creditus. sed ad ordinem rerum Luciumque Philippum, & Sex. Julium Cæsarem Consules revertor. cujus anni fine, quum jam nulla nisi Varia lege judicia redderentur, & populus moleste ferret, tot uno tempore viros illustres civitate pelli: & Socii, spe omni desperata, jus æquum voluntate Romanorum obtineri posse, ad consilium belli communiter inferendi totis animis moti sunt. Nullum enim præterquam in armis remedium superesse cernebant, amissis in Urbe patronis, & unico jam crimine, si quis favisse sociis videretur, neque aliis caussis aut M. Drusum luce, aut cæteros patria carere.

Cic. Bruto. Appianus.

Sociorum inter se fœdus et Respub. nova. Liv. Epitom.

XLIV. Principum inde occultis coitionibus, postea horum impulsu publice missitando legatos fœdus inter multos populos ictum. Id quantum poterat dissimulanter agebatur, eo tardius animadvertere Romani, quorum animos continua domi judicia, quæ perraro sine seditione transigebantur, occupabant. Ergo velut per otium Italicæ gentes novam Reipublicæ formam commentari atq; adeo constituere potuerunt; ad exemplum Romanæ civitatis comparatis legibus. Caput rerum, consiliique publici & omnis necessarii apparatus arcem, Corfinium interim esse voluerunt, Pelignorum maximam urbem. sed velut communem omnium patriam, pro Corfinio *Italicam* appellantes, curia foroque cæterisque publicis ædificiis proposito suo convenienti magnificentia exornarunt.

Diod. lib. 37. Ecl. 1. Strab. lib. 5. Vellejus 2. 16. 5. Appianus. Strabo.

Ejus Reipub. ordinatio. Diodorus. Appianus.

XLV. Huc deinde omnia belli præsidia concorditer congesta, obsides ex omnibus populis missi: magna vis pecuniæ magna commeatuum. Summa omnium penes quingentos viros erat; tota Italia, pro cujusque civitatis opibus delectos. hic *Senatus* vocabatur. Ex hoc numero binos quotannis Consules, duodenos Prætores creari oportebat. *Quamdiu bellum esset, alteri Consulum cum sex Prætoribus à Cercolis usque ad mare Adriaticum provinciam esse, totidem pari honore magistratibus cæteram Italiam*, placuerat. Inter hæc Romani, velut ex profundo stupore receptis sensibus, quaqua versum certos homines ad consilia Sociorum speculanda dimittunt. quibus haud magna calliditate opus ad hoc negotium fuit, quum jam ita vires suæ placerent Sociis, & consilia matura viderentur, ut pervulgatis ubique sermonibus *civitatem Romanam, suo majorumque sanguine servatam auctamque sibi deberi* palam loquerentur: *eamque hoc tempore parare certum omnibus ac*

deliberatum dicerent, *id unum interesse, utrum volentibus qui tum essent Romanis, an vero invitis impetraretur.*

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

ITALICI populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani: initio belli à Picentibus orto. Q. Servilius Proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in oppido erant, occisus est. saga populus sumpsit. Servius Galba à Lucanis comprehensus, unius fœminæ opera, ad quam divertebatur, captivitate exemptus est. Æsernia & Alba, coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia deinde Latini nominis, externarumque gentium, missa populo Romano, & expeditiones invicem urbiumque expugnationes, referuntur.

BELLUM Italicum, quamquam *Sociale* vocari consueverit, si verum spectemus, simillimum civili fuit: quum sanguine, locis, belli denique ac pacis pleraque communione mixtæ unitæque populo Romano nationes, repente hostilia induerent, asperioribus odiis, ut solet in dissensione conjunctissimorum, quam si cum quantumvis barbara gente susceptum certamen foret. Igitur intra paucos deinceps annos plusquam trecenta millia juventutis Italicæ bello adsumpta traduntur. Multi enim validique populi defecerant, postquam initio à Picentibus orto, civium Romanorum Asculi effusus sanguis est. Ex iis quos ad explorandum quæ à Sociis fierent Roma missos fuisse diximus, quidam adolescentem Asculanum duci Corfinium viderat, ut ibi, sicut communiter convenerat, pro sua civitate obses foret. (Belli Socialis moles & calamitas. Florus 3. 56. Vellejus 2. 15. Liv. Epitom. Appianus. lib. 1. Civil.)

II. Id quum Q. Servilio qui in ea parte Italiæ Proconsule agebat, nunciatum esset, propere accurrit Asculum, ut incipienti adhuc malo occurreret. Cæterum nec opprimere morbum potuit, & sua cum pernicie supra modum exulceravit. Ludi tum forte agebantur; res una omnium maximos cogere cœtus solita. Erant ea omnino tempora, iique hominum animi, ut lenissima quæque remedia vix laturi viderentur; quum Servilius, quasi mancipia conviciis minisque ferociter increpat. *Proh Jupiter!* inquit, *diique cæteri, qui Romanum Capitolium ideo nimirum incolitis, quod ibi caput rerum terrarumque omnium, sedemque sicut numinum vestrorum, sic imperii esse voluistis; quod tantum admisimus nefas, ut* (Q. Servilius Asculum venit.)

hæc audire, hæc videre tam fœda ac pudenda cogeretis!

Graviter corripit Asculanos.

III. *Eone deveniri indignitatis oportuit, ut Itali nos contemnerent, & quos potentissimi Reges formidant, clientibus nostris contemptui essemus? Jam igitur, si diis placet, regimen rerum Asculanus capesset, & pro Romanis patribus facta gentium Regumque Picentes temperabunt. Id vero facinus dii probibessint, aut si tam nefanda permittere decreverunt, prius quidquid usquam est Romani nominis, intemeratum adhuc impollutumque pereat! Mihi quidem satius fuerit, vel mille mortes perferre, quam hanc tantam subire ignominiam, ut meo suffragio jus Romanum ad dedititios nostros transeat. Vestrum autem furorem mirari satis nequeo, Asculani, quos non populi Romani majestas ultra, non vestrarum virium reputatio, ne prioris quidem ævi memoria deterret, ne tam perniciosa inciperetis.*

Asculani Servilium et alios Romanos trucidant.

IV. *Cum omnibus Italiæ populis majores nostri bellaverunt: nec par omnibus aut virtus, aut resistendi spatium fuit. nemo tamen omn[illegible] æque facil[illegible] Picentes subacti sunt. Uno prælio victi, continuo sese T. Semp[illegible] Asculani, dediderunt. Vos igitur, qui tam levi momento [illegible] abjicere soletis, quibus præstigiis dementati ad rebellandum vultis esse p[illegible]* Non tulerunt ista vociferantem Asculani, tanto furore exacerbati, ut quidquid deprehendi civium Romanorum in oppido potuit, cum ipso Proconsule, legatoque ejus Fontejo, trucidaretur; bonis omnium direptis. Ab hoc initio, quum ultra dissimulandi non esset locus, per Italiæ populos & urbes signa cecinerunt, discurrente passim Pompædio, quem præcipuam istius belli facem fuisse consentitur.

Orosius 5.17. Cic. pro Font. c. 14. Florus 3.18. Liv. Epitom. 75. Strab. lib. 5. Vellejus 2.16.

Bellum Marsicum cur appellatum. Orosius 5.18. Eutrop. 5.17.8.

V. Hic igitur quum primos omnium Marsos suos eduxisset, nomen toti bello fecit, ut à plerisque *Marsicum* appelletur. His in Urbe cognitis *tumultum esse* decretum; justitium edictum; saga populus sumpsit. Interea Cn. Pompejo Prætori negotium Senatus dederat, ut cum exercitu Asculum accederet, initia belli oppressurus. Iste strenue profectus, Asculanos ad satisfaciendum populo Romano, tradendosque defectionis auctores cohortatus, renuentibus vim intentat, eductasque copias oppugnationi paratas habet. Oppidani de industria metum simulantes, ut incautos invaderent, juventutem intra muros instructam tenent: paucos homines, eosque magnam partem valetudine aut ævo inutiles in mœnibus locant.

Asculanorum stratagema in oppugnantes Romanos.

VI. Idcirco Romani, profecto dimissos alio juniores arbitrati, remque sibi tantum cum parvo debilium numero fore, contemptim suggrediuntur. Dum alii suffodere muros, alii superare scalis tendunt, & in hanc unã rem intentis omnis periculi metus & cautio abest; subito apertis portis, fit Asculanorũ acerrima eruptio, Romanique multis desideratis à muro rejiciuntur. Inter hos Italiæ motus, exspectationemque longe gravissimi belli L. Julius Cæsar, P. Rutilius L. F. L. N. Lupus Consulatum Romæ iniverant (Cæsari multis Appiani locis pro Lucio prænomen Sexti additur) quo anno Sol rubenti circulo circumdatus apparuit; magno apud animos aliis jam ante caussis solicitos metu: eodemque mox insigniter aucto propter Metellæ Cæciliæ somnium, Q. Balearici filiæ. Junonem Sospitam quod templa sua immunde haberentur, profugientem, suis precibus ægre revocatam esse per quietem viderat.

Urb. cond. ann. 663. Metellæ somnium. Plin. 2.30. Jul. Obseq. Cic. de divinat. 1.2.

VII. Eam rem Senatus minime negligendam esse cēsuit: quod pacem numinis, cui salutaris inesset appellatio, & cui Consules omnes facere necessum esset, in primis ad tutelam Reipublicæ pertinere credebat. Igitur de sententia Patrum supplicationibus habitis, L. Julius Consul templum refecit: adeo quidem negligenter habitum, ut præter alias sordes sub ipso simulacro deæ canis catulos enixa reperiretur. Metellæ negotium datum (quod eam præ cæteris Junoni gratam esse appareret) *ut grege matronarum sordidis obscœnisque corporis coinquinatum ministeriis, religiose commundato, pristino splendori omnia restitueret.* Hujus mulieris insomnium quamquam mirifice eum re convenisse videretur, fuerunt tamen Romæ qui nihil somniis tribuendum crederent, inter quos & L. Sisenna fuit, eorundem temporum rerum celebris scriptor.

Junonis Sospitæ templum negligenter habitum. Cic. pro Muren. cap. 41. Cic. de divin. Jul. Obseq. Cic de divin 1. 44.

VIII. At Senatus à religionibus ad belli molem omni cura conversa, Samnium & Marsi provinciæ Consulibus decretæ: Marsi P. Rutilio evenerunt; L. Julio Samnium. Hi præcipui rebellantium populi erant. multi enim præterea defecerant. Picentes Vestinique, & cum Pelignis Marrucini, & Apuli. tum Ferentini, Hirpini, Pompejani, denique totus ille tractus Italiæ, qui à Liri fluvio ad maris Adriatici sinum intimum porrigitur. Consules hi Q. Pompædium Silonem, C. Aponium Mutillum legerant. pro Aponio quidam *Papium* nominant. Prætores, è Marrucinis Herium Asinium, è Marsis C. Vettium Catonem, è Lucanis M. Lamponium, Tib. Cleptium reperio.

Populi rebelles: & eorum præcipui Duces. Memnon. apud Phot. Appian. Diodorus. Liv. Epitom. 73. Senec de Benefic. 2. 23, 6. Florus 13. 18. Orosius.

IX Habuerunt & Samnites Marium Egnatium & Trebatium, & Pontium Telesinum. Sed C. Judacilium sive Apuli, sive Picentes, utrumque enim traditum est; & Peligni A. Cluentium. Præter hos clari Sociorum duces, non adjecto quorum quisque populorum fuerit, nominantur T. Afranius, P. Ventidius, C. Pontidius, P. Præsenteius, Titus Herennius. præterea Juventius quidam & Obsidius, & Capuanus Gutta. quorum alii statim ab initio Prætores sunt: cæteros vel in abeuntium locum factos, vel in occisorum suffectos intelligimus. Sub horum imperio urbium insignium præfecti multi, cū suo quisq; præsidio erant. Igitur contra hos tam peritos militiæ & impigros viros quum instaret dimicatio, diligenter curatum, ut qui tum erant, quique postea facti sunt, Consulibus quam præstantissimi legati adderentur.

Macrob. saturn. 1. 2. Vellejus. Eutropius. Romani Consulibus præstantissimos legatos addunt. Cic. pro Front cap. 15. Diodor. apud Valesf. Appian. Cicero.

X. Sed tum quidem Rutilio Cn. Pompejus Magni pater, Q. Cæpio, C. Perperna, C. Marius, Valerius Messalla, proconsulari omnes potestate, adjutores dati: Cæsari P. Lentulus frater Consulis uterinus, T. Didius, P. Licinius Crassus, L. Cornelius Sulla, M. Marcellus. Præterea M. Cornutus, L. Cinna, Q. Catulus, Q. Metellus, itemque P. Sulpicius, & M. Antonius legati bello Marsico fuisse memorantur. L. Calpurnius L. F. Piso armis faciendis præfectus est. Sed Italici populi, prius quam bellum inciperent, legatos in Urbem miserunt. Eorum, preces atque minas ita miscentium, ut malle pacem, plus confidere armis viderentur, talis ferme oratio fuit. *Qui simus, unde veniamus, Patres Conscripti, neque Vos ignoratis; & nobis nota templa, familiares vultus occurrunt: adfines consanguineosque videmus, quibuscum domi militiaque magnus nobis usus, & conjunctissima necessitudo fuit.*

Cic. Bruto cap. 89. Italicorum Legatio ad Romanos. Cic. in Pison. cap 26.

XI. *Inter homines tot nominibus invicem devinctos, & proloqui paulo du-*

A tota Italia missos se dicunt legati.

riora, & audire juxta grave est. Sed mandata nimirum accepimus, quæ cum fide perferenda sunt, rationem Italiæ toti reddituris. Ne enim à nostris tantummodo civitatibus missos credideritis: eadem hic uti caussa Italorum omnium, ita voluntas est. Et ne, ut in repentinis consiliis facilem sedatis motum imaginemini, jure jurando & obsidibus missis usque eo devincti sumus, ut eumdem omnes casum experiri necessum sit. Igitur & Senatum communiter legimus, & consilio publico constituimus temporariam sedem. creavimus interea magistratus, legiones conscripsimus, arma, commeatum, pecuniam coëgimus, eo omnia animo, ut prius cum omnibus nostris, quod dii avertant omen, funditus intereamus, quam diutius defraudari nos jure nostro patiamur.

Desiderium suum non novum, sed à majoribus transditum. Cic. de Harusp. Respon. ca. 9. Velleius 2.16. Liv. 8.5.

XII. *Neque nova hæc nobis incidit, sed à patribus avisque transmissa & transdita est cogitatio. jam olim indigne ferimus, Romani, quod rebus omnibus pares, numero meritisque superiores, quippe tanto jam tempore duplicem numerum militum ad omnia bella præbuimus, ita negligimur à vobis atque contemnimur. Igitur quæ nunc de communicando Sociis jure, tamquam inauditæ audaciæ verba aversamini, ea jam ante ducentos annos in Curia vestra sonuerunt. & quamquam eo tempore, quum paucis Italiæ populis sociis uteremini, mediocres eorum opes fregistis, subinde tamen postea querelæ auditæ sunt, & interdum consilia capta. & ne longius abeamus, patrum nostrorum memoria, quid mentis Italiæ fuerit, plenissime essetis experti, nisi rem nondum maturam Fregellanorum festinatio prodidisset.*

Idemque æquissimum esse.

XIII. *Hodie vero non unius oppidi, ne paucarum quidem civitatum, sed Italiæ legatos auditis, deorum hominumque obtestantes fidem, ut aliquando temperetis ab injuria, & ad utilitatem tum ceteræ Italiæ, tum etiam vestram vestrique imperii Urbisque salutem respiciatis, quando res in eum statum devenit, ut una hæc vobis sit in præsentia deliberatio, utrumne cives sitis nos Italos, an vero hostes habituri. Neque est, ut ad hæc verba tumultuemini, Patres. liberam sed veram vocem audistis, neque indignam, aut his quorum nomine emissa est, aut his apud quos prolata. Quid enim in nobis est, cujus communione quasi pollui credatis vestram civitatem, Romani. Natos in eadem Italia, iisdem institutos eductosque moribus & artibus, pari usu militiæ, qui & pro vobis tam diu feliciter pugnavimus, & si necessum sit (quod abominamur) contra vos pugnaturi sumus, non anteponetis mancipiis vestris, è quibus jure manumissionis cives Romanos quisquis voluit, fecit?*

Ipsum sibi jus naturæ favere.

XIV. *Fieri non potest, ut hanc indignitatem qui abjicere possunt, diutius ferant. ne natura quidem rerum sinit, ut in æquali virtutis atque libertatis indole, alii dominentur perpetuo, alii serviant: & qui vim facere conati sunt, neque tranquillum imperium umquam, neque certum diu habuerunt. A majoribus vestris, & hujus Urbis frequenti seditione discite, quam sit difficile, adversus viros & armatos, simul & securitatem suam, & erepta aliis jura tueri. Quam pertinaciter olim patricii vestri, quorum tum in manu erant omnia, repugnarunt, ne Tribuni plebis crearentur. creati sunt: eorumque potestas in tantum evaluit, ut nobilissimo cuique potentissimoque maxime formidabilis esset.*

Iterum deinde, per speciem decemviratus obtinuerunt tyrannidem: illa quoque cum pernicie sua quam cito sunt dejecti.

XV. *Matrimonia plebejorum tamquam rem miseram & pudendam quum essent vehementissime aversati, postremo concedere coacti sunt. Plebejos ab honoribus, sacerdotiis, magistratibus diu repulerunt: sed postquam illi carere ultra jure quod se mereri sentiebant noluerunt, id quoque cum illis communicatum est. Quod igitur tenuis tum & inops illa plebecula, illa ex variis Italiæ partibus collecta colluvies, obtinere potuit, id huic Italiæ pernegabitis, Romani? quid enim in petitione nostra vel iniquum jure, vel exemplo fœdum, vel ad famam dedecorum inest? Quam multæ fuerunt florentissimæ nostræ civitates, priusquam Roma conderetur? quanta ubique principum nobilitas, qui familiarum splendor? sed neque virium opumve publicarum privatarumque pœnitet.* Et similia Romæ plebeios contra vim patriciorum vi obtinuisse.

XVI. *Quid dende postulamus? ut pares vobis, quemadmodum sumus, ita habeamur. Hæcne tam impudens postulatio, tamque contumeliosa est & nefaria, ut potius omnia præsenti exponere periculo, vastare atque urere Italiam, in eumdem casum colonias vestras Urbemque ipsam permittere, denique cœlum (quod ajunt) terramque miscere, quam hæc concedere oporteat? Per hæc omnia quæ nominavimus, & per cuncta quæ his continentur pietatis adfectusque vocabula, nolite consanguineos populos, quorum deberetis amare concordiam, parricidiali bello committere! nolite vos nosque in eam adigere necessitatem, ut pro hostili sanguine cognatum hauriamus: oppida, fana, domus, quæ majorum utrimque nostrorum manibus condita sunt, nostris diruantur: pulcherrimum quod umquam fuit, imperium suas intra ruinas sepeliatur.* Preces minasque miscent.

XVII. *Nec enim nescire vos, aut negligere arbitramur, quanta cupiditate externi Reges nationesque, quibus jam olim prægrave videtur hoc imperium, hanc velut à diis oblatam occasionem sint arrepturi. Antiquissimis populi Romani monumentis traditum accepimus, paucas à Romulo raptas Sabinorum mulieres, quum in media Urbe inde patres suos fratresque, hinc maritos exitiabili prælio dimicare cernerent, interventu suo precibusque infestas diremisse acies, recipiendisque in civitatem Sabinis, perpetuæ concordiæ stabilivisse pignus. Idem nunc neque paucas matronas orare, sed infinita millia filiarum sororumque nostrarum, quos in matrimonio habetis; vestrarum itidem, quas nobis elocastis, credite. neque majori quam tum pretio redemeritis pacem. accipite in civitatem veteres socios, veteres cognatos vestros, cum optimo quoque pietate in hanc patriam certaturos.* Metum ab exteris Regibus & gentibus ostendunt.

XVIII. *Hoc non modo nostri principes populique contendunt; sed omnes ferme, quæ sunt per Italiam, coloniæ civium Romanorum, plebis etiam Urbanæ pars melior, ac quod inter vos sapientia & amore patriæ primum est: adeoque si verum amamus, jam præjudicatum est à majori parte Romani nominis, nec ferme nisi pauci maligni & invidi, & ab his deinde aliorum decepta multitudo repugnat. Horum pravitate effectum est, ut res olim agitata perfici nequiverit: eoque jam deducta sit loci, ut nisi vestra prudentia obstiterit, Patres Conscripti, propediem longe atrocius sensura bellum sit Italia quam aut Pyrrhus olim, aut postea Carthaginenses intulerunt.* Sociorum precibus etiam Romanos plerosque favere.

A paucis se queruntur impediti.

XIX. *Horum infelicibus nefandisque artibus & Gracchi duo, & nuper clarissimus juvenis, & cui pares Romana civitas perpaucos tulit, in sacrosancto magistratu occisus est. Ab iisdem, quo spes omnis impetrandi justa sociis vestris semel eriperetur, nefaria lex excogitata est, per quam, ne cui dubium foret, quales illi cives pati nescirent, sanctissimi amplissimique viri, adsertores amplificatoresque hujus imperii, ornamenta Urbis ac Senatus, exsilio mulctati sunt: cæteris, ut quis virtute atque dignitate præcellit, idem periculum; nobis, apertum bellum denunciatur. Sed ne Jupiter diique cæteri sirint, ut precibus nostris, benignitate vestra, salute omnium hæc superior sit factio: & plus paucorum importunitas ad profligandam Italiæ pacem, quam ad conservandam confirmandamque cæterorum virtus & benevolentia possit.*

Patres & bonos suppliciter orant.

XX. *Scilicet horum imperium perpetuo feremus socii, qui tam insolenter potestatem suam exercent in cives suos, & quos æquo secum jure esse, licet factis negent, ore coguntur confiteri. Et quoniam ita se res habet, ut non eadem omnium Romanorum sit sententia, sed diversis factionibus dividatur civitas; nos etiam orationem nostram dividemus. Et vos quidem, Patres Conscripti, & quidquid in civitate sanum est, his manibus ad genua vestra protensis oramus & obtestamur, ut aliquando consanguineorum vestrorum, ut vestri etiam, uxorum liberorumque vestrorum, quibus quod exspectamus responsum, aut fidam securitatem, aut perpetuam solicitudinem, & quæ dicere nolumus, allaturum est; misereamini: sociosque vestros, quorum fidem vitutemque semper probavistis, bene de hac civitate meritos, bene merituros, arctiore vobiscum jure copuletis. ita rem non indignam sapientia vestra, Urbi autem totique Italiæ salutem feceritis: & à posteris etiam optimæ sententiæ auctores celebrabimini.*

Adversariis minantur.

XXI. *Si quis autem est adeo juris omnis & æquitatis hostis, ut servire sibi postulet viros ad imperium natos, is sibi & si qui præterea eadem superbia & pervicacia aget, hoc ab universa Italia dictum putet: Viri sumus, arma habemus: virtute, disciplina, scientia rei militaris pares; caussa & numero superiores sumus. jus ejus civitatis petimus, cujus imperium nostro auxilio partum, auctum, servatum est. quæ invidia est, quum laborum atque periculorum partem majorem tulerimus, si juris & præmiorum saltem æquam efflagitamus. Cives, si vultis, habebitis optimos vestrique & Urbis amantissimos; hostile non modo factum omne, sed etiam nomen detestamur: servos tamen sub nomine Sociorum ultra non habetis. sine quibus nec parare tantas potuistis opes, nec tueri quæsitas potestis; iis imperare velle desinite.*

Senatus responsum. Appianus. lib. 1. Civil.

XXII. Vix perorare legati potuerunt, tantus audiendi talia dolor fuit, tantaque impatientia. multorum deinde simul voces auditæ increpantium, ominantiumque, *ita demum feliciter eventura Sociis quæ agerent, si Latini olim, si Campanis eadem superbia bene cessisset*. Idcirco & Senatus nomine responsum animose est: *Ubi pœnitentiam suam Socii approbassent, posse iterum de iisdem rebus legatos mittere: de cætero priusquam satisfactum Senatui populoque Romano esset, mittendi veniam non fore*. Hæc ubi renunciata legatio est, passim totis viribus bellum instrui, delectus agi, & præter eas copias, quas suis quisque tuendis finibus populus paraverat, in commune exercitus, peditum equitumque ad millia centum, conscribi cœpit.

Neque

XXIII. Neque minores Romanis apparatus erant. E quibus quod Urbi custodiendæ satis visum erat retento, cæteræ copiæ Consulibus legatisque sunt traditæ: nam ut in magno & intestino tumultu ambo simul Consules votis nuncupatis paludati profecti sunt. Interea diversis Italiæ locis cives Romani, præsertim qui in dignitate aliqua erant, trucidabantur; vulgo mancipiisque vita ea lege dabatur, *ut sub signis sociorum militarent*. Præ cæteris notata Picentum immanitas fuit, qui barbaro more multos excruciarunt: ne in populares quidem mitiori rabie, si qui contra Romanos arma capere detrectarent. nec enim viros tantum in conspectum suorum productos, omni genere contumeliarum adfligebant; sed matronis etiam capilli cum ipsa simul cute avellebantur.

In Italia cives Romani trucidantur. Suet. August. 27. 9. Jul. Obseq. Diod. apud Valesium. Plin. 2. 12. Cluver. Ital. p. 7. 50.

XXIV. Pinnensium (in Vestinis id oppidum hodieque est) nescio quo casu excepti à sociis liberi fuerant. Eos rebellium agmen ad mœnia Pinnæ deductos, quo parentes consanguineosque misericordia charissimorum pignorum ad defectionem impellerent, postquam id incœptum frustra esse apparebat, ante ora suorum crudeliter interfecit. His & talibus in facinoribus multa Cilicis cujusdam archipiratæ opera erat, quem ob frequentia maleficia & homicidia à Romanis Asculi in custodia habitum, Picentes initio defectionis vinculis exemerant. Is ergo quasi pro meritis cujusque gratiam relaturus, collecta perditorum hominum manu, pro liberatoribus acriter, in Romanos infenso animo militabat; & agros, vicos, oppida rebellibus accedere renuentium, latrociniis à puero exercitus, supra cæterorum furorem incendiis cædibusque pervastabat.

Pinnensium constantia & calamitas.

XXV. Lucani Ser. Sulpicium Galbam comprehenderant, sed ille unius mulieris opera ad quam divertebatur, captivitatem evasit. Multa tum florentissima longæ pacis bonis oppida fœde vastata. Ocriculum in Umbris, Fæsolas in Tuscis, Carseolos Æquicolanorum, & in Campania Nuceriam, caputque gentis suæ Picentiam, cum multis æque nobilibus eo bello plurimum vexatas esse reperio. Sed omnium pertinacissime obsessæ defensæque sunt Æsernia & Alba coloniæ. quarum illa duobus Maniis Valerio Messalla, & Octavio Crasso Consulibus deducta est anno Urbis conditæ quadringentesimo nonagesimo; Albenses ad Lacum Fucinum totis annis quadraginta ante Æserninos deducti sunt, quum Ser. Cornelius Lentulus, L. Genucius Aventinensis Consules essent.

Ser. Galba captivitatem evadit. Flor. 3. 10. Liv. Epitom. Supplementa Liviana lib. 6. Orosius 5. 18. Liv. Epitom. Appian.

XXVI. Sed Rutilius, Juliusque Consules, ut obsessis opem ferrent, in Samnium Marsosque diversi abjerunt. Inter hæc à nomine Latino, reliquisque extra Italiam sociis frequentia venerunt auxilia. nam etiam tum magna pars Italiæ, omne Latium, Etrusci, Umbri, aliæque validæ nationes in fide manebant. Sed & in aliis quibusdam quæ defecerant, adeo repentinus inter omnes consensus esse non potuit, ut non magna portio immixta bonorum esset. In Hirpinis certe justam legionem Minatius Magius conscripsit, Æsculanensis quidem civitate, sed intactus à scelere, & avitæ in Romanos fidei tenax. Nepos enim Decii Magii Campanorum principis erat; ejus qui deficiente ad Hannibalem Capua, ut ruentem in dedecus & exitium patriam retineret, multa ausus passusque, fortissimi atque fidelissimi viri famam emeruit.

Auxilia Romanis mittuntur. Velleius 2. 16. 2. Liv. 23. 7. 8. Velleius.

XXVII. Neque segnis Minatii eo bello opera fuit; nam & Herculanei capti communem cum T. Didio laudem habet: & cum L. Sulla Pompejos oppugnavit, Cosamque occupavit, agnovitque meritum Romanus populus, & ipsum

Minatii Magii, & Q. vet. torii eo bello opera.

Saluſt. Incert. 5. 1. Plutarch. Sertor. cap. 5. Saluſt. quidem nominatim donavit civitate: duoſque deinde filios ejus creavit Prætores, quum adhuc ſeni crearentur. Utilior etiam quam celebrior induſtria Sertorii fuit; cujus egregia facta toto eo tempore primum ignobilitas hominis, deinde ſcriptorum invidia obſcuravit. Sed is tum Galliæ Ciſpadanæ Quæſtor arma viroſque magno numero coëgerat: ne ipſe quidem ſuo corpori parcens, unde eodem bello, dum nullum periculum refugiens, acriter pro patriæ imperio pugnat, effoſſo altero oculorum, *non dehoneſtamentum id oris, ſed ornamentum habere*, haud injuria gloriatus eſt.

Memnonis error geographicus. Memnon. ap. Phot. Cod. 224. XXVIII. Venerunt & ab ultimis terris auxilia, non Regibus modo, magniſque populis prompte ſubmittentibus, ſed etiam mediocrium civitatum alacri ſtudio. Inter quas & ab Heraclea Pontica duas triremes tectas veniſſe Memnon ſcriptum reliquit, cujus in populorum adſignandis ſedibus error admonet, ut operæ pretium facturi videamur, ſi qualis initio belli Socialis Italia, quibuſque habitata gentibus fuerit, velut in tabella ſpectandum exhibeamus. Quum enim Plin. 3. 5. 9. 3. 17. 2. Cluver. Ital. p. 96. vir, ut exiſtimari poteſt, cætera non ineptus, adhæc paulo poſt hæc tempora, florente certe Romanorum imperio natus, Marſos Pelignoſque ac Marrucinos, Libyæ gentes Gadibus finitimas potuerit credere; profecto nobis haud tranſlatitia diligentia erit opus, ne in rebus tot ſæculorum vetuſtate obliteratis, tot interim mutationibus aliam aliamque ſubinde faciem adeptis, hallucinemur.

Italiæ deſcriptio. XXIX. Igitur omnis Italia decies centena & viginti millia paſſuum in longitudinem protenditur, ab Auguſta Prætoria per Urbem Capuamque ad Siculum fretum, ubi Rhegium oppidum eſt, pergentibus. Auguſta nomen adhuc hodie retinet, juxta geminas Alpium fauces, Grajas atque Pœninas, ſita. Latitudo minime reſpondet longitudini, ipſa quoque varia, maxima proxime Alpes inter Plin. 3. 10. Cluver. Varum & Arſiam fluvios, ad quadringenta decem millia patens; deinceps quanto magis in Auſtrum vergit arctior: niſi quod in media ferme longitudine inter Tiberis & Aterni oſtia, breviſſimo itinere in centum millia tumet. ad Scyllacium quidem, & ſinum Terinæum, qui hodie S. Euphemiæ dicitur, anguſtiſſima Italia eſt, vix millia paſſuum viginti inter ſuperum inferumque mare occupantibus terris.

Italię diviſio. XXX. In hoc ſitu plurimæ gentes civitateſque nobiles & nunc ſunt, & olim fuerunt. ſed in præſentia ſatis habebimus eas deſcripſiſſe, quarum tum temporis Saccus Hiſtor. Ticinens 1. 1. præcipua celebritas & potentia, aut Sociali bello inſigne aliquod factum fuit. Ergo naturam ſequuti quatuor in partes Italiam dividimus, ut Circumpadana montibus & Adriatico ſinu planicies terminetur; partem ſecundam Apenninus mons, totam Italiæ longitudinem pertranſiens; cæteras, quæ cis, aut trans Apenninum jacent, conſtituant. à prima quam fecimus regione commodiſſime Polybius. 2. 14. Plin. 3. 19. deſcriptionem totam ordiemur. Sub ipſis Alpium radicibus, ubi nunc ex argumento vocati *Pedemontani* colunt, anguſtis primo ſpatiis, deinde latioribus, campi fertiliſſimi extenduntur, quos Polybius, qui plurimas terras peragravit, *tota Europa præſtantiſſimos eſſe, paſſuumque in ambitum millia MCCL. complecti* prædicat.

Gallia Ciſalpina. XXXI. Hos ita interſecat Padus, ut longe majorem efficiat partem, quæ ad Adriaticum mare quam quæ ad Liguſticum vergit. Utramque ripam Gallicæ nationes Etruſcis pulſis antiquitus occupaverant: ut Veſpaſiani ævo de

Tuscorum in ea regione oppidis sola Mantua superesset. Cum his populis diutissime depugnandum Romano fuit, & ab his omnis ea regio Gallia Cisalpina appellata. Nobilissimæ illarum gentium, in sinistra ripa Insubres, Cenomani; in dextra, quæ propior Romæ est, Boji atque Senones fuerunt. Horum Boji pulsi sedibus: Senonum tota natio à populo Romano deleta. Ab his illustres urbes multæ conditæ: in agro Insubrium Mediolanum Bellovesus exstruxit; Veronam & Brixiam Cenomani. Senenses quidem ipsa appellatione prodere originem videntur: & Comum, Bergamum, Tridentum, Vicentia, Trogo auctore, Gallis auctoribus initia suâ debent. Strab. lib. 5. Liv. 5. 34. 10. Sarisberiens. 6. 17.

XXXII. At Placentiam & Cremonam M. Livio, L. Paullo Consulibus sub Hannibalis bellum Romanæ coloniæ occuparunt. A latere Gallorum usque ad mare Adriaticum Veneti sunt, antiquissimæ celebritatis nomen, & hodie quoque pulcherrima urbe, neque integra modo libertate, sed etiam imperio non contemnendo præcipuæ famæ. Sed Galliæ Cispadanæ Ligures ad mare sui nominis prætexuntur. His antiquitus caput Genua fuit, nunc quoque florentissima. Durum bello, minusque fidei quam libertatis tenax genus, arma Romana, jam Africam Asiamque magnis victoriis peragrantia, sæpe sustinuit, aliquando repressit. neque ulla Italicarum gentium serius perdomita est. Inter hæc mons Apenninus à Liguribus per mediam ferme Italiam porrectus, apud Brutium in duo brachia discedit, altero Leucopetram Rheginorum contingens ad Siculum fretum, altero promontorium Lacinium, quod à Junonii templi ornamentis posteriora tempora *caput Columnarum* vocaverunt. Veneti. Justin. 20. 5. 8. Supplem. Livian. lib. 20.

XXXIII. Isto montium tractu Ligures habitant, quos ab Etruscis Arni fluenta separant. Inde jam in mediterraneis Arretium, ad mare Pisæ sunt in Tuscorum finibus. Tuscis ex Lydia repeti genus, nec nescio, nec refello. tantum ut ingeniis talia studiose rimantibus argumentum non inamœnæ disquisitionis subjiciam, non dissimulo, per mihi mirum videri, nullas earum gentium origines, uti nunc vulgo fieri scimus, ita antiquitus etiam è Germania peti, quum tot exstent notæ huc trahi faciles: gentium Septentrionalium creberrimæ migrationes, vicinia locorum, sermonis quidem etiam expressa vestigia. Nam & in Asia Lydiaque ipsa Cimbros olim sedes habuisse constat; ut etiam inde venire Germanici sanguinis populi potuerint: & è magna Germania per Alpes nec longior, nec difficilior, trajectus erat; quam postea iisdem Cimbris fuit. præterea quo tempore Hannibal in Italiam transiit, partem Alpium semigermanæ gentes tenebant. Tusci. Strab. Farnab. in Lucan. 2. 419.

XXXIV. Nomen autem Tuscorum propter sacrificiorum religiones à Græcis impositum credatur licet; quemadmodum alia non minus inepta creduntur: dum ne ignoremus nunc quoque Germanos inter se aut à consanguineis nationibus *Lydos* atque *Tuscos* nominari. Sed & *Italiam*, nisi quem fabulosæ delectant origines, à Tuscis appellatam fuisse suspicio est, iis, inquam, Tuscis, qui subjectam Alpibus regionem tenuerunt, in valle (hoc enim ipsum significat Italia) se habitare indicantibus. Quid quod *Bodinci* nomen Pado antiquitus inditum, vix alia in lingua notationem quam ei tribuit Plinius fundo carentis invenerit. Quid jam extra Italiam regiones, sed in quas infero mari accessus Tuscis fuit, aliter à Græcis, aliter ab Italis appellatas commemorem, ea ratione Tusci & Lydi Germanorum nomina. Livius 21. 38. 8. Servius ad Æneid. 10. Plin. 3. 16. 22.

nominum; ut in sola Germanica lingua certum & convenientem locis intellectum præferant?

Sicilia & Africa Germanicæ voces. XXXV. Eamdem insulam *Zanclen* Græci: *Siciliam* Itali dixerunt: rem etiam eamdem utraque denotante voce, nam hodieque facem (cujus figuram insula refert) hoc nomine Germania designat. Quum autem Græci *Lybiam* vocant, eam esse ab Tuscis *Africam* nuncupatam ob simiorum multitudinem non Diodor. 20. 59. absurdum est credere, Nam & Simiorum Regnum apertissime notat Africæ vocabulum: & genus illud animalium non modo frequentissimum iis locis esse constat; sed etiam urbes fuisse, quæ à simiis se denominarent, simios divino honore colerent, liberis denique, ut Græci à diis, ita illi à simiis nomina imponerent.

Tuscorum opes. Strab. lib. 5. Dionys. 1. 19. Strabo. XXXVI. Cæterum Tuscorum, undecumque illis nomen aut origo fuerit, & antiquitus summa potentia, & belli Socialis tempore magnæ adhuc vires memorantur. Urbes præcipuæ adhuc Pisæ erant, & Luca coloniæ, Volaterræ, Arretium, Cosa. Proximi Etruriæ Umbri habitarunt, Tiberi fluvio discreti, gens antiqua & ampla. Narnia cum & Iguvium Ameriumque & Camertes cum Tudertibus, & ad Tiberim Ocriculum, claræ urbes populique erant. Ab his Cluver. Ital. Antiq. p. 751. deinde Picenum ab ipsis illis montibus incipit, in quibus Camerinum, hodie quoque antiqui nominis retinens, jacet. Ariminum hi tenebant, Asculumque, unde initium defectionis fuit, & Firmum clarissima oppida. Vestini Aternum habent, quod nunc *Pescara* nominatur, ad amnem ejusdem nominis, qui medius inter Vestinos, adsitosque Marrucinos & Pelignos labitur.

Marsorum fortitudo. XXXVII. Marrucinorum Teate fuit, caput gentis: erant & alia oppida, sed frequentius vicatim habitabant. At Pelignos Corfinium nobilitat, arx rebellantium Sociorum, & Italicæ appellatione communis omnium civitas, itemque Nasonis origine clarus Sulmo. In latere Pelignorum Vestinorumque Marsi Fucinum lacum accolunt, celebratæ fortitudinis viri, adeo quidem, ut eousque neque de Marsis Romæ, neq; sine Marsis triumphatum esse opinio tenuerit. Præcipua Strab. Silius 8. Florus 3. 18. 3. urbium Marruvium fuit: deinde Alba ad Fucinum, colonia. Hinc Æquorum veteres fines, sed tum Latio contributi, Carseolis maxime gloriabantur. Sed à Pelignis, & Sagro flumine Samnium longo tractu porrigitur, antiqua fama & maximis urbibus clarum, Æsernia, Boviano, &, quod nunc quoque veteri vocabulo noscitur, Benevento.

Campania. Ptolemæus. XXXVIII. Campaniæ etiam pars montosa Samnitibus connectitur: in qua post Capuam, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Nuceria, tum quoque adhuc Pompeji erant, nobilissima oppida. Teanum præterea & Larinum Frentani populi fuerunt. at post Beneventum coluerunt Hirpini: quorum urbes Aquilonia, Abellinum, Æsculanum memorantur. Lucania deinde sequitur magna regio; Urbes, Velia, Copiæ, Thuriorum prius, & ante Thurios, Sybaris nomine nobiliores; Grumentum, Potentia.

Apenninus. XXXIX. Hinc deinde per Brutios & extremum Italiæ angulum Apenninus Siciliam versus sinuatur. Tempsa horum erat, Vibo Valentia, & celeberrimæ omnium Rhegium & Locri. Tertia pars Italiæ quæ monte Apennino & Mari infero clauditur, primo quidem Ligurum, deinde Etruscorum populos continet, utraque gente à montibus ad litus porrecta, suumque nomen dante

quàm accolit parti maris. Post Etruriam Latium est Tiberi flumine disjunctum, ubi caput non Italiæ modo, sed prope orbis universi Roma est.

XL. Ampla regio, validi populi, nobilissimæ urbes hac parte Italiæ fuerunt. praeter antiquum Latium, Rutulio, & Aurunci ad maris oram: interius Volsci, Hernici, Æqui. Lanuvium, Aricia, Tusculum & Præneste Latinos veteres illustrabat: Arpinum Marii tum natalibus gloriabatur; nondum agnito quanto majus Volsco Romanoque nomini decus Ciceronem peperisset. Et Anagnia caput Hernicorum, Tarracinaque, & Minturnæ, & Formiæ, & Sinuessa, in Auruncis, opulentæ illa tempestate urbes erant. Latium.

XLI. Per Minturnas fluvius Liris transiit: ejus in læva ripa Sidicini colebant, quorum Teanum oppidum fuit. Ex his Campania rerum omnium adfluentia luxuque præ cæteris Italicis celebrata regio. de qua jam occupavimus dicere, quod pars ejus Apennini juga sequentibus occurrebat. Post Campanos Picentini sunt, ad Pæstanum sinum ex veteri Piceno à Romanis victoribus trajecti. Hic Picentia clarum oppidum erat, & Romanorum colonia Salernum. Sidicini. Strabo.

XLII. Ab eodem sinu deinceps Lucani Brutiique Italiam, uti dictum est, finiunt. Superest quarta, quas fecimus partium, inter Apenninum & Mare superum, quod & Adriaticum vocatur, intercepta regio. Hæc à Venetis, per Umbriam, Picenumque, memoratos antea populos ad Prætutinum Hadrianumque agrum pertinet: post quos Marrucini Frentanique, ipsi quoque inter Apenninicolas jam recensiti; à Frentanis Apuli habitabant, longo ad Adriaticum mare tractu. Lucani. Horatii patria.

XLIII. Hic Venusia est, Horatii Flacci patria, itemque Luceria, tum Romanorum coloniæ. Deinceps extremum Italiæ cornu, Brutiis oppositum (nam iis locis lató hiatu discedentes terras maria intrarunt) peninsulam efficit, Messapiam antiquitus appellatam, cujus interior pars, Tarentum nobilissimum oppidum habet, cum sinu cognomine: deinde per Salentinos ad Japygium promontorium excurrit. At pars Adriatico obversa mari Calabria vocatur. in qua Brundusium est cum incluto portu; & cum alio, sed minoris famæ usque Hydruntum.

XLIV. Hæc illa Italia fuit, hæ gentes ac urbes, quæ tum paribus inter se animis viribusque concurrebant. Nam si populos qui defecerunt, cum Romanis eorumque fidelibus sociis compares; vix reperias, utram partium aut hominum numero, aut militum genere, aut munimentis locorum, anteponas. opes quoque, pecuniarum, commeatuum, armorum copias æquales; ducum etiam haud impares spiritus artesque deprehendas. Senatus haud dubie Romanus auctoritate rerumque usu longe præstabat; sed horum vim atque velut aciem internæ seditiones & inolita vitia hebetabant: Italicum industria firmabat, & concordia, favensque novis cœptis humanus animus, & omnia in principiis meliora. Comparatio Romanorum.

XLV. Fortuna quoque adesse partibus visa: plerumque superioribus inter initia Sociorum rebus, dum in Urbe Romana quæstione Majestatis, in castris suspicionibus infensa omnia & impedita sunt. Nullum jam Romæ nisi L. Varia judicium exercebatur, quo præter alios Q. Pompejus Rufus, & M. Antonius orator caussam dixerunt. Quum satis irarum cæcique metus domi esset, acrius exulceravit animos P. Rutilii Consulis imprudentia, qui consilia sua hostibus prodi videns, quum viros patricios quos secum habebat criminis ejus reos designasset, rem non perquisitam Senatui perscripsit. Turbæ apud Romanos domi bellique. Diodorus. lib. 35. Cic Brut. cap 89. Cic Tuscul. Quæst. 2. 24. Diod apud Vales.

Proditio in castris.

XLVI. Neque dubium est, quin magnus inde motus oriturus fuerit; ni mature emersisset error, verique proditionis auctores, temere suspectos periculo liberassent. Marsi quidam immixti Romanorum pabulatoribus, & pro sociis se gerentes, castra simul ingredi consueverant: inde quæ visu audituque comperiebantur, suis occulte nunciabant. His supplicio adfectis restincta magis præsens invidia, quam ex suspicaci Consulis ingenio evulsa solicitudo est.

Rutilius Consul Marium suspectum habet. Orosius 5:18. Diodorus.

XLVII. Nam & C. Marium, licet propinquum suum, id agere putabat, ut præsenti anno segniter extracto, ille septimum Consul factus bellum integrum acciperet. Quamquam Mario consilii sui idonea caussa erat: *quod enim in hostico bellum esset, trahi oportere* identidem submonebat: *sibi enim aliunde non defuturos commeatus, at hostibus suum agrum inter utriusque partis crebras populationes minime diu suffecturum: interea tyronem militem in castris exerceri posse*. Frustra hæc dicebantur, nec ab animo pravo atque contumaci Consul impetrare potuit, ne potius damnosam Reipublicæ temeritatem suo cum exitio, quam salubria aliorum monita cum incolumitatis famæque magna mercede, sequeretur.

Treculpf. Tom. 1. 6. 12.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

L. Julius Cæsar Consul male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Posthumio Prætore, qui ab iis interemptus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Quum P. Rutilius Consul parum prospere contra Marsos pugnasset, & in prælio cecidisset, C. Marius legatus ejus meliore eventu cum hostibus conflixit. Servius Sulpicius Pelignos prælio fudit. Q. Cæpio, legatus Rutilii, quum obsessus prospere in hostes erupisset, & ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus, & circumventus insidiis, fuso exercitu cecidit. L. Cæsar Consul feliciter contra Samnites pugnavit, ob eam victoriam Romæ saga posita sunt, &, ut varia belli fortuna esset, Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed C. Marius prælio Marsos fudit, Hirno Asinio, prætore Marrucinorum, occiso. C. Cæcilius in Gallia Transalpina Salvios rebellantes vicit.

Senatus exerceri judicia vetat. Pedian. in Cornelian.

I. INTEREA, quum inter crebras Italicorum defectiones, etiam domi omnia suspicionibus & mœrore solicita essent, appareretque lege Varia multis innocentibus extrema intendi pericula, decrevit Senatus, *ne judicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur*. Huic Senatusconsulto Tribuni plebis intercedebant. Idcirco in concionibus populi frequenter agitata res est, atrociter in Senatum in-

vehentibus Tribunis. *Quorsum enim*, ajebant, *legiones Imperatoresque rebellibus opponitis, si quod longe majus est periculum, domi non esse modo fautores hostium, sed etiam præesse patimini, Quirites.*

II. *Nam externam vim forte pari robore non ægre caveas, aut repellas; at quod in ipsis quasi visceribus venenum latet, id nisi mature ejeceris, frustra postmodo invocabis deos: sine remedio, sine spe salutis, ad extremam usque perniciem grassabitur. Quin Senatus populusque Romanus in Urbe, quid Consules in castris egerint, immo quid acturi sint, citius certiusque ad hostes quam ad cives perfertur. qua deinde spe geremus bellum, si proditores consiliorum habemus, quos habere auctores debuimus, conscios vitare non possumus?* Tribuni obloquuntur.

III. *Nuper à P. Rutilio Consule sunt allatæ literæ: viri quidam nobiles haud obscure proditionis arguebantur. Quid igitur factum est? Cognatorum, adfinium, sed plus etiam eorum, qui eadem in caussa sunt, potentia in tantum valuit, ut omnes ea de re non inquisitio modo cessaret, sed etiam sermo conticesceret, reique criminis pro his qui fuerant indicati, nescio qui viles ignotique homunciones nomine Marsorum subderentur. Scilicet aliquis ullius nominis locique in Marsis est, ut apud hostes explorator idoneus, apud suos fide dignus haberi debeat; qui Romanis in castris se fallere speret: qui neminem in tanta multitudine fore putet, à quo agnosci, deprehendi, atque indicari queat?* Rutilii Consulis literas citant.

IV. *Sed inter pabulatores latuerunt? narra igitur mihi, pabulatores ignotum & promiscuum in castris genus sunt: an vero, ut imperatori visum est, è legionibus & auxiliis delecti milites, interim etiam tota cum signis suis cohortes emittuntur? Fac autem fuisse. quid vero illi explorent, nisi quæ non amplius in secreto habentur. hic autem non modo quæ palam fecerat edixeratque Consul, sed consulta ejus omnia, quæ modo cum paucis communicasset, & propemodum cogitata enunciabantur.* Non à Marsis, sed Romanis, ejus prodi cōsilia defendunt.

V. *Locum castris constituerat capere; mox vidit præceptum ab Italis. tentabat eorum præsidia; tentabat oppida; ubi minime credebat existimaturos hostes, dabat impetum: omnia tam accurata, tamque recenti cura septa reperiebat, quam si de industria hostibus in eum locum condixisset. Et tamen hi pro innocentibus laudantur. quis enim umquam hac lege tam certus, tamquam evidenter nocens postulatus reus est, ut non ab iisdem hominibus acerrime defenderetur? An igitur fieri citra periculum vestrum, & civitatis potest, Quirites, ut cujusquam salus, aut hujus imperii majestas sarta tectaque sint, donec hi homines, non dicam in Urbe vestra, sed in imperiis & consilio publico erunt?* Id argumentis docent.

VI. *En quibus Reipublicæ facta, dignitatem Romani nominis, nostra denique nostrorumque liberorum ac conjugum facultates, corpora, libertatemque ac pudicitiam credimus! Hæc tam atrocia quamquam diu jam patimur, erat tamen nonnulla consolatio, quod adhuc dolere vicem nostram & Reipublicæ miserari, postremo accusare proditores licebat. nunc etiam hoc auxilium nobis ereptum eunt, Quirites, tam turpi confessione noxæ, ut quæ jussistis lege reddi judicia, isti vetent, vosque & hæc omnia perire malint, quam aut desistere à perniciosis consiliis, aut judiciorum subire discrimen.* Harum rerum tolli judicia queruntur.

VII. *Proh deum atque hominum fidem! esse in libera civitate, qui hanc sibi potentiam arrogent ut suo arbitratu eludere leges, tollere judicia ausint! quorsum autem ista licentia pertinet, Quirites? aliunde quæritur, quam ut nudata omni legum* Eam rem ad periculum Reipublicæ pertinere.

præsidio impune prosternatur Respublica? Cur enim judicia fugiunt, si tantorum scelerum sibi non sunt conscii: sin vero, cur vivunt in hoc populo, quem oderunt; in hac civitate, quam vendiderunt? Sed vereor ne forte per calumniam vexare innocentes videar. non enim abnuunt judicia, sed tantum ad res quietas differunt, & pacatiorem statum civitatis!

Dedignantur populo sic illudi.

VIII. *O stulte simplicem populum Romanum, si patitur bis tam crassis præstigiis sibi imponi, quibus ne servilia quidem ingenia circumveniri paterentur! In præsentibus prementibusque malis & universæ ruinæ metu celeribus remediis opus est: quæ quisquis in illa tempora rejicit, ubi futuri amplius non sunt quibus adhibeantur, illum aut egregiè fatuum esse, aut summe improbum oportet. Incendio forte oborto ædibus, si quis adferri aquam & restingui flammas prohiberet, donec tumultus conquiesceret, obsecro vos, Quirites, qualem esse diceretis?*

Periculum exaggerant.

IX. *Jam pulcherrimum hoc ædificium imperii Romani flagrat bello: lambit ipsam Urbem ignis, corporumque & fortunarum vestrarum omnium sedem atque domicilium afflat: & sunt (proh summe Jupiter vosque dii deæque quotquot Urbem hanc incolitis!) qui resistant restinguere cupientibus, atque adeo incendiarios ipsos jubeant tolerari, donec scilicet periculum prætereat. Sed quid opus est pluribus? non difficilis nec obscura prædictio est. & omen quidem dii avertant, sed nisi dum vestri juris estis, Quirites, provideritis ne prodamini: proditis serum & alienum erit pœnas proditionis persequi: quum & reliquarum rerum omnium potestas, & ipsa judicia penes proditores erunt.*

Contraria oratio pro Senatu.

X. Non deerant tamen, qui pro Senatu loquerentur: *In æqua omnium libertate plus tamen juris atque commodorum apud nobiles & locupletes esse, iisdem ingenitum inolitumque à majoribus longa temporum serie, ut rempublicam ament, cui ultra communem adfectum, tot sint pignoribus obligati, quot habeant præ aliis civibus eximia. Sic esse comparatum, ut pro conservatione cujusque rei plus sint soliciti, quibus ejusdem interitu plura sint peritura commoda. Neque credi posse, majestatem populi Romani cuiquam majori curæ fore, quam Senatui in quo majestatis ejus universus ferme splendor refulgeat.*

Patrum maxime interesse, salvam esse Rempublicam.

XI. *Scilicet hos à proavis & atavis adsuetos gerere magistratus, imperia, quidquid in Urbe sit vel ad dignitatem præcipuum, vel ad rem familiarem expeditum, solos aut primos consequi; jus illud cum tota Italia cupide communicaturos, cujus in possessionem vix cives suos post longa & atrocia certamina recepissent! Non magis hos Patres quemquam admissuros, nedum accituros, quem arcere possint, potentiæ socium; quam olim longe minoribus populi Romani opibus, Latinos idem petentes admisissent. Atque hæc tam esse certæ & perspicuæ veritatis, ut accurata defensione non egeant, potiusque videndum sit iis, qui Senatum tali criminatione vexent, quemadmodum se à calumnia, quã Senatui, quomodo se tam inepta suspicione liberet.*

Nec illorum culpa quidquam accidisse.

XII. *Quod si forte tam periculosis temporibus aliquid acceptum incommodi, vel adhuc timendum sit: ejus culpam non Senatui, sed potius his qui de Senatu querantur, imputari debere. Hos enim nihil aliud agere, dum ægram & sauciam Rempublicam necessaria quiete defraudant; quam quo unice optare hostes; & ab his conducti facere atque procurare vellent. Tot illustrium virorum simul deferre nomina, & in capitalem fraudem vocare multos innocentes, nec injuriam æquo animo laturos; nihil aliud esse, quam inter flammas socialis belli, novum & atrocius civilis certaminis incendium excitare.*

Non-

XIII. *Nondum oblitos esse majores natu, quum dirutis Fregellis in socios consiliorum attentius quaereretur, eaque suspicione C. Gracchus adflatus esset, quanti inde exstiterint tumultus, victrici tum & robustae Reipublicae vix tolerabiles: & exitio futuros, si debili & aliunde impeditae incubuissent. Sed bono urbis Romanae nullum tum Q. Varium, aut ei similem fuisse: quem propitii tum dii, nunc irati populo Romano, in haec potius tempora servassent: ut exulceratum civitatis statum ad extremum periculi adduceret homo non Hispaniensis sed Hispanus, & si quid forte Romani sanguinis haberet, ambiguus hybrida.* Periculosum in potentes inquirere, non quietis rebus.

XIV. *Hunc scilicet Reipublicae cura duci, quae nihil ad illum pertineret; aut ulla honesta caussa, cujus in tota vita nihil non foedum atque probrosum esset: quique ipse criminis hujus, per quod negotium aliis facesseret, multis & bonis testibus argui posset! Caeterum tali aliquo, hoc est, vili, impudente, & perdito homine fuisse opus: nec enim alium reperiri potuisse, qui se Romanis Equitibus venditaret, ad horum confirmandam impotentiam tam infami famulatu.* Q. Varius exagitatur.

XV. *Frustra incusari alios: Equitum hanc intemperiem esse, regno judiciorum exsultantium, vel usque ad interitum civitatis. Non posse dissimulari aut nesciri quae in conspectu populi Romani sint acta, hoc inspiciente cupidissime damnatos, quicumque aut publicanorum fraudes severius vindicassent, aut judicia studuissent emendare, aut quacumque de caussa iratum hunc ordinem habuissent.* Itemque Equites Romani.

XVI. *Quem enim comminisci caussam aliam posse, quod M. Scaurus princeps Senatus, quamquam annis & corpore invalidus, sit postulatus: nisi quia & alias semper obstiterit iniqua flagitantibus; & nuper auctor Druso fuerit, judicia ad Senatum transferendi? M. Cottam disertissimum adolescentem quo alio crimine cecidisse, quam quod P. Rutilium avunculum suum imitatus, rectum animum, & ambitioni impenetrabilem praetulisset. ideo nimirum tantis in illum animis ivisse iratos equites; ne suam quidem infamiã, nedũ publicam veritos, si Rutiliani judicii turpitudinẽ recens invidia renovaret. His tã velocibus ad vindictã hominibus judicia tradi perinde esse: ac si furioso gladius detur inter inermes & imbecillos.* Qui flagitiose judicassent.

XVII. *Tam brevi tempore plures consilio & virtute praestantes cives amissos esse; quam fortassis longo bello absumere hostilia arma potuissent. Neque finem fore, donec eadem accusandi licentia duret. Quem enim esse non Senatorem tantum sed omnino honestiorem aliquem civem, cui non fuerit cum his aut illis sociorum multa familiaritas, & inde suspicionum materies, & criminandi occasio? Jam antea satis in Urbe irarum, satis invidiae & aemulationum esse. haec tam inimica publicae saluti opprimenda potius, & excidenda esse, quam ut ultro corrobores & augeas.* Eaque re plus Urbi nocuissent, quam bellum aliquod.

XVIII. *Unicum praesentium malorum levamentum, unicam meliorum temporum spem esse in concordia civium repositam. hanc qui studeant abrumpere, quibuslibet hostibus pejus timendos atque abominandos esse. Quid enim futurum, si ex Senatu aut legatione exciti, quam Reipublicae curam operamque necessario tempore navaturi fuerint, suis periculis cogantur impendere? perituras rei bene gerendae plurimas occasiones, donec qui in consilio publico aut curatione aliqua sint positis, solicitis mentibus, plus de civium suorum injuriis, quam de hostium armis cogitarent.* Concordiae civitatis maxime studendum.

Romani male rem gerunt.

XIX. Hæc disceptatio quum aliquamdiu tenuisset, tandem melioris parti victoria, saltem in tempus necessariam fessæ civitati quietem præbuit. Interea dum Romæ hæc fiunt, & in Marsis à P. Rutilio Lupo Consule res non optime geritur, ne in aliis quidem Italiæ partibus, prosperiores Romanorum ducum expeditiones fuerunt. Cn. Pompejum, quamquam repulsus ab Asculo fuerat, adhuc in Piceno agentem, ad Tennam fluvium in Agro Falerino tres simul hostium duces, C. Judacilius, T. Afranius, P. Ventidius conjunctis copiis adorti, fuderunt.

Orosius 5. 18.

Cn. Pompejus obsidetur.

XX. Firmum colonia receptui fugientibus fuit: cujus mœnibus quum se Pompejus clausisset, Judacilius & Ventidius relicto ad obsidionem Afranio, in diversa loca digressi sunt. Namque Pompejus, quamquam abductæ potiores hostium copiæ erant, satis habebat, si quos superstites sibi cædes fugaque fecerat, armare iterum, & donec terror abscessisset, defendere munimenta oppidi posset, à pugnando quidem modis omnibus abstinebat. In Samnio Vettius Cato L. Julium Consulem cæsis duobus millibus militum, Æserniam cedere compulit: L. Scipio & L. Acilius servorum habitu elapsi sunt; colonia arctius circumsessa.

Venafrum amittitur: Liv. Epitom. Appianus. lib. 5. Civil. Plin. 15. 2. Front. Strat. 2. 4. 16. 4. 7. 4.

XXI. Tum & Venafrum in dextra Vulturni ripa Campanum oppidum, sed vicinum Samnitibus, olei proventu ac bonitate clarum, Marius Egnatius proditione intercepit, duabus ibi Romanis cohortibus interfectis. & M. Licinium Crassum M. Lamponius castra prope virgulta sylvasque habentem, incensis quæ contigua vallo erant, Grumentum concedere coegit: majore tamen metu quam detrimento, quum exercitus omnis periclitatus fuisset, octingentis omnino militibus amissis,

Itemq; Grumentum. Appianus. Frontin. Liv. 33. 37. 8. Quadrigar. apud Senec. de Benefic. Macrob. 1. 11. Quadrigar.

XXII. Oppidum Lucaniæ Grumentum est, quod si non eodem anno, eodem utique bello & amissum à Romanis & recuperatum est. Nec excidere memoriæ debet insigne duorum servorum ad servandam heram commentum. Hi quum urbs obsideretur, ad Romanos transfugerant, operæque pretium fecerant. Iidem urbe capta, discurrentibus ad prædam militibus, ad herilem domum notis viarum diverticulis præcurrerunt, extractamque dominam quum præ se agerent voce vultuque minaces; quoties *quænam esset* interrogarentur, *dominam & quidem crudelissimam, ad meritum supplicium à se duci* retulerunt.

Servorum fides.

XXIII. Sic eductam extra muros summa cura occultaverunt, donec residente ira victoris, periculum omne decederet. Tum vero aperuerunt animos; *dominæ servandæ ergo*, quemadmodum res ipsa satis loquebatur, *omnia fecisse, neque jus ejus imminutum cupere* professi. Illa ne beneficio à servis vinceretur, quod unum maximum in potestate ejus erat, utrumque è vestigio manumisit. Inter hæc & C. Perperna cladem ignominiamque non vulgarem passus est.

Præsentejus C. Perpernam vincit. Appianus.

XXIV. Cum Præsentejo signis collatis dimicaverat hoc eventu, ut quatuor millibus amissis superstites plerique armis abjectis vix fuga servarentur. Ob hoc ademptum ei à P. Rutilio Consule imperium est. reliquiæ exercitus iis copiis quas C. Marius ducebat, adjunctæ. Sed & Nola nobilissima Campaniæ colonia, quæ vim Hannibalis, & illam Punici belli tempestatem spreverat, in Samnitium manus incidit, quibus C. Papius præerat.

C. Papius Nolam occupat. Liv. Epitom. Appianus. Galenus.

XXV. Is cum suarum partium hominibus re communicata, facile irrupit proditam urbem. Duo millia Romanorum in præsidio cum L. Posthumio Prætore erant: etiam ad resistendum Nolanis impar manus; nedum ut supervenientem

externum sustinere hostem posset. Idcirco haud gravatim acceperunt conditionem ut postea sub Papio militarent. Hæc venia militibus data: duces comprehensi, & ne belli quidem more servato, inedia necati sunt. *Method. lib. 5. Cicer.*

XXVI. Ob has res continuo complures populi ad hostes defecerunt: Nolaque recepta multas circa urbes C. Papius Italicorum auspicia sequi coegit. Nam & Stabias in sinu maris inter Surrentum & Neapolim lactis salubritate celebres, occupavit; & cognomini fluvio impositum Liternum: coloniam quoque Romanam in Picentinis Salernum cepit. Erat hoc Italicis ducibus institutum, ut augendis copiis intenti, ex captivis bello idoneos sacramento adigerent, etiam valentissimis servorum in militiam adscitis. *Multi populi deficiunt à Romanis.*

XXVII. Hac ratione Papius numerosum jam exercitum trahens præter Capuam & urbi circumjectum agrum, unde eo bello maximi Romanorum exercitus alebantur, totam Campaniam vicinasque regiones impune pererrabat: alios promissis, alios metu ad voluntariam deditionem solicitando. Sed in Nucerinorum vastando agro (Alfaternos cognomento vocant; nam alia Umbriæ Nuceria fuit) quod omnia inferiora fide habebant, nihil injuriæ aut crudelitatis prætermissum est. *Papius Campaniam pervagatur. Cic. de L. Agra. 2. 29. Cluver. Ital. Antiquit. p. 1186. Appianus.*

XXVIII. Ea res nutantes finitimorum animos impulit, ut amicitiam cum Papio jungerent, decemque peditum millia, mille equites sub eo stipendia facturos darent. Qui ubi venerunt, Acerras ad Clanium amnem postquam ad societatem belli perlici nequiverant, circumsedit. C. Judacilio quoque non deterior successus per Apuliam fuit, Canusio Venusiaque insignibus oppidis, magnoque numero aliorum, in deditionem armis aut voluntate incolentium acceptis. *Exercitum insigniter auget.*

XXIX. Eadem æstate, qua hæc diversis Italiæ locis gerebantur, P. Rutilius Consul copiis cum C. Mario divisis, Telonii fluminis utramque ripam duobus castris totidemque pontibus obtinebat. Telonius per Marsos fluens, apud Reatinos Velino fluvio conjungitur. Iisdem in locis tum C. Vettius Cato Sociorum Prætor exercitum habebat; propius Marianum vallum castra metatus. Is quum Rutilium A. D. prid. Idus Junias, quo die Matri Matutæ sacra fiebant, traducturum esse copias ab exploratoribus didicisset, per tenebras proximæ noctis in valle quadam opportuna haud procul ponte Rutiliano partem copiarum in insidiis constituerat. *P. Rutilius copias cum C. Mario dividit. Orosius 5. 18. Appianus. Ovid. Fast. 6. 561. Liv. Epitom.*

XXX. Deinde Rutilium transire amnem passus, invadit nec opinantem magnaque clade profligat. Multi ex pugna clari nobilesque viri, cum octo millibus militum ceciderunt: ex his magna pars, quum perditis rebus effugium aliud non pareret, in ipsis aquis oppressa est. Consul ipse telo in caput ictus, paulo post ex vulnere decessit. Hanc Rutilii fortunam superstitio veterum ad spretas religiones retulit, *quod inter sacrificandum capite jecinoris non reperto, tamen movere ausus esset.* Vana omnino persuasione, nisi quod apparet facile contemptorum salutaria hominum monita fuisse, qui deorum, ut ipse putabat, ostenta pro nihilo duceret. *Magnam cladem accipit.*

XXXI. At C. Marius qui fluminis inferiorem partem tenebat, quum amnis cruento alveo corpora & arma Romana volvens acta prodidisset; confestim traductis in hostilem ripam copiis ad expugnanda Vettii castra successit: eaque, propugnatoribus subito metu oppressis, nec viribus modo, sed etiam numero inferioribus, quia flos exercitus una cum ipso duce aberat, haud magno labore cepit, cladem Consulis, sicut consilio, sic etiam eventu meliore ultus. Cato castris amissis *Jul. Obseq. Interim C. Marius castra hostium occupat. Orosius. Appianus. Florus 3. 18.*

in loco ubi pugnaverat, pernoctavit. postridie, quod exigua commeatus ei copia supererat, albescente coelo profectus est.

Rutilius Consul cruentus refertur in Urbem.

XXXII. At Romam fama primum adversae pugnae vehementer perterruit: major deinde dolor exarsit, quum cruentus in Urbem Consul referretur, & tot egregiorum virorum funera, sepulchris majorum reddenda portarentur. eo viso ita moesta & attonita luctu civitas fuit, ut idoneam Senatus caussam putarit, cur *defunctorum in bello corpora quibus locis occubuissent, humari, neque in Urbem referri* juberet; ne metum pigritiamque vulgo incuterent funesta spectacula.

Decretum de mortuis non reportandis in patriam. Liv. Epitom. Appianus.

XXXIII. Providenter id factum etiam hostes probaverunt; simili decreto apud suos imitati. Rutilio Consule defuncto, quamquam magna pars anni supererat, suffectus tamen nemo est; neque enim L. Julio Comitiorum caussa ad Urbem revertendi otium erat. Prosperiores subinde nuncii nonnihil recrearunt animos. Nam & Ser. Sulpicius Pelignos acie fuderat: & Q. Caepio qui legatus fuerat Rutilii cum magna caede obsidentium, prosperam eruptionem fecerat. quae res ei statim honori, mox exitio fuit.

C. Marius, Q. Caepio Rutilianum exercitum dividunt.

XXXIV. Quippe ob hunc successum Senatus censuerat, ut C. Marius, Q. Caepio Rutilianum exercitum aequato imperio dividerent. Inflatus his Patrum judiciis Caepio, quod unico hactenus credito duci comparatum se putabat, temerarius factus, praeclara initia foedo exitu corrupit. Namque Pompaedius Silo ferociam juvenis in occasionem suam versurus accessit ad eum poenitentia actorum simulata; quoque magis incautum falleret, duos pueros praetextatos adduxit, cum magno, ut videbatur, auri argentique pondere.

C. Pompaedii fraus ad capiendum Caepionem.

XXXV. Nam plumbeas ille massas bracteolis melioris metalli obduxerat. pueri quoque servilis generis erant: ipse filios suos ferebat. *Hac*, inquit, *adduxi*, *Q. Caepio, fidei meae pignora: simul, ut adversus iram popularium, spem generis, & partem fortunarum in tuto haberem. Simul enim palam fiet, me fugisse, satis scio, non temperaturos veteres socios, quin si possint in me meorumque corpora exquisitissimo cruciatu desaeviant.*

Suorum crudelitatem se timere fingit.

XXXVI. *Quanto enim plus in meo ductu spei habuerunt, tanto acriori dolore exardescent: ereptumque à me interpretabuntur, quidquid per me speraverant adipisci posse. Sed nimirum decepimus invicem, deceptique sumus. illi quo bellum vobis facerem, imperium accepisse putarunt. ego ne ab aliquo violentiore ingenio invaderetur, occupandum censui, gravior sic futurus auctor pacis, quam si de inferiore loco conarer. Caeterum neque illorum ardor adducere me potuit, ut vobiscum decertandũ arbitrarer: neq; illis ad quietis studium inclinandis mea monita suffecerunt.*

Fabulam struit ad fallendum.

XXXVII. *Idcirco, quia jam ultro pacis laudatorem homines efferati suspectabant, & oderant: abjecta spe plura perficiendi, ut me saltem meosque servarem, cum parte clientium & amicorum huc veni: alios reliqui in castris, quia neque dum illis excedere maturum erat, & mihi opportunum, habere, qui quid ibi rerum agatur, nuncient, & ubi tempus aderit, consilium, quod in redintegrata amicitia pro munere vobis offero, juvent.*

Exercitum hostium opprimi posse fingit. Orosius 5. 18. Appianus.

XXXVIII. *Maximi opprimendi exercitus occasio adest, Q. Caepio, sed cito disparitura, nisi confestim injeceris manum, si me sequeris itineris optimum ducem. Vestinorũ Marsorumq; in propinquo copiae, dum sine Imperatore, sine certo imperio trepidant, deleri nullo negotio possunt. Neque dolum timueris, nemo seq; & liberos tradit in eo-*

rum, quos læsurus venerit, manus. Id minime negaverim fuisse tempus, quo fuerim vobis iratior; sed ita ut in civilibus dissensionibus solet. Vim certe & arma quam non probaverim, & mei familiares intime sciunt; & ipso rerum testimonio satis ostendi potest.

XXXIX. *Quum à M. Druso ad leges perferendas in Urbem essemus vocati; civesque mei spe atque animis mirifice incaluissent: non subduxi me quærentibus ducem, hoc animo, ut quantum fieri sine certamine posset, per me potissimum gereretur; si bonis artibus profectum nihil esset, impedirem meos ne nimia cupiditate atque indignatione ad scelesta consilia prolaberentur.* Fidem sibi struere nititur.

XL. *Nihil enim sane mediocre decretum in concilio fuerat; lectumque agmen virorum pugiones sub tunicis detulerat, ut quod aliter nequiret obtineri, vi consequerentur. Sed ego tantum ab hoc proposito abhorrui, ut quum bona quadam fortuna Cn. Domitius nobis occurrisset, levem occasionem nactus mitigaverim popularium animos; & unde cum atrocissimis minis exierant, & placatos jam quietosque reducerem.* Se furorem popularium semper compressisse.

XLI. *Semper enim in caussa præsenti hic mihi animus fuit, ut nec indignos eo quod ostendebatur beneficio nos crederem: nec defugerem quidquam laboris aut sumptus, dum eo volente populo Romano potiremur: cum invito luctari, neque fœderibus convenire, quæ vobiscum icimus, neque virium nostrarum esse arbitrarer. Sed hæc ita esse aliquando per otium cognosces. in præsentia non postulo ut verbis meis, sed in quo plus est fidei, ut factis credas.* Nec nisi volente populo Rom. adfectasse civitatem.

XLII. *Utra cum parte sententiam, faveant modo cœptis dii, claro documento futura lux aperiet. nec aliud à te aut Senatu præmium paciscor, quam quod post navatam operam studium meum mereri videbitur. Id modo dicam; quoties memoria repeto, quam fueritis semper in munerando largi constans animum subit cogitatio, fore, ut jus Romanæ civitatis, & quidquid nostri armati postulat, certius meo, quam illorum consilio, & in his, quæ in prioribus castris consequi detur.* Animum suum ex factis appariturum, vere, sed ambigue adfirmat.

XLIII. Ad hæc Cæpio; tum desiderio rei gerendæ accensus, tum fidem hominis, tantis ut putabat pignoribus obstrictam, nihil suspectans; *non errasti*, inquit, *Q. Pompædi, si certius adsequendis quæ cupias in benevolentia populi Romani, quam in armis tuorum esse præsidium reris. Multa ille sæpe, non Italicis modo sociis, sed & barbararum gentium rogatus dedit; coactus nihil cuiquam. Tu modo, ut promissa præstes dispicito: de cæteris meam esse præcipuam curam volo. nec meritis tuis inferior aut apud me, aut apud Senatum Populumque Romanum erit gratia.* Cæpionis responsio.

XLIV. Multa deinde sciscitantem, *an citra periculum suscipi talis expeditio posset? sine cura esse* Pompædius jubet. *duo in hac deliberatione spectanda Cæpioni, & quantum fidei talia indicantis, & quantum peritiæ credere debeat. Fidei se existimare dedisse maxima omnium, quæ dari possint pignora: neque recusare si fallat, quin acerbissimis exemplis ipse liberique plectantur. Quantum ad alterum pertineat, eum se locum semper & inter suos, & apud Romanos Imperatores tenuisse, ut de eo dubitaturum putet neminem.* Pompædius incautum fallit.

XLV. *Se quum paucis consciis exisset è vallo, dedisse operam, ut tarde cognosceret exercitus, profectum Imperatorem esse: nedum, ut quorsum, aut cujus* Res in concilio dissuadetur.

negotii gratia exiret, quisquam nosset, nisi quem hæc scire interisset. Hæc non modo credebat incautus juvenis, sed etiam postquam vocari concilium è vestigio jussisset, contra dubitantes tuebatur. Nec enim deerant, qui *cavendam hominis astutiam, nec nisi explorato quoquam proficiscendum dicerent*.

Sed Cæpio Pompædio credit.

XLVI. Cæterum quia major potestas penes Cæpionem erat; simul metuentibus qui resistebant, ne favere sociis viderentur; signis temere motis, qua Pompædius ad suorum castra præibat, exercitus rapitur. Ne id quidem curatum, ut adservaretur ille; aut taciti saltem custodes adderentur. Ut ventum ad locum insidiarum fuit, Q. Pompædius in tumulum quemdam præcurrit, quasi dubitans, an inde conspici hostes possent.

Et ab eo in insidias deductus, perit. Eutropius. Appian. Diod. ap. Val.

XLVII. Ibi sublato quod convenerat signo, coortæ insidiæ Romanos priusquam expedire arma possent, turbant, trucidant: cadit ipse Cæpio, præterea militum ingens numerus. quod ex clade superfuit, alio Senatus decreto parere C. Mario jussum est. Quum ita post Drusum fax altera belli Socialis exstincta in Cæpione esset; non ideo excitatum ab his incendium conquievit, adeo facilius est humanis ingeniis miscere composita, quàm turbatis mederi. Quamquam variis Italiæ regionibus certabatur, acerrimus tamen circa Campaniam Mars erat, ubi Samnites C. Papio Mutilo duce Acerras gravi obsidione premebant.

In Campania acriter bellatur.

XLVIII. Eo quum L. Julius Cæsar Consul cum suis legionibus, auxiliariumque Gallorum millibus decem, & Numidico Mauroque equitatu occurrisset; Papius Oxyntam Jugurthæ filium, qui habitus Venusiæ in custodia fuerat, in castra arcessit, cultuque Regio exornatum popularibus ostentat. ex eo crebra earum gentium, tamquam ad suum Regem, transfugia fiebant: donec fatigatus quotidianæ perfidiæ exemplis Consul, cæteros omnes in Africam remisit.

Papius à L. Julio vincitur.

XLIX. At Papio tantum animorum supererat, ut contemptim ad castra hostium ductis copiis, quum nemo contra egrederetur, cohortatus suos, vallum inciperet vellere. Romanus consilio non metu quieverat: & intentus in occasionem, ubi quo voluerat progressum hostem videt; præparatis omnibus, aversa castrorum porta circummittit equitatum, ipse cum cohortibus eruptionem validam facit, & Samnitem, nihil à tergo hostile metuentem, quum in se totum convertisset, cædendum equitibus suis præbet.

Sex hostium millia cadunt.

L. Tanta trepidatio & cædes fuit, ut quamquam propinquo in castra receptu, sex tamen hostium millia caderent. Inde Consul credo quia neque ad castra Samnitium oppugnanda satis virium erat; & Acerras adversus longiorem obsidionem firmaverat, ne annonam oppidanorum consumeret, exercitum abduxit. Hujus victoriæ tanta fuit lætitia, ut Consul ab exercitu *Imperator* appellaretur; Romæ quoque positis sagis, Senatus ad vestitum rediret.

Orosius. 5.18. Liv. Epitom.

Æsernia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit.

LI. Ne tamen eo minus varia belli fortuna esset, Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. sic quidem Livianæ reliquiæ. Sed Orosius aliter tradit: *Sullam cum viginti quatuor cohortibus Æserniam missum, maximo bello & plurima cæde hostium, urbem sociosque servavisse*. Sane si quid scriptum à Livio fuerit liqueret, ab auctoritate tanti viri difficulter recederem: nunc quando non eadem negligentibus excerptis fides est, rem cogimur in medio relinquere.

De illa expeditione dubitatio.

LII. Neque enim aptissimum esset putare, Sullanam expeditionem non ju-

stam salutem Æserniæ, sed aliquod ad tempus levamentum attulisse: quis enim servatos esse dicat eredatve, quorum ad aliquot forte dies, certe non ultra unum aut alterum mensem, dilata deditio esset? Sed apud hoc genus scriptores, tam crebra est hujusmodi hallucinatio, ut cautissimi quique lectores vix effugiant, quin subinde offendere & adhærescere cogantur: neque se possint, nisi aliunde forte sublevati, de confusa & temeraria rerum, interdum & pugnante secum congerie, extricare.

LIII. Istis quidem temporibus Æsernios duplici fossa, valloque circumdatos, frumento adeso, quod ex agris in oppidum comportatum fuerat, ad extremum periculi venisse certum est. Unde mihi probabilis conjectura oritur, propter inopiam commeatuum, paulo post eum M. Marcello deditam, atque inde cognomen *Æsernini* huic inditum esse: quum jam non ex bonis tantum rebus, sed etiam ex adversis inciperent imponi; quemadmodum aliquanto postea M. Antonius oræ maritimæ dissolutissimus curator cognomentum Cretici tulit. Et judicium Auctoris. Sisen. lib. 5.

LIV. Hanc deinde receptam à Consule Sulla urbem existimo. Sane in potestate Italorum fuisse indubitabili argumento est, quod eo bello sic est adflicta, ut jam ætate Strabonis inter urbes numerari desierit. Neque vero L. Sullam multa bello Marsico priusquam Consul fieret, fortiter feliciterque gessisse ignoramus, sed hoc quidem universe traditur: quid autem sigillatim unoquoque loco ac tempore fecerit, nec referunt, qui supersunt, nec supersunt, qui retulerunt. Æsernia inter urbes numerari olim desiit. Pedian. in Verrin. 3. Strab. lib. 5. Diod. ap. Val. Plutarch. Sulla cap. 8. Eutropius.

LV. Ab eadem caussa cetera quoque ejus belli latent, aut ex tortuosis obscurisque involucris vix eruuntur. Et hæc quidem difficultas quanto plus infructuosi laboris mihi peperit; tanto magis, ut speramus, apud æquum lectorem proficiet ad veniam, si forte exspectatio ejus, magnarum quandoque rerum initiis excitata, deficiente materia subito destituitur. Nam in opere veritatem professo quum fingere alienum & puditum sit; nisi quod antiquitus traditum reperiam, quod adferam non habeo: neque raro contingit, ut aliquam historiæ partem loculenter alicubi descriptam nactus, velut in copioso & navigabili amne, plenis velis invehar; atque idem mox velut in sicco destituar, quum illud flumen, more multorum, quæ postquam aliquandiu latis alveis incesserunt, subito sub terram abscondici disparent, evanuit. Querela de Historiæ Rom. detrimento.

LVI. Illud tamen vere gloriari possum præstitisse, ne quid intentatum relinquerem, quo accuratior hæc historia fieret: eamque adhibuisse digentiam, ut neque ab ullo ingenio novum aliquid ex iis saltem qui exstent auctoribus erui posse putem: & quum celeberrimos doctissimosque viros rogaverim multos, à nemine mihi ullius gesti ne minima quidem circumstantia, quam prior non advertérim, potuerit indicari. In ea instauranda Auctoris diligentia.

LVII. Cæterum, ut ad Socialis belli exponendos casus revertar, L. Cæsarem Consulem eum triginta peditum, quinque equitum millibus reperio, locis iniquis exercitu ducto in Marii Egnatii Samnitis insidias præcipitasse; fugientemque lectica, quod equi succussionem propter morbum ferre non posset, apud fluvium quemdam (neque nomen traditur) cui pons tantum unicus fuerit, majorem copiarum partem amisisse. L. Cæsaris clades. Appian. Strab. lib. 5.

LVIII. Teani deinde (Sidicinum fuisse conjecturis adsequor) in oppido munito & copioso, concurrentibus ad eum strenue novis militibus, exercitum & Et vitium reparatio.

arma, nam & hæc inter fugiendum projecta fuerant, reparasse. obsidebat adhuc Acerras in Campania C. Papius, ad quas liberandas omnis illa videtur à Consule suscepta fuisse expeditio. Igitur, quamprimum utcumque instauratæ vires placuerunt, & ipse movit Acerras, castrisque positis consedit.

Ejusdem & C. Papii castris collata castra. LIX. Socios prior clades, consulem recens, ut solito cautiores essent, admonuerat. Sic utrisque casum pugnæ studiose vitantibus, aliquamdiu sine memorabili ullo eventu collata castris castra habuerunt. Interea C. Marius, ad quem Rutiliani imperii, post exstinctum Consulem, summa redierat, male spretum ab illo consilium sequutus, suos intra munimenta exercuerat; donec hostes in eam securitatem adduxit, ut numquam se visuros æquo loco Marium existimarent.

C. Marius Marsos profligat. Liv. Epitom. Appian. LX. Igitur quum sæpe copiis ante castra instructis potestatem pugnæ frustra fecissent Marsi: adhibitam initio curam paulatim remiserunt. Sed ubi satis & apud suos animi, & apud hostes negligentiæ animadvertit, lacessentem aliquando ferociter hostem subito egressus prælio fudit, & fugientem ad proxima vineta insequutus est. Ibi ne transcendendis sepibus, quod ab hostibus factum ægre fuerat, ordines divellerentur; insidiisque forte latentibus aperiretur occasio, continuit suos.

Eosdem fugientes L. Sulla cædit; LXI. Nec ideo minor aut clades hostium, aut populi Romani victoria exstitit: jam enim, cessante Mario, alias copias, à quibus fusi exciperentur, fortuna providerat. Casu quodam Sulla ex adversa parte vinearum, castris modo positis, commissam esse pugnam, nescio quo indicio, senserat. Quapropter quadrato agmine profectus, quum in palantes fuga hostes incidisset, majorem prope, quam facta inter pugnandum fuerat, stragem edidit. plane quasi fatale foret, ut cœpta à Mario hic perficeret opera, majoremque gloriæ partem in se traheret.

Prætor Marrucinorum Herius Asiniusocciditur. Plutarch. Mario, cap. 54. Liv. Epitom. LXII. Suprà sex millia Marsorum eo prælio desiderata. Prætor quoque Marrucinorum Herius Asinius occisus est. armorum aliquanto plusquam pro cæsorum numero captum: quæ adeo passim fugientes projecerant, ut collectis deinde in unum reliquiis, ad septem millia inermium reperirentur. Neque ideo demittebat animos bellicosa natio. quin ultro contractis undique copiis, Marium provocarunt ad pugnam; castrisque se tenentem circumvallare iustituerunt.

Marius pugnā detrectat. Appian. Orosius. 5. 18. Plutarch. Plutarch. Apoph. c. 29. LXIII. Sed ille placito semel consilio, quod mutari nihil dum attinebat, constanter inhærens; ad eam ignominiæ speciem, & suorum querelis, & hostium insultatione parum movebatur. Ferunt eo tempore Q. Silonem, cui maxima inter Italicos ex opinione virtutis auctoritas erat, adequitantem castris, Marium his fere verbis inclamasse: *quin tu prodis ad pugnam, si magnus es Imperator, Mari.* vicissim Marium: *quin tu, si magnus es Imperator, nolentem pugnare cogis.*

Bellum Sociale alia plura commovet. LXIV. Dum inter populum Romanum, Italicosque socios ista geruntur, fama exitiabilis belli per orbem terrarum sparsa, quidquid usquam latebat irarum, in apertum protulit. Igitur & Reges Bithyniæ Pontique, & vicinis Paphlagonum Cappadocumque vexandis finibus, & inter sese rixando, verecundiam imperii Romani paulatim exuerunt: & apud ipsos Italiæ limites siti populi, antiquis odiis, occasione nova, moti sunt.

Galli rebellant. LXV. Ex quibus præcipuæ Transalpinæ Galliæ tum aliæ nationes, tum à multis antea

tis antea ducibus victi triumphatique Salluvii fuere. Credo super alia his addiderat animum, quod Narbonensis provinciæ Prætor M. Cato, ejus M. Catonis filius, qui Consul in Africa mortem objerat, nuper erat ibi vita functus. Sed à C. Cæcilio compressi sunt, nec ultra de belli ejus initio aut fine comperi. neque vero quis Cæcilius ille fuerit, satis scio: nisi quod C. Metello Cuprario genitum suspiceris, & ad hunc pertinere veterem inscriptionem putes, quam C. Cæcilio C. F. Metello Imp. Italici, qui Argis negotiabantur, posuerunt. Opportuna tamen, non ad præsens modo gaudium, sed in summam rei victoria fuit: quæ nisi nutantes ubique civitates in fide retinuisset; haud multo levius exarsurum in Gallia bellum fuerat, quam paulo ante conflatum in Italia sævis utrimque cladibus agebatur.

Agel. 13. 18. Liv. Epitom. Glandorpii Onomastic.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

CN. Pompejus Picentes prælio fudit, & obsedit, propter quam victoriam Romæ prætextæ, aliaque magistratuum ornamenta & insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare cœperunt. Aulus Plotius legatus Umbros, L. Porcius Prætor Marsos, quum uterque populus defecisset, prælio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ Regna deducti sunt. Cn. Pompejus Consul Marsos acie vicit. Quum ære alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellio Prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis qui fœnerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

I. INCIPIEBAT tamen emergere populi Romani fortuna, & pristinam imperii adsertam armis majestatem, rebellium sancire suppliciis. Picentes in Firmana colonia Cn. Pompejum Afranio duce obsidebant. Commodum acciderat, ut Ser. Sulpicio fusis Pelignis otium esset, ubi majus operæ pretium facere posset, arma vertendi. Hunc ubi ad se venturum esse Pompejus intellexit, per internuncios ita cum eo constituit, ut dicto tempore, dum Pompejus eruptione facta detinet hostem, eumdem à tergo Sulpicius aggrediatur.

Res Romanis fiunt meliores. Appian.

II. Non prudentius consilio, quam felicius eventu cœptum fuit. Quum enim Picentes novos in hoste animos mirati, ad repellendos intra mœnia Romanos contemptim properarent, ingenti coorto certamine, castra cum nullo aut in-

Picentes à Cn. Pompejo, Ser. Sulpicio vincuntur.

valido præsidio relicta Sulpicius expugnavit, incenditque. simul clamor aures omnium, simul conspectus ardentium castrorum oculos perculerat: quumque tam vicino hostium alio exercitu, non tralaticii discriminis res esset, & omnia adhuc majora vero repens terror faceret; nullum ultra prælium, sed fuga tantum & cædes fuit, utique, postquam Afranius, sistere suos frustra conatus, pugnando occubuerat.

Cn. Pompejus Asculum obsidet. Orosius. 5.18. Appian. Liv. Epitom.

III. Cn. Pompejus insigni victoria potitus, ne hostibus respirandi spatium relinqueret, Asculum refugientes quam potuit celerrime persequutus, obsidione oppidum clausit. Hæc demum victoria Romanis ex diuturno timore fiduciam bene finiendi belli reddidit: ut quemadmodum ob prosperam L. Cæsaris pugnam togas resumpserant; ita nunc latum clavum, aliaque magistratuum ornamenta & insignia reciperent. Sub idem ferme tempus prœlium C. Marii cum Marsis dubio eventu diremptum est.

Marius ancipiti prœlio cũ Marsis pugnat. Plutarch. Mario. c. 54.

IV. Quamquam enim ducere bellum Marius statuisset, ad extremum sivæ tædio victus, sive spe illectus & occasione oblata, contulit cum hoste pedem, prœlioque decernendi potestatem fecit. Neutram eo die aciem satis constanter pugnavisse proditum est. Nam & retulerunt Romani pedem, & hostes consummare victoriam non ausi, sua & ipsi in castra reverterunt. Unde increpantem suos Marium inter alia dixisse ferunt; *utrumne vestram majorem fuisse puteni an vero hostium ignaviam, hæreo. neque vos ora illorum, neque illi terga vestra intueri sustinuerunt.*

Deinde imperio se abdicat.

V. Non diu post hoc prœlium C. Marius famam suam senescere videns, per caussam valetudinis imperio se abdicavit; quum *se fesso corpore & nervorum vitiis debili, expeditionem supra vires pudore suscepisse* diceret. Sane gravibus ante bellis eam gloriam, eosque honores consequutus fuerat, ut jam sexto & sexagesimo ætatis anno bona cum venia gratiaque omnium posset quiescere; si eumdem sibi rerum modum facere cupiditas sciret, quem natura demonstrat, & ratio suadet.

Libertinorum delectus: Appian. Liv. Epitom. Macrob. Saturn. 1.11. Liv. 10. at. 5. Orosius. Florus. 3.18.

VI. Inter hæc novæ defectiones sociorum causam præbuerunt Senatui, de inusitato hactenus genere militum cogitandi. Numquam enim antea libertinorum delectus erat habitus, nisi perraro, quum maximi bellorum terrores urbem circumsisterent. Tum vero cohortes duodecim scriptæ, & per præsidia maritimæ oræ Cumas usque distributæ, fortem fidelemque operam Imperatoribus & Reipublicæ præstiterunt. A. Plotio legato negotium datum, ut Umbros tumultuantes coërceret; Etrusci (nam hi populi recens rebellare cœperant) L. Porcio Prætori provincia data.

Umbri & Tusci superantur.

VII. Cum utroque populo signis collatis dimicatum: victoria, non incruenta tamen, penes Romanos fuit. At Senatus, quum novi subinde hostes de veteribus sociis prodirent, ne, qui adhuc in fide perstiterant, iisdem caussis ad res novandas incitarentur; salubri consilio auctor L. Julio Consuli ferendæ legis fuit, *ut qui ad eamdiem populi per Italiam jura fœderis Romani sancta atque inviolata babuissent, cives Romani fierent.*

L. Julia de recipiendis in civitatem sociis quibusdam.

VIII. Eam legem L. Julius Consul ex Senatusconsulto & populi jussu tulit. eaque lege universo Latio, & quibusdam Etruscorum, civitas data est. Id non

ab iis modo, quibus concessum erat, gratanter exceptum beneficium est; sed late per omnem Italiam, ad similem spem erexit animos, populoque Romano mirifice conciliavit. Igitur eadem opera, & ii quibus fidelibus hactenus Sociis usa Respublica fuerat, firmissimo adstricti vinculo; & qui fluctuabant retenti, bellumque meditantibus tantumnon excussa de manibus arma sunt.

Velleius 2. 16. 5. Cic. pro Balbo c. 8. Sisenn. lib. 4. Agel. 4. 4. Appian.

IX. Sed neque postea finiri bellum alia ratione potuit, quam ut subinde iis quorum minor in resistendo pervicacia fuerat; tum promiscue sociis omnibus Italicis, Lucano tantum & Samnite exceptis, & ad extremum his quoque civitas, pro cujus impetrando jure tantum sanguinis erat fusum, daretur. Dum Italiam intestina bella varie premunt vastantque, non multo quietioribus Asia usa rebus est, crebris Regnorum mutationibus, & incerto maxime Bithynorum Cappadocumque statu.

Eadem procedente tempore pluribus, mox omnibus Italis data. Velleius. Strab. lib. 5. Appianus.

X. Bithyniam nuper mortuo Nicomede Prusiæ filio, alius Nicomedes, superioris ex Nysa uxore filius, auctoritate Senatus Romani possederat. Sed uti numquam certamina desunt inter Regios juvenes, controversiam ei de Regno frater Socrates cognomento Chrestos faciebat. Hic quum viribus minus posset, & Romanis opibus sustentari fratrem videret, ad Mithridatem se contulit; neque Romanis concessurum, & Bithyniæ semper inhiantem. Igitur Mithridates Nicomedem saltatricis filium, & Regia fortuna indignum increpans, Socratem licet minorem natu, tamquam materna origine potiorem, exercitu dato deduxit in Regnum.

Bithyniæ status turbatus. Appian. Mithrid. Memno 2. Iust. 38. 7. 10.

XI. Duo hinc eodem tempore Reges exsules, Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ, quum odio Mithridatis favorabiles Romæ essent, quamquam dura Imperii tempora erant, impetrarunt tamen, ut quando exercitus non posset, saltem legati mitterentur. Hæc anno superiore acta fuerant, legatique erant profecti M. Aquillius vir Consularis, & ex Prætoriis Manilius Mancinus. Scriptum quoque fuerat L. Cassio Asiam cum paucis cohortibus obtinenti, *ut restituendis Regibus legatos adjuvaret*.

Ariobarzanes & Nicomedes Reges exsules. Appian. Justin. 38. 3. 4. Appian. Justin.

XII. Idem & à Mithridate postulatum erat. Sed ille neque defendere ausus quem constituerat Regem, nec adjutum volens quem expulerat, quievit: legatisque Romanis quædam incusantibus, objecit invicem *quas ipse passus injurias esset, quantamque vim auri, ut Romanos publice privatimve demereretur, erogasset*. Ita legati & Cassius delectibus per Gallogræciam ac Phrygiam habitis, & adjuncto, qui penes Cassium ante fuerat, exercitu, Nicomedem in Bithyniæ, Ariobarzanem in Cappadociæ Regna reduxerunt.

Mithridatis cum legatis Romanis altercatio. Diod. apud Fulv. Ursin. Appian. Liv. Epitom. Justin. 38. 5. 8.

XIII. Socrates ad Mithridatem confugit, & ab eo, ne receptator videretur ejus, qui hostis ab Senatu judicatus esset, interfectus est. Nondum enim nudare animum constituerat, ne forte Romanos ad Sociorum repetendam amicitiam adigeret; quo diutius intestinis discordiis relinquerentur, plus virium amissuros: interea seque & Tigranem otiose instrui ad tantum bellum, & præparari posse. Quippe duobus offensis potentissimis Regibus (nam Tigranes Cappadociam tenuerat) de bello Romanis inferendo facile convenit.

Is Socratem interficit, quem Bithyniæ Regem paulo ante fecerat. Justin. 38. 3. 5.

XIV. Quum enim hinc inde legationes commearent; eadem omnibus & acceptæ injuriæ indignatio, & vindicandi cupiditas, & spes in armis erat. *Hoc esse tempus illud, quo tandem deprimi & coërceri superbia Romanorum posset*.

Legatos ad Tigranem mittit.

Homines adsuetos impotenti imperio, quum domi satis tuti esse nequeant, arbitria Regnorum agere: nullo respectu quomodo meriti, aut quomodo laturi injuriam lædantur. Tantas esse duorum Regum opes, ut vel alterius arma florentem populum Romanum lacessere possint: nedum ille debilis & adflictus conjunctos sustineat.

Fœdus Mithridatis cum Tigrane. XV. Fit inter illos pactum, *ut contra communem hostem societas armorum bellique esset: quod urbium agrorumve captum foret, Mithridati; homines, & quidquid agi ferrique posset, Tigrani cederent.* Quippe Tigranes vasta terrarum spatia, & continuis bellis exinanita obtinebat; cum quoque Tigranocerta condens, amplissimam urbem, hominibus maxime habebat opus: Mithridati populosæ regiones suberant, & accolas habebat Scythicas nationes, quæ quum agros nullos aut steriles haberent, multitudine tamen hominum majorem in modum abundabant.

XVI. Igitur & ad istos, & in vicinam deinde Sarmatiam mitti legatos pla- Cum Scythis, & aliis. Memnon. Justin. cuit, *larga stipendia, honoratam militiam, luculentas possessiones* ostentaturos, *operæ contra Romanos navandæ certa & magna præmia*. Parthi quoque Medique & Iberi, cum Gallogræcis Bastarnisque in fœdus adsciscuntur. Hæc ferme rerum Romanarum facies erat, quum Cn. Pompejus Sex. Urb. cond. an. 664. F. CN. N. Strabo, L. Porcius M. F. M. N. Cato Consules, magistratum inierunt. L. Cæsaris gesta contra Papium Mutilum. Appian. In Campania L. Cæsar contra C. Papium Mutilum castra ad Acerras cum Proconsulari imperio habebat, neque certamen aliquod majoris aleæ movebatur; tantummodo frumentatione & commeatu invicem prohibebant.

XVII. Quibus rebus superior Cæsar, cujus castris fertilissimus ager sube- Ejusdem victoria: rat, eo tandem necessitatis adegit hostem, ut prior motis castris profectionem adornaret. Non poterat in tanta vicinitate castrorum latere quid ageretur. ergo præparatis omnibus tam opportune Proconsul signa in abeuntem hostem intulit, ut acie tota turbata, ad octo hominum millia prosterneret, armorum etiam vi magna potiretur. nam super ea quæ cæsis exciderant, à fugientibus passim fuerant abjecta.

Cn. Pompejus Marsos cædit. XVIII. Neque deterius ab aliis quoque Romanis ducibus copiisque res sub eosdem dies gestæ. Cn. Pompejus Consul Asculanos strenua obsidione urgebat: neque Picentibus ad resistendum vires erant, multis adversis prœliis vehementer accisæ. Igitur ut socios opem orantes obsidioni eximeret, ingens Marsorum exercitus venit. Neque territus Consul signis collatis magna & felici pugna cum Liv. Epitom. Orosius. 5. 18. his dimicavit. Duodeviginti hostium millia cum Imperatore Franco (nisi forte Afranius fuerit) cæsa sunt.

XIX. Quatuor Italicorum millia, quum densatis ordinibus à media æde in Aliquot millia frigoribus intereunt. jugum editi montis evasissent, nivibus & vi frigoris oppressi, in miserabile spectaculum humanæ fragilitatis ita diriguerunt, ut procul visentibus species in acie stantium objiceretur. Sed & propius suggressi patentibus omnes oculis, aperto ore esse videbant, partim stirpibus aut saxis, partim armis innixos; ut mortuos non aliud prius indicium, quam nullo motu mutatus corporum habitus, argueret. Hæc apud Orosium ita sunt tradita, scriptorem haud accuratissimum, & in eadem hac historia secum sæpe pugnantem.

XX. Aliorum probabilior est narratio, Marsos & alios superi maris accolas, Umbriam Etruriamque adhuc in partibus esse ratos, quindecim hominum millia, per longinquos & difficiles calles, velut auxilio Tuscis misisse. Eos mutata omnia, & cum Cn. Pompejo Consule Romanum exercitum iis locis offendisse: amissisque mala pugna quinque millibus, reliquos per hiemis & locorum asperitatem ad sua redire nisos, quum ad reliqua mala fames accederet, glandibus inopiam sustentasse: donec dimidia ferme pars evaderet, cæteris diversa peste, sed maxime frigoris violentia exstinctis. Alia de eadē re narratio. Appianus.

XXI. Hæc à Pompejo primis Consulatus sui mensibus gesta videri, præter Epitomes Livianæ seriem, quæ mihi in illis temporum labyrinthis plerumque pro filo Ariadneo est, argumenta rerum ipsarum cogunt. nam & hiemali tempore gesta convenit: & ne ad postremos Consulatus ejusdem menses referamus, Marsorum expeditio vetat, quam ad Tuscos veluti socios susceperunt, quorum mutata esse consilia post tempus adeo longum nescire non potuissent. Igitur ab hac demum pugna Consulem Pompejum ad obsidionem Asculanorum revertisse verius arbitror, præsertim quia jam de valetudine L. Cæsaris audire potuerat, quem interea dum ad Consulatum petendum abit, deinde in gerendo abest Pompejus, castris ad Asculum præfuisse cognovimus. Gesti hujus verum tempus eruitur.

XXII. Is enim, postquam Papio victo Acerras obsidione liberasset, bellum Asculanum, quod omitti non placebat, haud dubie Senatus voluntate administravit: quousque languido corpore, quum deficere se animadverteret C. Bæbium præesse copiis jussit, si quid sibi accidisset, donec Senatus aliter statueret. Eadem igitur hieme, quum ad Asculum Pompejus accessisset, patriæ timens Judacilius, Italicorum Prætor (erat enim inde oriundus) cum octo cohortibus auxilio obsessis properabat. nunciis quoque secretis monuerat, *ut quamprimum tumultus ad præsidia Romana exauditus esset, ipsi quoque validam eruptionem ex urbe facerent, ut hostes ancipiti periculo terrerentur.* Bellum Asculanum. Orosius. Appianus.

XXIII. At illi per ignaviam quieverunt. nec eo secius Judacilius per medios hostes in oppidum cum parte suorum penetravit. Ibi furens ira & dolore acriter corripuit Asculanos, vocatosque in concionem severissima oratione terruit. *Paulo ante summa mihi votorum erat*, inquit, *ut penetratis hostium castris, vitato periculo sospes vos intuerer, vos ex hoc loco alloquerer. nunc omnia repente mutata sunt. mallem intra vallum Romanum occubuisse, quam ut hanc tantam ignominiam viderem, vos intueri, vos compellare cogerer, quibus pro summa sua infamia, vel quid nominis sit imponendum nescio.* C. Judacilius Asculum intrat.

XXIV. *Militesne appellem, qui Prætoris imperium spernitis: aut cives, qui vestrorum periculo nihil movemini? Asculani sane voceminì, dum licet: mox enim, si quid prospicio, nullum in Piceno, præterquam in ruinis Asculum erit. Nec vero expeditius mihi sit facinori vestro, quam vobis, conveniens nomen reddere. Errorem excusare non potestis admoniti. dementiæ levius merito vocabulum est. ne metum quidem, aut proditionem simpliciter appelles: in unum confluxit multorum atque diversorum scelerum summa turpitudo.* Acriter increpat Asculanos

XXV. *Quum sciretis quo tempore Romana munimenta perrupturus accederem: quum sentiretis tumultum, audiretis clamorem, hostium trepidationem cerneretis: exire non potuistis, ut saltem conspectu ipso terrorem Romanorum augeretis, &* Ignaviam eorum accusat.

quia vestræ obtorpuerunt manus, vel ostensis eminus armis, civium vestrorum faveretis victoriæ. Quod enim tantum periculum fuit; aut quæ adeo periculi species, ut tamen sub aliquo colore vestra latere possit ignavia. Paucæ cohortes ab hostium tanto exercitu infestatæ, à suis relictæ, perfringere ista castra potuerunt, quorum vos conspectum horretis. quidquamne potest esse certius, quam qui tam exilem manum prohibere transitu non potuerunt: ne munimenta quidem sua fuisse defensuros, si vos viri fuissetis.

Exitium imminens ostendit. Strab. lib. 5.

XXVI. *Tantumne his muris, & qui circa sunt montibus confiditis: ut tutos fore putetis loco, etiamsi audacia & armis non defendamini? Nihil tam munitum est, quod contra mulieres, expugnari non possit à viris. Sed quid ego verbis vos ulciscor, quos paulo post Romanorum crudelitas acerbius quam imprecari quisquam inimicus posset, est vindicatura? Hodie demum aut heri Romanum audivistis imperium: an tot jam ætatibus cum majoribus vestris universa Italia persensit?*

Romanæ sævitiæ admonet.

XXVII. *An exciderunt animis Romanæ sævitiæ tam expressa monimenta, & quibus illi criminibus acerrime irascantur? Aliudne majori apud illos pœna vindicari solet, quam ubi gentes Italicæ latentem sub blanda sociorum appellatione servitutem aspernantur? Patrum memoria nescio quid moverunt Fregellæ: paucos intra dies dirutæ ad solum deletæque sunt. olim Samnites Bruttiique & Lucani cum Pyrrho senserunt: quantis igitur cladibus, qua vastatione sunt à L. Papirio, Sp. Carvilio castigati.*

Et in illos delictorum.

XXVIII. *Ad Hannibalem Capua defecit. ergo tantis odiis à Romano oppugnata est, ut potius amissurus Capitolium & Urbem, quam non expetiturus pœnas à Campano populo videretur. Et illi tamen levius peccaverant. quæ vobis usquam reposita spes est, quum iratis dominis vestra vos ignavia tradiderit, Asculani? parcet scilicet, à quibus interfectos Proconsules, interfectos legatos suos: fidem pacis, majestatem imperii, fœderum, hospitii, cognationis, jura omnia violata esse meminerunt? Nisi forte blandiuntur sibi quidã, qui jam olim Romanis approbare fidem innocentiamque suam student: à quorum nominibus si interim abstineo, non est ut se sperent fallere.*

Invehitur in æmulos suos. Appianus. lib. 1. Civil.

XXIX. *Non esse mihi ignotos, quorum invidia metuve spretum imperium, deserti cives & propugnatores vestri, prodita postremo patria est: matura noxiorum pœna satis ostendet. Quanto enim aliorum scelere, aliorum amentia eo deducta res est, ut imminens excidium patriæ indubitanter prospiciam, neque ego superstes ei ero, nec illos patiar, penes quos malorum istorum culpa residet.* Quum deinde satis diu atrocibus verbis concionem, præcipue veteres æmulos, qui ob pristinam simultatem tum quoque negligendi imperii auctores populo fuerant, vehementem in timorem adduxisset (nam armatos & qui una venerant, & qui in præsidio erant urbis, dicto audientes habebat) ad postremũ *corripi quosdam Asculanorum principũ* jussit.

Eos supplicio adficit. Orosius 5. 18.

XXX. Quibus ulcimo supplicio consumptis, ipse cum cæteris, & honoratissimo quoque amicorum magnifice epulatus, vinum affatim hausit. deinde quum destinatum morti tempus advenisset, postrema oratione affatus præsentes, in huiusmodi verba prorupit: *alterum eorum, quæ in concione promiseram, exsolvi, ne quæ proditorum prodita perditaque patria lætari, aut saltem superesse percunti paterer: nunc alterius etiam præstanda fides est, ne & ipse superstim. Quid contrahitis frontes amici? quid abominantibus similem vultum fingitis? nihil triste loquuti sumus.*

Deinde ipse quoque se moriturum ostendit.

XXXI. *Non temere mihi captus est moriendi impetus: neque pœnitet incœpti pi-*

getve. Idem animus ad efficiendum quod proposui sufficiet; qui ad concipiendum suffecit, & quod consilium dictavit ratio, virtus exsequetur. Sane nihil miror vos moveri cogitatione earum rerum, quas vulgaris error omnium esse acerbissimas finxit. nam & nos in eadem opinione fuimus: & nimium diu bonorum omnium summum atque maximum vitam esse sumus arbitrati. Sed quo nimirum propius ad confinia vitæ & mortis accedo, dilucidius quid inter utramque sit perspicio.

XXXII. *Ideirco idem ille, qui sæpe deorum velut invidiam accensavi, quod mortale hominum genus fecerunt; nunc misericordiam laudo, per quam effectum est, ne ad perpetuam vitam, pejus quam ad metalla damnati, sine remedio, sine spe, aut finis aut modi, gravissima quæque & acerbissima tormenta pateremur. O nos ingratos, qui optatissimum deorum beneficium hactenus, tamquam insignem injuriam criminati sumus! Neque hic numinum benevolentia stetit. Miserta stultitiæ humanæ, miserta fortunæ, ne quis volens nolensq; in iisdem ærumnis perpetuo ageret; mire dispensavit utramque sortem, ut moriendum vel invitis esset, vivere nemo cogeretur.* Mortis bona dilaudat.

XXXIII. *Nam in manu nostra posuit, ut quem aliquando finem allatura natura esset, cum voluntas quandocumque optavisset, repræsentaret. Idcirco nemo me putet infelicem, si hoc tempore vita abeo: quod omnium esse opportunissimum judicavi. Ad annos forte triginta aut quadraginta in pari mecum conditione omnes æquales mei erunt. Sed illorum multi pleraque interea temporis patientur, quæ morte tristiora esse ipsi fateantur: ego lætus lubensque, non sine solatio eæsorum sæpe hostium, punitorum æmulorum, servatæ quantum in me fuit patriæ, liber & meæ spontis moriar. neque lamenta matrum atque puerorum, aut interitum patriæ, aut exsultantem hostem videbo, neque dominum Romanum patiar, quod nuper unum omnium malorum calamitosissimum simul atque turpissimum esse, Italia tota judicavit.* Ejus arbitriū in manu hominū e se ait.

XXXIV. *Ego neminem facere eadem aut jubeo aut veto: nec quam mihi sumo libertatem, aliis adimam. cæterum non sit alienum à rationibus vestris, Asculani, si, quem ad depellendam calamitatem sequi ducem voluistis, saltem ad effugiendam sequamini.* Hæc loquutus venenum poposcit, epotoque, conscendit rogum, quem in templo quodam exstruendum curaverat. Factum ejus imitatorem neminem invenit, quum laudatores plerosque habuisset. Nec, credo, deerant, qui constantiam mortis probarent, consilium reprehenderent, ut injustum, & intempestivum. Suadet & aliis mortem. Orosius 5. 18. Appianus lib. 1. Civil.

XXXV. Nam & alii sapientiæ magistri, qui tum quoque præ aliis hominibus ratione rectissime uti credebantur; temeritatem consciscendæ necis damnaverunt: & ne mollitiem fuisse putes, fortissima omnium secta, quæ dolorem ac molestias ne quidem numerandas in malis putat, in eadem sententia fuit. Sane qui leges universi norunt, & quomodo ab uno & unius sint omnia, dubitare nequeunt, quin ab illius voluntate deflectendum sit nusquam, neque fas sit cuiquam, ex ea quam adsignavit ille statione, illius injussu decedere. Idcirco quemadmodum juris civilis auctores sanxerunt, fugitivum sui ipsius furtum committere, ita perspicuum est, longe gravius crimen incurrere, qui vita sibi adimenda, quam à se non habent, semetipsos non sponte domini, usibus ejus suffurantur. Ejus consiliū reprehenditur ut impium.

XXXVI. Sed neque, si res ipsa vacaret crimine, delegisse tempus idoneum moriendi C. Judacilius videbatur. *Nam si de se tantum esset sollicitus, in eo neque laudem magnam esse: & ita comparatum à natura, ut ubique præsto sit mori volentibus occasio. Nuper Alpinas gentes, deinde Teutonicas multorum millium interitu* Et intempestivum.

declarasse, ad mortem properantibus undelibet patere viam. Sed illum patriæ ingentem prætulisse charitatem, cui si prodesse voluisset, non fuisse subtrahendum unicum libertatis defensorem; ducem summum: impigrum militem.

Vita enim quam morte plus fuisse commodaturum patriæ.

XXXVII. *Non ita desperatam fuisse rem Asculanam, quin sperare meliora fas licuisset. ita præcipitato exitu Prætoris & præsidium detractum saluti publicæ fuisset, & ad metum extremæ sortis omen additum. Perrupisse eum per medios hostes, & ex tanto periculo multos secum incolumes in oppidum induxisse. Reperta & in illo multa armatorum millia, neutiquam pœnitendæ virtutis & animorum. Adhæc urbem ita sitam, ut difficulter oppugnari posset: ita rebus omnibus instructam, uti necessum & facile fuerit tantum bellum diu ante meditantibus.*

Romanorum imitandam fuisse constantiam.

XXXVIII. *Ab hoste potius petendum felicissimi eventus exemplum fuisse. Nullam jam olim futuram fuisse Romam, si principes ejus ad quemvis duriorem casum, spem omnem præcidere festinata morte voluissent. Non sic fecisse ne senes quidem Romanos, qui Gallis Urbem occupantibus, ad utramque fortunam parati, nec fugere vitam, nec retinere curaverint. Juventutem certe, quamquam numero invalidam, copiis omnibus destitutam, tamen insigne mortalibus ostendisse documentum; non esse desperandum in malis, sed relinquendum casibus spatium reponendi quod abstulissent.*

Sulla Stabias expugnat. Plin. 3. 6.

XXXIX. *Multos adhuc per Italiam duces sociorum, magnas passim copias esse: neque mirandum, si post multa prospera, uno aut altero loco mutabilitas humanarum rerum apparet.* Hæc ob alia incommoda dicebantur, & quia res in Campano agro secundiores Romanis erant, ubi L. Sulla Stabias oppidum expugnatum direptumque A. D. pridie X. Kal. Majas delevit.

Seditio Romæ propter æs alienum. Liv. Epitom. Appianus. lib. 1. Civil.

XL. Dum ad eum modum Italicæ regiones pervastantur, ipsa quoque caput gentium Roma, multis è bello difficultatibus perurgebatur. Inter quæ fœdam in Urbe seditionem excivit fœnebre malum, quod adflicta temporum acerbitate patrimonia, pleramque civitatis partem ære alieno obruerant. Olim lata lege pecuniam in fœnore ponere vetitum fuerat, pœna quoque addita, si quis ausus esset fœnerari. legem necessitas hominum, & insolita consuetudo, longo situ obtexerat. Igitur morosi debitores, quum fœneratoribus ex pacto sortem & usuras reposcentibus, belli mala, & ex iis inopiam suam partim vere, alii falso, utrique frustra obtenderent; legem pridem exstinctam velut ab orco revocabant.

A Prætore A. Sempronio coerceri nequit. Liv. Epitom.

XLI. Inde quum ingens certamen exarsisset, ferverentque litibus omnia, Prætor A. Sempronius Asellio, cui jurisdictio Urbana evenerat, rem ex æquo bonoque componere conatus, frustra fuit. nam ut fieri amat, apud paucos justi honestique valebat respectus, cætera turba, aliis indebitum improbe exigentibus, aliis perfide retinentibus debitum, magis magisque contentionibus & simultate implicabatur. Ibi Prætor judices dare cœpit, qui singulorum cognoscerent caussas, & inter legem atque usum varie oppressam æquitatem indagarent.

Sed ipse à creditoribus occiditur. Val. Max. 9. 7. 4. Appianus.

XLII. Ea res tantam commovit apud creditores consternationem, ut omnia prius audenda putarent, quam id jus referri paterentur, per quod non modo carendum fœnore, sed ultro pendenda mulcta foret. Igitur L. Cassio Tribuno plebis concitante, secunda diei hora, palam in foro magistratum populi Romani, tum maxime sacra diis facientem fœdo exemplo peremerunt. Pro æde Concordiæ Ge-

Val. Maxim.

mellis

mellis faciebat, circumstante velut ad sacrificium turba. Ibi ab uno quodam lapide petitus Prætor, abjecta patera, contento cursu per forum ad Vestæ fugiebat. Sed exclusus ab aliis qui præcurrerant; & quum in tabernulam quamdam se abdidisset, in ipsis magistratus & sacrificii ornamentis discerptus est.

XLIII. Ferunt tam væcordem fuisse hominum violentiam, ut quidam apud Vestales latitare Asellionem rati, eo irruperint, unde viriles oculos religio majorum, & multarum ætatum perpetua veneratio submovebat. Neque admirabilior in patranda cæde audacia fœneratorum, quam in celandis ejus auctoribus industria fuit. Senatus, *si quid ejus rei judicasset, libero pecuniam, servo libertatem præmio fore edici* jusserat. Necis auctores cela ntur. Val. Maxim. Appianus.

XLIV. Sed ea cura & potentia creditorum fuit, ut in tam atroci cæde palam luce in celeberrima parte civitatis patrata, index nemo exsisteret. Hoc puto maximum incitamentum fuisse jubendæ legis, quam M. Plautius Sylvanus Tribunus plebis de Vi Publica tulit. tulit & de Judiciis idem Plautius, adversus Equitum improbitatem, adjuvantibus nobilibus, *ut singulæ tribus quotannis viros quinos denos ex suo numero suffragiis crearent, eo anno judicaturos*: non excepto, quibus ex ordinibus legerentur. Lex Plautia de Vi Publica, & de Judiciis. Pedian. in Com. Cic. Fam. 8.

XLV. Eo factum est, ut Senatores etiam in eo numero, itemque de plebe nonnulli essent. Rogationem Plautiam multi suaserunt diserti & nobiles viri, & inter alios C. Julius L. F. Cæsar. Neque intercedere honeste quisquam poterat, quo minus de Vi publica judicium lege constitueretur. plus fuit cum Equitibus negotii; & res ipsa tum difficilior, tum etiam majus, utra pars obtinuisset, victoriæ præmium. Idcirco multis hinc inde agentibus, qui nolebant Plautiam legē, *olim iisdē de rebus sapientissime constitutū adseverabāt. neq; aliud ad consensum ordinum remediū esse.* Equites Iudiciariam legem repudiant. Agellius 13.3.

XLVI. *Quum Senatus judicaret, nimiam plebi Patrum esse potentiam visam, etiam quoties non inique judicaretur. Accessisse deinde quorumdam improbitatem, aliorum avaritiam, qui amicos aut stipendiarios suos quomodocumque eripere periculis, & eorum caussa corrumpere judicia sueverint. Alios cupiditate magistratuum, aliorumque beneficiorum populi; non leges, sed voluntatem vulgi, aut eorum qui gratiosi apud vulgum essent, spectavisse. Rursus in plebe, ne judicia illi relinquerentur, velocitatem & vehementiam adfectuum, negligentiam in inquirendo, temeritatem in judicando, & apud obnoxios & egenos paratum gratiæ aut præmiis locum, displicuisse.* Neq; Senatui neque plebi judicia danda pugnant.

XLVII. *Nihil igitur neque tum fuisse melius, quam ut ad medium velut ordinem iretur, nec in posterum fore. Sic esse constitutum in omnibus ferme civitatibus, ut principes procliviores ad injuriam sint; imperita & venalis multitudo: medii inter utrosque neque gravitatis & prudentiæ egeant; neque nimiis opibus ad impotentiam solicitentur: æqualiter ab alterorum sordibus, & ab alterorum ambitione remoti. Neque caussam esse cur Equitibus hæc inferatur injuria, ut quasi male exercita judicandi potestate priventur.* Sed mediis inter utrumq; ordinem Equitibus.

XLVIII. *Sane invidiosum id Senatusconsultum fuisse, quo legis Variæ dilata judicia sint: sed nemini dubium esse, quin alia re nulla offensi Patres fuerint, quam incorrupta, & gratiæ minisque juxta impenetrabili judicum severitate. Crimini sane datum quod damnati sint aliqui, quos innocentes fuisse amici eorum* Invidiam purgant.

ac propinqui diṡtitarent: sed nullam adeo perditam in judicium adferri causſam poſse, ut non aliquibus, & maxime iis quorum ſalvos eſse reos intereſt, valde probabilis videatur.

Errorem in crimen trahi oportere negant a

XLIX. *Quod ſi forte aliquando ſit erratum, nec Equites omnis erroris expertes eſse, nec cæterorum quemquam id ſibi vere polliceri poſse. Communem mortalitatis infirmitatem non ita certis hominibus exprobrandam, quaſi cæteri alieni ab ea eſse videantur. Olim & in celeberrimis Græciæ civitatibus viros præſtantiſſimos, & Romæ Coriolanos, Camillos, Scipiones damnatos eſse; quum nondũ Equites Romani judicarent. Hoc nimirum jam diu quorumdam artibus volvi agique, ut quatenus abrogari judicia nequirent, ſaltem ii judices legerentur, apud quos ad nobilitatem gratiamq; & potentiam reorum reſpectus, & ex cognatione ſanguinis, ſimilitudine fortunæ, fortaſſis & culpæ, parata abſolutio foret.*

Contraria Oratio L. Plautiam ſuadentium.

L. Dicebatur contra: *falſo vocari in ſuſpicionem Patres, quaſi judicia legeſque ob conſcientiam formidarent. Neminem ejus eſse ordinis, quin ſe ſuoſque primum omni culpa vacare optet: deinde, ſi poſtuletur reus, apud æquos judices defendi recuſet. Neque ideo ab Senatu interpoſitam auctoritatem eſse, ut ſubterfugere judicium rei quirent; ſed ut latrocinio verius quam judicio Equitum, ſi finis non poſset, ſaltem modus imponeretur. Nihil aliud à diis immortalibus precari Patres, quam ut legum ſarta tectaque ſemper ſit in civitate majeſtas. neque ſegniter aut gravate juſsuros, ut & Variæ legis, & cæterarum judicia reddantur, quamprimum illorum fuerit emendata ratio.*

Equitum injurias eſse coercendas oſtenditur.

LI. *Neque enim conſilium eſse, iniquis & furentibus hominibus hanc ultra poteſtatem dari, ut legem veluti ſicam diſtringant in colla innocentium, & quidquid in civitate ſit virtute aut gloria eximium, tamquam ſublimia papaverum capita decutiant. Id enim inſtituiſſe eos agere, qui hactenus plurimum in judiciis polluerint: horumque amentiæ paucos diſſimiles vellent nollent accedere coactos. neque manſurum aliquid dignitatis fuiſſe, ni tardo quidem, ſed tanto magis neceſſario decreto Senatus auctoritatem ſuam interpoſuiſset.*

Senatus excuſatur.

LII. *Eumdem, ut omnibus civibus innocentiam ſuam approbet, hoc in primis agere, ut legis Variæ judicia exerceantur: quo omnes intelligant, hactenus multos inſontes à nocentibus damnatos eſse: illo crimine neminem magis, quam judicum quoſdam, & ante omnes auctorem legis Q. Varium teneri. Neque recuſandum Equitibus rogationis Plautiæ modum eſse, quo delectus judicum ad Tribus referatur. Satis in his pollere Equites, neque populo Romano tam hebetes oculos eſse, ut non viderit, qua quiſque religione judicem hactenus egerit. nec ergo dubitandum, quin ſit optimum quemque ad eamdem curam ſtudioſè revocaturus.*

Lex Plautia Papiria de civitate Sociis danda. Cic. pro Arch. cap. 4.

LIII. Poſt multam diſceptationem hæc poſtremo ſententia tenuit. Eodem anno, poſtquam actum de civitate danda parti ſociorum erat, lex Plautia Papiria lata eſt, à M. Plautio, C. Carbone Tribunis, ad regendum jus civitatis pertinens, continebatur, *ut qui fœderatis civitatibus adſcripti fuiſsent, ſi tum, quum lex ferebatur in Italia domicilium habuiſsent; & ſi ſexaginta diebus apud Prætorem eſsent profeſsi, cives Romani haberentur.* Q. Metellus, App. Claudius, P. Gabinius Prætores, profeſſos apud ſeſe, in tabulas retulerunt,

LIV. Auctus in immensum Romanorum civium numerus, quum inter tumultum belli, seditionesque domesticas, perplexa variaque difficultate civitatem implicaret, movit Senatum, ut de remedio quæreretur. Quippe novi cives si, quod postulabant, pari omnino jure cum veteribus essent, parum aberat, quin capta ab Italis Roma videretur. numero enim longe superiores erant; & ne omnia ad se traherent, more ingenii humani, quod nulla prosperitate satiatur, haud immerito timebatur.

Difficultas Romæ ex aucto civium numero. Appianus lib. 1. Civil.

LV. Per Censores optima & tutissima definiendi juris eorum via erat: sed tempus, quo ex veteri more fieri oportebat, nondum propinquabat. Tandem, ut verum est, utilitati publicæ pristini moris observatio cessit; quod creari Censores è Republica esse, nullo modo dubitabatur. P. Licinius M. F. P. N. Crassus, L. Julius L. F. Sex. N. Cæsar creati, novos cives Tribubus antiquis quinque & triginta non immiscuerunt, sed seorsim recensitis novas constituerunt Tribus, quæ post antiquas vocarentur.

Per Censores tollitur. Frag. Capitol. Appianus. Velleius 2. 20

LVI. Sic fiebat, ut qui numero superaturi priores cives fuerant, si suffragia iisdem in Tribubus ferre sinerentur; ii rejecti ad extrema, plerumque supervacui fierent: nec ullum in publicis consultationibus momentum facerent: quum enim omne populi scitum majori Tribuum parte jubente perinde haberetur; quam si jussum ab omnibus fuisset: simul atque Tribus quæ prius vocatæ fuerant, numerum illum implessent suffragiis, decretum erat; nec ultra reliquæ rogabantur.

Rejectis in novas & postremas Tribus, novis civibus.

LVII. Et tum quidem, non animadvertentibus sociis, aut quolibet pacto civitatem adipisci properis, non inutile id consilium fuit. procedente tamen tempore novas ea res excitavit discordias. Ab iisdem Censoribus, quamquam pars populi nulla censa esset, lustrum tamen septimum atque sexagesimum conditum est. Id quoniam sine decreto augurum fuerit, infelix populo Romano fuisse, Veranius in auspiciorum libro prodidit. Opera Censoria nulla locata reperiuntur: cum vitiis & luxu certamen fuit: quæ pestis nimiis opibus orta, etiam in paupertate & ære alieno remanebat. ac iidem qui justissima debita expungere non poterant, per summam turpitudinem, pecunia creditorum quamlibet egentium, ad suam luxuriam abuti postulabant.

Non diuturno tamen, aut constante remedio. Cic. pro Arch. Festus in Refer.

LVIII. *Unguenta* igitur *exotica*, hoc enim vocabulum in edicto fuit, *vendi; vinum item Græcum Amineumque* (in ea regione ubi postea Falernum fuit, Aminei fuerunt) *octonis æris singula quadrantalia venire* vetuerunt. Per eadem tempora, quum divisas Imperii vires accolarum ferocia sperneret, occasione invitante multa passim latrocinia facta: & frequentibus Thracum incursionibus vexata Macedonia est. laborante enim Reipublicæ summa, provincias præsidiis nudari necessum erat: & quamvis egregii Prætores, quod copias idoneas non haberent, irrumpentibus barbarorum agminibus male resistebant.

Luxuria coercetur à Censoribus. Plin. 13. 37. 14. 14. 3. Macrob. Saturn. 3. 20. Liv. Epitom.

FINIS LIBRI LXXIV.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



ULUS Posthumius Albinus legatus, quum classi præesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sulla legatus Samnites prælio vicit, & bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompejus Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius Consul rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. ea res hostibus victoriam ejus prælii dedit. Cosconius & Lucejus, Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt: L. Sulla Hirpinos domuit, Samnites multis præliis fudit, aliquot populos recepit: quantisque raro quisquam alius ante Consulatum rebus gestis, ad petitionem Consulatus Romam est profectus.

A. Posthumius ab exercito suo necatur. Plutarch. Sulla cap. 11. Orosius 5. 18. Liv. Epitom. Diod. l. 37. Plutarch. Polyæn. Strateg. l. 8.

I. IISDEM ferme diebus, quibus Prætoris Urbani fusus in foro suo sanguis est, etiam in castris, ne quid usquam castum sanctumve foret, Prætorium virum, A. Posthumium Albinum, quum legatus classi præesset, exercitus quem ducebat, interfecit. Intolerabili superbia militum in se odia suscitavisse traditur: sed quo speciosior furentibus prætextus esset, crimine proditionis insimulatum saxis atque fustibus oppresserunt. Copias ejus quum L. Sulla, ipse quoque legatus L. Porcii Consulis, accepisset; suppliciumque de nocentibus sumpturus putaretur: impunitum esse flagitium passus est.

Id facinus impunitum patitur L. Sulla.

II. Id eo pertinuisse judicant, ut tanto beneficio obligatos promptiores haberet ad exsequenda quæ animo destinasset. Jam enim eo processerat cum Mario simultas, ut aut perdendum illum, aut sibi pereundum esse intelligeret: & quia senescente jam Sociali bello Mithridaticum adesse sentiebat; ad spem Consulatus & provinciæ obtinendæ, favorem exercitus aucupabatur. Id licet multi palam incusarent, & *in tam atroci delicto impunitam esse facinorosorum audaciam* quererentur: contempsit sermones hominum Sulla, ultro prædicans *consilii sui utilitatem quod hoc pacto melioribus usurus esset militibus, dum fortibus factis eluere turpitudinem admissi niterentur.*

L. Sullæ gesta contra L. Cluentium: Orosius. Vellejus 2. 16. Appianus. lib. 1. Civil.

III. Neque vanum id ei augurium fuit. Gerebat tum in Campania bellum, Stabiisque receptis Pompejos, haud amplius sex millibus passuum distantes oppugnabat. Ad auxilium obsessorum L. Cluentius accurrerat, fiduciæ spirituumque plenus adeo, ut intra passus omnino quadringentos castra sua Sullanis opponeret. Sulla quamquam magnam suorum partem pabulatum emiserat, contumelia stimulatus, protinus ad hostes movit signa: sed numero victus tum quidem in sua castra se recepit. Cæterum ubi pabulatores reverterunt, adsumptis illis Cluentium denuo adortus, magna cum cæde profligavit.

Sullæ Oratio ad milites.

IV. Cluentius motis in mediterranea castris, quum ingentia ad eum

Gallorum auxilia venissent, animo recepto ad Pompejos iterum duxit, si pugnandi copia fieret, haud detrectaturus certamen. Ibi Sulla quo paratiores ad prœlium milites haberet, in concionem vocare jussis, ita cœpit: *Non ut tamquam adversus novum hostem quæ fieri velim admoneam; neque ut virtutem vestram verbis exstimulem, vobiscum agere constitui, milites; pariter enim & obsequium vestrum mihi, & animum præteritis prœliis approbastis: sed quia toties pulsus hostis denuo hæc signa & hos vultus intueri sustinet; hoc tantum à nobis dedecus amoliri conantem ut adjuvetis, cohortandos existimavi.*

V. *Cur enim victoriam nostram in ullo pretio ponimus, si cladem suam non sensit hostis? aut quorsum tollimus animos, si ille nondum demisit? Prorsus extorquenda confessio est, ut victos se fateantur, quos repulimus, ea nimirum res non ad novam tantum adquirendam laudem, sed etiam ad retinendam quam paravimus, vehementer pertinet. Quamdiu in vicino castra Cluentius habebit, quis credet nos vicisse? quo auctore aut mihi speratos honores, aut vobis digna labore vestro præmia Senatus decernet?* Indigne fert hostem victū, iterum tentare fortunam belli.

VI. *Fortuna partium utrarumq; comparabitur, & tantumdem hostis, quantum Romanus, adversi prosperique rumoris auferet. Simili timoris ac audaciæ vicissitudine uterque exercitus, & fugisse hostem, & repetisse dicetur. Hoc igitur de nobis Senatus populusque Romanus nuncium, inter aliorum exercituum victorias & gratulationes accipiet; ut ubivis locorum res Romana haud dubie superiori, hic tantum ancipiti Marte dicatur dimicare? Qua enim re inferiores aliis sumus, ut patienter feramus, post omnes collocari? numerus, arma, copiæ, lacerti, non aliis in castris meliora: nam ut de nobis ducibus nihil dicam, nisi post viginti ferme annos omnibus Africanis, deinde Gallicis atque Cimbricis bellis, postremo in Cilicia & Cappadocia, sic esse cognitos, ut numquam operæ nostræ consiliique aut Rempublicam aut exercitum pœnituerit: eosdem sane homines, eadem arma intueor, quibus persæpe hoc ipso bello hostium maximæ copiæ, & munitissima præsidia cesserunt.* Ita parem hostium & ipsorum laudem fore.

VII. *Non enim quasi nihil sit à nobis gestum, queror: aut aliud incuso, quam quod nondum ad id fastigium gloriæ pervenimus, quod virtuti vestræ, & felicitati nostræ debetur. Tantum enim, nec diffiteor, Fortunæ favorem omnia vatum haruspicumque responsa, & cujusque generis divinationes constanti prædictione spondent: ut quæ sunt hactenus à vobis gesta, minime quidem pœnitenda illa aut contemnenda, magnitudine eorum quæ speramus non vinci modo, sed etiam obscurari & obrui fatum sit.* Fortunam suam deprædicat.

VIII. *Idcirco quoties imperia nostra accipitis, non hominis sed deæ ductum vos sequi cogitate: ejusque deæ, cujus in arbitrio res humanas omnes esse sitas, prudentes simul fatuique uno ore pronunciant. Nec igitur me piget ad hujus beneficium maxime referre, quidquid à me fuerit præclare optabiliterque gestum, ne ingratus adversus ita meritam sim; aut benevolentiam ejus in iracundiam mutem. Est enim & huic numini suarum injuriarum sensus: & facile fastidit eos, à quibus fastiditur.* Ejus numinis vim extollit.

IX. *M. Reguli casum quis ignorat, florentissimi priusquam Fortunam contemneret, postea longe miserrimi ducis? Athenienses Timotheum Cononis filium habuerunt, qui laude bellicarum rerum gloria noninferior quam pater, inge-* Exemplis Reguli & Timothei: Cic. de Offi. clis. Ælian. 13.43.

nii præterea & doctrinæ magna ornamenta adjecerat. Sed ista omnia postquam Fortunam offendit semel, minime profuerunt. Quum successissent ei omnia mirabiliter, æmuli pinxerunt in tabernaculo sedentem, pendente supra caput Fortuna, quæ civitates in rete dormientis compelleret.

Officium faciundum: eventus referendus ad numen. Plutarch. Sulla cap. 9.

X. *Id homo vanus quum tolerare nequivisset, & aliqua forte re gesta publice negasset, ex ista laude Fortunam posse quidquam decerpere; ab eo die fuit infelicissimus. Mihi vero hoc temperamentum placet, ut vigilantiam, consilium, audaciam præstanda homini censeam, eventum lubentius referam ad deos. ita demum necessum erit prospere evenire omnia, si neque nostro officio desumus, neque cum injuria potentioris indebitam gloriam adfectamus. Sed hæc quidem aliquanto verbosius exsequutus sum, milites, quod non in præsentia tantum intelligere vos cupiebam, quid mihi propositi esset; sed in posterum quoque sciretis, qualem ducem, & quibus præsidiis fultum sequeremini.*

Severitatis & liberalitatis suæ admonet milites.

XI. *Cætera jam vobis nota sunt, rebusque ipsis perspecta; neque mihi severitatem in noxios, nec erga fortiter facta liberalitatem defuisse. quamquam & hoc adscribo Fortunæ, quod mihi sic animatos milites dedit, ut præmia creberrime, supplicia non sæpe repræsentarem. Quamquam sane incusor à multis, quod æquo mollior, etiam fœdissimorum facinorum pœnas à sontibus non exigam. Verum enim vero, milites, ita mecum inii rationem, dandum esse hominibus spatium, ut contractam nescio quo furore noxam, pœnitentia magis quam pœna eluant: & ubi forti adversus hostem opera, tantum profuerint Reipublicæ, quantum crimine & exemplo nocuerunt: ipsi veniam, Respublica tot cives incolumes habeat. sin vero sceleri addiderint ignaviam, ne ipsi quidem recusent, quin servili cum cruciatu necentur.*

Posthumianis veniam aut supplicium proponit. Orosius. 5. 18. Liv. 4. 50.

XII. *Hæc vobis me dicere, quibus nuper A. Posthumius Albinus præfuit, non ignoratis. Apud majores nostros, quum simili facinore sublatus ab exercitu M. Posthumius Regillensis esset, jussu populi acriter exercita quæstio est. nunc aliena judicia ne timueritis: vestra in manu est, qualis manere vos exitus debeat. ferro, non suffragiis hæc caussa decidetur. Victores virtus absolvet: ignavos, ut hostile ferrum pepercerit, legum vindicta consumet.* Quum ejusmodi oratione L. Sulla milites cohortatus esset; eamque conditionem maxime, qui pœnas interfecti ducis timebant, cupide accepissent, promptos paratosque, & ad omnia prolixe operam pollicentes in aciem eduxit.

Res levis, præcipua Sullanæ victoriæ caussa. Appian. lib. 1. Civil.

XIII. Eo tempore, ut maximi quique mortalium conatus, levi subinde casu eluduntur, res per se haudquaquam magni momenti, præcipua tamen Sullanæ victoriæ caussa fuit, Romanorum insigni fiducia inflammatis animis, & hostium alacritate exstincta. Gallus quidam insigni proceritate, qui inter auxilia Cluentii merebat, quum ex diversa acie fortissimum quemque ad singulare certamen provocasset, ab exiguæ staturæ Mauro confectus, tantum pavoris popularibus suis injecit, ut vix primum telorum conjectum sustinerent.

Ingentes clades, Italicorum.

XIV. Gallorum fuga sociorum quoque commovit ordines, perterritosque & turbatos, tamquam imbelle pecudum agmen trucidandos hosti præbuit. neque pugnantium fugientiumque minus triginta millia periisse referuntur. Cæteri cum duce Cluentio, nihil tutum arbitrantes, priusquam ad Nolam cursu perveniſ-

sent, castra ante ipsam urbem posuerunt. Sulla non amplius moratus, quàm donec hostium castra expugnasset, sive deditis Pompejis, sive post tantam suorum cladem mature venturis in deditionem, protinus victorem exercitum ad persequendas rebellium reliquias in agrum Nolanum ducit. Liv. Epitom. Orosius. Sisen. apud Cicer. de Divinat. 1. Val. Maxim. 1. 6. 4. Plutarch. Sulla cap. 17.

XV. Eo loci quum castra communivisset, accidit ut ante prætorium forte immolanti, subito ex infima ara anguis erumperet. Felicissimum id prodigium esse C. Posthumius aruspex interpretatus, hominem Fortunæ nihil non credere solitum facile impulit, ut nulla interposita mora exercitum adversus hostem educeret. Atque sic evenit, quemadmodum in commentariis suis sibi sæpe accidisse ipse prodidit, ut temere festinata expeditio prosperius caderet, quam si matura deliberatione cautoque consilio suscepta fuisset. Anguis ex ara erumpit, immolante Sulla.

XVI. Nam in tantam consternationem conjecit Italicos, ut post pugnam parum constanter initam, refugientes ad urbem circum ipsos muros cæderet: quia Nolani, ne simul irrumperet hostis, non amplius una porta ad recipiendos suos aperire audebant. Inter occisos ipse quoque dux Cluentius pugnando cecidit: & cum eo viginti militum millia desiderata sunt. Hic quoque florentissima Samnitium castra in potestatem victoris venerunt. Et quod miraculo proximum est, in tam magnifica victoria, *ne unum quidem de suis militibus amisisse Sullam* memoriæ proditur. ut jam non sine caussa, quum omnium cognominum haberet potestatem, *Felicis* appellationem cæteris prætulisse dicas. Alia Sullæ victoria. Appian. Orosius. Liv. Epitom. Eutropius. lib. 5.

XVII. Non igitur minor quam pro re lætitia & exsultatio in castris Romanis fuit. Posthumiani milites hostili sanguine civilem satis expiasse crediti, venia, cæteri laudibus, omnes præmiis amplissimis donati, vicissim & ipsi ducem raro, nec nisi paucis omnino concesso honore adfecerunt. Certe *se ab exercitu ad Nolam obsidionali corona donatum, quum Italico bello legatus esset*, & scripsit ipse in Commentariis Sulla, & in villa Tusculana, quæ postea fuit Ciceronis, pinxit. L. Sulla corona obsidionali donatur. Plin. 22. 6.

XVIII. Eam solebat è gramine viridi servatus exercitus dare, ubi virtute insigni ducis liberata ab instanti excidio castra essent. Igitur seriem rerum atque temporum examinanti ad Nolam accepta videtur, ad Pompejos merita. Interea temporis Cn. Pompejus Consul, relictis ad obsidionem Asculanam idoneis copiis, in Vestinos, vicinam Picentibus gentem, expeditionem fecit: eosque multo certamine ita domuit, ut palam inter se deditione agitarent. Cn. Pompejus Vestinos vincit. Appian. Liv. Epitom. Cic. Philipp. 12. 11.

XIX. Cui ferme tempori colloquium cum P. Vettio Catone, quod se tirone præsente habitum Cicero scribit, adsignari potest. ad quod quum frater Consulis Sextus, evocatus Roma venisset, eumque Cato salutasset, *quem te appellem*? inquit. At ille, *voluntate hospitem, necessitate hostem*. Dum prospere Pompejo locis plerisque expeditiones cedunt, alterius quoque Consulis haud pœnitenda gesta fuerant: neque postremus eo bello Imperatorum, Marsos aliquoties fuderat, multisque locis acrem strenuumque ducem gesserat. Cum P. Vettio colloquitur.

XX. Sed in ipso cursu prosperitatis, spes amplas, gloriamque illustrem, cum ipsa vita posuit. Dum enim ad Fucinum lacum castra Marsorum oppugnat, & propemodum exploratam in manibus victoriam habet; accepto vulnere mortuus prosternitur. Quum incertus cædis auctor esset, circa C. Marium C. F. suspicio hæsit, quasi patris sui contumeliam vindicare proditorio facto studuisset. Lucium enim Porcium ferunt, quum easdem haberet legiones, quæ superiore L. Porcius Consul occiditur. Velleius 2. Liv. Epitom. Orosius. Eutropius.

anno ſub C. Mario militaverat, ſucceſſu lætum, per jactantiam dixiſſe, *C. Marium non majora feciſse.*

C. Coſconius Samnites vincit. Liv. Epitom. Diod. lib. 37. Appianus. Cic. Famil. 5. 12.

XXI. Hanc ipſi vocem lethalem fuiſſe putant, nihil nec à perfidia nec à crudelitate Mariana abhorrente ſententia. Cæterum mors Conſulis adeo exterruit Romanos, ut non modo victos fere hoſtes omitterent, ſed ipſi quoque vincerentur. Felicius in Japygia à C. Coſconio Prætore geſta res eſt, qui adjutore Q. Lucejo (cujus filius Italici belli hiſtoriam, non meliori quam cæteri fato, ſcripſit) Samnites acie vicit: Marium Egnatium, nobiliſſimum hoſtium ducem occidit: Salapiam, Cannas, alia oppida complura in deditionem accepit.

Trebatius Samnitium ductor.

XXII. Circa Canuſium, quod obſidere aggreſſus fuerat, acriter cum Samnitibus dimicatum eſt, magna utrimque cæde, donec prior Romanus exercitum Cannas reduxit. At Trebatius Samnitium ductor inſequutus, quum inter duo caſtra medium Aufidi flumen eſſet, optionem detulit Coſconio, *ut vel in ſuam ripam pugnandi cauſsa deſcenderet, cujus rei poteſtatem ſe ei abducto, quantum ſatis eſset exercitu facturum: vel eadem conditione tranſitum ſibi concederet.*

Vincitur à Coſconio:

XXIII. Coſconius altera conditione accepta, ut ſuam intra ripam admitteret hoſtem; ſimul ille trajecerat, ſigna intulit. neque tantum pepulit Samnitem, ſed trans flumen fuga evadere conatum ita cecidit, ut ad millia hominum quindecim occumberent. à cæteris & duce Trebatio, perniciem non ipſorum virtus, ſed Canuſina mœnia depulerunt. Coſconius vaſtato Larinati & Venuſino agro, & qui Piceno cognominis in Apulia eſt, Aſculano, in Pœdiculorum fines tanto terrore incubuit, ut univerſam gentem biduo proximo in fidem acciperet.

Sulla Hirpinos recipit. S[t]ſen. apud Noniv. in Prot. Appian.

XXIV. Eadem æſtate L. Sulla, captis ad Nolam Samnitium caſtris, per Campaniæ montes in Hirpinos movit, eumque populum Aſculani urbis calamitate perdomitum recepit. Aſculanenſes, quum in eamdem diem, qua Romanus ibi caſtra ponebat, Lucanorum auxilia exſpectarent, tempus ad deliberandum popoſcerant. Sulla intellecta fraude, legatis longam orationem orſis, *nibil opus eſse otioſo ſermone apud occupata* præfatus, *unius boræ ſpatium ſe dare* dixit.

Aſculanum diripit.

XXV. Interea ſuis dat negotium, *ut magnam vim ſarmentorum colligant, faſcibuſque effectis admoveant ad murum:* quod is multa materia exſtructus fuerat. Quum inter hæc hora præteriiſſet, ignem ſuppoſuit faſcibus, territoſque obſeſſos ad deditionem adegit. Nec eo minus diripi oppidum juſſit, ſive quia dilata in extremam neceſſitatem deditio fuerat; ſive captum potius quam deditum videri maluit, ut milites præda delinitos, benevolos ſibi addictoſque efficeret.

Hirpinorum legatorum oratio. Auct. de Vir. illuſtr. c. 75. Liv. Epitom.

XXVI. Quod ſi forte ideo fuit in hos ſeverior, ut cæteros metu parium malorum ad alia conſilia cogeret; non fuit opinione falſus. Nam Aſculanenſium calamitas cæteris Hirpini nominis urbibus documento fuit, ut celeriter miſſis legatis imperata facturos nunciarent. Sed metus erat, ne duriores à victore conditiones dicerentur. Idcirco ad mitigandam ejus iram qui miſſi fuerant, ita fere verba fecerunt: *Oratores pro gente noſtra venimus, L. Corneli, ut quando eam ſtultitiæ ſuæ pœnitet, quomodo tibi populoque Romano ſatisfieri poſset, diſceremus.*

Moderationem Sullæ deprædicant.

XXVII. *Eſt quidem nonnulla nobis ſolicitudo, ne fortaſse recentium irarum memor, vindictam exercere in obnoxios, quam clementiam malis: ſed plus tua nos moderatio conſolatur, quam quia ſemper amaviſti, quoniam erat tibi ingenita, nunc profecto non abjicies, poſtquam haud inferiorem inde, quam ex tot victoriis extitiſſe tibi gloriam comperiſti. Nemo eorum quos mala mens aut aliorum per-*

ſuaſio

suasio eo adegit temeritatis, ut hostes esse vestri, quam socii præoptarent; vim tuam sensit, nisi quamdiu rectis monitis se præbuit intractabilem.

XXVIII. *Nec adversus hos tantummodo tua mansuetudo enituit; sed & Romanos milites, quum multorum opinione facinus inexpiabile fecissent, pro summa tua humanitate & prudentia ita conservasti, ut tibi nunc gratias agat Respublica, seque melius hostium sanguine, quam suppliciis civium vindicatam esse fateatur. Quid ni ad nostram quoque spem trahamus tam nobile exemplum? Neque plus quam illi peccavimus: neque minor postea ad ea quæ volueris, nostri usus erit.* Qui & Posthumianis, militibus pepercerit.

XXIX. *Illi nominare neminem possunt, in quem initium aut partem culpæ transferant. sponte exarserunt. nos contra sententiam seniorum, consensus tot gentium, & potentiora nostris vicinorum arma, & juventutis atque vulgi nusquam satis coërcita temeritas, bello Romano implicuit. Nec tamen hæc ideo dicimus, quasi caussam nostram defendere conaremur, satis indignationem vestram Hirpini meruimus: sed ut appareret ratio, cur in minore delicto non impudenter à clementissimo Imperatore parem speremus veniam quam in graviore concessam aliis vidimus.* Quamquam graviore culpa oneratis.

XXX. *Sed Senatus populique Romani non abhorrentem à tua lenitate sententiam nuper perspeximus; quum nonnullis qui arma contra tulerant, non veniam modo, sed etiam civitatem dedit. Atque hoc jam antiquitus alterum post victricia arma firmamentum Urbis Romanæ fuit, quod Italas gentes maxima semper & obvia non dicam mansuetudine, sed prorsus pietate excepit, communis omnium parens. Ne ad aliena exempla abeamus, domesticis instructi, majores nostri non minus clementiam, quam virtutem Romanam experti sunt, semel quum inter Samnites adhuc censeremur, quo tempore P. Cornelius Rufinus, avi tui proavus, pristinum illis fœdus reddidit: iterum Punico bello secundo; quando societatem Hannibalis sequutos Q. Fulvius Consul recepit, verbis tantummodo castigans, quamquam satis diu & præfracte fuissent in partibus, nec nisi ad Bruttios & extremum Italiæ angulum Hannibale compulso, pœnitentiam approbassent.* Laudant & Senatus Romani lenitatē. Supplem. lib. 12. Liv. 27. 15.

XXXI. *Placuit diis ista lenitas, dederuntque, ut complures alii populi ad societatem populi Romani reverterentur, per longa deinceps annorum spatia durantibus usque ad infelix hoc bellum obsequiis. Eumdem exitum, ut speramus nunc quoque dabunt, eoque optabiliorem, quod & redibunt in fidem vestram qui defecerunt: & perpetuam vobiscum amicitiam colent, suo malo iterum edocti: non aliter Italiæ salutem atque dignitatem salvam esse posse, nisi Romam imperare patiatur, secundo post principem terrarum Urbem loco contenta.* Diis etiam gratam.

XXXII. *Satis constat nonnullos populos de pace petenda deliberare, nec alia re magis retineri, quam timore ne duriora imperentur, quam ferre queant. de his profecto dubium esse non potest, quin simul nobis veniam datam cognoverint, protinus in partes vestras sint transituri. Hos, ut fit, alii aliique sequentur, & quā Italiam majores vestri per multas ætates perdomare vix potuerunt, eam universam paucis mensibus recipietis. Cæterum quia neque tibi consilio nostro opus est, & nos deprecatum magis commissa quam purgatum venimus; omissis quæ in illam partem dicerentur, supplices proniq; te rogamus, & per cōmunes deos, perq; hanc* Populo Romano utilem.

parentem utrorumq; terrã obtestamur, ut unius anni crimen tot aliorum perpetuis meritis, & paucorum defectionem tot millium constanti fidei obsequioque dones[*].

Plures in gente sua Romanatum partiũ fuisse adseverant.

XXXIII. *Rari apud nos sponte, reliqua multido coacta deceptave ferrum adversus vos strinxerunt: & pro his ausis vastatus ager, cæsæ cohortes nostræ, maxima urbium capta direptaque satiare victoris iram potuerunt, ut occisis captisve auctoribus & concitoribus belli, reliquorum necessitati aut errori placatus ac lubens ignosceres. Hoc & nostris precibus te concessurum esse sperabant, qui propterea nos legarunt, quia propter constantiam in Romanis partibus ab adversa factione multa perpessos, apud vos gratiosos fore arbitrabantur: & si nostri nõ habeatur ratio, ad alios neque paucos neque contemnendos deprecatores respice.*

Minatium, & multa millia pro iis militare.

XXXIV. *Respice Minatium hunc Magium, qui avitam in populum Romanum fidem, dubiis temporibus, singulari studio ac virtute retulit. Satis sit illi cæsas civium strues, & fumantia patriæ tecta vidisse: ne universum suæ gentis excidium usurpare oculis, festinare manu cogatur. Idem orare puta tot Hernicorum militum in Romanis castris millia, quorum fortem fidelemque operam tuo quoque testimonio haud semel ornavisti.*

Hos respici orant; & alios innocentes.

XXXV. *Hos profecto cum alienissimi semper ab omni crimine fuerint, aliena culpa perire durum esset. Periisse autem putabunt, ubi civitatem suam omnibus belli cladibus pervastari, & quo necessum est tali tempore, eodem exitio nocentes innocentes, ut quisque occurrerit, involvi videbunt. Neque enim quisquam est vere Italus tam ab omni pietate remotus, ut inter hanc patriæ calamitatem, salutem suam magni æstimet. Sed & liberos parvos, matronasque & virgines occurrere fac animo tuo: quorum omnium haudquaquam ambigua est innocentia: quum vero cogitabis, viduarum ãtque pupillorum lacrumas, qui viros suos, qui parentes sanguinem vitamque pro imperio populi Romani allegabunt profudisse: jam ipse profecto pro humanitate tua judicabis, potius in gratiam tot insontium noxios dimitti, quam horum crimine adfligi meliori fato dignos oportere.*

Sulla benigne respondet. Front. 1.5.17.

XXXVI. Erat tum adhuc alienus ab omni crudelitate Sulla, aut saltem ut esse videretur, studebat. Idcirco non modo benigne respondit legatis; sed etiam paulo post excessit Hirpinorum finibus, in Samnium tendens, ut ipsam belli Socialis arcem exscinderet. Sed Papius Mutilus Samnitium ductor, in ipsis finibus cum valida manu excubans, aditus obsidebat. Igitur Sulla, quum se in eas angustias demisisset, ut circumveniri facile posset; colloquio petito, de conditionibus pacis agitare cum hoste cœpit, varie rem trahens, donec occasionem evadendi nancisceretur.

Sullæ strategema ad evadendum ex locis iniquis.

XXXVII. Ubi satis remissam Samnitium attentionem vidit, & propter inducias omnia negligentius administrari; silentio noctis profectus est, relicto in castris buccinatore, ut tamquam mutandis vigiliis classicum per solita intervalla caneret. ea res fidem manentis eodem loco exercitus incauto hosti fecit. Quarta vigilia commissa, buccinator agminis suorum sequutus vestigia, vacua hostibus castra reliquit; militesque ad unum omnes incolumes, cum impedimentis tormentisque in tuta pervenerunt.

Ejusdem victoria de Samnitibus.

XXXVIII. Inde L. Sulla longo circumitu usus, qua minime venturus putabatur, irrupit: Samnitesque improviso discrimine ita terruit, ut occisis plurimis, ceteros

n fugam conjiceret. Dux hostium Papius, prosequentibus suorum paucis Æserniam saucius pervenit. Sulla captis Samnitium castris ad Bovianum perrexit. Præcipuæ claritudinis illa tempestate Bovianum erat, tribusque arcibus & communi gentis concilio superbiebat. Sulla divisis copiis quum ipse ad urbem signa admovens Bovianenses in se convertisset; alios longo flexu circummissos, *quam primum possent arcium expugnare* jubet: futurum ratus, quod accidit, ut eam in partem unde initio se ostendisset concurrentibus oppidanis, segnior de remotioribus cura esset.

Appian. lib. 1. Civil. Liv. Epitom.

XXXIX. Ubi captam arcem ex fumo, sic enim convenerat, cognovit; ipse quoque tota mole oppugnare urbem cœpit. Tribus omnino horis fortiter ab obsessis repugnatum est: inde quum & à capta parte urbis decurrente Romano anceps metus circumsisteret; profligatis defensoribus Sulla Boviano per vim potitus est. Deinde late circumlato belli terrore, quum aliquot populos recepisset, appetente hieme ad petitionem Consulatus Romam profectus est: certa quidem spe consequendi honoris, quum tot tantasque res, quantas raro quisquam alius ante Consulatum confecisset; eamque sibi fortitudinis prudentiæque conciliasset existimationem, ut apud cives magnus dux, maximus apud socios, apud hostes etiam fortunatissimus haberetur.

Bovianum vi capitur.

XL. Igitur quum togam candidam sumpsisset, comitiis Consularibus, pene omnium civium suffragiis, anno ætatis suæ undequinquagesimo designatus est. Ea comitia certamen haud tralatitium habuerunt, C. Julio Cæsare Consulatum contra leges petente. Sed quoniam ad ea tempora accessum est, quibus frequens mentio facienda Cæsarum, & alias, & propter eum Cæsarem, qui postea dictator fuit, errorem parere legentibus posset: simul ut illius ævi domesticæ discordiæ penitius intelligantur, non abhorrere à præsenti instituto judicavi, si de hac familia, & præcipue iis hominibus, qui tum maxime floruerunt, pauca, nec injucunda scitu proderem. Igitur Julii, cujus gentis familia Cæsarum fuit, antiquissimæ originis fuerunt: quum genus ad Julum referrent, Æneæ filium, quem Æneam Anchise & Venere genitum vetus fabula prædicabat.

C. Cæsar Consulatum contra leges petit. Diod. apud Valesium. Velleius 2.17. Sueton. Cæsar. c. 1.

XLI. Qui primus Juliorum hoc cognomine discriminavit gentem, quum cæso matris utero prodisset in lucem, ex eo casu appellationem traxisse non absurde creditur. Eum ante tempora Annibalici belli vixisse oportuit. ex eo enim Cęsarū in historiis mentio frequentatur. Sed primus omnium Sex. Julius Sex. F. Sex. N. Cæsar Consul fuit, L. Oreste collega, ad annum Urbis conditæ quingentesimum nonagesimum sextum. Nepos hujus esse potuit Sex. Cæsar C. F. qui cum L. Philippo gessit Consulatum, quum bellum Sociale inciperet: potuit & L. Julius Cæsar L. F. Sex. Nepos, qui sequenti anno Consul res eodem illo bello gessit; & mox Censuram adeptus est. Sed ut illa certo adfirmari non possunt, ita hoc minime controvertitur, L. Cæsaris fratrem hunc de quo dicere cœpimus C. Cæsarem fuisse.

Familia Cæsarum exponitur. Plin. 7. 9.

XLII. Igitur Cajus ille Cæsar claritudine generis & fratrum, (nam matre Popillia natus erat, quæ antea Q. Luctatium Catulum pepetat, Cimbrica victoria celebrem) præterea ingenii felicitate elatus, ad summos honores magnis animis contendebat. nam inter primos sui temporis oratores numerabatur, & nativo quodam facetiarum lepore omnes superabat. Is ante biennium Sex.

C. Cæsaris Strabonis elogium. Cic. de Orat. cap. 2. 12. 48. 69. 2. 4. Ascon. in Seni cap. 63. Diod. lib. 38.

Julio, L. Philippo Consulibus in curuli Ædilitate quotidianis fere concionibus de Republica accurate habitis, magnam & gratiam vulgo, & auctoritatem quæsiverat. His ille fretus quum Ædilitius esset, omissa Prætura Consulatum ambire cœperat. Sed Tribuni plebis P. Sulpicius, quamquam familiaris Cæsaris, & P. Antistius, extraordinariam petitionem refutabant.

Propter eum seditiones. XLIII. Iisdem C. Marius se aggregaverat. nam ex disciplina illorum temporum, contentiones in Republica vi ferme & armis dirimebantur. Idcirco divisis vulgi studiis magnæ ex hac caussa seditiones exstiterunt. *Jus populi* Cæsar extollebat, *& pro eo Senatum judicasse, quum T. Quintium Flamininum, M. Fulvius, M. Curius Tribuni plebis simulter Consulatum transcendens medius honoribus petere non paterentur. Neque pœnituisse aut judicii sui Patres, aut suffragiorum populum; quum paucis annis opulentissimum Macedoniæ Regem, fortis si quis unquam & felix Imperator, maximo Romani juris incremento superasset. Neque tamen aut ætate parem sibi Quintium, aut caussa fuisse: se Ædilitate functum olim, illum ex Quæstura petisse Consulatum.*

Asconius.

Exempla veterum adducit pro sua causa. Plutarch. Plin. c. 1. Liv. 32. 8. 7. 40. 9. 7. 14. 15. Liv. 28. 38. 3. XLIV. *Quin & nonnullos, priusquam magistratum ullum Curulem gessissent, Consules factos. Ita P. Sulpicium Galbam, quum in Italia Hannibal esset; ita M. Valerium Corvum, quum Gallicis tumultibus arderent omnia, summis honoribus admotos: hunc quidem admodum adolescentem. adeo nihil in candidatis præter virtutem spectari, populo Romano semper placuisse. Idcirco postea quoque duos Scipiones, alterum magnis quidem rebus; sed sine magistratu gestis; alterum non Ædilitium, sed candidatum Ædilitatis ad idem fastigium evectos. Magna se quidem adferre exempla, sed eorum qui tum demum explicare virtutem animi potuerint, postquam campum ipsis gloriæ Consulare nomen imperiumque aperuisset.*

Se illorum imitatorem profitetur. XLV. *Sibi quoque licere de suis rebus sperare ampliter: laudique potius quam vitio vertendum, si maximorum virorum imitator esse cupiat. Esse sibi nobilitatem nulli gentium quas nominasset imparem: neque recusare, quin cum quolibet istorum sed nondum Consule conferatur. Acres populo Romano esse oculos, acutas aures: quomodo domi se quisque, quomodo militiæ gesserit, diligentiam ejus non fallere. Se Quæsturam & Ædilitatem sic gessisse, ut satis magna speret dedisse documenta industriæ, vigilantiæ, humanitatis. nec in bello segnem aut ingloriam operam navasse Imperatoribus; & sæpenumero donatum ab his laudatumque virtutis caussa esse.*

Cic. pro Plan. cap. 27.

Mores civitatis esse mutabiles. Cic. Tuscul. quest. 5. 19. XLVI. *Hoc sibi non pudendum ad summos honores iter videri, etiamsi Præturam declinet. quam minime quidem à se sperni: sed neque Præturæ deesse candidatos idoneos; & in præsentia hunc esse rerum statum, ut se Consulem quam Prætorem multis modis utiliorem Reipublicæ futurum confidat. Fortasse deos immortales hoc fratribus Juliis servavisse decus, ut alterius victoria sagum toga mutaretur, per alterum plane extingueretur Sociale bellum. Suos adversarios nihil adferre, quo minus jure petat Consulatum, jure obtineat. tantummodo mores atque usum civitatis ingerere, tamquã sit in eo genere perpetuum quidquam, aut esse possit.*

XLVII. *Ab isto more sæpe recessum, multis exemplis doceri posse, si actum placeret agi. neq; caussam esse, cur non hodie populo Romano liceat, quod umquam licuisset. Nuper in uno homine continuatos per quinquennium Consulatus satis ostẽdisse, nihil in his rebus tam fixum immotumque haberi, ut mutari ex caussa nequeat.*

Concessum cuilibet esse, ut de se quantumvis magnifice sentiat: concessum & adversariis, ut si velint secus opinentur: sed in beneficio populi summum arbitrium relinquendū eidem populo esse, hunc optime judicaturū, quo loco C. Cæsarem esse oporteat.

XLVIII. Contra hæc Tribuni *legum omnibus argumentis validiorem auctoritatem* allegabant. *Populi certe haudquaquam ambiguum jus esse, nec illud patrono C. Cæsare indigere, aut quoquam alio, Tribunis salvis. Sed nullis aliis in caussis aeque manifestam esse populi sententiam, quam in legibus ferendis, quoties consensu jubeantur: tum enim ad maturitatem judicii accedere concordiam voluntatis. Quibus igitur vere sit propositum, auctoritatem populi tueri, iis ante omnia laborandum, ut legum sarta tectaque sit veneratio. Esse autem leges, quæ magistratus ordine capi gradatim jubeant, neque liberum cuique sinant, protinus ab infimis ad summos transilire. Has aut servandas omnibus, aut abrogandas in universum esse, aut profecto vel vendum legibus, qui contra has magistratum concupiscat. extra hæc nihil esse, quod fieri citra juris & legum omnium abolitionem queat.*

Leges servandas esse. Cic. de Harusp. Resp. cap. 20.

XLIX. *Sane pauca exempla adduci posse, in quibus aut ob caussam exceperit aliquos populus; aut per imprudentiam adfectumve lapsus conniverit: sed infinito esse plura servatarum legum, & quoties tale aliquid tentatum fuerit, minime quieta comitia fuisse. Numquam igitur defuisse, præsertim ex collegio Tribunitio, qui immoderata cupientibus resisterent. Quod si quatuor aut quinque Consulatus extra ordinem datos suum in favorem trahere Cæsar velit; quanto pluris æstimandum, quod in centenis aliquot tribuendis populus ne latum quidem unguem à more & lege recesserit? Non se contemnere Cæsarem, honoribusque omnibus, quos ei capere per leges liceat, dignum arbitrari: sed non existumare, tantam in eo virtutis excellentiam conspici, ut propter eum spernendæ leges sint, & quod negatum sit omnibus, uni tribuendum.*

Exempla pauca non valere, contra multis modis plura.

L. *Satis mature Consulem eum futurum, ubi hunc honorem habuerit populo, ut contra ejus voluntatem legibus declaratam petitioni injustæ desinat insistere. Si semel hoc iter aperiatur hominibus, omnes protinus ad summos honores provolaturos, priusquam populo Romano specimen ullum animi sui consiliique gerundis inferioribus præbuissent. Consulibus summam rerum permitti. id adeo factum iri temere, si summus populi Romani magistratus, non amplius culmen honorum, & perspectæ virtutis præmium sit, sed gerendæ Reipublicæ tyrocinium fiat. Sane Cæsari adesse nobilitatem, facundiam, industriam. sed multos esse in Urbe futurosque pares: plures etiam quibus si non meritum idem, tamen eadem cupiditas insit. qui & ipsi tamquam debitum exacturi sint, quod cuiquam fuerit tributum, à quo se non existument notabiliter superari.*

Speciem animi cōsiliique sui præbent homines in magistratibus inferioribus.

LI. *Quem vero C. Cæsari concessurum hanc virtutis dignitatisque palmam, quum eam C. Cæsar Valeriis, & Scipionibus, & sexies Consuli C. Mario ambiguam facere contendat? Numquam defutura certamina, si cujuslibet cupiditati aperiatur septus legibus locus. Et has non aliam ob caussam latas, quam ut contentiones amputentur: ipsumque populum, licet plane liberrimum sui juris arbitrum tamen sibi legum hos cancellos circumdedisse; ut in magnis negotiis, & quæ valde ad Rempublicam pertinent, non quidem ademptam, sed tamen à semetipso constrictam voluntatem esse, neque temere solvendam, quæ alligata consulto sit, intelligat.*

C. Cæsari multos esse pares, & idem petituros.

LII. Diu hæc utrimque multis concionibus agitata quum essent; bonisque om-

Ex ea contentione belli civilis origo.

Ascon. in Scaur. Cic de Harusp. Resp. cap. 20. Cicer.

nibus caussa C. Cæsaris displiceret, simul adversarii ejus vim intentarent, victus aut territus Cæsar petitione abstinuit. L. Cornelius Sulla, ut supra indicavimus, & cum eo Q. Pompejus Q. F. A. N. Rufus, designati sunt. Nec tamen ideo exstinctum illud contentionis civilis incendium est, quin postea in bellum apertum erumperet. Quamquam enim belli Civilis faces Marius & Sulla indubitanter fuerunt: tamen ab illa quoque contentione profecti fomites magis excitarunt aluerunt que conceptas aliunde flammas, magna P. Sulpicii culpa, qui à bonis initiis & optima caussa, nimia cötentione, & popularis favoris aura ad ferrum & arma provectus est.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



ULUS Gabinius legatus, rebus adversum Lucanos prospere gestis, & pluribus oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, universamq; eam regionê recepit Cn. Pompejus Proconsul Vestinos & Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque à L. Murena, & Cæcilio Pio legato, aliquot prœliis fracti pacem petierunt. Asculum à Cn. Pompejo captum est, cæsis & à Mamerco Æmilio legato Italicis. Silo Pompadius dux Marsorum, auctor hujus rei, in prœlio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ Regno à Mithridate Ponti Rege pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

A Gabinius à Lucanis occiditur. Liv. Epitom. Orosius 5. 18. Florus 3. 18. Appianus. 1. Civil. Macrob. Saturn. 1. 2. Seneca de Benefic. 3. 23.

I. IN Lucanis intereà clades accepta est, legato amisso A. Gabinio, qui multa iisdem in regionibus, multa in Marsis strenue feliciterque gesserat, & plurima oppida pugnando ceperat. Sed ille dum fusis aliquando Lucanis victoriam urget, in oppugnatione castrorum hostilium interfectus est. Ex diverso legatus Cn. Pompeji Consulis Ser. Sulpicius Marrucinos cecidit, totamque eam civitatem recepit. Vestini quoque Pelignique missis ad Consulem oratoribus in fidem accepti sunt. Sub id tempus quum C. Vettius Pelignus à cohortibus suis ad Cn. Pompejum duceretur; servus ejus gladio militis à quo trahebatur educto, dominum interemit; statimque, postquam hero consuluisset, *tempus esse* proloquutus *sibi prospiciendi*, in sua viscera retorsit ensem.

Marsi pacem petunt. Velleius 2. 15. Diod. lib. 37.

II. Marsi quoque, à L. Murena, & Cæcilio Pinna legatis aliquot prœliis fracti pacem petierunt. Quis ille Cæcilius fuerit, & unde habuerit non alibi lectum cognomentum Pinnæ, in tantis ejus ævi tenebris frustra requisivi. Nec absurdam

conjecturam esse arbitror, statuentium non Pinnam istarum rerum auctorem, sed Pium, Q. Metelli Macedonici filium fuisse, quem inter præcipuos ejus belli duces nominari constat. Quum hic status rerum per Italiam esset, tantis calamitatibus, & defectione sociorum anxii, quotquot arma retinebant, communi decreto Corfinium deserunt; Æserniam in Samnitibus publici consilii sedem statuunt, creatisque Prætoribus quinque, quos inter Pompędius Silo fuit. huic propter summam opinionem virtutis imperium in omnes tradunt.

III. Atque is collegarum sedula opera usus, magnas brevi copias paravit, ut adjunctæ veteribus ad millia virorum triginta pervenirent. Præterea servis manumissis, & prout tempus ferebat, armatis, libertinum exercitum, haud multo pauciores millibus viginti coegit. Equites præterea mille sunt effecti. Cum his copiis Mamerco Æmilio se opposuit, qui tum legatus exercitui Sullano præerat. Inter hos apparatus Asculana obsidio ad finem venit. Ab hac urbe primus belli turbo eruperat, & licet eodem tempore plerasque Italiæ regiones adversarum partium exercitus colluctarentur; hic tamen plurimum laboris sanguinisque exhaustum est, unaque die circa hanc urbem quinque & septuaginta civium Romanorum, amplius sexaginta millia Italicorum signa contulerunt.

Q. Pompędius novum exercitum cogit.

Liv. Epitom. Vellejus. Florus 3.18.8. Orosius.

IV. Tandem Pompejus Asculum ingressus, selectis, quos in triumpho ducturus erat, principes omnes præfectosque & centuriones sejuges cæsos securi percussit: servos prædamque sub hasta vendidit: libera corpora dimisit innoxia, sed rebus ademptis omnibus: urbem ipsam dirutam incensamque evertit. Mox Romam profectus ob res isto bello fortiter prospereque gestas de Asculanis reliquisque Picentium, paucis prius diebus quam Consulatu abiret, A. D. VI. Kal. Januarias triumphavit.

Asculum capitur.

Florus. Marmor. Capitol. Val. Maxim. 6.9.9. Agellius 15.4. Plin. 7.43.8.

V. Ductum in triumpho P. Ventidium multi Scriptores haud futilem ob caussam adnotant, quod hic post annos ferme quinquaginta idem Capitolium quod tum triumphatus vidit, triumphans invectus est. Adeo inexspectatis interdum eventibus admonemur, donec vita maneat, nulla fortuna neque confidere nimium, neque perterreri. Quum deinde L. Cornelius Sulla, Q. Pompejus Rufus magistratum inivissent, Mamercus Æmilius cum Q. Pompædio Silone collatis signis dimicavit. Ejus prœlii victoria penes Romanos fuit, quorum haud ita multi occubuere: de Italicis ad millia sex sunt desiderata.

P. Ventidii notabilis fortuna.

Diod. fin. lib. 43. Urb. cond. ann. 665.

VI. Sub idem tempus Q. Metellus Pius qui C. Cosconio successerat, Venusiam Apuliæ nobilem urbem, firmo præsidio instructam expugnavit. Adhuc tamen conatu magis quam viribus Italici resistebant, & ne desponderent animos, modicis interdum successibus recreabantur. Silo Pompædius Bovianum oppidum receperat. ejus victoriæ tam immoderata lætitia fuit, ut vel in honorem ducis, vel ad referendam Romanis vicem, Pompædio triumphus decerneretur. isque Bovianum triumphans invectus est. quod in omen acceptum: nam in urbem victam laurea deportata, hostibus tradidisse victoriam visus est. utique postquam proximo deinde prœlio, cum Ser. Sulpicio apud Teanum congressus, amisso exercitu, una cum Obsidio alio Italicorum duce oppressus est.

Mamercus Æmilius Pompædium vincit.

Liv. Epitom. Diodorus. Vellejus.

Jul. Obseq.

VII. Pompædio præcipua tanti incendii face exstincto, sive Sulpicius illum, sive ut alibi relatum est, Q. Metellus Pius occidit, quum neque consilium Italicis, neque copiæ tanto bello pares superessent: odii adversum Romanos tantum fuit,

Socii legatos ad Mithridatem mittunt. Orosius 5.18. Jul. Obseq. Liv. Epitom.

Auct. de vir. illustr. c. 5 J. Diodorus. ut in alium pene orbem legatos ad Mithridatem mitterent, quem studere rebus novandis acceperant. Quum præbita his audientia esset, princeps legationis, *Samnites*, ait, *atque Lucani, & qui alii per Italiam populi eodem fœdere continentur, tertium jam annum atrocia bella cum Romano gerunt; cujus equidem neque caussa tibi ignota esse, neque casus atque vicissitudines possunt.*

VIII. *Idcirco licet multos illorum duces exercitusque fuderimus, partim etiam deleverimus, castris urbibusque maximis atque munitissimis expugnatis atque captis: tamen & nos cum validissimo potentissimoque hoste colluctantes, crebris atque vehementibus detrimentis quassari contigit. Plus tamen aliquanto fraude quam armis Romani profecerunt: passim per civitates serendo fovendoque principum discordias, quod ipsis per suæ factionis homines plerumque non fuit difficile; multis adhuc servitutem & otium laboriosæ libertati præferentibus.*

Fortunam sui exponunt.

IX. *Hoc tamen fuit in aliquorum defectione boni, quod secreto, quidquid in consiliis aut castris ægrum fuerat, arctius coiit fortissimorum populorum fide animisque indissolubilis & invicta societas. Nullæ amplius voces belli mala deplorantium audiuntur: nulla pacis, nisi quæ libertatem firmet, usquam habetur mentio. hoc omnes proposito sumus, ut præ dominatione Romana leve nobis videatur, quidquid ingerere calamitosis hominibus iniqua fortuna potest.*

Propositum commendant.

X. *Cæterum ab ista sorte procul adhuc virtute nostra & munere deorum absumus: neque deteriorem armis nostris eventum fore, quam fuit caussa speramus. Sed præ cæteris duo sunt maxime, quæ fiduciam nostram augeant. Nam etiam post accepta bello hoc incommoda virium nostrarum haud sane pœnitet: & multos ubique Reges atque populos non aliis oculis intueri Romanam magnitudinem scimus, quam à nobis adspiciatur, nisi quod nos quanto propiores huic pesti fuimus; tanto priores & penitius perspeximus insatiabilis populi improbitatem.*

Spem ostentant.

XI. *Jam enim à primis initiis imperandi licet non æque manifestam, æque tamen magnam cupiditatem habuit: cui ut resisterent majores nostri, nihil inexpertum suas opponendo opes, solicitando alienas, reliquerunt. Sic & Pyrrhus à nobis, & postmodum Pœnus Hannibal adjuti sunt; neque defuissent Antiocho aut Philippo Regibus auxilia nostra, si inferre bellum Romanis in Italia, quam accipere domi maluissent. Sed illos quidem suus error, aut invidia numinum in diversa consilia transtulit, ut tuum decus esset, Italiam, quid autem Italiam? imo gementem sub Romano jugo terrarum orbem liberasse.*

Romanorum ambitionem traducunt.

XII. *Licet enim, præter paucos servituti natos homines, nemo usquam tam insolentium dominorum imperia patienter ferat: tacent tamen aut mussant plerique, animis aut viribus imbecilliores. Sed & quibus adhuc astu majore quam modestia parcitur, dum securos & incautos aliquando quævis occasio subjuget; aliena mala, tamquam ad se minime perventura, otiosi quietique intuentur. Idcirco te esse unum omnium cognovimus, à quo & sperandum auxilium tantis necessitatibus & petendum esset.*

Contra illam aliis esse vim aut animum negant.

XIII. *Animi tui magnitudinem, quàm & corporis dignitas manifesta fide oculis monstrat, ignorari gesta tua plurima atque amplissima nequaquam patiuntur. Ex iisdem potentia tua & aucta est, & inclaruit; quibus utriusque rebus neminem tibi putamus præsentium Regum comparari posse. Ferocissimas enim Scytharum gentes, quibus neque Persarum magni Reges, neque victor horum Alexander, imponere jugum*

Sed Mithridati suppetere potentiam.

jugum potuerunt; pene puer ita domuisti, ut alii tibi non obscure serviant, alii nomine sociorum eadem ferme faciant, quæ victus imperantur.

XIV. *Nam vicinos quidem Reges, nisi quibus pacem & amicitiam præstas, sic adsuefactos habes, ut placato te regnare illis liceat; quum iratus fueris sibi sentiant exsulandum esse. Atque idem amico atque adfini Tigrane uteris, quo nemo Regum tibi est magnitudine rerum gestarum & imperii similior. Sed hæc tamen omnia nequidquam adessent, nisi tua singularis & pene divina prudentia tibi dictaret & tempus utendi, & modum. Jam olim, nec enim abstrusa aut ambigua loquimur, olim, inquam, te ambitionis & avaritiæ Romanæ piget: idcirco & legatis eorum sæpe viriliter respondisti, & quum eadem tecum superbia vellent agere, qua cæteros terrere consueverunt, effecisti, ut intelligerent, sibi eum libero Rege plenoque animorum, & ad omnia parato, negotium fore.* Et prudentia.

XV. *Quin & illorum iniqua decreta haud semel ferro rescidisti; ut scirent vicini Reges, minus illis in amicitia Romana præsidii, quã in tua offensa periculi esse. Pro quibus ausis, quæ tibi sint apud populum Romanum reposita præmia, simul ille vacuus à propioribus bellis fuerit, ignarus esse non potes. Sic quoq; legati illius atq; Proconsules minãtur, fremũt, plane præ se ferũt bellũ, suas copiolas parant, Sociales excitant: ita agunt omnia, ut quãvis derideas conatũ, animus tamen appareat.* Inimicos Mithridati Romanos esse demonstrant.

XVI. *Non dubito quin inter ista memineris, quam arroganter olim Marius, deinde Sulla tecum egerint; quam non tecte denunciaverint tibi periculum, indixerint servitutem, nisi dederis operam, ut æque armis ac jure sis potior. Atque hæc jam noverant populi principesque nostri; nos plura & certiora usurpavimus oculis: ut jam prorsus certi simus, non inutilem legationem nostram; neque metuendam desideriis nostris à te repulsam esse. Quos enim eadem caussa ad arma coegerunt, iidem animi, vota paria conjungunt: de iis dubitari non potest, quin ad communem utilitatem fido fœdere sint sociaturi consilia & vires.* Dictorum Marii & Sullæ admonent.

XVII. *Quod igitur tibi nobisque faustum atque salutare dii faxint, arma, viros, naves, commeatus, pollicemur in Italia bellaturo: ad transitum, ad receptum, omnesque opportunitates belli, urbes nostræ patebunt: duces itinerum, participes consiliorum, socii laboris periculique erimus. Id modo fixum tibi sit animo, non alibi rectius cum Romanis, quam in Italia bellari. absit à te læva mens, quæ Syriacos olim Reges, quæ Macedonicos decepit, quum eadem illis dicerentur.* Sua omnia pollicentur.

XVIII. *Nullum tuis Regnis à Romano aut aliis tantum periculum est, quod non à quolibet præfectorum tuorum propulsari queat. neque spes & occasio te teneant domi, vicina subacturum. Etsi facilis ista esse possit, non erit tamen diuturna possessio. Nemo umquam eripere populo Romano occupato quidquam potuit, quod ille cum multiplici usura vacuus non reciperet. Jugulum petamus, & tamquam pestiferi draconis obteramus caput; donec illud salvum fuerit, inani labore cæterum corpus vexaturi.* Ut in Italiam veniat, contendunt.

XIX. *Quemadmodum flumina longo cursu aucta, ne exundent, molibus ac crepidinibus ægre coercentur: ad ipsos fontes averti carpique nullo negotio possunt: ita nisi Romanæ potentiæ scaturiginem & fontem in potestate habeas, impetũ nequidquam moraberis: quin violentia sua quidquid oppositum fuerit, evertat, & ocyus, serius, omnia ubique Regna, nationes omnes obruat.* Mithridates, re cum suis de- Mithridates rem differt.

liberata nescio quomodo minoris quam pro Italorum exspectatione negotium illud faciens, *venturum se in Italiam respondit, simul atque Asiam subegisset*.

Longinquæ militiæ periculis absterritus.

XX. Credo longinquam à domo militiam laboriosam simul atque sumptuosam fore ratum; adhuc vicinorum sociatas Romanis vires perhorruisse, ne, dum appetit aliena, suo Regno spoliaretur. Neque Tigrani satis poterat fidere, ut suspectos maxime pares habent, quicunque cupiunt opibus excellere: verebaturque, ne ille perdomitis aliis, neque Pontum, si daretur occasio, sperneret. Terrebatur & Pyrrhi Hannibalisque exitu, quorum, licet à plerisque Italiæ gentibus adjuvarentur, in alieno solo bellantium cito consenuerit exercitus, difficilibus, licet haud à maximo intervallo supplementis.

Et præsentis occasionis præmiis occupatus.

XXI. Hæc omnia vitari posse maximo cum emolumento sperabat, si vicinam sibi Asiam occuparet. Eam rem quoque facturam animos Italicis sociis: atque ita diuturno bello atteri posse Italiæ vires, ut neque si rursus conjungantur, valde sint sibi futuræ formidabiles. Sane consilio huic institit, quamquam omnia legati pollicerentur; & è Ponto facilem in Thraciam trajectum ostenderent: Thraces porro & ipsos bellum Romanis facere. horum ope per Macedoniam & vicinas regiones paucis diebus ad Jonium mare penetrari posse.

Cappadocia, & vicinorum Regnorum descriptio. Liv. Epitom.

XXII. Neque diu contatus exercitum conducit, Ariobarzanem ac Nicomedem Reges, alterum Cappadocia, alterum Bithynia exacturus. Sed antequam hoc bellum exponatur, quo Regna ista jure, quibus finibus tum fuerint, quasque nationes urbesque habuerint insigniores, enarrari pretium fuerit, Mithridatica bella lecturis, quæ haud postremam Historiæ Romanæ partem, illius quidem ævi constituunt. Quidquid terrarum longo tractu inter Heracleam & Trapezuntem nobiles urbes, Euxini fluctibus alluitur, ab eo mari appellationem apud veteres nactum est, ut Pontus vocaretur.

Cappadocia duplex.

XXIII. Propius Heracleam Bithyniæ conjunctum Ponto Regnum fuit, ad Propontidem deflectens. At Orientem versus Cappadocia in mediterranea procurrens, inde Armenia, ad meridiem Tauro monte terminatur. Inter Bithynos atque Cappadoces ita sparsa erat Galatia, ut ab Septentrione Pontum & Paphlagoniam; (Ponti enim pars etiam Paphlagonia nec absurde censeri potest) à meridie Phrygiam Lycaoniamque contingeret. Omnes istæ regiones in ditione Persarum fuerunt. à quibus ea pars, quæ tum communiter Cappadocia dicebatur, in duas divisa præfecturas, postea totidem Regna peperit: quorum alterum Cappadocia proprie, aut eum adjectione Cappadocia ad Taurum, interdum & Magna Cappadocia; alterum Pontus, sive Cappadocia Pontica cœpit nominari.

Strab. lib. 12. Constantin. Porphyrog. de Them. l. 2. Plin. 6. 3.

Majoris præfectura.

XXIV. Priore præfecturæ decem continebantur: quarum sub Tauro erant Melitena, Cataonia, Cilicia, Tyanitis & Garsauritis. Melitena cæteris Cappadociæ partibus mitior, olei quoque & vini optimi ferax, Armeniæ majori prætenditur, à Sophenæ præfectura medio Euphrate divisa. Nomen huic Melita dedit, à Semiramide, ut volunt, condita. trans flumen etiam ad hanc partem Tomisa pertinuerunt, insigne castellum. Cataoniæ inter Amanum & Antitaurum sita planicies, Comana habuit, Bellonæ templo memorabile nomen, & Apollinis Cataonis fanum castella in montibus munita, Azamora & Dastarcum.

Mazaca Regni caput. Constantin. Strab.

XXV. Cilicia quæ vocabatur Cappadociæ præfectura, sede Regum nobilitata fuit Mazacis: quam urbem postea *Cæsaream* vocarunt Cappadoces, in Dictatoris Cæsaris honorem. Altera urbium, nam duæ omnino fuerunt antiquis temporibus

in Cappadocia, Tyanitidi præfecturæ nomen dedit, ipsa quoque Semiramidis opus. At in Garsauritide postea Archelais fuit, Claudii Cæsaris colonia. Præter has præfecturas fuerunt & aliæ quinque, Lavinasena ad Euphraten fluvium, Sargarausena, Saravena, Cammanena, & Morimena, superioribus obscuriores.

Ptolom. 5. 6. Solin.cap.57.

XXVI. Fluvii celebres Halys Archelaidem præterfluens. Sarus, qui per media Camana labitur, Pyramus per Cataoniam decurrens, præterea Lycus, & hunc excipiens Iris, & inter Morimenen & Galatiam terminus gentis, idemque caussa nominis Cappadox. At Mithridatis paternum Regnum, præter Pontum continebat, quidquid gentium ab Haly fluvio usque ad Tibarenos & Armeniam coluit. Etiam intra Halyn delibaverat Cappadocum & Paphlagonum agros. Nec longe Bithyni aberant, quippe ubi per Propontidem in Euxinum intraveris. Quæ regiones Bithyniæ partem, deinde Mariandynos Heracleæ subjectos, mox Paphlagonas, usque ad fluvium Halyn habuerunt. cætera ad Propontidem usque Chalcedonem fuerunt Bithynorum, Galli fluminis ostiis fines eorum terminantibus.

Fluvii Cappadociæ.

XXVII. Maxima urbium Nicomedia fuit. deinde Nicæa, item Prusa, quam ab Hannibale conditam de Prusiæ nomine, Reges Othomanici ante occupatam Adrianopolim Regni sedem habuerunt. Flumina Bithyniæ Syrium, Lapsias, Pharmacias, Alces, Crynis, Lylæus, Scopius, memorantur, & qui Bithyniam à Galatia disterminabat, Hieras. Erat & Hylas fluminis & lacus nomen, ab Herculis amasio deductum, si fabulis lubet credere, juxta Prusiadem urbem, diversam ab utraque Prusa. nam & altera fuit Bithyniæ Prusa, ad Hippium amnem.

Vrbes Bithyniæ. Plin. 5. 32. Leunclavius. Solin.cap.54. Strab. Ptolem.

XXVIII. Ab his regionibus, Cappadociam & Bithyniam dico; quasdam partes abraserunt Gallogræci, de quibus post prolixam Livii descriptionem taceo. Sed Paphlagoniam Halys fluvius ab ortu terminabat à meridie Galatia: ad occasum Bithyni & Mariandyni habitabant; versus septemtriones mare Euxinum erat. Amastris horum erat non incelebre oppidum, majorisque adhuc famæ Amisus & Sinope. Neque refert has interdum Ponto vindicari, nam regionum istarum terminos non minus atque gentium jura Mithridatis ambitio turbavit; redactis in ditionem plerisque populorum quos enarravimus.

Paphlagonia. Strab. Plin.

XXIX. At antiquitus Ponticæ gentes fuisse videntur Mariandyni, Mosynœci, Caucones, qui jam ætate Strabonis nulli superfuerunt, Chalybes, qui & Chaldæi, Tibareni, Macrones Euboicorum credita colonia. Nam tota illa Ponti ora Græcorum frequentata navigationibus plurimas gentis ejus urbes habuit, quarum celeberrimæ fuere Trapezus, & Heraclea. Amnium Ponticorum nobilissimus Phasis, cum urbe cognomine ad ostium. Pyxites Trapezuntem alluit: flumen Jasonium memoriam retinuit antiquissimæ Græcorum Heroum expeditionis.

Ponticæ gentes. Strab. Scho iast. Apollo.

XXX. Sed & alia multa per eas regiones in Pontum Euxinum permeant flumina, tanta quidem vi aquarum, ut terra, quam continuo inferant amnes, implendum aliquando illud mare Polybius disputaverit. Hæc igitur Regna quamquam suos quæque Reges ab antiquissimis temporibus habuissent; tamen propter viciniam locorum, & linguæ morumque commerciis varie mixtos populos, crebræ, ut fieri amat, rixæ, deinde bella oriebantur. Et ut graviora fere humanis remediis mala sunt, connubia Regum, mixtusque adfinitate sanguis, adeo non finiebat veteres controversias, ut non alia fecundior novis gignendis materies esset.

Pontus Euxinus aliquando terra implendus. Polyb. 4. 40.

Belli Mithridatici caussa.

XXXI. Inde auctis odiis, quum etiam imperii amplificandi insana lubido Mithridatem stimularet, temperare non potuit, quin subinde ex occasione temporum vicinos infestaret. Et antea quidem Nicomedem etiam Ariobarzanemque expulerat: & quamquam reduci à Romanis tulisset, tamquam imbecillitatem sibi exprobrantes adspiciebat. Illi vicissim, salvo tam potente vicino, nequidquam restituti videbantur. & accedebant à Romanis ducibus stimuli, qui prædarum & gloriæ spe, bellum undecumque cupiebant consurgere.

Legati Senatus ad Mithridatem. Diod apud Fulvium. Orosius 6.20.

XXXII. Igitur operam dederant, ut cum minacibus ad Mithridatem mandatis Senatus nomine legati mitterentur; *bellum* denunciantes, *ni quos populus Romanus vicina Regna obtinere jussisset, quieta in possessione manere pateretur*. Ille ultro multa questus, *quanta patientia tot contumelias concoxisset*, demonstrat: *quantasque opes publice privatimque colendo Romanos profudisset. nunc etiam licet provocatum, neque inermem, quiescere malle, modo finis injuriarum fiat*. Et fides promisso fuit. sed non eadem Nicomedi modestia mansit, quem Romanorum ducum hortamenta, & inopia pecuniæ invitum ad arma compulerunt.

Nicomedes fines Mithridatis depopulatur. Justin.38.5.10. Diodorus. Appianus. Mithrid.

XXXIII. Nam & iis à quibus reductus in Regnum fuerat, multa erat pollicitus. & passim ab incolentibus Asiam Romani nominis hominibus magnam vim nummorum fœnerato abstulerat. Igitur in ditionem Mithridatis irruptione facta, usque ad Amastrim urbem prædabundus processit. Mithridates enim, quamquam paratas habebat copias, occurri vetuerat, quo pluribus paulo post & speciosioribus caussis bellum sumeret. Ubi reversus in Bithyniam Nicomedes est, Pelopidam legatum Mithridates ad Romanos duces misit. Is commemorato *veteris societatis jure, quod à majoribus acceptum, constanter atque fideliter multis neque levibus officiis Mithridates coluisset, nunc autem*, ait, *injuria pro gratia redditur*.

Legatus Mithridatis de hac injuria queritur. Justin.38.5.4. Appianus.

XXXIV. *Adempta Regi Phrygia est, adempta Cappadocia, quarum hanc proavis suis debitam pater Evergetes recepit; illam operæ bello Aristonici navatæ præmium accepit. si tamen præmium vocare possumus, magno auri pondere ab Imperatore vestro emptam: & olim à Seleuco Callinico in dotem datam proavo Regis. Sed illa sane, quia paulo longinquiora sunt, silentio, & si vultis, etiam oblivione sepeliamus. Ista vero recentia qui possumus? quod Nicomedem os Ponti intercludere, agros usque ad Amastrin populari sinitis, prædamque avertere, cujus æstimationem novistis ipsi rectius, quam ut à quoquam debeatis edoceri.*

Bithyni respondent.

XXXV. *Et ista quidem hoc modo gesta sunt, non invalido nec imparato ad prohibendum Rege: sed ut vos ipsos spectatores eorum quæ fierent, testesque haberet. Quæ quia non aditu neque incertis aut suspectis auctoribus, sed coram visu accepistis; ergo igitur amicus atque socius Rex, hæc enim nomina fœderum tabulis continentur, hoc à vobis sociis amicisque suis petit, ut adversus Nicomedis injurias auxilio sitis, aut injuriarum coerceatis auctorem*. Ad hæc Bithyni, nam & ab Nicomede legati aderant: *Quam justas contra Mithridatem inimicitias Nicomedes gerat, ignorare nemo potest, qui meminerit paulo ante Socratem Ponticis armis instructum Bithyniam invasisse: quieturum certe, fratrisque ætati concessurum: ni fuisset à Mithridate ad parricidiale bellum instigatus.*

Memnon. Appianus.

Non se, sed Romanos à Mithridate peti. Strab.lib.7. Appianus.

XXXVI. *Et hæc contra illum Nicomedem fiebant, qui à vobis erat Bithyniæ Rex constitutus. Unde non nostra magis, quam vestra, Romani, hæc censenda injuria est. Quorum ille nomen amicitiamque quanti faciat, ex aliis quoque gestis ejus promptū*

est intelligere. Populus Romanus Asiaticos nos Reges in Europam transcendere vetuit. Sed hic Chersonnesi pleramque partem possidet; atqui Europæ regio Chersonnesus est. Sed omittimus plura hostilis erga vos & contemptoris animi, quæ protulit, indicia commemorare.

XXXVII. *Majora enim, & nisi in tempore obviam itis, acerbiora sunt quæ exspectantur. Quorsum enim ingentes illi apparatus, tot propriæ copiæ, atque illa cum tot aliis Regibus & populis fœdera pertinent? quæ & tranquille victuro supervacanea sunt: nec profecto contra Nicomedem providentur. Præter domesticas vires socios Thracum, socios Scytharum, populos habet. Habet & Armeniæ Regem non amicitia modo, sed etiam adfinitate conjunctum. In Syriam, in Ægyptum missitat, ut illorum quoque Regum benevolentiam paret.* Apparatum ejus recensent.

XXXVIII. *Naves porro tectas quum habeat trecentas, alias insuper exædificare non desinit. gubernatores atque proretas magnis propositis præmiis, ex Ægypto & Phœnicia solicitat. Scilicet superbum animum Phrygia & Cappadocia amissæ augent: quod contra vim & astutiam Ponticam, vestra recepistis, aliena, quibus debebantur, reddidistis. Ille primum dolor animum Mithridatis avertit à vobis, Romani: ille cum invidia metuque magnitudinem vestram intueri cogit inimicum hominem, & sub obtentu nostrarum inimicitiarum, occasiones contra vestrum Imperium captantem.* Caussam irarum exponunt.

XXXIX. *Quare neque dubitare possumus, vos, quemadmodum viros prudentes decet, factorum ipsius quam verborum majorem habituros rationem esse: ne aut fictum amicitiæ nomen, vestros optima fide amicos Mithridati, prodatis; aut vestrum Senatusque de hoc Regno judicium à communi hoste sperni violarique feratis.* Post hæc iterum admissus in consilium Pelopidas, *si quæ veteres adversus Nicomedem querelæ sunt, earum judicium vobis*, inquit, *deferimus, Romani. Sed hac postrema, quæ ipsi adspexistis, ditionem Mithridatis minui, claudi mare, prædas ex agris agi, nulla disceptatione egent.* Legatus Mithridatis iterum loquitur.

XL. *Sed denuo vos rogamus, ut aut prohibeatis ejusmodi facta; aut passo indigna Mithridati opitulemini: aut postremo non intercedatis suas injurias vindicaturo, neutris partibus immixti.* Hæc iterante Pelopida, licet jam ante Nicomedi auxilia polliciti erant, movebantur tamen Romani dictis, & amicitiæ nomine, cujus adhuc inviolata erant fœdera: neque facile quomodo responderent inveniebant, tandem vafro perplexoque responso, *neque Mithridatem à Nicomede vexari passuros, neque bello peti à Mithridate Nicomedem* dixerunt. Simul Pelopidas arguere dictorum obscuritatem cupiens, è concilio dimissus est. Romanorum vafrum responsum.

XLI. Hæc ubi Mithridati audita sunt, *se vero jam haud obscure læsum à Romanis esse* testatus, Ariarathen unum ex filiis in Cappadociam mittit: quam ille antea quoque tenuerat. Atque is victo Romanorum duce Maltino (qui & *Mancinus* alibi scribitur) ejectoque Ariobarzane, quum igni ferroque pleraque vastavisset, haud magna mole Regnum occupavit. Tum remissus ad Romanos duces Pelopidas, in hunc modum verba fecisse dicitur. Mithridates Cappadociam occupat. Eutropius. lib. 5. Appian. Just. 38. 4. 4. Orosius 6. 20. Appian.

XLII. *Quam indigna Rex Mithridates passus sit, Phrygia Cappadociaque spoliatus, id equidem, Romani, nuper audivistis. Quas deinde vobis inspectantibus injurias eidem Nicomedes intulit, eas quum vindicare deberetis, negligere ma-* Oratio legatis Regis ad Romanos.

luistis. denique societatis amicitiaque implorantibus fidem, ita respondistis, ut tamquam læsissemus alios, non ab aliis læsi essemus, non videri è Republica vestra diceretis, Nicomedem & Bithynos violari. Idcirco ipsi caussam præbuistis recentibus Cappadociæ turbis. Vester ille neglectus, vestræque in responsis ambages, Mithridatem in hæc consilia coëgerunt. Jamque vos ad Senatus vestri judicium vocat; Romam legatos missurus de rebus omnibus.

Bellum grave minatur.

XLIII. *Vos interea videritis, ne quid inconsultis Patribus, temere moliamini. quantum conflari incendium belli possit, ex potentia Mithridatis æstimatu haud est difficile. Supra vicies centena millia passuum paternæ ditionis tenet: ipse magnam adjecit terrarum partem, Colchorum bellicosos populos, Græcorumque & barbarorum quotquot supra Pontum nationes incolunt. Jam Scythis, Tauricisque, & Bastarnis, & Thracibus, & omnibus quæ Tanain Istrumque fluvios, & Mæotidem paludem circum gentes habitant, promptissimos ad imperia sua socios habet.*

Potentiam Regis deprædicat.

XLIV. *Porro Tigranes Armenus gener illi, Parthorum Rex Arsaces socius & amicus est. Navium quoque magnum possidet numerum: isque augetur quotidie. neque instruendis ornandisque ulla pars apparatuum deest. Sed & Bithyni nuper de Syriacis Ægyptiisque Regibus mentiti minime sunt, quos equidem, si bellandum sit, nostros fore non ambigo. sed & nuper possessam vobis Asiam, Græciamque & Africam, nobis accessuras reor: ipsiusque Italiæ haud contemnendam partem, quando illa quoque impotentiæ vestræ & injuriarum pertæsa, bellum contra vos inexpiabile gerit.*

Romanorum responsum.

XLV. *Atque illud bellum quum conficere nondum potueritis, irritatis Mithridatem, nunc Nicomedem ei, nunc Ariobarzanem immittendo. & verbis amicitiam præferentes, hostium opera facitis. Quapropter si quid actorum pœnitet, vel nunc punite vestros in amicos injurium Nicomedem: quod si feceritis, magna vobis auxilia contra Italicos à Rege polliceor. Hæc ratio si displicet, aut insidiosam istam amicitiam abrumpite: aut Romam in jus eamus.* Hæc ubi dicta sunt à Pelopida, Romani orationis insolentia commotiores, *Mithridatem abstinere Nicomede & Cappadocia* jusserunt; *hanc enim Ariobarzani se redituros: Pelopidam continuo abire castris, neque reverti, nisi Rex imperata fecisset.*

Alia legatio Regis ad Senatum. Eutropius. lib. 5. Orosius. 6. 2. Diod. apud Fulv. Ursin. Appian. Mithrid.

XLVI. Discedenti custodiam addi placuit, ne quos obiter in via corrumperet. Haud absimilis legatorum quos deinde ad Senatum Mithridates misit, oratio, Patrumque ad eam responsum fuit: petentibus, *siquidem amicus populi Romani Nicomedes esset, illum auctoritate sua ad satisfaciendum compellerent; sin vero, Mithridatem sibi consulere paterentur*: neutrum concessum est. minæque insuper additæ, *nisi Cappadociam Ariobarzani redderet, & omitteret Nicomedem.* Eademque die coactos abire legatos *nunciare Regi suo jusserunt, ne quem deinde mitteret, donec mandatis Senatus paruisset.*

Romani duces exercitum cogunt.

XLVII. Sic irritatis utrimque animis, qui per Asiam erant Romani duces, non exspectato Senatusconsulto populive jussu, ex Bithyniæ Cappadociæque & Paphlagoniæ delectibus exercitum coëgerunt: additis etiam Gallogræcorum auxiliis. Simul L. Cassii qui Asiam obtinebat, convenire jussus est exercitus: copiæque auxiliares omnes eumdem in locum conductæ. Deinde partiti inter se vires: Cassius, ubi Bithyniæ Gallogræcia committitur, castris cepit

locum. Manius Aquillius qua irrupturus in Bithyniam Mithridates credebatur, consedit.

XLVIII. Cappadociæ finibus Appius Claudius præsidebat. Copiæ his erant equitum peditumque quadragena circiter millia. Naves etiam aderant, quibus præfecti Minucius Rufus, C. Popillius angustias Ponti apud Byzantium observabant. Præter hæc Nicomedes suum habebat exercitum, quinquaginta peditum millia, sex equitum. Neque minus Mithridati virium erat, centum quinquaginta millia proprii militis, cum equitum millibus quadraginta: naves tectæ trecentæ, centum dicrota. deinde reliquus apparatus tantæ expeditioni non impar. Vires utriusque partis.

XLIX. Prætoribus Neoptolemo maxime & fratre ejus Archelao utebatur: nobilissimis viris, & genus ad Regem Argivorum Temenum, cujus inter posteros & Magnus Alexander fuit, referentibus. Sed ipse Rex per se administrabat plurima. Auxilia ex minore Armenia Arcathias Mithridatis ipsius filius adduxerat, decem equitum millia. Dorylaus phalangem regebat: Craterus curribus falcatis præerat, numero centum triginta. Mithridatis duces. Joseph. de bello Judai. 1 17.

L. Hæ tum ab utraque parte copiæ erant, quum primum Romana arma Mithridaticis collisa sunt. Primum inter Nicomedem & duces Mithridatis (ipse enim aberat) prœlium fuit apud flumen Amnian, ubi Nicomedes exercitum suum instruxit. At Pontici quum in universum quadraginta peditum, decem equitum millia haberent, quia phalanx sequi non potuerat, præter Arcathiæ equitatum, quosdamque falcatorum curruum, tantummodo levem armaturam adduxerant. idcirco ne à multitudine Bithynorum circumvenirentur, tumulum quemdam saxosum mediocri præsidio occuparunt. Cum Nicomede confligunt. Strab. lib. 12. Appian. Memnon.

LI. Animadversum à Bithynis consilium est: & ad recuperandum collem magnæ copiæ missæ. Igitur Neoptolemus, ubi dejici suos videt, salutem omnium in eo verti ratus, ut locus teneretur, celeriter ad opem ferendam advolat, Arcathia quoque in partem periculi accito. Hoc ubi Nicomedes conspexit, universum rapit agmen, & post acre certamen, multo sanguine fuso, Mithridaticos in fugam agit; illustris victoriæ futurus compos, nisi Archelaus cum suis mature persequentem fugientes à latere invasisset. Nicomedes primo vincit.

LII. Hujus virtute & prudentia mirifice commutata pugnæ fortuna est. Nam aversum in se Nicomedem, jamque concepta spe vincendi, & impatientia moræ calidius instantem, servatis ordinibus sensim recedendo tantisper tenuit, donec Neoptolemo retinendi suos aciemque redintegrandi spatium esset. Deinde conversus in hostem quadrigas falcatas immisit, non sine clade Bithynorum; cæterum major quam pro damno terror erat. Fœditas spectaculi magis, quam vis hostium turbavit ordines: quum calidis adhuc vulneribus semineces viros, divisa corpora, truncos artus in multo sanguine volutari; aliorum membra hastis aut falcibus currum rotati cernerent. Deinde ab Archelao superatus.

LIII. Perterritis Archelaus à fronte, Neoptolemus & Arcathias recollectis qui fugerant, à tergo incubuere. Diu tamen utrisque restitere Bithyni, donec plerisque cadentibus, Nicomedes solutis ordinibus abiit. Fugientem in Paphlagoniam sequuti sunt, qui potuerunt: cæteros prœlium confecit, aut in potestatem victoris tradidit captivitas. castra quoque cum pecunia Nicomedis capta sunt. Hæc pugna Romanos etiam duces haud mediocriter commovit: quod per ex- Fugit. Curtius 4.15. 19. Appian. Mithridat.

peditos tantum & equites, quum gravis armaturæ robur abesset, rem tantam confectam esse, nulla locorum opportunitate, nullo hostium errore adjuvante Ponticos, ne numero quidem æquo; sed consilio ducum & virtute militum cernebant. Captivos ad se adductos Mithridates comiter affatus, viatico dato dimisit domum, ut inter initia rerum utilem clementiæ famam adquireret. Circa eadem tempora Thraces, qui non sine dolo Mithridatis Macedoniam populabantur, magnam iis locis ex vastitate famem & frumenti caritatem effecerunt; donec à Prætore Macedoniæ C. Sentio superati, cum Rege suo Sothimo ad patrias sedes reverterunt.

Diod. apud Valef. Liv. Epitom. Cic. Ver. 3. 93. Plutarch. Sulla cap. 22. Orosius. 6. 2.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



UUM P. Sulpicius Tribunus Plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exsules revocarentur, & novi cives libertinique distribuerentur in tribus, & ut Marius adversus Mithridatem Ponti Regem dux crearetur, & adversantibus Consulibus Q. Pompejo, & L. Sullæ, vim intulisset, occiso Q. Pompejo Consulis filio, genero Sullæ; L. Sulla Consul cum exercitu in Urbem venit, & adversus factionem Sulpicii & Marii in ipsa Urbe pugnavit, eamque expulit. ex qua duodecim à Senatu hostes, inter quos C. Marius pater & filius, judicati sunt. P. Sulpicius quum in quadam villa lateret, judicio servi sui retractus & occisus est, servus ut præmium promissum indicii haberet, manumissus est, & ob scelus proditi domini de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam trajecit. C. Marius pater, quum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis: & quum ad occidendum eum missus servus natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publicæ navi delatus est in Africam. L. Sulla civitatis statum ordinavit, exinde colonias deduxit. Q. Pompejus Consul ad accipiendum à Cn. Pompejo Proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est. Mithridates, Ponti Rex, Bithynia & Cappadocia occupatis, & pulso Aquillio legato, Phrygiam provinciam populi Romani, cum ingenti exercitu intravit.

Vellejus 2. 18. Appianus. Jo. Antiochen. apud Valef. P. Sulpicius Tribunus ple.

I. L. Sulla Q. Pompejo Consulibus provinciarum ea ratio quum esset inita, ut Sulla, qui tum adhuc Romæ erat, simul per res italicas posset, Asiam & Mithridaticum bellum, cum exercitu quem hactenus duxerat, provinciam haberet: P. Sulpicius Tribunus plebis, perniciosis legibus ferendis, priusquam

vetus illud consopitum incendium esset, etiam fœdius aliud atque horribilius auctore Mario conflavit. Quippe C. Marius (ut est insatiabile honorum & potentiæ humanum ingenium, quoties ratione contempta cupiditatum imperio regitur) post amplissimos triumphos, & Consulatum sexies gestum, miserum se putabat, si in tanta populi Romani fortuna, quidquam ad laudem eximium, cuiquam alteri relinqueretur.

II. Atqui jam & bellis & bellorum præmiis vigorem annosque consumpserat; gravis corpore, etiam nuper imperio ob senectutis incommoda abdicato. Igitur dum conficiendis Socialis belli reliquiis Sulla Consul in Campania distinetur, C. Marius Asiaticæ laureæ desiderio P. Sulpicium Rufum impellit, ut ademptam Sullæ provinciam sibi decernat. Erat alioqui in magna invidia Consul, quod uxore Cœlia per caussam sterilitatis dimissa, Cæciliam duxerat Q. Metelli Pontificis Maximi filiam. Id multi nobilium ægre ferebant, & populus indignabatur. tanta erat ejus fœminæ æstimatio, ut matrimonio judicarent indignum, quem dignissimum Consulatu judicaverant.

Ademptam Sullæ provinciam ario decernit. Plutarch. Sulla. cap. 13. Joan. Appian. Orosius. 5. 19.

III. Hac animorum inclinatione Marius cum Sulpicio uti cupiebant, infaustis ominibus, & ad graviora Reipublicæ mala perventuris, quam umquam antea sustinuisset. Idque significatum multis prodigiis putant. Flamma ex hastilibus signorum quum emicuisset, vix restringui potuit. Corvi tres pullos in conspectum hominum allatos devoraverunt, & reliquias reportarunt in nidum. Mures in templo quodam sacrum aurum roserunt. è quibus quum fœminam unam æditui cepissent, in muscipula quinque musculos enixa, tres eorum devoravit.

Prodigia.

IV. Sed nihil fuit horribilius, quam quod sereno cœlo tubæ vox insonuit, lugubre & valde acutum canens, ut homines ad vehementiam sonori clangoris cohorrescerent. Ex his Tusci haruspices *mutationem rerum instare* prædicabant. Dumque his rebus operam dat Senatus in æde Bellonæ, passer in conspectu omnium cicadam ore correptam intulit: ejusque parte abjecta & in fano relicta, cum altera parte avolavit.

Sereno cœlo tubæ vox audita. Suidas in Ἑλλάς. Plutarch.

V. *Id portendere secessionem agrestium Urbanorumque responderunt haruspices: quorum alteri cicadæ in morem streperent vocibus, alteri similiter atque illi rari exigerent vitam.* Nihil horum Sulpicium a cœptis remorabatur, mira gravitate hominem: ut improbitate non modo superaret cæteros, sed secum ipse certare videretur. Crudelitatem enim maximam pari audacia avaritiaque miscuerat: neque tantum erat ullum flagitium, cujus vel turpitudine absisteret à patrando, nec pœnitentia post factum duceretur.

Sulpicii importunitas. Joan. Antiochenus apud Valesf. Plutarch Sulla cap. 15.

VI. Quid multa? civitatem Romanam propalam vendebat libertinis & inquilinis: & mensa in foro posita pretium numerabat. Tria circa se habebat hominum millia cum ensibus, & ad omnia paratam equestrium juvenum multitudinem. sexcenti erant delecti, quos *Antisenatum* vocare consueverat. Saturnini seditiosissimi hominis omnia laudare solitus, *contationem* in præcipiti homine, *& timiditatem* in furibundo reprehendebat. Idem quum tulisset legem *ne quis Senator amplius quinque millia nummum æris alieni contraheret*; ipso moriens debuit centies vicies.

Civitatem libertinis vendit. Plutarch. Mario cap. 37.

VII. Talis vir à Mario immissus in Rempublicam, vi ferroque destinata perficere conatus est: quum ingenium etiam facundiamque à bonis initiis & rectissi-

Ingenio & facundia male utitur. Vellejus &

Ascon. in Cornelia. Liv. Epitom. Rhetorica ad Herennium. 2. 28.

ma voluntate ad ancipitia & prava transtulisset. Præcipuæ Sulpicii actiones erant, *ut exsules, quibus caussam dicere non licuisset, revocarentur, novi cives, libertinique distribuerentur in quinque & triginta veteres Tribus, &c*, cujus gratia cætera fiebant, *C. Mario Mithridaticum bellum decerneretur*.

Exsules reduci postulat. Ascon.

VIII. Sed exsules ne reducerentur, ipse nuper intercesserat: jam immutata voluntate, verba cavillando eamdem legem referebat, *non exsules à se reduci, sed vi ejectos* dictitando. quasi non iidem essent, utro nomine appellarentur; aut quasi de vocibus, non de rebus controversia in Republica esset. Libertinos autem, & qui modo de sociis facti cives fuerant, ideo distribui in veteres Tribus volebat ut plus in suffragiis illorum roboris esset. quippe homines callidi, si hos numero veteribus civibus facile superiores, jure æquassent, nihil fore existimabant, quod illorum opera non adsequerentur, & quo minore negotio rem perficerent, de bello Mithridatico interea silentium agebant.

Sulla ab Italico bello abstractus. Appian. I. Civil. Joan. Antioch. Diod. lib. 37. Vellejus. Diodorus.

IX. Ne sic tamen tenere propositum potuerunt: quum ei rogationi veteres cives præfractis animis resisterent, resque interdum ad fustes & saxa pervenisset, L. Sulla ad opem Reipublicæ ferendam, ab Italici belli conficiendis reliquiis, alieno tempore avulsus est. Vehementer enim accisæ Sociorum vires erant. Lamponius tantum & Cleptius cum parte Lucanorum erant in armis: Samnitesque & Sabelli Nolam & vicina Nolæ retinebant. Igitur Sulla profectus jam ad exercitum, qui Nolam obsidebat, fuerat: receptisque plerisque circa præsidiis, haud procul fine belli aberat.

Romam accurrit. Appianus.

X. Sed urbano tumultu excitatus, accurrit Romam, ut collegam Tribuniciis furoribus repugnantem adjuvaret. Consilio tamen magis, quam viribus, grassari placuit: ne patriæ incumbentem pestem, si arma corripuissent, alia peste viderentur repellere. Igitur justitio in dies aliquam multos indicto hoc agebant, ut comitia differendo legis impediendæ idoneam aliquam occasionem tempus suggereret. At Sulpicius justitio valere jusso, suos in forum educit, admonitos *ut pugiones sub vestibus secum ferrent: iisque adversus quoscumque opus esset, ne Consulibus quidem exceptis uterentur*.

Seditio ingens. Plutarch. Sulla cap. 16. Appian. Liv. Epitom. Velleius. Plutarch. Mario cap. 57.

XI. Sic instructus ad ædem Castorum pergit, ubi forte concionem Consules habebant. ibi *ferias* ut *parum rite edictas* arguere orsus, postremo *tolli eas à Consulibus* jubet, *comitiisque legum tempus atque locum dari*. Tum vero Consulibus adversantibus in nervum erupit furor: strictisque mucronibus vis intentatur; cadit inter alios Pompejus adolescens Consulis filius, idemque alterius Consulis gener. pater Pompejus clam elabitur: Sulla qui in domum Marii confugerat, sive, ut ipse in Commentariis prodidit, *cinctus inimicorum gladiis consultandi caussa secesserat*, quum inde rediisset in forum, justitium ex voluntate Sulpicii solvit.

Mario Mithridaticum bellum decernitur. Plutarch. Sulla Appian.

XII. Ideo Sulpicius reliquit magistratum Sullæ, quum eumdem Q. Pompejo abrogaret. Ita dimissus ad exercitum Sulla, quum Capuam venisset, unde rebus omnibus ordinatis ad bellum Asiaticum pergere statuerat, P. Sulpicius legem, cujus ergo turbæ istæ excitatæ omnes fuerant, perfert: *Cajumque Marium pro Sulla Mithridatici belli Imperatorem esse* jubet. Mittitur è vestigio Gratidius propinquus & legatus Marii, cum alio Tribuno militum, qui Nolanum exercitum ad Marium perducant. At Sulla cognitis quæ in Urbe fierent, jam ad legiones

Plutarch. Mario cap. 58. Appian.

venerat prior, vocatasque in concionem ita erat alloquutus.

XIII. *Quæ per hosce dies in Urbe gesta sunt, milites, ea varie ad vos perlata esse existimo, ut ferme solent, quæ incertis auctoribus aut vago rumore differuntur. Quo magis ad vos properandum esse censui, ut in communibus injuriis mutui adspectus solatio uteremur: & vos, quid mihi sit in præsentibus consilii; ego, quid vobis voluntatis, cognosceremus. Nam siquidem populi Romani Consulem, Imperatorem vestrum, una cum concordi collega cogi in ordinem, violari minis, terreri cæde charissimorum oportuit: causam non dico, quin adversarii nostri cupitis fruantur. Sin vero paucorum importunitate victum Consulare imperium, cædem clarissimi juvenis, Consulis alterius fugam, alterius periculum, dominantes in Urbe nostra, quos anno in adversa acie stantes, ferro ac virtute vicimus; vobis mihique juxta intolerandum est: quid fieri in rem nostram publicamq; sit, consideremus.* Val. Maxim. 7. Part. Num. 2. Ea de re ulterius. Oratio ad milites.

XIV. *Sed mature decernendo opus est, donec consultare communiter & agere quæ volumus licet. Si enim nescitis, mihi bellum Mithridaticum, vobis ego Imperator eripior. C. Mario tradimini, nisi tamen vos ille fastidiat, & alterum exercitum nupero commilitio notiorem malit. Atqui provinciam illam, & has legiones Senatus mihi dederat: & ego jam ad trajiciendum omnia paraveram, latus & festinans, non ut mihi tantum gloriam triumphumque ex veris hostibus quærerem; sed etiam ut vobis aliquando referrem gratiam: vosque, tot exantlatis me duce pro Republica laboribus, Asiaticarum opum larga & facili copia ditarem; quo reliquam deinceps ætatem in otio locuplete & honorato degeretis.* Mature vult consilium capi.

XV. *Sed hæc & alia nobis ereptum eunt injustissimi mortales. quod si vobis volentibus est, doleo & quiesco: si quod jure datum est, per injuriam auferri non sinitis, non me subtraham vobis ducem ad capessenda jussa prompti paratique este.* Ad hæc verba, quamquam nihil apertius de proposito suo dicere erat ausus, succlamatum à militibus est, facile quid vellet interpretantibus, *bono esset animo, & recta duceret ad Urbem.* nec enim Imperatoris tantummodo vicem dolebant, sed de sua quoque erant soliciti, ne forte Marius ad bellum ut rebantur facile & quæstuosum alio potius exercitu uteretur. Milites ad Urbem jubent ducere. Joan. Antioch. Appian. Plutarch. Sulla cap. 16. Plutarch. Mario.

XVI. Igitur Tribunos à Mario præmissos lapidibus cooperiunt. signisque correptis properant Romam. Ibi quoque populus inquietus & discors agebat. aliis *unicum ducem Marium* efferentibus in cœlum; aliis *ad curandum corpus, senio & morbis confectum, Bajas facessere* jubentibus. Nam in Misenensi villam C. Marius posuerat: quam postea L. Lucullus centies sestertium emit. Sed Marius ut se vegetum paremque militiæ muniis ostenderet, quotidie in campo inter juvenes exercebatur: miserantibus multis, qui perspiciebant, quam inane ob præmium, vir ab ima sorte ad summam profectus, post septuagesimum ætatis annum, inhabile propter carnium molem corpus (nam in senecta obesus evaserat) & fracta laboribus membra fatigaret. Tribunos à Mario præmissos lapidibus obruunt. Plin. 18. 6. 2. Plutarch. Vellejus 2. 18

XVII. Sed magis ridicula erat, quam cupiditatibus suis obtendebat, caussa: quum *ideo se concupivisse imperium* diceret, *filium adolescentem artes belli ipse præsens edoceret*. Inter hæc, quum occisos quos ad exercitum miserat Tribunos, Sullamque cum sex legionibus venire ad Urbem comperisset, ipse vicissim quosdam amicorum Sullæ occidit, bonaque cæsorum diripuit. Itaque miserabilis Romani populi conditio erat, cujus principes, nusquam certa spe salutis, aut ulla Marius contra Sullæ occidit amicos. Appian. Plutarch. Sulla.

Appian. Plutarch.

concordiæ fide, alii ex Urbe in castra, alii ex castris in Urbem confugiebant. Nam excepto Quæstore uno, cæteri Tribuni præfectique signa patriæ inferenda abominati, Romam se receperant. Contra ab iis, qui vim Marii Sulpiciique insolentiam metuebant, in castra Sullæ, tamquam ad asylum, concurrebatur.

Senatus legatio ad Sullam.

XVIII. In Urbe Senatus suæ potestatis non erat, sed ad nutum tyrannorum circumagebatur. His volentibus, ex magistratibus ejus anni duos ad L. Sullam misit, Brutum & Servilium Prætores. Ii quum ad exercitum venissent, paulo animosius loquuti in extremum discrimen inciderunt: ut confractis fascibus, prætextisque dereptis, vix & ægre corpus incolume referrent in Urbem, ipso adspectu, quorsum jam seditionis furor evasisset, ostensuri. Marius, quantum in tali trepidatione potest, ad defensionem se comparat. Sulla triginta peditum; quinque equitum millia adducens, ad Urbem intendit cursum: præter alia quibus incitabatur, per somnium quoque stimulantibus geniis.

Plutarch. Mario cap. 58. Plutarch. Sulla, cap. 17.

Sullæ Somnium.

XIX. Nam quæ Cappadocum instituto Romæ colebatur dea (Lunam, an Minervam, an vero Bellonam interpretarentur, ipsi quoque dubitabant) eam adsistere sibi per quietem vidit Sulla, fulmenque porrigere, recitatisque inimicorum ejus nominibus, ad singula præcepisse, feriret: atque illos tamqnam ad ictum concidentes, evanescere. Id visum collegæ narravit, qui cum laude & gratulationibus occurrens, ad omnia operam suam promiserat. Interea secundi, deinde tertii ab Urbe legati venerant, quibus caussam consilii tam præcipitis requirentibus, idem responsum omnibus datum: *ad liberandam tyrannide patriam iri.* postremo tamen adjecit, *si Senatus cum Mario & Sulpicio descendere in campum Martium velit, nihil se nisi de communi sententia acturum esse.*

Appian. Plutarch.

Aliorum legatorum Oratio.

XX. Sed Marius Sulpiciusque, neque fidei se inimici credere ausi, neque satis parati ad resistendum, novam Senatus nomine legationem mittunt. cujus hæc mandata fuere: *Neminem magis quam ipsos Consules scire, quantopere semper Senatus laborasset, uti amborum, & præcipue L. Sullæ, pro præstantissimis in Rempublicam meritis, quam amplissima dignitas foret. Cæterum eam esse conditionem Romæ, ut sæpe contra voluntatem Senatus populi jussa valeant: præsertim ubi propter metum majoris mali, prudentissimus quisque concedendum temeritati multitudinis putet. Id adeo nuper etiam accidisse, iis ferendis legibus, à quibus haud minus reliqui Patres, quam Consules ipsi abhorreant.*

Culpam in plebem conferunt.

XXI. *Verum enim vero, in libero populo multa ferenda esse potentioribus, donec arte & occasione corrigantur. Ita Gracchorum olim, ita postea Saturnini rogationes, quæ ferventibus populi studiis nulla vi potuissent impediri; tempore captato citra tumultum abolitas esse. Idem nunc quoque fieri posse de iis, quorum iniquitate se læsum Consul Sulla conquiratur.*

Rem componi posse dicunt.

XXII. *Nihil antiquius esse Senatui, quam ut inter claros & potentes viros quæ inciderint, controversiæ, citra publici status periculum, ex æquo & bono componantur. Eumdem animum & C. Marium, & P. Sulpicium præ se ferre; nec dubitari, quin par maneat & Consulibus in communem patriam pietas. Nihil opus esse armis, ubi civili modestia transigi melius possit. nec adhuc admissum tam inexpiabile quidquam, ut ad extrema desperationis auxilia veniri oporteat. Tempore tantummodo & modica patientia rem indigere. Igitur hoc unum deprecari Patres, ne per præcipitem iracundiam omnis concordiæ spes abjiciatur. Omnia con-*

ventura, modo hanc dent Consules Senatui veniam, ut ne propius quinque millia passuum ab Urbe castra metentur: donec Patres Conscripti consultare amplius de præsentibus possint. Plutarch. Sulla cap 18. Cluver. Ital. Antiq. 34.

XXIII. Ad Pictas hæc agebantur, id tabernis nomen erat, ad quintum decimum ab Urbe lapidem via Lavicana sitis. Ibi responsum à Sulla legati abstulerunt, *in loco castra positurum*: idque ipsis audientibus, more militiæ statim imperatum est. At hæc simulatio Consulum erat, nam ipsi consilio intellecto inimicorum, dum legati, velut impetrato quod volebant, læti redeunt Romam, L. Basilo, C. Mummio præmissis, citato agmine sequuntur. Sulla Esquilinam portam eum vicina parte occupandam cum legione una sumpserat: Collinam cum alia legione Pompejus: ad Sublicium pontem tertia, quarta pro muris ad subsidium stare jussa est. dux hostili fremitu animoque in Urbem irruperunt. Ibi quum juxta collem Esquilinum Marius Sulpiciusque cum tumultuaria manu occurrissent, miserrimum facinus factum est, ut in ipsa Urbe non per seditionem & correptis temere telis, sed aperto Marte signis canentibus in justæ pugnæ faciem, tum primum post Romam conditam inter cives concurreretur. Sullæ fallax responsum. Appian. Plutarch. Florus 3. 21. Appianus. Liv. Epitom: Ioan. Antiochen. Plutarch.

XXIV. In hoc prœlio quum Sullanos non oppositus modo hostis, sed desuper è tectis jaculantes patres familias urgerent: Consul ipse correpto signo in primam aciem procurrit: fugamque militis religione signorum & præsentia ducis cohibet. simul ad omnia respiciens, vocari ex subsidiis legionem, & interea delectos ex præsentibus, circumire Suburrana via, & à tergo includere hostes jubet: ipse correpta face, contra eos, qui de tectis saxa atque tegulas jaciebant, *subdi ædificiis ignem imperat; sagittariosque tela ignita immittere.* Pugnatur in Urbe.

XXV. Ita detrusus ad ædem Telluris Marius, plebem ex domibus, itemque servitia ad pileum vocat. Sed potentior promissis metus fuit. tres tantummodo repertos ajunt, qui conditionem acciperent. Sulla per sacram viam in Capitolium pergens, quo se Marius cum suis receperat, quum milites quosdam suos obvia diripere vidisset, eumdem delicti suppliciique locum esse voluit, coram statim in conspectu omnium punitis. ab eadem modestia, dejectis à Capitolio cum cæde multorum inimicis, custodias per omnes regiones Urbis posuit; totaque nocte cum collega pervigil, obivit omnia, ne quid à victoribus per insolentiam in Urbanos committeretur. Orta demum luce, vocato in concionem populo, *tempora Reipublicæ deplorant, Tribunicio vento ad talia præcipitia compulsæ. hæc necessitate coactos ad consilia necessaria magis quam optanda descendisse.* Sulla vincit. Florus. Plutarch. Val. Max. 8. 6. 2. Plutarch. Mario cap 58. Orosius 5. 19. Appianus.

XXVI. *Revocandum itaque majorum morem, quo obtinente nihil tale accidisset, neque de re qualibet postea ad populum ferri oportere: nisi de ea deliberatum ante in Senatu foret. Centuriata quoque comitia ex lege Servii Regis, non ut postea adsuevissent, Tributa haberi, consultius esse. Non aliis rationibus reduci civium concordiam, & publicæ rei tranquillitatem posse, quam si à temeritate populari ad maturitatem Patrum consilia, & ab egentissimi cujusque audacia, ad circumspectionem locupletium, suffragia revocarentur. Tantum ferme cuique fidei amorisque in Rempublicam, quantam in privata spei atque opum esse.* Populi potestatem minuit. Sallust. Catilin 17. 2. Appianus.

XXVII. Sic Tribunorum plebis vehementer accisa potestate, quibus imaginem nomenque tantum sine vi reliquerunt: quum etiam ob paucitatem Senatorum contemni amplissimum ordinem animadverterent Consules, Tributis comitiis (ut Senatum adlectis Equitibus replet. Vellejus 2. 30. Appianus.

lib. 1. a. Civil. Liv. Epitom. Vellejus. 2. 19. Florus. Cic. Bruto. cap. 45.

aliquid dare populo viderentur) ex Equestri ordine honestissimum quemque adlegerunt, numero trecentos. Viri deinde duodecim à Senatu hostes judicati, Sulpicius in primis & duo Marii. deinde P. Cethegus, Junius Brutus, Cn. & Q. Granii, P. Albinovanus, M. Lectorius, Q. Rubrius Varro, & præterea duo alii Senatores, *quod seditione concitata Consulibus populi Romani arma opposuissent, servosque vocassent ad pileum*. Aqua igitur & igni his interdictum. adjecto à *quocunque impune occidi, aut ad Consules adduci posse*.

P. Sulpicius occiditur. Jo. Antioch. Vellejus. Liv. Epitom. Val. Maxim. 8. 5. 7. 2. Orosius 5. 19. Cic. Florus. Plutarch. Mario cap. 58. Cic. de Divinat. 1. 26.

XXVIII. Bona quoque eorum publicata: & perquisitores missi, qui caperent profugos, aut occiderent. P. *Sulpicius*, quum in Laurentinis paludibus, villæ cujusdam latebris occultaretur, indicio servi sui, retractus & ab equitibus oppressus est. Caput occisi relatum Romam, & pro Rostris propositum: servus qui secundum edictum Consulum libertatem indicii præmium ferre debebat, manumissus; statimque cum insignibus novæ libertatis ob scelus proditi heri de saxo præcipitatus est. In alios quoque viros claros, qui reperiri potuerunt, velut jure sævitum. At Marius post fugam ex Urbe desertus à turba, per tenebras in prædium quoddam, quod habebat in Solonio, qui campus est agri Lanuvini, se conjecit.

C. Marii adolescentis periculum.

XXIX. Unde quum filium ex vicinis agris Q. Mucii Auguris, cujus ille filiam duxerat, necessaria petere jussisset, Ostiam descendit, repertoque navigio quod unus amicorum Numerius paraverat, cum privigno Granio, filii reditum non exspectans, abnavigavit. Interim adolescens imminens exitium fide & astu villici evasit. Quum enim eum in prædio Muciano deprehendisset dies, ad comprehendendum eum suspicione ducti equites properabant. Ibi enim latere Marios posse, propter adfinitatem rebantur, & quia Mucius hostem Marium judicare noluerat.

Val. Maxim. 3. 8. 5.

quod ejus nobile factum non est silentio prætereundum. Quum L. Sulla victor armatis circumdedisset Curiam, eoque C. Marium hostem decerni cupienti nemo auderet negare: solus Q. Mucius sententiam dicere noluit.

Q. Mucii constantia. Liv. Epitom. Plutarch.

XXX. Atque mitius instante Sulla, *non ita*, inquit, *gladios tuos extimesco, ut propter has senilis sanguinis tenues reliquias, hostem judicare C. Marium sustineam, à quo Italiam & hanc Urbem conservatas memini*. Hujus igitur villicus nihil à fide heri animoque dissentiens, Marium adolescentem inter fabas abditum imposuit plaustro, bubusque junctis, per medios inimicos deportavit in Urbem. sic acceptis ab uxore, quorum præcipuus tum usus erat, ante lucem ad mare pergit; & quum forte solventes in Africam nautas invenisset, navem conscendit. Major patri Mario cum ventis & tempestatibus lucta fuit, ingruentibus in eum velut manu facta malis.

C. Marii senis errores & miseri..

XXXI. Ferente vento litus Italiæ legens, Terracinam evitare nautas jussit, Geminium, cujus ibi magnæ opes erant timens, inimicum hominem, & Sullanis partibus deditum. Cæterum illis enixe parentibus, magna vis ventorum à mari coorta, navigium procellis, & ipsum nausea sic fatigavit, ut vix apud Circejos applicare posset. ibi ob tempestatis sævitiem, & quia deficiebant commeatus, exscensio facta est. sed anxiis & in momenta temporum extrema quæque exspectantibus, incerta omnia intutaque, & ut fit in magno metu, præsentia quæque molestissima videbantur. Terram hostilem vitarent; inimicum erat mare: occursum metuerent hominum ob pericula; non minus metuendæ ob penuriam solitudines erant. sero in bubulcos paucos inciderunt, qui dare quidem nihil poterant egentes egentibus,

sed agnitum Marium celeriter jubebant *se subducere: paulo enim ante magnam adfuisse equitum manum; quæ illum quæreret.*

XXXII. Plurima tum malorum imago circumsistebat hominem. nudus, desertus, inops, inter mortis & contumeliarum adsiduos terrores, Italiam quam honoribus imperiisque suis toties ornaverat, semel iterumque defenderat, ut hostilem terram fugere cogebatur. Jamque etiam comites tædio & inedia fatiscebant: quum omissa militari via, in profundum nemus secessit. Ibi quum ærumnosam sane noctem exegisset, cogente inopia, & corpore, donec aliquid superesset virium, usurus, secundum litus incessit, adhortans comites, *ne deficerent animis, neve spes in as extremas, & promissa numinum immatura mollitie corrumperent.* Marius hortatus comites.

XXXIII. *Sibi enim, quum ruri adolescentulus ageret, id ostentum evenisse, ut septem pulli aquilini cum ipso nido in sinum ejus deciderent. parentibusque suis consultos haruspices respondisse. fore se mortalium omnium clarissimum summumque imperium uti septies capessat, fatale esse.* Id quidem sæpe jactasse Marium in confesso est; rei vero fidem naturæ avium periti derogant; negantes aquilam plura duobus ova parere. Sed tamen id vere seu falso expositum, Mario tum temporis profuit, ut ad extrema omnia spem animosque comites sui durarent. Sed ubi ad passus bis mille quingentos Minturnis abfuerunt, simul equitum alam ad se tendentem eminus conspexere, simul duas naves onerarias, prope litus per quod incedebant ipsi, vela facientes. igitur ad has citato cursu delati, projectis in mare corporibus adnatant. Ostentumque sibi oblatum narrat. Appianus. lib. i. civil. Plutarch.

XXXIV. Et Granius quidem altera navium exceptus, in Ænariam insulam trajecit. Marius corpore gravior, multo duorum servorum labore vix sublevatus, & in alteram impositus est. jamque aderant equites, & nautas clamore cientes *appellere* jubebant: *aut saltem præcipitato in aquas Mario, quo instituissent cursum, pergere.* Sed supplicante cum lachrumis sene, domini navis, postquam diu fluctuassent animis, negarunt se ejicere virum posse. Deinde ubi cum atrocibus minis equites citi recesserunt, iterum immutata mente, ad Liris amnis ostia prope terram jecerunt ancoras; hortatique Marium, *ut ad cibum capiendum, corpusque rectius curandum tot adflictum incommodis, in terram exscenderet, donec qui stata hora flare debebat ventus surgeret;* sublatis velis in gramine accumbentem reliquerunt. A prætemavigantibus suscipitur.

XXXV. Ita derelictus ab omnibus hominibus, diu in litore sine voce jacuit: postquam ægre se recollegit, per invia & uliginosa loca, oppletasque cœno & aquis fossas defecta membra trahens, tandem ad tuguriolum venit, in quo senex quidam paludibus purgandis operam dare solitus, habitabat. Ad hujus pedes se abjiciens, obtestabatur, *servator atque adjutor esse vellet hominis, si præsentem tempestatem effugisset, majora opinione præmia redditur.* Ille sive olim visum recognoscens, sive ex adspectu virum haud vulgarem judicans, placide respondit: *si quidem quietis egeret, posse tugurio uti; sin vero inimicos aliquos fugeret, monstraturum se aptiorem latebris locum.* Deinde relinquitur expositus. Appianus. Plutarch.

XXXVI. Ibi dum juxta profluentem in cava ripa, multa arundine levibusque sarmentis contectus sedet, subito ad aures accidit clamor, increpantium senem, & ubi Marium abscondisset jubentium ostendere. Nam quosdam eorum qui à Geminio ad retrahendum Marium quoquoversum emissi fuerant, illud tuguriolum casus detulerat. Is tumultus hominem proditionis certum subegit, ut exutis vestibus in In Paludem immersus capitur. Liv. Epitom. Velleius 2. 19. Val. Max. 8. 2. 3. Plutarch.

paludem se immergeret, oculis tantummodo ac naribus exstantibus. Sic repertus extractusque, ut erat nudo corpore, limo cœnoque deformis, injecto in collum loro, Minturnas rapitur: & dum quid facto opus esset magistratus deliberant, custodiendus ad ædes Fanniæ mittitur, quæ ob veterem offensam irata Mario putabatur.

Benevole tractatur à Fannia.

XXXVII. Nam sexto ejus Consulatu repudiata à C. Titinnio Minturnense, caussam dixerat. Titinnius ampla dote spoliare cupiverat mulierem impudicitiæ crimine objecto. Sed Marius caussa cognita *Fanniam impudicam videri pronunciavit*; *mulctamque ei dixit sestertium nummum*: Titinnio præcepit, *ut dotem, mulieri restitueret, quod quam impudicam esse scisset, eam pecuniæ insidiatus duxerat, diuque matrimonio ejus usus fuerat*. Fannia tamen beneficii magis quam injuriæ memor, quibuscumque potuit officiis adjuvit. Unde Marius hilarior, collaudata mulieris voluntate, *fore sibi reddendæ gratiæ potestatem* lætus gestiensque prædicat: *ejus enim rei certum se modo omen accepisse*.

Plutarch. Val. Maxim.

Stolido omini confidit.

XXXVIII. Pudet referre vanissimæ superstitionis sordes: nisi vel ideo magis sunt referendæ, ut intelligamus quam turpi dementia orbem terrarum Christiana disciplina liberaverit. Post tantam rerum experientiam, vir animo gestisque rebus maximus, quam à ratione impetrare non poterat tranquillitatem, ab asini obtutu ac voce sumpsit. Nam quum ad Fanniæ domum adductus erat Marius, relicto pabulo prorumpens è foribus animal, ex adverso Marii constitit: & blande hominem intuitus, luculentumque rudens, ad vicinum fontem procucurrit. Idcirco *Marius salutem portendi* ratus, *obserari januam cubiculi, ut se quieti daret*, jussit.

Val. Maxim. 1. 5. 8. Plutarch.

Cimber ad occidendum Marium missus, fugit.

XXXIX. Interea magistratus *sine mora de medio tollendum esse* decreto, Cimbrum quemdam mittunt de reliquiis Marianæ victoriæ, qui eum conficeret: quod omnes oppidani misericordia clarissimi viri fœdum occidendi ejus ministerium abnuebant. Sed ille cubiculum ingressus, ubi Marium esse cognovit, abjecto gladio profugit, *Marium se non posse occidere* clamitans. Quidam ajunt *ingenti flamma ex oculis Marii promicante territum hominem*: *auctum deinde terrorem*, *postquam adsurgens è lecto senex, terribili voce*, Tunc homo C. Marium audes occidere, *inclamasset*. Minturnenses profecto homini divinitus injectum timorem, salutemque Marii cordi esse diis interpretati, mutata sententia quem paulo ante necari jusserant, repente incolumem volunt, nec ipse sibi deest, ad quosvis, etiam infimum & vilissimum quemque tendit manus, preces, spem, fata, fabulam suam de aquilis, de asino, varie miscet.

Val. Max. 2. 10 6. Plutarch Liv. Epitom. Appianus.

Cic. pro Sext. cap. 22. Velleius. Liv. Epitom. Lactan. 1. 21. Strab lib. 5. Horat. Carm. 3. 17. & ibi interpr.

XL. Tandem consensu omnium cum viatico & veste collata ad naviculam publice instructam deducitur. Sed properantibus obstabat religio, quod per lucum Maricæ, quam & *Circen* frequentius vocant, ad mare iter erat, quem præcipuæ sanctitatis Minturnenses habebant: neque fas putabant efferri quidquam earum rerum quæ semel eo illatæ forent. Sed cæterorum dubitationem unius senis alacritas solvit: qui *nihil irreverens, aut ingratum diis esse* clamitans, *quod ad C. Marii salutē pertineret*, cum parte rerum quę ad mare portabātur, per lucū primus evasit.

Dimittitur à Minturnensibus Marius.

In Africam navigat. Cicero. Cic. pro Plancio cap. 10. Cic pro Sex. Appianus. Plutarch.

XLI. Pingenda deinde curavit ista Marius, tabulamque votivam in fano Maricæ suspendit. Sic in perparvum impositus navigium, lachrumis, votis, ominibusque prosequente Minturnense populo, evitatis quantum poterat terris portubusque omnibus, vela in altum fecit. Forte ad insulam Ænariam delatus, quum ibi Granium & nonnullos amicorum reperisset, una in Africam cursum intenderunt.

runt. Sed quia penuria aquæ laborabant, in agro Erycino Siciliæ fecerunt exscensionem. ibi Quæstoris Romani cura dispositi equites propemodum egredientem navi Marium excepere. Aquatores ferme sexdecim interfecti sunt. Marius propere soluto navigio Meningem tenuit Africæ insulam, quæ hodie *Gerbarum* vocabulo est notior.

XLII. Hic de filio suo cognoscit, *illum cum P. Cethego salvum, ire ad Hiempsalem*, sive *Mandrestal* is fuit: cui patrive ejus Numidiæ partem capto Jugurtha Marii maxime opera Senatus dederat. Hinc recepto nonnihil animo, statuit in Carthaginensem agrum transmittere. Ibi quum in locis solitariis vastisque sederet, venit ad eum lictor Sextilii, qui tum Africam proprætore obtinebat. De hoc Marius neutram in partem meritus, humanitatis tamen aliquod officium exspectabat. At lictor *decedere eum provincia* jussit, *ni malit in se ut hostem ab Senatu judicatum decerni:* torveque intuentem & vocem nullam emittentem Marium rogavit tandem, *ecquid renunciari Prætori vellet?* ibi Marius, *nuncia*, inquit, *vidisse te C. Marium in Carthaginis Magnæ ruinis sedentem*. duobus clarissimis exemplis inconstantiam rerum humanarum Prætoris animo figurare, non inepte conatus.

In Carthaginensem agrũ transit.
Ant. Franc. Cirn. apud Sanso. dell'origine de Turchi p. 926.
Appianus.
Cic. ad Quirit. cap. 8.
Plutarch.

XLIII. Hic ad eum cum Cethego filius venit, Albinovanusque, & cæteri exsules. ii Numidarum dolos, non sine digno qui notetur casu evaserant. Marium adolescentem miris in speciem officiis colebat Regulus; sed quia discedere cupientem morabatur crebrius & apertius, quam ut per benevolentiam facere credi posset: suspicionem illi, & ex hac ardentius abeundi desiderium injecit. Igitur ob formam à pellice Regia dilectus, quum ejus amorem aversatus eousque fuisset, tum amplexus occasioné est; eaq; juvante cum amicis fuga capta ad patrem penetravit.

Marius adolescens Numidarum dolos evadit.
Appianus.
Plutarch.

XLIV. Magna erat gratulatio, quod post ancipites tot casus qui de se suisque sæpius utrimque desperassent, salvi sospitesque se vicissim intuerentur. Inter hanc dum in litore obambulant, forte scorpiones inter se pugnantes Marius pater videt. Erat ille vir huic stultitiæ generi deditus, & ut facile est delirantibus artem ex errore facere, valere se talia interpretandi calliditate putabat. Igitur aversatus hostilitatis omen, non distulit conscendere piscatorium navigiolum, & cursum in Cercinam dirigere. & opinionem prudentiæ ejus sors velut dedita opera confirmavit.

Erad patrem redit.
Plutarch.
Val. Max. I. 5. 5.
Plutarch.

XLV. Vix in altum evecti erant, quum missos à Numida vident equites eo ipso in loco vagantes, unde navem conscenderant. Sic inter Africi maris insulas, quia plus insidiarum in continente timebat, quod reliquum erat hiemis, C. Marius exegit. Dum ad hunc modum inimicus L. Sullæ terra marique jactatur; ipse rerum omnium potens, statum civitatis ordinabat: non victoris insolentia, sed propemodum ad justum legitimumque modum. Igitur & æris alieni perplexam atrocemque controversiam, quæ nuper ad Prætoris Romani necem pervenerat, ex æquo bonoque lata lege Unciaria decidit.

L. Sulla Rempublicam ordinat.
Appian.
Liv. Epitom.

XLVI. Ejus legis quum argumentum lateat, nomen esse videtur indicio, duodecimam debiti partem remissam debitoribus fuisse. Comitia deinde, priusquam proficisceretur in provinciam, habuit: in quo negocio mansuetum se præbuit, & omnimodis popularem. Nam & Nonium sororis filium, & Ser. Sulpicium, quamquam subnixi sua commendatione essent, ignominiose repulsos civiliter tulit: *jucundum sibi esse* dictitans *videre populum, libertate recepta, vel contra auctores beneficii utentem*.

Comitia habet.
Festus Unciaria.
Plutarch. Sulla cap. 19.

Consulem L. Cinnam designari patitur. Diod. apud Valesium. Plutarch.

XLVII. Consulem quoque L. Cinnam designari passus est, licet iniquum sibi, & partibus adversum sciret. Jurejurando tamen adegit nihil novaturum. isque in Capitolio multis præsentibus scilicet lapide comprehenso, *si falleret* precatus deos fuerat, *ita se quoque projectum velle*: cum dicto lapidem emittens manu. Sed & collegam ei C. Octavium addidit, compertæ modestiæ virum, cujus maturitate Cinnam, si ruere cœpisset, sperabat retineri posse. His ita curatis Consulari potestate contentus, præmisso ad Capuam exercitu, coloniis per Italiam deducendis operam dedit.

Appianus. Liv. Epitom.

Adversa factio res novas molitur.

XLVIII. Sed adversa factio, ubi cessare metum armorum videt, ad pristinum consilium revoluta, locupletes præsertim & fœminæ quædam prædivites, nihil non, ut exsules restituerent, moliebantur. Etiam Consulum vitæ dicebantur insidiæ fieri, quod iis se salvis, tenere posse propositum inimici non putabant. Sed Sulla belli Mithridatici decreto imperio tutior ab ejusmodi periculo videbatur: Q. Pompeji miseratio subibat animis, quod is nihil ad prævalidas reprimendas inimicitias virium habebat. Ideo provincia ei Italia cum exercitu qui tum sub Cn. Pompejo Proconsule merebat, populi jussu datur.

Consul Q. Pompejus ab exercitu occiditur. Vellejus 2. 20. Liv. pitom. Appianus. Val. Maxim. 9. 7.

XLIX. Offendit ea res Cnæum, & ut novo nec antea audito sceleri præberet exemplum, incitavit. Hoc enim primum anno Consulis Romani sanguine polluta castra, imbutæque militum manus sunt. Quippe Consul Pompejus ad accipiendum exercitum profectus, & intra vallum acceptus, quum postridie concionem haberet, cedente in speciem Proconsule, satis læta habere initia imperii visus est. sed mox majore turba quasi audire concionantem cupientium concurrente, ab iis quos ad cædem Proconsul subornaverat, quum sacrificare jam inciperet, interfectus est.

Cn. Pompeius exercitum recipit.

L. Proconsul diffugiente Consulis comitatu, tamquam nescius omnium tulit se obviam, & re scilicet cognita, graviter increpavit tanti sceleris auctores. sed statim rediit cum iis in gratiam, receptoque imperio non est passus dubitari, cujus ope, consilioque interceptus Consul foret. Neque Senatus vindicavit, majore talibus temporibus castrorum, quam Curiæ potentia. Hac re comperta, Consul Sulla intentiorem corporis sui custodem egit, numquam non fido septus amicorum, etiam per noctem præsidio. neque diu moratus, Capuam ad exercitum profectus, militibus commeatuque & cæteris bello necessariis in classem impositis, ad Mithridaticum bellum navigavit.

Mithridatis potentia. Florus 3. 5. Polyb. 5. 43. Sallust apud L. Ampel.

LI. Neque res Asiaticæ adventum ejus parum desiderabant. ita tempore & occasione Mithridates utebatur. Huic Regi tum in se magnifica erant omnia, tum quæ sibi dare nemo potest, fortuna providerat. Opes atque potentiam illustrabat genus à septem Persis illustri serie deductum: & Artabanes Regni conditor. Sed præcipue auctoritatem ei pararant prospera & magna belli primordia, quod tanta in eo vis esse videretur, ut quum primum inciperet moveri, tota Regna, nullo magnopere adhibito conatu raperet.

Mithridates Paphlagoniā occupat. Memnon. Orosius 6. 2. Eutropius. Appianus.

LII. Neque majus aliud ad movendam quolibet inclinationem animorum instrumentum est; quam commodo conatorum eventu parta felicitatis fama. Igitur fortunæ instandum ratus, post victum à suis Nicomedem, ex Amaseno campo, ubi auxilia variarum gentium recensuerat, per Paphlagoniam incessit, centum quinquaginta millium exercitum ducens. inde expulso obiter Pylæmene Rege, ad Scoroba montem, ubi Bithyniæ Pontique confinia sunt, deflexit.

LIII. Non longe abhinc M. Aquillius castra posuerat, & post infelix prœlium cum reliquiis suorum Nicomedes. Ibi ex præcursoribus centum omnino Sarmatæ, quæ acerrima equestribus prœliis gens est, octingentos Nicomedis equites nacti, profligant Bithynos, quosdamque eorum captos adducunt ad Regem. Ille ex priore instituto hos quoque viatico dato dimittit in patriam. Ita vim aliis Pontici Regis, militumque virtutem, aliis clementiam prædicantibus, quum ab utraque caussa popularium animis Nicomedes diffideret; non expectato Mithridatis adventu, versus L. Cassium retrocessit. Manius fuga Bithynorum nudatus, quum solus resistere tantis copiis non posset, in tutiora loca cogitabat recedere, sed eum Neoptolemus Mithridatis purpuratus, cum Armenio Menophane, sub horam diei septimam adsequuti pugnare coegerunt. Nicomedem fugat. Tacit. H. l. 79. 4. Appianus. Memnon. Appianus.

LIV. Habebat sub signis equitum quatuor millia, peditum decuplum. sed victus ab hostibus, ferme decem millia militum in prœlio amisit: cæteræ copiæ dissipatæ in diversa abierunt. Aquillius ad Sangarium fluvium fuga delatus, licet jam nox tegeret terras, transmisso statim flumine, postea Pergamum venit. Castra quoque ejus capta sunt. Sed Mithridates captivos, sicut antea facere consueverat, quum Asiatici essent, comiter alloquutus, cum vestibus & viatico ad suos quemque redire passus, tantum excivit benevolentiæ, ut certatim ad eum omnia deficerent: legatique magno numero accederent decreta civitatum adferentes, quibus Regem ad se vocabant, *Deum atque Servatorem* appellantes, & quocumque venisset, obviam effusis cum splendida veste omnibus ordinibus, summa lætitia excipiebatur. M. Aquillium vincit. Justin. 38. 3. 8. Diodorus. ap. Valesium. Cic pro Flacc. cap. 25. Appianus.

LV. Neque Cassius & Nicomedes & qui alii legatorum Romanorum iis locis erant, inhibere impetum properantis, aut opponere se ruenti Asiæ audebant: frustraque tentatis Phrygum auxiliis, quum homines ad militiam ineptos exercere irrito labore instituissent, dimiserunt omnes, & à castello Phrygiæ, quod Leonum appellant caput (eo enim propter munitionem loci convenerant) diversi abierunt. Cassius Apameam reduxit suos; Nicomedes Pergamum, Mancinus Rhodum ire constituit. A Pergamo Nicomedes, ut conspectu suo plus moveret Senatum, in Italiam navigavit. Romanis non ultra resistentibus. Plutarch. Themist. c. 30. Appianus. Strab. lib. 12. Appianus. Justin. 38. 3. 9. Liv. Epitom.

LVI. Hoc ubi auditum est iis qui occludendis Pontici maris faucibus ad Byzantium excubabant, partim diffugerunt; alii majore flagitio naves quoque Nicomedis tradiderunt Mithridati. Bithynia omni paucos intra dies recepta, Rex Mithridates civitates obiens, pecunias apparatumque belli ubique ab hostibus relicta colligebat: cæterum quo clementius imperium speraretur, debita publica simul ac privata remittebantur. His ita ex præsenti usu ordinatis vocatos in concionem milites accurata oratione ad virtutem cohortatus, *intentos in signum profectionis esse* jussit, omnibusque uti voluerat paratis, Phrygiam Romani populi provinciam cum ingenti exercitu irrupit: ominisque caussa, ubi quondam Magnus Alexander stativa habuisse dicebatur, castra posuit. Naves Nicomedis Mithridati traduntur.

FINIS LIBRI LXXVII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.


ITHRIDATES Aſiam occupavit: Q. Oppium Proconſulem, item Aquillium legatum, in vincula conjecit: juſſuque ejus, quicquid civium Romanorum in Aſia fuit, uno die trucidatum eſt. Urbem Rhodum, quæ ſola in fide permanſerat, oppugnavit, & aliquot præliis navalibus victus receſſit. Archelaus præfectus Regis in Græciam cum exercitu venit; Athenas occupavit. Præterea trepidationem urbium inſularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates ſuas trahentibus, continet.

Mithridatis res proſperæ. Appianus. Liv. Epitom. Florus 3.5.8. Plin. 5.29.

I. MITHRIDATES, ſimul tantum aggredi bellum, vimque Romanam laceſſere cœpit; eo proſperitatis curſu eſt uſus, ut proniora ei omnia quam votis optare auſus eſſet, viderentur. Phrygiam & Myſos & minorem Aſiam nemine obſiſtente percurrens, maximas urbes, opulentos populos, citra ſudorem atque ſanguinem recipiebat. Lyciam quoque ac Pamphyliam, & cætera ad Joniam uſque dimiſſis paſſim ducibus occupavit. Laodiceam Lyco flumini impoſitam, Q. Oppio Proconſule cum equitibus & mercede conductis tenente, præcone tantum ad mœnia miſſo, in deditionem accepit.

Laodicenſes Q. Oppium Regi dedunt. Liv. Epitom. Appianus.

II. Laodicenſes enim offerri ſibi veniam audientes, ſi Romanum ducem tradidiſſent; nihil contati dimiſſis mercenariis, Q. Oppium comprehenſum ad Mithridatem adduxerunt: ludibrio addito, ut lictores eum cum faſcibus præcederent. Et hunc quidem Rex cætera illæſum, vinculorumque immunem, quocumque pergeret, circumducebat, Proconſulem Romanum à ſe captum civitatibus gentibuſque obiter oſtentans. Sed in M. Aquillium, poſtquam & ille in manus ejus incidit, multa aſperitate uſus eſt: quod is & legationis Aſiaticæ, & belli contra Ponticos ſumendi præcipuus auctor exſtitiſſet.

Et Lesbi M. Aquillium. Liv. Epitom. Val. Maxim. 9.13.1. Appianus. Diodorus apud Valeſ. Velleius 2.18.3. Cic pro Scaur. Cic. pro L. Manil. c. 5. Appianus. Plin. 33.3.

III. Hunc Mitylenis ex ægritudine decumbentem, Lesbii maximam à Mithridate inituri gratiam, ſi vivum traderent, robuſtiſſimos juvenum miſerunt à quibus comprehenſus atque vinctus eſt. Alii quoque Romanorum eadem perfidia correpti. niſi quod unus adoleſcens hoſtilem ſævitiam voluntaria morte antevertit. Quo magis crimini Manio datum, quod vir triumphalis & ſenex, vitæ deſiderio victus, extremæ ſervitutis mala perferret. Rex enim vinculis & verberibus atque omni ſupplicio excruciatum aſino miſerum impoſuit: ſecumque ducens in agmine ſubinde, *Manium ſe eſſe*, proclamare coegit. donec in Pergamenam urbem ventum eſt. ibi ut ipſi non modo, ſed etiam univerſo nomini Romano exprobraret avaritiam, aurum liquefactum in os ejus infudit.

Epheſii Romanorum ſtatuas dejiciunt. Eutropius. Appianus.

IV. Inde præfectis ubique impoſitis, Mitylenen adiit. mox in Joniam uſque proceſſit, ac Magneſiæ, deinde Epheſi gratanter exceptus eſt. Epheſii quum aliis rebus omnibus eximia in Regem ſtudia declararunt: tum etiam Romanorum

quas in urbe sua collocaverant statuas, everterunt. quo nomine non ita multo post acerbe mulctati sunt. Ex Jonia revertenti Stratonicea portas clausit, non ignobilis Cariæ civitas. Igitur post deditionem pecuniam exegit ab oppidanis, præsidiumque imposuit. Dum in his curandis occupatur, forte puellam egregiæ formæ conspicatus, Monimæ nomen erat, Philopœmenis Milesii filiæ, aureos ei quindecim millia dono misit, concubitum virginis expetens.

Strab. lib. 14. Appian. Plutarch. Lucul. cap. 36.

V. Sed illa pudicitiam divitiis anteponente, quum nec expugnare blanditiis animum ejus posset; neque vim adhibere vellet: eo postremum adductus est, ut justas cum ea nuptias contraheret, missoque diademate *Reginam* appellaret. Hæc per otium agendi tempus Regi Romanæ Urbis discordiæ dabant: quibus prohibitus Sulla maturare expeditionem nequiverat. Sed & nummariæ rei difficultas non parvum festinanti impedimentum se objecerat. tantum inopiæ uno intestini belli biennio effectum erat.

Mithridates Monimam ducit.

VI. Neque deerant omnino pecuniæ, sed paucos intra sinus condebantur. quos inter Cn. Pompejus Strabo, qui Asculum omni refertum opulentia ceperat, de tantis manubiis in ærarium intulerat nihil; bellator fortissimus, sed avaritia inexplebilis. Igitur loca quæ in circumitu Capitolii Sacerdotibus & sacris jam à Numæ temporibus erant dicata, subjecta hastæ & publice divendita sunt. Auri inde redactum millia librarum novem: ea sola tantum ad bellum proficiscenti de publico data pecunia est.

Cn. Pompeji avaritia. Orosius. 5. 18. Plutarch. Pompeio c. 1. Appian.

VII. Interea Mithridates pluribus exædificandis navibus operam dabat, quo Rhodios, quæ cæteris deficientibus, aut vi abstractis, sola civitas Asiatica, præter Magnetas Sipyli accolas, in fide Romana mansit, ad obsequium cogeret. Cognito deinde cives Romanos, quorum ingens erat per Asiam negotiandi gratia dispersus numerus, passim apud urbes destinatis suis impedimento esse conari; consilium cepit crudelissimæ calliditatis, clam misso ad magistratus locorum edicto, *uti ad diem trigesimum postquam datæ ex literæ essent, quotquot in suis quique urbibus haberent Romani generis homines, cum liberis & uxoribus atque etiam libertis qui Italici sanguinis essent, occiderent.*

Mithridatis apparatus contra Rhodios. Liv. Epitom. 81. Val. Maxim. 9. 2. 3. Florus. 3. 5. 7. ic. pro L. Manil. cap. 76.

VIII. *Cæsos autem inhumatos projici* jubebat: bona cum interfectoribus partiebatur. Sed & minæ adjectæ erant, *si quis aliquem ex eo numero aut celare vivum, aut sepelire mortuum ausus esset. contra, servis heros interfecturis libertatem; debitoribus dimidium æris alieni præmii loco* promittebat. Dubites scelestius hæc à Rege excogitata, an ab Asiaticis facta sint. Postquam constituta dies adfuit, miserrima per omnes Asiæ urbes spectacula edebantur.

Ejusdem crudelissimum edictum. Orosius. 6. 2. Appian. Velleius 2. 18. 2. Auct. de Vir. Illustr. c. 77.

IX. Notabilis inter hæc Trallianorum amentia fuit: qui quos in urbe sua habebant Romanos, ne videlicet hospitali sanguine pollerent manus, Theophilo Paphlagoni jugulandos locaverunt, tamquam interessent. Atque illud singulari sævitia monstrum, compulsos intra ædem Concordiæ contrucidavit; etiam manibus quorumdam abscissis, quibus deorum complexi simulachra fuerant. Neque magna illa Diana, contra furorem Ephesiorum tueri supplices suos potuit: neque Pergamenorum Æsculapius, quo minus ad ipsa pulvinaria gladiis aut sagittis interficerentur.

Diodor. apud Vales. Trallianorum amentia. Acta Apost. Athenæus. 5. 14. Appian.

X. Adramytteni nando salutem quærere visos inter ipsas undas consequuti trucidarunt; infantibus fugientium liberis pelago mersis. Caunii quoque, qui

Addramyttenorum & Cauniorum sævitia.

Liv. Appian. devicto Antiocho Rhodiis attributi, deinde ab horum dominatu Romanorum beneficio liberati fuerant: Italos ad sacratam urbis curiam concurrentes ab ipsis aris diripuerunt: raptosque ab ulnis matrum infantes ante ora ipsarum, ipsas deinde, & postremo viros eorum interfecerunt. Soli omnium qui Mithridatem verebantur Coi, Romanos in Æsculapii templum introductos, vetusto asyli jure tutos præstiterunt.

Tacit. 4. 14. 3. Memnon. Val. Maxim. 9. 2. 3. ext. Occisorum civium Romanorum numerus.

XI. Hac tam improvisa clade intra eamdem diem diversissimis locis exstincta hominum circiter octoginta millia esse, satis intra auctores constat. Neque silentio prætererim atrocem Theophanis Lesbii calumniam, qua viri innocentissimi P. Rutilii famam lacerare est conatus: *Rutilii scilicet hortatu Mithridatem tantæ sævitiæ consilium cepisse*. Cæterum Theophanes illis quoque temporibus, quibus recens harum rerum erat memoria, se potius turpissime mendacem, quam Rutilium improbum ostendit: liberalibus literis perquam illiberaliter usus; qui in Historia scribere de Rutilio falsa crimina non erubuit, non ob aliud quam quia Rutilius de patre Cn. Pompeji vera scripserat.

Plutarch. Pompeio.

XII. Colorem fingenti nonnullum præbuit Rutilii, qui tum Mitylenis agebat, quum Romani occiderentur, incolumitas. Sed ille comperto togatos ad necem quæri, præsens periculum vestitus mutatione vitaverat. quæ cautio aliis etiam passim per Asiam saluti fuit. Sed hæc atque talia revolventi animo illa subinde cogitatio occursat, eos qui rerum gestarum monumenta conscribunt, nihil magnopere aliud, quam errorum atque suppliciorum humanorum commentarios texere.

P. Rutilius vestis mutatione servatur. Cic. pro Rab. Post. cap. 10. Athenæus.

XIII. Atque utinam hujus tantæ calamitatis caussam ut investigare non difficile, ita tollere promptum esset! Sed nos bellum cum natura suscepimus, ejusque certum & immutabilem ordinem, cujus auctor statorque DEUS est, neque scire curamus, neque respicere: deinde optime consulta male cecidisse questi, nos absolvimus, fatum & nescio quam Fortunam incusamus. Atqui nobis hoc jam à primo rerum conditore inditum insertumque fuerat; ut qui hæc omnia regit, neque bonis adversum, neque contumaciter pravis placabilem intelligere possemus. Eumdem tanta esse sapientia, tantisque viribus novimus, ut neque cujusquam astu circumveniri, neque cogi ingratiis queat. omnem igitur prudentiæ summam eo recidere, ut siquidem bene nobis esse velimus, hunc ante omnia faventem propitiumque habere debeamus.

Calamitatum humanarum origo.

XIV. Hæc vera atque indelebilia decreta rationi omnium insevit DEUS: at homines his contemptis ad quælibet alia, quæ deceptor atque deceptus animus suggerit, lubentius exerrant. & quum de cætero absonum atque indignum putent, pueros sapientia non vincere; in rebus longe maximis id modo pueriliter anteponunt, quod in præsentia jucundissimum videatur. Ergo & inter magnorum bellorum initia deprehensi, eo plerumque inclinant, unde præsens aliqua lucri spes adfulget, & dum hujus potiantur, fas fidem que, & si quæ alia præferenda omnibus erant, pro nihilo ducunt.

In rebus maximis pueriliter errant homines.

XV. Neque mihi aliquis Saguntum, & præterea paucos objecerit, qui pro fide extrema quæque perferendo perierunt. Longe major eorum est numerus, quos perdidit perfidia: & tamen si par omnium eventus fuisset, ingens inter utrosque discrimen communis inveniret sensus, quod alteri perierunt & laudantur;

Plures ob perfidiam, quam ob fidem pereunt.

alteri nec laudantur, & perierunt. Sed bene quod meliora plerumque exempla felici exitu non donavit DEUS: ut quibus hæc offeruntur, si sua sponte honestum amare nolint, saltem utilitatis caussa turpitudinem vitiorum sequi dediscant.

XVI. Mithridatici etiam belli casibus hæc approbata sententia est: quo cæteræ civitates Asiæ, postquam Pontici Regis caussa multa nefanda fecerunt, ab illo primum miserrime vexatæ, deinde à victoribus graviter mulctatæ sunt; Rhodios atque Magnetas, & ab hoste tutos virtus, & apud populum Romanum fides charos honoratosque præstitit. Nam Rhodii mœnibus portubusque communitis, machinas locis opportunis frequentes opposuerunt, à Telmissensibus quibusdam & Lyciis adjuti. Romanorum etiam omnium, qui vitare crudelitatem Asiaticorum potuerunt, interque eos L. Cassii, qui Proconsul erat Asiæ, receptus fuit. Id Mithridatici belli casibus ostensum. Appian. Mithrid.

XVII. At Mithridates instituta in Coum navigatione, prompte susceptus ab oppidanis, Alexandri qui nuper in Ægypto regnaverat, filium abduxit, Regioque secum cultu habuit. Sed ex thesauris, quos ibidem avia pueri Cleopatra posuerat, magnas opes, mundumque muliebrem, & alia lapillis aut arte pretiosa, signatæque pecuniæ vim minime spernendam in Pontum mittere non est oblitus. Reperit etiam ibidem pretium talentorum octingentorum, in auro quod Asiatici Judæi, ut Hierosolymam exportaretur, collegerant: deinde, quia Mithridatem metuebant, apud Coos, tamquam tutissimo loco deposuerant. Mithridates in Coum navigat. Strab. apud Vales. 14. 12. Cic. pro Flac. cap. 28. Joseph. Epitom. Liv.

XVIII. Omni continente Asiæ, insulisque in potestatem redactis, quum sola Rhodus resisteret, totis viribus in oppugnationem ejus urbis Rex incubuit. Jam ante plures in hunc usum naves fabricandas curaverat. his perfectis, cum ingenti classe ad insulam est advectus. Rhodii dirutis, ne qua hostibus adjumento forent, suburbiis, suas quoque naves instruxerunt, ita formata acie, ut aliæ recta in hostem ferrentur, aliæ à lateribus facerent impetum. Appian. Rhodum obsidet.

XIX. Sed Mithridates cum quinqueremi sua circumvectus, præcipiebat suis, *ut in altum recedentes producerent cornu, celerique deinde remigio pauciores Rhodiorum naves circumventas includerent.* Id priusquam fieret suspicata classis Rhodiorum, sensim è prælio se recepit: mox expansis velis refugit in portum. Ponticos celeriter insequentes opposita claustra prohibuerunt ingressu: simul à mœnibus ballistarum scorpionumque telis petiti, recesserunt. Ab hoc tempore Mithridates, donec pedestres copiæ advenissent, oppugnatione abstinuit: levia tantum certamina ad muros fiebant; quibus plerumque superiores Rhodii, magis magisque confirmabantur animis, paratasque ad audendum, si qua occasio se dedisset, naves habebant. Pugna navalis.

XX. Forte in onerariam ex Regiis præter portum vela facientem, Rhodia dicrotos invecta fuerat. ab hoc initio, quum utrimque ad suorum auxilium multæ naves adremigassent, in acre certamen contentio evaluit. Diu atque vehementer est pugnatum, quum dissimillimis caussis par utrorumque robur esset. Rhodiis ars gubernatorum, ordo navium, peritia remigum aderat: præfectorum quoque dexteritate, & navalium sociorum virtute præstabant. Pontici maritimarum rerum rudes, non minus inter sese, quam ab hostibus turbabantur. ita quidem flagitiose, ut Chia navis quæ Mithridati militabat, in prætoriam qua Rex ipse vehebatur illisa, magno illam impetu concussam tantumnon deprimeret. Alia pugna. Diodor. apud Vales. Appian. Diodor.

XXI. Animis tamen æquabant hostem, quod sub oculis Mithridatis pugna- Rhodii vincunt.

batur, cui fidem suam virtutemque approbare cupiebant. Ad hoc multitudine navium superiores circumdare hostes, & in medium acceptos undique urgere nitebantur. Sed id periculum Rhodii eadem qua prius arte vitarunt: trirememque unam cum ipsis viris captam remulco trahentes, multis armamentis atque spoliis onusti in portum redierunt. At postquam recensitis navibus abesse quinqueremem videre, ignari ab hostibus captam, quæsitum eam velociores cæteris naves sex de omni numero longarum emittunt: in his Damagoras erat, classis Rhodiæ præfectus.

Mithridates in Chios effundit iram. Liv. Epitom. Appian.

XXII. Vicissim à Rege naves quinque & viginti occurrere jubentur: quas Damagoras quum ad Solis occasum usque cedendo elusisset, recedentibus invectus duas depressit; totidem ad importuosa Licyæ litora compulit: & inter hæc nocte consumpta, postridie Rhodum reversus est. Mithridates quum tanto paucioribus par esse non potuisset; in Chios effudit iram, totique civitati minatus, gubernatorem navis quæ in suam accurrerat, cum proreta supplicio adfecit. Sub eosdem dies, quum pedestris exercitus Regis onerariis & triremibus adveheretur, repentinus turbo partem earum navium in Rhodium litus impegit.

Leonicum captũ à Rhodiis redimit. Val. Maxim. 5. 2. ext.

XXIII. Rhodii impigre evecti in adflictam tempestate sparsamque classem, naves quasdam cum viris quadringentis abripuerunt, alias perforatas merserunt alto, aut injecto igne exusserunt. Nescio hac an superiore aliqua navali pugna captus Leonicus fuerit: qui se acerrimum salutis Regiæ defensorem aliquando ostenderat. hunc igitur ut recuperaret, quotquot habebat Rhodiorum captivos, pro uno corpore reddidit. Deinde obfirmato ad expugnationem animo, simul ad navale aliud prœlium, simul ad tentanda mœnia cogitationes intendit.

Urbem noctu conatus occupare.

XXIV. Forte proditores quidam clivum ei monstraverant, juxta Jovis Atabyrii delubrum, qua parte qui primi exstruxerant mœnia, quod altitudini situs confiderent, breviore contenti muro fuerant. Sed clivum adscensu non difficilem esse transfugæ confirmabant. Igitur noctu copiis in naves impositis, *silentio admovere naves* jussit, *donec in Atabyro monte fax tolleretur; deinde quanto possint cum clamore ac impetu ad locum cuique adsignatum decurrere*. Nam ita partitus erat operas, ut donec pars exercitus cum scalis ad mœnia vim tentat; alii ad portum terrorem facerent.

Fortuito casu occasionem amittit.

XXV. Sed id quidem consilium, ut multa alia ejusdem, casus elusit. Excubiæ Rhodiorum, quum forte surdum strepitum audivissent; ignem extulerunt. id prope Atabyrum factum Mithridatici putantes, signumque suum arbitrati, ex altissimo silentio simul repente omnes horribilem clamorem ediderunt. Rhodii contra, alacriter clamore reddito, quum ad mœnia confertim currerent, Regios ne per noctem aliquid auderent, absterruerunt. luce dein orta, ut homines non ad prœlium, sed ad furtum noctis egressos, haud magna male submoverunt.

Et à Rhodiis repellitur. Jul. Obseq. 116.

XXVI. Ad Isidis tamen fanum haud mediocris illatus terror est, ubi sambucam duobus navigiis junctis impositam Mithridates applicuerat, & ab ingenti machina, plurima simul tela hastasque late spargebat, & arietem inde ad pulsanda mœnia admovebat. Juxta frequens manus cum multis scaphis aderat, scalas ferens, & oppugnationi parata. Resistebant tamen egregie Rhodii, neque laboribus aut periculo fatigabantur: donec Mithridatem major vis amovit, nam

& sam-

& sambuca præ pondere subsedit, & Isidis apparuit species, copiosum ignem fulminis in modum eidem machinæ immittens. Appian. Solin. cap. 24.

XXVII. Postremus hic adversum Rhodios conatus Regis fuit. Frustra videbat operam copiasque & tempus perdi ad firmissimam urbem, quæ portuum murorumque munimentis, omnique apparatu parem eo tempore non habebat; & à peritissimis rei nauticæ hominibus, atque inter sese legibus optimis egregie conjunctos defendebatur. Ad Patara hinc ductus est exercitus: ubi iterum iniquos expertus est, quos vocabant deos. Quum enim, quia machinis exædificandis materia deerat, lucum Latonæ dicatum succidere cœpisset, minaci somnio territus destitit. Ergo ab obsidione Rhodi recedit. Appianus.

XXVIII. Sunt qui *lucum Furiarum succidi cœptum* scribant, *sed ingenti risu, cujus auctor non apparebat, deterritos, qui in opere erant. inde quum haruspicis jussu Furiis virginem Mithridates immolaret, è jugulo puellæ risum ortum*. Igitur Pelopida Lycium bellum administrare jusso, principem amicorum Archelaum cum magnis copiis in Græciam misit. ipse Pergamum secedens delectibus agendis, parandisque armis, & interim Monimæ amoribus operam dabat: simul cognoscebat caussas Asiaticorum principum, *quorum petitus insidiis* dicebatur, *quive res novare, aut omnino Romanis studere* arguebantur. Lucum Furiarum succidens, terretur. Jul. Obseq. Appian. Plutarch. Sulla. cap. 22. Appian.

XXIX. Inter hæc, Sulla adhuc in Italia faciente apparatus, variisque impedimentis retento, Cn. Octavius, L. Cornelius Cinna Consulatum inierunt. Cinna, licet ultimis exsecrationibus, nihil contra Sullæ rationes, & ordinatam ab eo Rempublicam facturum, se adstrinxerat; fidem adeo non præstitit, ut nihil magis haberet cordi, quam quemadmodum Sullam citissime ex Italia submoveret, ne consiliis suis impedimento esset. Deinde ad diversa consilia detrusus, contanti, & reliqua prius ex usu suo componere volenti, accusationem struxit; diemque dicendam curavit per M. Verginium Tribunum plebis. Urb. cond. ann. 666. Cinna Consul rebus novis studet. Plutarch. Diod. apud Valef.

XXX. Ea fuerant erantque tempora, ut deesse criminandi materiam non posset. *Hominem superbum & ambitiosum* dicebant *olim prædicare solitum, sibi summam in omnes & omnia potentiam deberi. Ab hac cupiditate, non ab aliqua injuria sua, exstimulatum fuisse, ut nefarium patriæ bellum inferret, dominamque gentium, & hostilibus armis intactam urbem, civis, & si diis placeret, Consul expugnatam captamque cruentus ingrederetur*. Criminationes in Sullā: Cic. Bruto. cap. 48.

XXXI. *Scilicet egregium impio facinori colorem induci, quod decretam ab Senatu provinciam inimici eripuissent; eam injuriam hominem generosum pati nequivisse! Sane datum Mario jussu populi Mithridaticum bellum: neque referre, si prius L. Sullæ Senatus idem decrevisset. Non minoris æstimandum fuisse Marium toties Consulem, quam fuerit inprimo Consulatu: neque cum Q. Metello Numidico Sullam comparari posse: neque minus modo fuisse juris populo Romano, quam ante annos viginti fuisset*. Illius prætextum nauci fuisse.

XXXII. *Sed tum quoque Numidiam provinciam, quamquam ab Senatu Metello decretam; populum Romanum C. Mario dedisse. neque ideo Metellum Urbi bellum indixisse. Sullam vero, ne quidem sanguine aut exsilio tot illustrium civium satiari potuisse, aut vindicta, licet nimia sane fuerit, placari: ne ultro Rempublicam everteret, statumque immutaret civitatis. Scilicet non dolore, nec cupiditate ultionis, sed spe & desiderio regnandi, impetum in leges, in mores, in populi Romani jus auctoritatemque fecisse. quorsum enim alias. Tribunitiam coër-* Plura passum Q. Metellum, Sulla majore.

cere potestatem vellet, nisi ut ipsam invaderet arcem libertatis? Ferme quadringentorum annorum experimentis esse cognitum, Tribunatum plebis quasi Palladium populi esse, quo sublato, interire ipsum, aut certe servire necessum sit.

Defensio pro Sulla.

XXXIII. Ex diverso non amici modo Sullæ, sed qui omnino quietem ac pacem amabant: *Tribunatum omnium in Urbe seditionum unicam originem, recte atque ordine justos intra fines cobibitum* adseverabant. *Neque Sullam aut sine caussa, aut ultra modum, aut postremo solum fecisse, quæ fecerit. Hominem Sociali bello de Republica optime meritum, Consulem populi Romani, vigentem ætate & armorum gloria, nihil fecisse novum aut mirum; si eripi datam ab Senatu provinciam ægre sit passus. sed neque è Republica fuisse, ut ad tantum bellum exacti jam ævi, exhaustarum virium, & cui modo difficilis in Italia militia fuisset, trans mare mitteretur.*

Adversariorũ ejus sævitia, taxatur.

XXXIV. *Sed nec ibi substitisse adversariorum insolentiam: verum etiam ad sanguinem ac cædes erupisse. Filium Consulis, eumdemque Consulis alterius generum occisum: patrem ejus fuga; socerum dissimulatione & temporibus obsequendo, vix retinuisse vitam. Sullæ vero sicuti dolorem non injustum, ita modestiam in victoria singularem fuisse. De sententia Senatus & optimi cujusque constitutam Rempublicam; liberrima Magistratuum comitia fuisse.*

Sullam nihil nisi consensu collegæ egisse. Cic. Brut. cap. 48.

XXXV. *Atque hæc omnia socio & adjutore Q. Pompejo gesta; ut duorum Consulum voluntate ac consensu fierent. neque aliud oppressos tyrannide factionum Patres optavisse. Quid vero stultius, siquidem violentia arguatur Sullæ, quam irritare impetum, quo violata omnia modo ac eversa queraris. Scilicet L. Cinnam novum Consulem, & Verginium hac balbutie Tribunum, laturos tempestatem, cui summa gloria belli, summaque facundia viri, C. Marius, P. Sulpicius succubuissent?*

Eumdem nunc reprimi non posse.

XXXVI. *Et iis cum incipientibus adhuc Sullæ opibus negotium fuisse; nunc pugnandum fore cum confirmatis. Eosdem illos milites, qui nullo dum exemplo portas Urbis hostiliter essent ausi recludere: nunc feliciter tentatã vim, quoscumque juberet Imperator, incontanter adhibituros. Præterea quod neque fieri oporteat, neque possit, ut Sulla legibus reus peragatur; id hoc tempore neque optandum postulandumve fuisse. Universam Asiam erumpentes ab Euxino Ponto barbaros velut diluvio inundasse: trucidata tot civium Romanorum fœdo exemplo esse millia: Regem nomini Romano inimicissimum instare, urgere.*

Ne debere quidem, si maxime posset. Plutarch. Sulla, cap. 30.

XXXVII. *Ab eodem fidelissimos socios, unicam hostilium successuum moram, Rhodios oppugnari. His temporibus detineri paratum ad hæc corrigenda Imperatorem, eorum potius esse, qui perditam, quam qui salvam Rempublicam cupiant.* Sane etiam iis qui abessent Reipublicæ caussa negotium creari lex Memmia vetabat. Igitur ejus beneficio L. Sulla, Tribuno & judicibus valere jussis, in Asiam est profectus. *Iisdem diebus, quo Sullana classis ab Italia solvit, multa Mithridati terribilia ostenta objecta esse* memorant. *& inter alia Victoriam adulatione Pergamenorũ tali artificio fabricatam, ut quasi de cœlo descendens, coronam Mithridati imponeret; quum ferme caput ejus attigisset, subito & occulto machinæ vitio hæsisse. dimissamque è manibus ejus coronam de theatro ita procidisse humi, ut confringeretur, nõ sine ingẽti horrore populi, ut Regis ipsius consternatione.*

XXXVIII. Inter hæc profectus in Græciam cum magna classe Archelaus, Cycladas in potestatem Regis redegit; aliasque item insulas ad Maleam usque; Eretria quoque & Chalcide, totaque simul Eubœa potitus. Eo tempore Delus, à Metrophane præfecto Regio direpta est: quum sine muris & præsidio, sacrorum veneratione ad id tempus defendi soleret. *In eo tumultu convulsum à barbaro quodam Apollinis Delii simulacrum, & in mare per contumeliam missum, ferentibus undis ad Laconiæ oppidum Bœas appulisse* autumant, ubi deinde fanum Apollinis *Epidelii* cognomento Bœatæ dedicarunt.

Archelaus Prætor Mithridatis. Appian. Florus. 3. Plutarch. Memnon. Pausan. lib. 3.

XXXIX. Alia quoque diversis insulis castella a Regiis expugnata sunt: occisis ubique circiter viginti hominum millibus, maximam partem Italicis. Ea loca Atheniensibus Archelaus attribuit, à quibus defecisse dicebantur. Athenas enim Regiis partibus Aristion quidam adjunxerat; adeò nullis vel ad cogendum vel ad suadendum præsidiis instructus, ut nihil relinquatur hæc legentibus, quam Græcam levitatem admirari.

Athenæ Regiæ partes sequuntur. Appian.

XL. Eum Aristionem ex Aristotelis, vel ut alii malunt, ex Epicuri schola sophistam, Athenienses ad Mithridatem legatum miserant: & Rex benigne acceptum, quoniam magni æstimabat Athenienses habere socios, in amicorum cohortem receperat: ejusque opera in legationibus ad Græcas urbes utebatur. Atque ille sæpe domum missitando literas, *gratiam suam, Regisque magnitudinem* extollebat. *hujus amicitiam si amplecterentur, & mulctas à Romanis dictas facturos lucri; & restituto populi imperio, maxima publice privatimque à Rege munera impetraturos esse.*

Impellente Aristione. Posidon. apud Athenæ. 5. 11. Pausan. lib. 1. Posidon.

XLI. Ita levissimæ parti populi facile persuasum est: & quum appareret quid esset futurum, optimates qui Romanarum partium erant, mature excesserunt. cum quibus & princeps Academiæ Philo Romam profectus est. Interim Aristio cum sacra quæ in Delo fuerat pecunia, & duorum millium militum præsidio quod Archelaus adjunxerat, Athenas rediens, tempestate abreptus apud Carystios appulit. Hoc ubi populo Atheniensi compertum, longæ naves ad deducendum eum mittuntur, cum sella argenteis pedibus fulta.

Qui revertus Athenas. Pausan. Cic. Brut. cap. 89. Appian. Posidon.

XLII. Advenientem effusa civitas excepit, plerique cæca in Mithridatem benevolentia, quidam ut spectarent inopinatum fortunæ ludum, quod obscurus, ancillæ filius, adscripticius Athenarum civis, majore fastu, quam Romanorum magistratuum spectatus quisquam fuerat, adventabat. Occurrerant inter cæteros & Bacchici artifices, *Liberique junioris* (ita Mithridates vocari cœperat) *nuncium, ad communem focum, epulasque & sacrificia* invitabant. nam propter felicem ejus reditum sacra faciebant, & præcone publice proclamante libabant.

Cum magno fastu urbem ingreditur. Plut. Sympos. Posydon.

XLIII. Ille in domum splendidissime instructam degressus, postridie cum insigni vestitu, & annulo cui Mithridatis insculpta effigies erat, cum magna antecedentium prosequentiumque turba, in publicum processit. Jam arctatæ plateæ erant exitum ejus præstolantium turba, maximusque peregrinorum oppidanorumque numerus spontanea concione Ceramicum impleverat. circa ipsum præcipue premebat inter se populus, satellitum vicem comitantibus hastatis, qui ut populo placerent, hoc munus rapuerant. alii pro magno ducebant, si vel vestimenta hominis possent contingere.

Et honorifice exceptus.

XLIV. Ante porticum Attali exstructum tribunal erat, unde concionari Pro-

Concionem ad populum habet.

consules Romani consueverant. Hoc conscenso Aristion, circumspectans in orbem, deinde sublatis in cœlum oculis; *Res ipsa me cogit, Athenienses, patriæque charitas*, inquit, *ut quæ mihi comperta sunt, non reticeam: vicissim eorum quæ dicenda sunt gravitas, & incredibilis rerum conversio vocem intercludit*. Adhortantibus deinde cunctis, ut proloqueretur: *ergo igitur dicenda sunt*, inquit, *qualia ne per somnium quidem exspectare quisquam potuisset*.

Mithridatis progressus exponens:

XLV. *Rex Mithridates Bithyniam obtinet, atque Cappadociam; Asiam prætera omnem ad Pamphylios usque & Cilicas. Reges Armeniorum Persarumque in satellitio habet; Mæoticosque Regulos, & qui Ponti universum illum ambitum per triginta stadiorum millia possident. Romani vero duces, Q. Oppius Pamphyliæ Proconsul in vinculis sequitur, Manius Aquillius Consulatu functus, & Siculo triumpho insignis Bastarnam quemdam quinque cubitorum hominem, catena eadem vinctus, sed equitem pedes sequitur*.

Et Romanorum calamitatem.

XLI. *Cætera togatorum turba vel ad ipsa numinum simulacra effudit spiritum, vel abjecto patrio cultu palliorum beneficio servat. Civitates autem omnes augustioribus quam hominem fas est honoribus exceptum, Deum fatentur & nuncupant. oracula quoque passim hunc designatum à diis dominum & rectorem orbis canunt. Sed & adsunt ab ipsa Italia legati; adsunt & ab ipsa Carthagine; & ad evertendas Romæ opes, amicitiam Regis & societatem expetunt*.

Athenienses hortatur.

XLVII. Hæc ubi dixisset, silentio interposito, quum capita inter se conferre homines, & de rebus tam inopinatis differere videret; perfricuit frontem, & resumpto sermone: *Quid igitur vobis consulam?* inquit. *Quid enim aliud? quam ut Rempublicam sine certo imperio diutius esse ne sinatis. Senatus Romanus urbis nostræ ad se revocavit arbitrium: vetuitque magistratus officio fungi, priusquam ipse quid fieri vellet constituisset. Ergone clausas adspiciemus deorum ædes, squallentia gymnasia, theatri hanc solitudinem, & hoc silentium fori sacram Jacchi vocem non audiemus amplius? Quid autem deorum responsis consecrata Pnyx? quid vetustissimis religionibus venerabile Castorum templum? ipsæ denique philosophorum scholæ? perpetuane oblivione damnabuntur, & velut in capta diruptaque urbe conticescent?*

Pausan. lib. 1: Polidon. ap. Athenæ. 5.13. E tab iis Prætor creatur.

XLVIII. His atque talibus animatum vulgus, & inter sed tumultuarie colloquutum, in theatrum se proripit, & *quod bene vertat, imperium atque Pratu(?) ram Aristioni* decernunt. Ille quum in orchestram adscendisset, gratiis populo actis, postremo hæc adjecit: *quandoquidem ergo Reipublicæ summa ad vos rediit; vestris autem sententiis ego lectus sum princeps: æquum est, ut non minus ego possim, quam universi potestis atque polletis*. statimque juris usurpandi caussa, nomina quorundam, quos collegas esset habiturus, edidit.

Appia. Mithr. Polidon.

Arripit Tyrannidem.

XLIX. Neque multos post dies, præsidio militum Archelai fretus, aperte arripuit tyrannidem, grassarique in optimum quemque aut locupletissimum mira ferocia & crudelitate cœpit. Unde quum ex urbe multi profugerent, custodias in portis posuit. at illi noctu è muris demittebantur. Igitur emissis qui fugientes persequerentur equitibus, multi ab his occisi sunt, alii in vinculis retracti. Sæpe inter hæc prodibat in concionem cum armato satellitio, *multosqe studere Romanis* insimulans, *resque novas moliri, ac clam ad profugos missitare* complures hoc crimine sustulit: aliis ademit bona, tantumque his rapinis

congessit nummorum, ut etiam puteos aliquot compleret pecunia, nec enim civium tantum sed etiam peregrinorum facultates diripuit. sed nec à Delii Apollinis pecunia sacrilegas abstinuit manus.

L. Quoties alicui dixisset perduellionis diem, inter judices ipse quoque suffragium ferebat. sic qui semel factus esset reus elabebatur nemo: eratque tantumdem postulatum aliquem hoc judicio, quam conuictum atque condemnatum esse. Unde cæteri exterriti, simul deferri nomen suum intellexerant, in exsilium proficiscebantur. Sed Aristion fuga illorum minime contentus, sanguinemque sitiens ter denis adpositis militibus ne quis egredi se invito ingrediue posset, portas custodiebat: & quotquot ab insidiatoribus passim per agros dispositis excipi potuerant, eos indicta caussa excruciatos supplicio capitis adficiebat. sed & inter ipsa tormenta multi emoriebantur.

Ipse accusator est & judex:

LI. Quum sic quoque præsentium malorum sensu, minas impendentium vincente, multi profugerent; edixit per præconem, *ut sub occasum diei domi suæ quisque esset; nec inde postea, vel cum laterna aut funali egrederetur*. Cæterum Athenis hunc in modum ad Mithridaticas partes adductis, Archelaus tamquam arce belli usus, alias quoque Græciæ ciuitates à Romanis abalienauit. Inter hos Achæi fuerunt, & Lacedæmonii, eum universa Bœotia, nisi quod una Thespiensium urbs obsidionem pati maluerat. nam Thebani, sive propter amicitiam Atheniensium, siue leuitate quadam animorum, ultro partibus accesserunt.

Plutarch. Sulla c.at. Appianus Mithrid. Memnon. Pausan. lib. 9. Pausan. lib. 3. Plutarch. Achæi & Lacedæmonii deficiunt ad Archelaum.

LII. Inter hæc Metrophanes qui Delum spoliauerat, cum Regia classe vagatus, agros circa Demetriadem, itemque Magnetas, & si qui alii dominationem Regis abnuebant, populabatur. Sed hunc Bruttius Sura, C. Sentii Macedoniam obtinentis legatus, cum paucis suis nauibus aggressus, nauem unam cum hemiolia depressit; & omnes qui his vehebantur, inspectante Metrophane concidit. quem contentis velis fugientem negotiatores, qui crudelitatem Regiorum Deli effugerant, ex insidiis adorti, noua clade adfecerunt. Bruttius ad Sciathum insulam appulsis nauibus, ubi prædarum receptaculum barbaris erat, oppidum expugnavit, seruos in crucem egit, liberorum amputauit manus.

Bruttius Sura Metrophanem fugat.

LIII. Inde profectus in Bœotiam, quum mille præterea hominum equites peditesque ex Macedonia ad eum peruenissent; ruenti torrentis instar Archelao, paruis copiis, sed excellenti animo prudentiaque fretus se opposuit. Apud Chæroneam cum Archelao & Aristione triduo continuo est dimicatum: & contra horum vim atque potentiam Bruttii virtus inuicta stetit. Quum æquo Marte certatum esset; Archelaus eo ipso se inferiorem judicans, quod superior esse non potuisset, omissa Bœotia ad mare cessit. donec Lacedæmoniorum Achæorumque auxiliis auctum, Romanus amplius lacessere non ausus, Piræei munitionibus se continuit, ad id usque tempus, quo præmissus à Sulla L. Lucullus Quæstor, *abstinere Bruttium aliena provincia* jussit. Tum enim vir laude dignissimus, quamuis omnia supra votum processerant, & integritate ejus allecta Græcia Romanam amicitiam respiciebat: ne quid præter leges faceret, in Macedoniam reuersus est. Archelaus discessu Bruttii cognito Piræeum admota classe statim recepit.

Archelao se opponit. Plutarch. Appianus.

FINIS LIBRI LXXVIII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

L. Cornelius Cinna quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus Urbe à Cn. Octavio collega, cum sex Tribunis plebis: imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, & bellum Urbi intulit; accersito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus, in quo bello duo fratres, alter ex Pompeji exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt: & quum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, & eodem igni consumptus est. Et quum opprimi inter initia potuisset, Cn. Pompeji fraude qui utramque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, & Consulis segnitie confirmati Cinna & Marius, quatuor exercitibus, quorum duo Q. Sertorio & Carboni dati sunt, Urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit, & crudeliter diripuit.

L. Cinnæ perniciosæ leges. Liv. Epitom. Appianus. lib. 1 civil. Liv. Epitom. Appianus. Vellei. 2. 20. Diodorus. Flor. 3. 21. 10.

I. L. Sulla ex Italia profecto, L. Cornelius Cinna Consul, homo fœdus & seditiosus, occasionem nouandi res adesse ratus, corruptus insuper, ut suspicio fuit, septuagies sestertio, perniciosas ferre leges cœpit, ab iisdem illis orsus, quas nuper auctore Mario P. Sulpicius in Tribunatu promulgauerat: *ut novi cives in omnibus Tribubus suffragia ferrent*. ad quam legem sciscendam ex uniuersa Italia ciuium nouorum multitudo ingens concucurrit. E diuerso veteres, & quicumque quieta Republica gaudebant, refragabantur. Apparebat enim rem ad reuocandos exsules spectare: renouandamve malorum istorum acerbitatem, unde paulo ante vix eluctata ciuitas fuerat.

His obviam it Octavius, Cinnæ collega.

II. Idcirco postquam Cinnani cum siccis veste tectis in forum conuolauerant, *antiquas in Tribus recipi* postulantes: melior pars ciuitatis ad Consulis Octauii domum, ne ipsa quidem inermis, confluxit. Is quorsum euasura res esset animo circumspectans, ubi majorem Tribunorum partem intercedere legi audiuit, sed eosdem à novis civibus stricto ferro de Rostris deturbari; ad auxilium ferendum per sacram viam cum magno civium agmine decurrit in forum, disjectisque adversariis Cinnam reverentia paris potestatis, & solita ingenii lenitate declinans, in ædem Castorum deflexit.

Cinnani vincuntur. Velleius 2. 22. Appianus. Liv. Epitom. Velleius. Plut. in Sertorio, cap. 6.

III. At comites ejus non expectato Consulis jussu impetum in novos cives fecerunt: cæsisque non multo minus decem millibus, reliquos ad ipsas usque portas Vrbis insequuti sunt. Cinna quum præter exspectationem suam, fusos fugatosque à paucioribus multos videret, per Vrbem discurrebat, servitia ad pileum vocans. Sed accedente nemine pulsus ab optimatibus in Campaniam contendit, omnes quas in itinere adierat urbes cohortatus, *ut jus civitatis nuper acceptum totis*

animis tuerentur, pecuniasque conferrent. Hoc apud Tiburtes & Prænestinos, & alios qui ad Nolam usque colunt, egit. Agell. 14. 8. Val. Max. 8. 2. 2. 7.

IV. Neque Senatorii ordinis viri adjuvandis Cinnæ cœptis deerant, C. Milonius ante alios, Cajus Marius, magno illi Mario cognominis, & ob Tribunatus repulsam infensus Sullæ Q. Sertorius. Nam post Atiniam legem, Senatores Tribunatum plebis petebant: quum antiquitus contra fuisset, quia tum Tribunis plebis intrare Curiam non licebat, sed subselliis ante valvas positis consulta Senatus examinabant. Igitur Sertorius Sulla Consule Tribunatum petens, illo adversante cupitis exciderat: neque enim conducere suis rebus Sulla arbitrabatur, ut quam deprimere potestatem cupiebat, eam viro acri atque diserto committi pateretur.

Q. Sertorius Sullæ odio, ad Cinnam transit. Plutarch. Sertorio c. 3. Cic. Brut. c. 48. Liv. Epitom. Appianus. Auct. de Vir. illustr. c. 69.

V. Quippe Sertorius ita versatus in foro fuerat, ut adhuc adolescentulus nonnullam in Urbe potentiam caussis agendis comparatam obtineret; & postea Senator, si claros oratores paucos excipias, ea existimatione ageret, ut non alius ejus ordinis solutius acutiusque dicere putaretur. Cæterum quum ex Urbe Cinna profugisset, Senatus ei, quod Rempublicam Consul deseruisset, & ad libertatem vocasset servitia, magistratum abrogavit: in locum ejus L. Cornelio Merula, qui Flamen Dialis erat, suffecto. His Cinna compertis quum Capuam venisset, ubi Ap. Claudii exercitus erat, conciliatis sibi Tribunis, & quotquot forte ab Urbe Senatores aderant, Consulari habitu in publicum progressus, mox profusis abunde lacrhumis *discedere cum fascibus lictores* jussit.

Appianus. Liv. Epitom. Cinnæ Consulatus abrogatur.

VI. *Et hos quidem*, inquit, *vestro hactenus beneficio habui, cives, populi suffragiis creatus Consul. sed inconsulta plebe honorem mihi Senatus abstulit: acerba omnino ignominia, sed in qua plus vestram irascor vicem, quam meam doleo. nam mihi quidem unius anni magistratus, vobis in omne tempus jus vestrum, & si animadvertitis, libertas periit. Quid enim postea demereri plebem studeant candidati? aut quorsum vos comitiorum potentes, vestraque in manu Consulatus atque imperia esse creditis, si tam infirma atque instabilia beneficia vestra sunt, & quæ bene de vobis meritis dedistis, ea per male meritos tam facile auferuntur.*

Cinnæ Oratio, Capuæ habita.

VII. Simul multa de Republica, multa de suis injuriis questus, veste lacerata de tribunali desiliit, & in mediam concionem misso corpore diu jacuit humi, donec permoti misericordia qui aderant, erexerunt hominem, & in suggesto reposuerunt; redditisque lictoribus *bono animo esse* jusserunt: *se ubicumque opus esset, auspicia ejus sequuturos.* Hac inclinatione vulgi usa pars Tribunorum antea corrupta, conscendit tribunal, sacramentoque dicto, suos quisque in verba L. Cinnæ Consulis adegit.

Exercitus Ap. Claudii Cinnam sequitur.

VIII. Quibus rebus perfectis, circum urbes sociorum discurrit, qui nuper erant in civitatem lege Julia recepti, quocumque advenisset, tali ferme oratione usus. *Consulem populi Romani, an vero exsulem ad vos venisse putetis, interest, cives. Illum mihi honorem libera civium suffragia dederunt: hanc fortunam captus adversariorum potentia Senatus imposuit. cum utra parte vos sentiatis, tametsi dubitare non debeam, malo tamen ex vobis coram cognoscere. Mihi sane curæ cordique fuit, ut quæ vobis concessa dataque dicitur civitas, ejus jure commodisque vere frueremini: neque veteribus civibus meis fieri injuriam rebar; si per me effectum esset, ut vobiscum, hoc est, cum amicis cognatisq; suis, stabili pace atque concordia coalescerêt.*

Ejusdem oratio ad novos cives.

IX. *Sed videte quanta sit hominum iniquitas, & quanta invidia? nullam potius*

Adversariorum iniquitatem accusat.

civitatem suam, quam vobiscum esse communem volunt. Idem ille Senatus, cujus nunc nomen sceleſtiſſimis consiliis præscribitur, paulo ante senserat, non alia ratione retineri Imperium, pacari Italiam, servari Urbem posse, quam si fidelissimi sociorum data civitate, in eamdem caussam pertraherentur. Atqui hoc consilium, quum non prudens modo & humanum, sed etiam felix fuisset, eoque pacto Sociale bellum ad tenues redactum reliquias esset: exstitere tamen, qui per summam improbitatem turbare composita mallent, quam turbis desideratum diu finem imponere.

Nondum sopito Sociali bello, civile excitantium.

X. *Igitur qui paulo ante quibusdam Italicis gentibus male resistebant, quamquam adjuti à cæteris, non quidem penitus quietam domi Rempublicam, sed tamen tolerabiliter agitatam haberent; iidem nondum plane exstincto veteri bello, novum & civile parant: super priores hostes, partem antiquorum civium, & omnes eos populos, quorum auxilio prius usi sunt, adversarios habituri. Nam profecto aut graviter fallor, aut ii non estis, qui deludi vos feratis, sub tam iniquis & impudentibus dominis, pristinam servitutem novo nomine toleraturi.*

Negat injurias illorum ferendas.

XI. *Etiam mancipia, quæ ære nostro paravimus, quum emittuntur manu, in quam conditionem venerint, intelligunt; neque minui sibi datam libertatem patiuntur; & de injuria patronorum querentibus jus redditur: homines ab ultima origine liberi, quondam æmuli, mox socii & auxiliatores urbis Romanæ, verba sibi dari patienter scilicet ferent! imo vero jus suum, si modeste agendo nequiverint obtinere, iisdem illis armis, quibus meruere, vindicabunt. Omnium enim, quibus nuper decreta est civitas, eadem nunc caussa est, etiamsi fortasse dispari via hanc ad caussam pervenerint. aliis enim, quia pro nobis pugnarunt, aliis quia contra nos pugnarunt minus atrociter & diu, civitatem dari placuit: obventuram neutris, nisi alteri amare virtutem suam populum Romanum; alteri timere; utrique æstimare docuissent.*

Senatum accusat fidei non præstitæ.

XII. *Atque utinam iisdem animis, quibus promittendam sibi civitatem Senatus censuit, præstare voluisset! nihil nunc his esset contentionibus opus: & in alta pace ac florente Republica, veteres simul novique cives mutuæ benevolentiæ concordiæque fructus lætissimos caperent. Sed sive deorum hac ira est, nullam diuturnam felicitatem humanis rebus relinquentium; sive hominum tanta importunitas, ut concessam à diis quietem possit evertere, omnia nunc in contrarium versa sunt: & ultimæ propemodum desperationis indicio, ipsa in morbum remedia verterunt.*

Et doli parum cauti.

XIII. *Proh Deum hominumque fidem, ideo nimirum datam sociis civitatem esse, ut cum iisdem deinceps civili bello collideremur! At vero aut numquam datam iis civitatem oportuit, aut bona datam fide. O distorta hominum ingenia! ò corruptas mentes! Amicissimos modo populos subito tumultu dissiluisse; repletam armis Italiam, ferro atque igne vastatam; extrema & fecisse socios, & passos esse quisquam sanæ mentis crediderit pro nomine tantum, non pro jure civitatis? An vero existimare potuerunt, vos, qui in media Republica Romana nati plerique & educati estis, decipi tam turpiter posse, ut appellatione civium Romanorum contenti, quo jure quaque conditione Romani cives agerent, non requireretis?*

Id refert ad cupiditatem dominandi.

XIV. *Nimirum improba cupiditas dominandi, & suum ad lucrum trahendi Rempublicam, ita excæcavit animos, ut homines cætera non cupidissimi, tantam hanc tamque singularem amentiam videre atque deprehendere nequeant. Igitur festivo sane consilio, quum aliquanto pluribus darent civitatem, quam essent ipsi, à quibus dabatur; quinque & triginta Tribus veteri populo relictæ sunt: majori longe numero bo-*

ro hominum octo videlicet attributa. At vero quis nescit, ita comparatum esse Romæ, ut maxima quæque negotia tributis comitiis peragantur?

XV. *His magistratus creantur, qui civibus omnibus præsint: his sciscuntur leges ipsis quoque magistratibus imperaturæ: nec aliud nisi per has ad pleraque sacerdotiorum iter est. postremo quibus de criminibus ad populi judicium itur, suffragiis Tribuum decidenda res est. Vos autem, hoc est, unius isthæc Italorum multitudo, paucas & extremas in Tribus conjecti, tota vita vestra, ne semel quidem ad suffragia vocabimini. Quorum igitur hominum in his caussis, quibus tota ferme Respublica continetur, nullæ aut exiguæ partes sunt; eos vocabulo civiũ appellari quid refert, si ab omnibus negotiis publicis, haud secus atq; peregrini abarceantur?* Tribuum novarum & veterum discrimen explicat.

XVI. *Hæc ludibria vos pati non posse quis miretur, quum ex veteribus Romanis, quotquot æqui justique amantes, & pacis tranquillitatisque studiosi fuerunt, ferre nequiverint? Nec enim ego solus hujus caussæ sum amplexus æquitatem: multis & mecum, & ante me idem judicium studiumque fuit. Sed ista repetentem animum acerbus dolor occupat: nec enim C. Marii, P. Sulpicii miserabilem casum queam sine lachrumis ac luctu recordari. quorum hic à nefariis latronibus crudeliter interfectus est; illum post tot Consulatus summa gloria gestos, in gravi & solicito exsilio sterilium insularum tristes latebræ tegunt.* Id ludibrium multis etiam Romanis veteribus displicuisse adfirmat.

XVII. *Et quis postea patronorum vestrorum incolumitatem speret, ubi P. Sulpicium summa nobilitas, & ingenium, & Tribunitia potestas; C. Marium multiplicati honores, amplissimæ res gestæ, triumphatus Jugurtha, Urbs & Italia haud dubie conservata non defenderunt? Est tamen quorumdam animis hæc innata generositas, ut officium anteponant securitati; & vivere cum dedecore, quam perire per virtutem, acerbius putent. An inter hos ego locum ac nomen merear, ii viderint, quorum caussam tam invisam domi, summorumque hominum morte aut exsilio terribilem, nequaquam timide aut contanter suscepimus.* Sulpicii & Marii casum deflet.

XVIII. *Sed neque armis adversariorum petiti, nisi tentata ultima spe, reliquimus Urbem; & postea minime despondimus animum, in negotio semel probato susceptoque vel ad extremum spiritum perseveraturi. Et dederunt dii, ut præmium huic esset constantiæ: cæptumque probatum numinibus, secunda statim fortuna sequeretur. Nam qui apud Capuam erat fortissimus exercitus, Tribunis præfectisque & optimo quoque manipularium ad bonam caussam ultro accedentibus, sacramento mihi rogatus est; & Prænestini, Tiburtes, cæteri plerique populi, qui inter Capuam & Urbem interjecti sunt, omnia polliciti, haud aspernandam pecuniæ summam contulerunt.* Suam virtutẽ & fortunam laudat.

XIX. *Aliis etiam passim inclinantibus ad communem caussam, eas propediem copias habebo, adversus quas inimici nequeant consistere. Nam ut impetu magis quam consilio ferri improbitas solet; omnia in eo esse rati, si res Urbanas per vim ad sua commoda componerent: adversus ea quæ possent aliunde accidere, nihil providerunt. Caput factionis, homo insigni audacia L. Sulla, quasi nihil referret, esse in civitate, qui armatum & furentem legibus agere reum sustineret: cum quinque legionibus, quod firmamentum partium istarum fuit, in longinquam militiam profectus est.* Adversariorũ imprudentiam arguit.

XX. *Cn. Pompejus qui alterum exercitum obtinet, nec amicus esse Patribus,* Nullas vires habentium.

nec sperare amicos potest, occiso Consule, qui missus ab Senatu ad accipiendas copias ejus venerat. In ipsa Urbe multa sunt hominum millia nostras sequentium partes. In Italia Samnites & Lucani, quamquam accisis opibus, bellum sustinent: ut quantum decessit viribus, tantum accessisse animis videatur. quæ postquam omnia recogitaveritis cum animo vestro, non ad bellum magis invitari vos, quam ad victoriam reperietis. Non erat difficile concitare propensos ad arma; nec aliud magnopere ad rebellandum, præterquam ducem requirentes.

Latini excitati à Cinna fremunt.

XXI. Qui Latini nominis erant, *nihilo ornatiores auctioresque* fremebant *hac nova lege civitatis. Honestius majores suos in una tamen veterum Tribuum suffragia tulisse, quamcumque sors quoque tempore dedisset: jam separari Tribus antiquas tamquam consortio Latinorum pollruerentur: novas & plane supernumerarias fieri, quibus adscripti haberentur ludibrio: nominis Romani participes, juris exsortes. Certe sapienter olim à Servio Rege constitutas centurias, ut egens & infima fæx populi speciem haberet æqui juris, vis omnis penes honestiores esset. verum in præsentia nec caussam huic astutiæ, nec locum esse. multas habere Latium familias, Romanis nec genere, nec censu impares. neque sibi posse fucum tantum fieri, ut nomen pro re, & umbram pro corpore accipiant.*

Itemque alii populi.

XXII. *Igitur aut vere futuros cives Romæ; aut si hoc potiri non detur, vanum vocabulum abjecturos. aliud majores suos olim, seque ipsos modo meruisse, & quotidie mereri: quam ut pro continuis laboribus ac periculis suis, ludibrio haberi ab Romanis debeant, nullam habituris civitatem, si Latio conspirandi cum cætera Italia voluntas venisset.* Hæc Latinis, & si qui alii pro Romanis adversus Socios steterant, dicebantur. At apud alios populos, qui positis armis recepti in civitatem fuerant; plus adhuc irarum erat. Acceptis nuper cladibus nondum ad cicatricem pervenerat vulnus: & novæ injuriæ sensu violentius recrudescebat.

Diversas ob caussas. Plutarch Mario c. 69. Appianus. lib. 1. Civil. Vellejus 2. 20. 4. Liv. Epitom. Appianus.

XXIII. Præcipue quorum postremo tumultu interfecti fratres liberive ab Octavianis fuerant, vindictæ cupiditate flagrabant. Sed & exsules, quorum plerosque non aliam ob caussam Urbe pulsos credebant, quam quod favere illis putarentur; quamprimum reduci, valde existimabant ad rationes suas pertinere. Quum hic omnium sensus esset: haud difficulter obtinere Cinna potuit, ut dicta sua faventes exciperent: brevique tempore formidabilem civitati potentiam comparavit. Nam neque Itali segniter pecuniam virosque præbebant: & adfluebant ab Urbe quotidie quibus præsens Respublica displicebat.

Consules muniunt Urbem Salust. Incert. 5. 10. Diodorus. lib. 37. Velleius. Liv. Epitom.

XXIV. Idcirco ex delectibus novorum civium triginta legionibus effectis, ut auctoritatem atque gratiam viribus adderet, C. Marium, cæterosque exsules, ad communionem consiliorum & spei evocavit. Interea Cn. Octavius, L. Merula, Consules adversus provisam tempestatem fossis mœnibusq; reparandis muniebant Urbem: machinas locis idoneis disponebant: & quia non abundabant copiis, Metelloque procul agente longa spes auxiliorum erat: circum urbes imperio parentes, & in Cisalpinam Galliam missitando, exercitum contrahebant.

Cn. Pompejum in auxilium evocant. Orosi 5. 19. Liv. Epitom. Vellejus. Appianus. Orosius.

XXV. Ad Cn. quoque Pompejum Proconsulem legati iverant, qui ad Adriaticum mare, ubi reliquiæ adhuc Italicorum M. Lamponio, Tib. Cleptio ducibus agebant, exercitui Romano præerat. Sed ille quia frustratus spe continuandi Consulatus erat, nihil ad Rempublicam, sed ad suam utilitatem omnia consilia referens, ita se dubium, & inter utrosque ancipitem gessit, ut Cinnanæ factioni, quam ab

initio facillime evertere potuisset, vires daret, nec nisi profligatæ jam optimatium caussæ succurreret.

XXVI. Adunato igitur exercitu, quum ante portam Collinam castra posuisset: eodem & Cinna cum Sertorio supervenit, neque multo abinde intervallo castra metatus est. Pugna deinde inter Sertorium & Pompejum commissa, quum ad sexcentos cecidissent, interventu noctis dirempta est. Eo tempore accidit res sæva & horribilis, ut Pompejanus miles fratrem ex adversa acie ignorans ignorantem interficeret. *Eum deinde, quum mortui corpus spoliando fratrem agnovisset, ingenti lamentatione edita, rogum exstruxisse* memorant: *& conscenso rogo, quum eodem se gladio transfixisset, quo fratrem occiderat, commune cum illo bustum habuisse*. Miserabile hoc facinus & erat, & videbatur: sed tot hominum utrimque millia, quum ista detestarentur, haud leviora committebant.

Frater fratrē occidit.

Sisen. ap. Tacit H. 1 51. 3. Orosius. Liv. Epitom. Plutarch. Mario c 69. Appianus. Florus 3. 2. Plutarch. Sertorio c. 6. Plutarch. Mario.

XXVII. In hoc articulo rerum C. Marius cæterique ex Africa ad Telamonem Hetruriæ portum appulerunt. Erant cum his equites Mauri, & quidam Italorum quos in Africam æstus bellorum aut aliæ caussæ expulerant, in universum haud amplius mille. Sed ad nomen Marii concurrentibus multis, quum & ergastula armaret, & ex liberis hominibus agricolarum pastorumque robustissimos centuriaret, brevi ad sex hominum millia coacta sunt: quibus in naves quadraginta impositis, quum Cn. Octavium virum optimum esse nosset, Cinnæ se statuit adjungere: præmissis, qui *venire Marium, Consulique dicto audientem fore* nunciarent.

C. Marius in Italiam redit.

XXVIII. Ea de re quum ad consilium Cinna retulisset: cæteri præter Sertorium omnes cupide recipiendum censebant: *summam in viro virtutem cum pari peritia rei militaris, propemodum certam spondere victoriam quibus accessisset. In Urbe, in Italia, in provinciis ubique notum C. Marii nomen, ubique amplum atque honoratum esse. neminem ferme militem veteranum ullis in castris Romanis inveniri, qui sub hoc Imperatore non meruerit. neque ignotum, quantam vim apud militares animos memoria ducum habeat, quorum auspicio vicerint, quorum beneficio dona, honores, divitias, famam sint consequuti.*

Cinna delibetat an eum recipiat.

XXIX. *Sed & in magistratibus quos togatus in Urbe gesserit, multam materiam opportunitatemque demerendi homines, conciliandique animos habuisse. Quibus rebus jam olim in tanto optimatium odio invictus contra potentissimam factionem steterit: iisdem inclinatam jam & infractam, si præsentibus viribus conjunctus, adjuvet & adjuvetur, facile pessum daturum. Sane deceptas ab Sulla legiones pellendo ex Urbe Mario contra vim improvisam haud satis parato, commodasse manus: sed non ideo exstinctam hominis audaciam existimationemque esse: quin contra accessisse aliquid ad utramque, prodigiis deorum, & inclinatione hominum brevem status mutationem præsagientibus.*

Plerique suadent.

XXX. *Idcirco citius quam de reditu ejus sciri potuerit; rerum omnium inopem, sola nominis Mariani admiratione ac favore, exercitum & classem comparavisse. Præterea nihil magis convenire Consulis actionibus, qui de restituendis exsulibus tantopere depugnarit, quam C. Marium recipi; exsulum omnium haud dubie principem. idque nisi fiat, apud multos orituram suspicionem, aliud simulatum illis contentionibus, aliud quæsitum esse. Præterea cavendum, ne velut hac repulsa irritatus, in contrarias partes transeat, homo contumeliæ omnis impatiens, & ad vindictam præceps. Nunc occupari eum, retinerique benevolentia posse: ubi hoc*

Ob gloriam viri.

tempus prætermissum fuerit: feram neglectæ occasionis pœnitentiam fore.

Et ne transeat ad adversarios Plutarch. Sertor. c. 7.

XXXI. Adversus hæc atque talia, Q. Sertorius omnia alia censebat, sive tanto viro præsente minoris se æstimatum iri putans; sive probabili caussa motus, acerbitatem Marii, & implacabilem in victoria animum procul rebus Urbanis habendum existimabat. Is ergo hunc maxime in modum disseruit: *Quæ de virtute atque gloria C. Marii dicta sunt, neque ab inimicis ejus negantur: & ego neminem eadem ætate Imperatorem cum hoc comparari posse arbitror.*

Sertorius contra disserit.

XXXII. *Cæterum quemadmodum reliqua quæ oriuntur & occidunt, stata crescendi minuendique tempora habent, neque fines à natura præscriptos transilire possunt: ita & humanæ virtuti suus ortus, deinde maturitas, postremo, quæ illam extinguat, senectus est. Nec aliter de gloria judicaverim: multorum hodie vix nomina cognoscuntur, quos scimus vetustis temporibus clarissima fama floruisse. Priorem autem gloria virtutem esse necessum est; quum hanc illa consequatur. at quæ posterius orta sunt, diutius manent. eo fit, ut non idem utriusque sit finis atque terminus, sed ferme tum præcipue vigeat fama, postquam longa ætate, aut morbo corporis, aut alio veluti situ virtus emarcuit.*

Senectute Marium alium factum esse: Senec. de brev. vit. vitæ c. 20.

XXXIII. *Idcirco quum nulla fuerit umquam Respublica magnorum ducum feracior, ubi commentarios historiæ Romanæ atque annales omnes evolveris, neminem reperies, cui ad hos annos ille vigor animi ac corporis, quem virtutem vocamus, duraverit. Unde sapienter à majoribus nostris constitutum est, ut post quinquagesimum annum militiæ sit vacatio; à quinto & sexagesimo Senator venire non cogatur in Curiam. in comitiis de ponte sexagenarii dejiciantur. Quæ profecto illis non placuissent, nisi senectus ita corporis animique vires enervaret, ut iidem homines, postquam ætate mutati sunt, minime iidem esse videantur.*

Idque nuper experimento cognitum.

XXXIV. *Hæc mihi visa sunt in præsenti consultatione diligenter attendi debere: ne decepti & opinione falsi, alium quæramus Marium, alium adipiscamur. Nam ille profecto Marius, qui Jugurthæ fregit ferociam, qui Cimbros Teutonosque decantatissimis pugnis contudit, olim est mortuus. nomen tantum & hæc velut umbra Marii superant, quam nuper L. Sulla, postquam semel contemnere ausus est, nullo labore profligavit. Ab illo tempore calamitatibus & miseriis conflictatus, quales etiam juventutis exstinguere vigorem potuissent; quod robur ad communem caussam, quas ille vires adferet?*

Præterea alias esse rationes, cur reiiciatur.

Strab. lib. 5.

XXXV. *Sed fac, alia sorte C. Marium, quam cæteros mortales vivere: tempori & annis licere in illum nihil, quod tamen res ipsa refutat; an igitur recipiendus est? Ego vero, admirentur licet, qui ad pauca respicientes cætera non animadvertunt; ego, inquam, vel ob hoc ipsum dicerem recipiendum esse minus. L. Cinna Consul, cæterique duces omnes, sub unius senis umbra latere videremur; ab hoc defendi; huic debere victoriam.*

Bellum prope confectum esse.

Strabo lib. 5.

XXXVI. *At vero quæ nos tanta necessitas subigit, ut alienam gloriam supra modum extollendo, nostram existimationem infra meritum deprimamus? Res nobis est cum optimatibus Sullæ discessu propemodum exarmatis. sub segni duce tyro exercitus, tumultuario contractus delectu, & Urbis vastæ aliis munitionibus indigens munitio, graviora scilicet, quam sustineri queant à nobis, bella minantur? At nobis præter veteres copias, arma virosque omnis Italia subministrat: passim-*

que concurrentibus ad signa civibus novis, cohortes paulo minus trecentas effecimus. Iinc sumus, aut videri volumus, ut tantis instructi exercitibus, non pecuniæ, non commeatus indigi, hoc bellum conficere desperemus, nisi alterius virtute atque opinione adjuvemur?

XXXVII. *Sic quoque, bello propemodum profligato, paucisque ad summam victoriæ reliquiis: horum omnium gloriam arbitriumque Marius rapiet, æmulorum impatiens (quod vitium quum alia minuantur annis, in senectute fit validius) & ubi de potentia agitur, fidei haud sane tenax. Quantis ille suspicionibus nuper L. Rutilium Consulem legatus torserit, omnes scimus. & quamvis qua est astutia, mire innocentiam simularet, minime persuasit reputantibus, qualis in Q. Metellum fuisset. Neque enim est exspectandum, ut qui junior senem, Prætorius Consulem, legatus Imperatorem non est reveritus; is cuiquam juveni senex & sexies Consul concedat.* Sed eam laudem in se tracturum Marium.

XXXVIII. *Hoc ingenio virum apud hostes nostros, quam nobiscum esse longe malim: adeo nihil moveor curis metuentium, ne ad partes optimates transeat. Transeat vero, & ibi potius consilia turbet: æmulationes exerceat: cæterorum conatus ambitione & discordia moretur! At vero magnum nobis præsidium detrahemus: idemque adjiciemus adversariis. Ego vero non video, quid his rebus adferre momenti queant decrepitus Imperator, & piscatoria navigia, & manipulus pastorum cum agrestibus armis. Ille sane classem & exercitum vocet: nos collectam ex agris & ergastulis multitudinem esse comperimus. cujus generis arma consociari nostris, si nos pati possimus: milites non ferent, quotquot sunt Romani nominis & sacramenti memores.* Igitur ad diversas potius partes transire eum cupit.

XXXIX. *Sane extremis temporibus servos armari necessitas defendit: sed ubi hæc abiit, honestorumq; militum est copia; nemo prudens hoc dedecus ultra sustinebit. Hostibus potius hanc optemus infamiam, ut civibus suis ereptum ire suffragia & Tribus servili manu dicantur. nihil æque retinebit in partibus eos qui jam coiverunt ad communem caussam: & dubitantes explicabit. Cæterum ego plus timeo, ut vel hic accedere nostris adversariis; vel illi hunc recipere velint. Odit, odioque est nobilitati: neque tanto temporis tractu, postquam ille semel accessit ad Rempublicam, ulla occasio premendi invicem sugillandique prætermissa est. Ideoque nuper, quum de eo L. Sulla Consul ad Senatum retulisset; præter unum hominem, adolescentis Marii socerum; nemo Patrum fuit, cujus ille sententia hostis non judicaretur.* Servorum arma suis sociari non patitur.

XL. *Quis credat tantillo tempore sensum atque memoriam tantæ injuriæ excidere animis potuisse: ut fida concordia stabilique fœdere conjungantur? Marius his corpus suum salutemque credet; à quibus proximo anno hostis judicatus est? an illi caussam suam, Urbemque aut exercitum committent Mario, cujus irritabilem animum non ignorant, recenti offensa, nihil aliud quam ultionem meditari. Scilicet Cn. Octavius ea de re ad Senatum referet; tam eminente in Sullanam factionem studio, ut delectus ab Sulla fuerit, quem tecum, L. Cinna, imo contra te Consulem faceret? Decernent vero tum alii, tum vero cupidissime Q. Catulus, post interversum Cimbrici belli decus semper obliquus?* Ne quidem receptuors esse Marium adversarios.

XLI. *Quintus autem Metellus, & Cn. Pompejus, qui soli nunc justos exer-* Omnibus exosum.

citus habent, hunc enixe recipient, juvabuntque: ille paternarum inimicitiarum heres, hic tam cupidus imperiorum, ut traditum Consuli exercitum, nece illius repetere non sit veritus. nedum ille recipi exsulem sinat: eum præcipue, quem in hanc fortunam ex nimia cupiditate provinciæ & exercitus incidisse norit. Nempe si decretum ab Senatu bellum Mithridaticum, adimere L. Sullæ Marius voluit, & propemodum potuit: quid Pompejo relinquitur spei, à quo non modo retentus contra voluntatem Patrum exercitus, sed etiam missus ab Senatu Consul occisus est? Enim vero hæc vel præcipua nobis cautio esse debet, ne hominem tot atque tantis inimicitiis obrutum ita complectamur; ut in nos expetere odia ipsi debita possint.

Et vindicta cupidum.

XLII. *Multi haud dubie nostras, aut etiam neutras partes sequentium, ubi nunc nobiscum esse audient, odio metuve illius in adversa castra conjicientur. Igitur modis omnibus id aspernari ac rejicere consilium debemus: quo nobis & difficilius bellum fiat, & invidiosior victoria. Nam ille, ubi fortuna nos adjuverit, vindicare privatas inimicitias communibus armis volet: & supra naturam sævam atque sanguinariam, contumelias suas & pericula nuperæ fugæ in consilium adhibebit. Nondum hæc erat passus, quum ob Tribunos ab exercitu lapidatos, quamquam ante fores ultor esset, multos insignes viros propter amicitiam Sullæ necavit: quantas illum strages editurum putemus, ubi vacuus metu, incensus malis, arbitrio suo de inimicis vindictam sumet?*

Ideoque multa facturum invidiosa & fœda.

XLIII. *Sed ea res multa cooperiet infamia victoriam nostram; summoque nos pudore ac tristitia conficiet, qui utique non sanguinem civium, sed concordiam, & Reipublicæ salutem, & sua cuique jura integra atque illæsa optamus; & his gladiis, non aliam ob caussam cingimur. Accedit adolescentis Marii simillima paternæ naturæ perfidia & crudelitas: quem ubi receperis Consul, jam noveris, qua sit agendum modestia, ne te ille puer, jam insigni specimine indolis edito, L. Porcium esse putet. Erant & alia, quæ moneri utiliter potuissent, sed ego aut hæc quæ dixi, suffectura vobis credo, aut nihil profecto futurum satis.*

Sententia Sertorii.

XLIV. *Quid igitur C. Mario suam offerenti operam respondebitur? Dicam equidem quid sentio; quidlibet potius, quam recipi. Sed hoc forte neque indignum nobis, neque rebus præsentibus inutile fuerit, ita responderi: Quod C. Marius, quique cum eo sunt, operam suam L. Cinnæ Consuli, Reique publicæ obtulit, id rite ab eo factum, omnique favore dignum videri. Cæterum L. Cinnæ Consulis opes in præsentia tanta esse, ut propediem ad Urbem, certa spe boni successus, admovere signa decreverit. Inimicorum coërcita pravitate curæ Consuli fore, ut & cæteri qui essent per vim ejecti, & præsertim Q. Marius quantocyus restituantur. Interea posse illum se tenere tutis locis; omnes hostium copias ab illo in se avocaturum esse Consulem. & si præter spem urgeatur; ad primum nuncium, quod satis sit ad præsidium ejus, copiarum adfore. Ita nec invidia aliena onerabimur: & si quid utiliter in rem nostram conari Marius poterit; id nihilo segnius, & citra fraudem nostram fiet.*

Plutarch. Sertor. cap. 7. Plutarch. Mario cap. 70.

XLV. Hæc ubi sunt à Sertorio dicta, L. Cinna; *recte quidem atque salubriter admoneri* fatebatur; *cæterum pudore se contineri, ne Marium exclu-*

dat, *quem in societatem belli ultro advocasset*. Ibi Sertorius excipiens, *atqui ego*, inquit, *quod sua sponte Marium in Italiam venisse arbitrabar, eam sententiam dixi: quod si accitu tuo adest, transacta res erat, neque revocari in deliberationem debebat*. Ita receptum Cinna appellavit *Proconsulem*, fascesque ad eum, & alia magistratus insignia misit. Sed ille *convenire hæc exsulis fortunæ* negando, sordidatus atque squallidus lento passu incedebat, misericordiam concire studens, sed prominebat atrox animus, efferatumque potius calamitate, quam domitum torvitas vultus indicabat.

Marius à Cinna recipitur.

Liv. Epitom. Diodor. apud Valesf. Plutarch.

XLVI. Salutato Consule, & ad milites oratione habita, de bello deliberatum inter duces est. Oppugnandam esse Urbem conveniebat, invitante præter alia Consulis Cn. Octavii segnitie, non tam imperitia, quam intempestiva legum cura occasiones corrumpentis. inter quæ, jubentibus multis *ad defensionem Urbis libertate proposita servorum auxilio uti*, negavit *servis se contra leges daturum eam civitatem, unde C. Marium legibus parens arceret*. At longe alia Cinnanis ratio erat, qui quatuor factis exercitibus, pro numero ducum, nam præter Cinnam & Marium, seorsim Q. Sertorius, Cn. Papirius Carbo ducebant; Tiberim amnem clauserant. Ex adverso Urbis Cinna & Carbo habebant castra: supra Urbem Sertorius, infra C. Marius consederant: & pontibus ubique impositis, dimissisque ad diripiendos negotiatores lembis, ne quid importari in Urbem posset, prohibebant.

Urbs oppugnatur. Flor. 3. 21. 13. Appian. lib. 1. civil. Plutarch. Liv. Epitom. Plutarch. Florus. Orosius. 5. 19. Appian.

XLVII. Ostiam quoque coloniam proditione quorumdam expugnavit Marius, multisque in ea peremptis civibus, oppidum nefanda strage diripuit. omnibus avaritiæ, libidinis, sævitiæque exemplis ibi editis. Ab alia parte Ariminum, missis eo copiis Cinna redegit in potestatem: quo facto quæ in Togata Gallia collectæ copiæ erant, excludebantur. Unde arctæ in Urbe res esse incipiebant; tantam multitudinem cito premente commeatuum inopia; variisque interim obortis difficultatibus, quum longe omnia auxilia essent; populus animis, Senatus consilio, magistratus auctoritate, concordia omnes dejicerentur: multoque plus virium divisa in partes Roma haberet, quo se opprimeret, quam quo defenderetur. Hæc nimirum illa est Romana Respublica, cujus magnitudinem omnes mirantur; & solertissimus quisque rebus suis optime consultum existimaret; si ad eadem pervenire sineretur.

Ostiam expugnat Marius.

XLVIII. Enim vero nusquam illustriora documenta exstiterunt; quam nihil sit in opibus atque potentia, bellique virtute boni, si scientia desit utendi. Quemadmodum enim Herculi furenti longe fuisset satius, armis membrisque uti non potuisse; quam librasse gravem clavam, & volucres emisisse sagittas, quibus semetipsum charissimis pignoribus spoliaret; ita civitati præstat exiguas habere vires, quam prægrandes quibus in suum exitium abutatur. Ego certe, si detur optio, ejus civitatis civis esse minime vellem, quæ gentibus omnibus imperare diceretur; cæterum per intestinos tumultus nemini suorum salutem atque dignitatem tutam præstare, vel in horam posset. Igitur concordiæ studendum fuerat; quæ non nisi justitia & bonis moribus continetur.

Potentiam & divitias non sufficere ad beatitudinem Rerum publ.

Aristot. Ethic. 9. 6.

XLIX. At pro his quidem ubique nunc perfidia, perjuria, sordes, ambitio, luxus invaluit: quibus rebus homines nihil aliud, quam lædere & lædi

Hodierni mores, & fortuna imperiorum.

docentur. Ergo is proximis annis, nullum ferme toto orbe terrarum imperium fuit; quod non sævissimis motibus concuteretur. Et sicuti singulis hominibus facilis in morbos ex bono corporis habitu transitio est: ex mala valetudine in commodiorem ægre eluctamur: ita quid moribus hujus ævi sperandum videatur, nolo ominari. Certe parum abest, quin optimi quique sapientissimique desperaverint; quando jam soli deponunt imperia, qui soli fortasse, si hæc emendabilia Rerumpublicarum vitia forent, emendare potuissent.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

ITALICIS populis à Senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma retinebant, Cinnæ & Mario se conjunxerunt. ab iis Plautius cum exercitu cæsus est. Cinna & Marius cum Carbone & Sertorio Janiculum occupaverunt, & fugati ab Octavio Consule recesserunt. Marius Antium, & Ariciam, & Lanuvium colonias devastavit. Quum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem & perfidiam & ducum & militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant; Cinna & Marius in Urbem recepti sunt: qui, velut captam, eam cædibus & rapinis vastarunt; Cn. Octavio Consule occiso, & omnibus adversæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. & C. Cæsare, quorum capita in Rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ interemptus. pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia Consules in sequentem annum seipsos renunciaverunt. Eodemque die quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium Senatorem de saxo dejici jussit: editisque multis sceleribus, Idibus Januariis decessit; vir cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. adeo quam Rempublicam armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.

Consilia Senatus. I. IN his angustiis quum deprehensa Respublica esset, omnia circumspiciens Senatus, nulla satis aut matura, aut firma præsidia reperiebat. L. Sulla, in quo spes esse maxima potuisset, procul in Græcia gerebat cum Mithridaticis copiis bellum: servitia si armarentur, plus dedecoris allatura, quam auxilii putabant. Unicum erat haud pœnitendum, ut in tali tempore consilium,

Liv. Epitom.

ut Italicis omnibus, modo arma posuissent, civitatem darent. Ita & illos, & qui adhuc eo bello implicitus erat, Q. Metelli exercitum, velut communi patriæ succursuros. Sed Italicorum nemo ferme præter Lucanos & Samnites supererat. Lucani Cleptio & Lamponio ducibus Asiam oppidum munitum in Bruttiis longo tempore inani conatu obsederant: Rhegium etiam oppugnare conati erant; si potiti ea urbe fuissent, Siciliam petituri. Sed Prætor insulæ C. Norbanus magnitudine apparatus territis Italis, periculo Rheginos eripuit. Diod. lib. 37. Stephanus. Diodorus. apud Fulvium Ursin. Liv. Epitom. Appian. lib. 1. civil.

II. Ergo Lucani beneficio Senatus usi, Sullanis partibus se adjunxerunt. Cæterum id quidem in præsentia modicum gaudium fuit: quod infirmior ea pars Sociorum, & in ultimum Italiæ angulum submota erat. Samnites, qui jam soli arma retinebant, Campaniamque & superiores regiones vexabant, conciliare, majus operæ pretium fuerat; sed dum honestas conditiones Senatus exspectat, à Mario nihil non tribuente, præventus est. Diod. Lucani Sullanis partibus accedunt.

III. Q. Metello Pio Consules eo de negotio scripserant, castra contra Samnites habenti, *ut quibus posset conditionibus cum iis transigeret.* Sed illi *civitatem non sibi modo, sed etiam iis qui ad se transfugissent* paciscebantur; præterea *prædam undecumque ablatam* retinebant: postremo *captivos atque transfugas omnes sibi restitui* postulabant. quæ tam inhonesta, quum neque Metellus, neque Patres concederent; Cinna quid ageretur sentiens, auctore Mario, quæcunque petissent pollicitus, Samnites partibus suis adjunxit. Ab his deinde quum Romam arcessitus Q. Metellus esset, A. Plautius cum exercitu oppressus est. Samnites contra Marianis.

IV. Inter hæc Appius Claudius Tribunus militum, qui Janiculo præerat, ut Mario beneficii nescio cujus gratiam referret, circa diluculum semiaperta porta eum intromisit. Cinna quoque cum parte exercitus eadem ingressus est, statimque ad captæ Urbis rumorem Sertorius & Carbo accurrerunt. Sed Octavio Consule, & Cn. Pompejo celeriter arma opponentibus, locum tenere non potuerunt. Circum hæc tempora Cinnæ insidiis petitus Cn. Pompejus, consilio adolescentis filii, quem postea Magnum terrarum orbis agnovit, est conservatus. Is à virili toga commilitio patris adsuetus, contubernalem L. Terentium habebat, quo plurimum & familiarissime utebatur. sed corruptus à Cinna Terentius ita partes cum sociis diviserat, ut illi tabernaculum ducis incenderent, hic per insidias tolleret Pompejum. Marius in Urbem irrumpens, repellitur. Liv. Epitom. Appian. Plutarch. Mario cap. 70. Liv. Epitom. Appian. Liv. Epitom. Vellejus 2. 29. Cicer. pro l. Manil. cap. 10. Plutarch. Pompejo. c. 5.

V. Tam atrocis propositi indicium cœnanti Pompejo delatum est. quo dissimulato, adolescens hilarius etiam solito bibit, & cum Terentio qua solebat comitate agere perseveravit. Deinde cubiculum ingressus, ubi proditoribus satis persuasum esse quod volebat, censet: clam subducit se à tabernaculo, firmaque patri circumposita custodia, eventum quietus exspectat. Interea Terentius Pompejum in eodem contubernio dormire putans, clam è cubili surgit correptoque gladio lectum Pompeji repetitis ictibus confodit. Pompeius adolescens insidias eludit.

VI. Hinc orto tumultu, magna consternatio incedit copias, odio ducis, & ad defectionem pronis animis, ad quamlibet occasionem mobiles. jamque diripi tentoria, sumi arma cœperant: neque Proconsul obviam ibat, offerre se tumultuantibus non ausus. adolescens Pompejus mediis agminibus immixtus, prehendebat milites, lachrumabatur, supplicabat postremo abjecto in porta castrorum corpore, *illac jubebat transire fide mutaturos.* donec multo fletu, & de- Et seditionem castrorum sedat.

formitate spectaculi retento militi rediit pudor, & præter octingentos qui jam ad Cinnam transierant, reliquus exercitus pacatus, imperioque Proconsulis restitutus est.

Vellei. 2. 21. 4. Appian. Jul. Obseq. Appian. Plutarch. Pompejo. c. 1. Jul. Obseq. Vellejus.

Cn. Pompeji Strabonis mors, & exsequiæ.

VII. Minime tamen diuturnus receptæ potestatis usus Pompejo fuit. Paulo enim post utrumque exercitum pestilentia invasit: & de Pompeji copiis hominum millia undecim; de Octavianis sex desiderata sunt. Deinde ingens apud Romam tempestas orta est, & castra, præcipue Pompeji, tam crebris percussa fulminibus, ut ruere cœlum videretur. Arma signaque passim tacta, milites, & quidam ex illustribus exanimati sunt, ipse quoque Proconsul fulmine adflatus interiit. Tam improvisum viri exitum, singularis etiam exsequiarum ignominia comitata est. Quod enim imperio & maximis exercitibus instructus, periclitanti patriæ tempestive subvenire neglexerat; in tantum populi Romani odium venit, ut luctum ejus, quum ad rogum efferretur, diriperet; corpusque omni contumelia adfectum, unco traheret.

Marius colonias circa Romam occupat. Jul. Obseq. Plutarch. de his qui sero à num. puniuntur. c. 15. Appian. Liv. Epitom. Orosius. 5. 19 Appian. Plut. Mario. cap 71. Diod. ap. Val. Plutarch. Appian.

VIII. Dum ista fiunt, Marius relictis supra infraque Urbem ad arcendos commeatus præsidiis, ut etiam ex agris subvectionem omnem amputaret, vicina oppida, in quibus populi Romani horrea erant, subito aggressus, Antium, & Ariciam, & Lanuvium, & præterea nonnullas alias colonias, vi aut proditione potitus, deletis propemodum habitatoribus, devastavit. Inde priusquam aliis ex locis importari aliquid rerum necessariarum posset; Appia via Urbem petens, adsumptis cæteris ducibus, intra tertium decimum lapidem castra posuit. Contra ab Urbe Consul Octavius, eum P. Crasso & Q. Metello venientibus occurrit: virtute numeroque militum non inferior; neque impar negotiis, nisi quod rebus turbatis eadem omnia custodienda credebat, quæ composita Republica erant constituta.

Pompejanus exercitus ad hostes transit.

IX. Inde lenta & impedita consilia quasi vinctum constrictumque hostium audaciæ præbuerunt: qui omnia ausi, duces, milites, ad extremum servos, quibus quemque poterant artibus promissisque excitabant. Exercitus Pompeji post interitum Proconsulis, Q. Metellum ducem optaverat. *Sub impigri viri ductu, neque virtutem sibi, neque fortunam defuturam esse.* Q. Metellus, quod ea res contra leges fieri videretur, legatos cum minis & conviciis *adire Consulem* jussit, *& illi audientes dicto esse*. At vero milites Consulem, ut segnem & rerum imperitum aspernati, signa ad hostes transtulerunt. Crebra inter hæc & ex Urbe transfugia fiebant, servitiorum maxime, cui generi circummissis ad Urbem præconibus libertatem Cinna promiserat.

Liv. Epitom. Appian.

X. Eo jam perventum erat, ut spes resistendi nulla superesset. ducum alias segnities, alias perfidia rem corrumpebat. militum quoque corruptum vulgus aut pugnare nolebat; aut palam transibat ad hostes. Urbanæ plebis, si annonæ inopia diutius premeretur, desperatio, haud minus formidini optimatibus, quam superiora, erat. In tantis angustiis convocato Senatu, plerique mutato consilio *mittendos ad Cinnam legatos* censebant, *de conditionibus pacis acturos*. *Nihil civili bello funestius: omnesque præ illo tolerabiles calamitates esse. Optandum sane fuisse, postquam eo Deorum ira perventum esset, ut pars modestior vinceret: sed adversus vim majorem resisti non posse.*

Sententiæ de mittendis ad Cinnam legatis.

XI. *Omnia expertos, ut sibi atque Urbi consulerent, nihil proficere: quin ip-*

sis remediis morbum invalescere. Transitione militum & plebis auctas Cinnæ Mariique in immensum copias: & plures propemodum inde militare, quam quos hostes sacramento rogaßent. Reliquorum etiam magnam partem, corpore apud ipsos, animo votoque cum adversariis agere. Non igitur dubitandum, quin mittendis legatis tentanda sit compositio. C. Marium, L. Cinnam, illum senectam suam & tot magnifica non ita clausurum; hunc primo Consulatu & maturitatem votorum & summi loci dignitatem non ita inchoaturum; ut ille gestis honoribus, hic speratis, indignus videri debeat. Causæ mittendi.

XII. *Quod si quis diffidere malit, & præsago animo futurorum malorum acerbitatem enarrare: ei hoc fore cogitandum, neque illa evitari, hac quidem ratione, & provocari præterea plura posse. Non ita cum rebus humanis agi, ut quolibet tempore teneri queat tuta & periculorum expers via. plerumque de eo tantummodo deliberari, utro modo miseriarum sit futurum minus. Sane non esse inanem metum eorum, qui vehementiam Cinnæ, qui asperitatem Marii timeant. sed, ut omnia quam poßint procedant peßime, in paucos forte expetituram calamitatem: populum certe Romanum, Urbemque in tuto fore.* Rationum in contrarium confutatio.

XIII. *Neque scire ipsos, qui hanc sententiam dicant, utrumne illorum sanguine satiare cupiditatem ultionis inimici velint: sed ita existimare, sibi subeunda potius extrema omnia esse, ut Urbem servent; quam committendum, ut suæ incolumitatis gratia, Rempublicam inexplicabilibus malis, involviße dicantur. Mortem cuivis tolerandam esse: felices qui ob patriam oppetierint, feliciores etiamsi antevertant avertantque populi cladem: cui, si trahatur obsidio, fame pereundum sit; si pugnando vincat hostis, ferro. Quod si forte Cinnæ aut Marii suspecta quibusdam sit fides; pactis obligari, & jurejurando posse. & ut si quoque non omnia respondeant votis, mitiorem tamen sperari victorem posse, cui conditiones & preces, quam cui arma opposueris.* Sententiam hanc dicentibus forte periculosam: at Reipub salutem fore.

XIV. His atque talibus pauci & præcipue Q. Metellus obsistebant. *Vellem equidem*, inquit, *aut civibus nostris modestia, aut Senatui animus constitiſſet: nulla exstitißent civilia bella; aut compreſſa in ipso exortu fuiſſent. neque nos novæ deliberationis egeremus. Sed quia peßimi quique omnia audent; boni omnia formidant: in hunc nimirum statum res pervenit, ut leges ab his cogamur accipere, quibus si leges valerent, nullus eſſet consistendi tota Italia locus. Mihi sane etiam servari Rempublicam, consuli civibus, parci vitæ tot millium, parci incolumitati placet. sed sera hæc est, postquam nulla nobis restat quæ servari Respublica poßit, deliberatio: & reliquiis ejus quemadmodum rectißime consulatur, ambiguum faciunt, qui placitam nuper sententiam, ob duriores quosdam eventus mutaverunt.* Q. Metellus Pius contra disserit.

XV. *Dudum enim concors Senatus censuit, contra vim fugitivorum & exsulum, armis defendi Rempublicam oportere. nunc eamdem illam sententiam damnant plerique qui tulerunt; dum legatos mitti jubent, & velut cum justis hostibus de pace agi. Sed id quidem sine maximo tum pudore, tum etiam incommodo fieri à nobis nequit. Sic enim omnia tot mensium decreta una opera rescindimus: & paucorum exsulum potentiæ cedere Senatus majestatem patimur; eoque & malorum confirmamus audaciam, & bonos exarmamus, pauloque minus quam vinctos tradimus inimicis.* Priora Senatusconsulta opponit.

Timore quorumdam res deteriores factas docet.

XVI. *Qui enim hactenus omnia pro communi salute prompte enixeque fecerunt, quique facturi fuerunt postea: ii Patrum timore perspecto semel concident animis; & fortasse non exspectato, donec in commune transfigatur, sibi quisque propitios celeri obsequio efficere volet, quos paulo post habendos sibi dominos intellexerit. Atque ipsa illa transfugia, quibus concussi quorumdam animi contremiscunt, ab hac dubitatione magis, quam ab ulla alia caussa profecta sunt; mansuris in fide plerisque, si quanto conatu oppugnari Rempublicam vident, tanto consensu defenderetur. Contra famem multa remedia excogitavit necessitas, conferendo in publicum quod privatim quisque continet, dimetiendo frumentum, emittenda inutili turba, sæpe quæsita repertaque est avertendi extremum exitium opportunitas.*

Capitolii à paucis defensi admonet.

XVII. *Denique hoc ipsum Capitolium teneri contra Gallos nequivisset; si tam mollis adversus famem illa ætate fuisset Romana juventus. Sed nunc ajunt, non est res cum Gallis, Marius & Cinna ante portas sunt, & cæteri, qui videlicet Romano sanguine orti, pietatem patriæ præstabunt, civibus veniam, pactis fidem. Hei mihi quam celeriter pœnitebit vos hujus opinionis, simulatque horum in potestate corpora vestra, conjugumque & liberorum erunt! Neque mihi hac ignorare aut contemnere videmini, sed tædio præsentium quidlibet malle. Sed hoc parvi infirmique animi argumentum est, neque ferre valentis quæ adsunt, neque duraturi in iis quæ elegerit.*

Pro patria pugnandum:

XVIII. *Quibus autem forte decretum est, omnia pro patria pati; pro hoc opes fortunasque suas, pro hoc spiritum atque vitam profundere: rectius cum ad utilitatem præsentium, tum ad famam posteritatis facient, si potius in tuenda civitate dignam viris mortem obeant; quam si deserta traditaque, tyrannorum arbitrio aut cum cruciatu intereant, aut cum ignominia vivant. Magna vis est ad audenda qualibet, etiam singulis & contemptis hominibus; si semel cupiditatem abjecerint vitæ: multos atque egregios viros quibus ea ratio placuerit, ne destinata exsequantur, vix ulla potentia satis arceat.*

XIX. *Omitto Scævulas, & Coclites, & Curtios, & tot decora nomina, quæ liberis vestris inculcare soletis; ut horum exemplo amare patriam discant: meminerimus eorum, quæ vidimus ipsi multas sæpe urbes, quum ad extremum necessitatis venissent, constantia defensorum servatas: alias quum servari potuissent, millitie civium deditas, tristissima quæque passas esse. Sunt nobis adhuc militum fortissimorum fidelissimorumque haud spernendæ copiæ: est melior hac, & amantior patriæ pars populi: arma, machinæque supersunt: urbs diligentia Consulum quoad fieri potuit munita est.*

Spes adhuc vires.

Et mutari fortunas solere.

XX. *His rebus non desperem tamdiu resisti hostibus posse, donec Fortuna aperiat meliori spei locum. Multa quum disperata pro insanabilibus essent; subito aliquo casu commodiorem in statum reducta sunt. Aliqua inter duces factionis oborta suspicio, res apud pravos & æmulos vulgata, mutabit omnia. ipsum Urbis periculum invitabit multos, ut misereri, & succurrere velint, & sunt egregia quum alii populi, tum qui Cisalpinam Galliam colunt, in rem Romanam fide. Summusque noster pudor foret, si diutius illos Ariminum, quam Cinnam & Marium, defendentibus nobis, Roma moretur.*

XXI. *Si nulla spes sit alia, Sullam revocemus: aut si hæc quoque intolerabilis mora videatur; ipsi potius concedamus novis civibus quod petunt. Ubi Senatum populumque habebunt hujus beneficii auctores, Cinnam & cæteros ejusdem sortis non ultra morabuntur.* Frustra hæc in tanto plurium metu dicebantur. Idcirco quum legatio decerneretur, Q. Metellus Urbis salute desperata, ut melioribus se temporibus servaret, in Ligures primum, deinde ex Liguribus in Africam est profectus.

Plutarch. Mario, cap. 7. Liv. Epitom. Appianus. Sed legatio decernitur.

XXII. Legatos, priusquam inciperent fari, L. Cinna interrogavit, *ad Consulemne, an vero ad privatum venirent?* Hærentibus illis, deinde ad consulendum Senatum in Urbem reversis, magna etiam ingenuorum civium multitudo ad Cinnam se contulit: multi famem veriti; pars major jam ante illis partibus addicta, & ad nudandos animos opportuna tempora captans. Inde mirifice confirmatus animo Cinna, sub ipsis mœnibus Romæ extra jactum teli consedit. nec enim Octavius objicere sese audebat: transfugiis & legationibus omne homini consilium, omnemque propemodum mentem eripientibus. Senatui non plus animorum quam Octavio supererat. Cinnam pro Consule habere, id vero erat exauctorare Merulam, quem sanctissimo Sacerdotio præditum, sine ulla sua culpa, juste partis honoribus exui triste: contra, Cinnæ non obsequi exitiosum habebatur.

Cinnæ sub ipsis mœnibus castra ponit.

XXIII. Ut rebus trepidis solet, utilibus honesta cesserunt: & L. Merula Consul egregii civis officio functus, verbis in Senatu, deinde ad populum factis; *Ego vero*, inquit, *si præter hos fasces nihil impedimento paci est, paratus vobis dux & auctor ad concordiam ero, quod igitur Senatui populoque Romano bene vertat, Consulatum quem invitus accepi, lubens ecce depono.* Post abdicatum à Merula magistratum, legati ad Cinnam tamquam Consulem remissi sunt. neque multa iis mandata dari tempestivum fuit. id unum Cinna, *ut cædibus temperaturum juraret*, rogabatur. Ille jurare per superbiam abnuit, *se tamen volentem* negavit *cuiquam mortis caussam fore*.

L. Merula Consulatum abdicat. Diod. apud Vales. Vellei. 2. 22. 5. Appianus. Plutarch.

XXIV. Octavium etiam qui circumita Urbe per aliam portam erat ingressus moneri jussit, *abstineret publico, ne quid ei se invito accideret*. Hæc de loco superiore, tamquam Consul, legatis respondit. Ad curulem eius Marius adstabat tacitus; sed eo vultu, ut nihil aliud quam vindictam & cædes meditari appareret. Neque multum intercessit moræ, quin Senatus verbis *Cinna atque Marius in Urbem venire* rogarentur. Marium enim diserte addiderant, non ignari Cinnæ quidem nomen his factis obtendi; cæterum potissimum eorum auctorem Marium esse.

Cinna atque Marius in Urbem venire rogantur. Vellejus. Plutarch. Diodor. Appian.

XXV. Quum ad Urbem ventum, & Cinna cum satellitibus ingressus esset; Marius substitit ad portam, & acerbum subridens *exsulibus patere aditum* negavit. Idcirco Cinna operam dante, lex de restituendis exsulibus statim referri cœpit. neque ultra exspectatum, quam ut tres aut quatuor tribus suffragia ferrent. tum irrupit in Urbem velut captam, fugitivorumque delectum agmen trahens, quos *Marianos* appellabat, cædibus atque rapinis omnia vastavit. Aliis quoque portis exercitus inundabant Urbem: iisque mox occlusis adversariorum, & sub hoc nomine quorumcunque volebant domos diripiebant.

Marii minax ingressus.

XXVI. Jam antequam in Urbem Marius irrumperet, Cn. Octavius sublatus è medio fuerat. Amicis fugam suadentibus, sive Marii Cinnæque juratis promissis fidens, sive potius haruspicum ludibriis retentus, quam in vanitatem proclivi cre-

Mors Consulis Octavii.

Vellejus. Plutarch. Appianus. Florus. 3. 21. Val. Max. 8. 2. 6-10. Jul. Obseq.

dulitate agebat, in janiculum cum aliquot illustribus viris & parte copiarum concessit. *Indignum enim atque turpe facinus* ajebat *se commissurum esse, si patriam Consulari imperio praeditus desereret*. Igitur illa sella curuli, magistratus insignia retinentem, adstantibus juxta lictoribus, Cinnae jussu praemissus cum equitibus Censorinus invasit. Ibi quoque hortati ad fugam amici equum obtulerant: ille ne surgere quidem dignatus, necem in ipsa curuli exspectavit.

Chaldaeorum vanitas. Diod. lib. 38.

XXVII. In sinu interempti tabellas repertas esse cum signis Chaldaeorum ferunt, illustri ad coarguenda artis inania documento. Caput cervicibus abscissum Censorinus ad Cinnam attulit, à quo missum in Rostra est, ut quo loco caput spectatum P. Sulpicii foret, proponeretur. Tum demum revelli terra caput potuisse, quod nulla apparente caussa ex simulachro Apollinis abruptum diu ante fuerat, ferunt. expleto scilicet eventu prodigii, quod *ad suum exitium pertinere* Octavius ipse praedixerat.

Deliberatio Cinnae & reliquorum.

XXVIII. Consultatio deinde ducum tenuit, *quemadmodum victoria uterentur, pacemque firmarent*. Pro suo quisque ingenio censebat: sed nemo vel lenitate Q. Sertorium, vel saevitia C. Marium adaequabat. Sed ille nec auctoritate par erat Mario, & quidquid dicere poterat, jam à Mario cum adsensu caeterorum videbat occupatum. Nam rogatus sententiam Marius ut erat inter iram tolerataeque fortunae, & laetitiam emendatae parum animi compos, ita coepit.

Marii crudelis oratio.

XXIX. *Si quidem ea de re deliberatis, L. Cinna Consul, caeterique Senatores, legatique & praefecti, quemadmodum in praesentia, quod vultis, obtineatis, mea sententia res non indiget. Nam acerbissimi paulò ante inimici vestri, ultro vobis reditum in patriam, reditum ad honores, ad facultates, principem in civitate locum, legum de quibus decertatum est lationem, & alia hoc genus liberaliter offerunt. Sin vero, non quid illi vobis offerant intuemini, sed hoc potius, quemadmodum ad ea quae cupiatis obtinere, nihil sit illorum consensu aut beneficio opus; magnopere interesse arbitror, ut quae me hujus Reipublicae non rudem, sed aetate ac usu inter primos, res ipsae docuerunt, hoc tempore non dissimulem.*

Optimatum & Popularis factiones, &

XXX. *Jam olim in civitate nostra duae velut partes fuerunt: altera Patrum, qui nescio cur* optimates *vocentur; altera libertatis, quae quia multitudini praecipue grata esse debuit; non abs re popularis est nominata. Neque nos hujus discordiae auctores sumus, sed simulatque Regum ex Urbe submota potestas est; Senatus jura Regia sibi vindicare voluit, plebs quam in Regibus non tulisset dominationem, eam ab aliis civibus pati indignum intolerandumque judicavit. Ab eo tempore quidquid per leges aut armata quandoque discordias actum est: id omne eo pertinuit, ut vel in multitudinem dominari pauci cuperent; vel adversus cupiditatem paucorum, jus suum populus adsereret.*

Inter utramque medii.

XXXI. *Inter haec quandoque praestantes virtute ac meritis viri exstiterunt, qui ex aequo invidiam nobilitatis, & levitatem populi odissent: ii tamquam soliciti cautique gubernatores, inter pugnantes ventos ita direxerunt vela, ut quam minima jactatione & offensa, ac fieri per tempora Reipublicae posset, tranquillitatis atque securitatis portum obtinerent. Sed & ipsi illi, quoties destinatis quae insiterant via potiri posse desperarunt: indignatione & odio efferati, quod effici persuasione ac moribus nequibat, iis & armis adsequi tentaverunt.*

Vat. lib. 4. de vita pop. Rom.

Fontes omnium in Republica tempestatum.

XXXII. *Ab his velut fontibus, tanta jam aetate prorupit immensa vis undarum*

atque fluctuum, quæ Rempublicam toties crudelissimis tempestatibus vexatam, in eum statum redegerunt, quem inviti gementesque videmus. Sed nimirum quemadmodum in humanis corporibus, quoties tentata morbo sunt, optare quidlibet licet, fieri nisi quod natura patiatur non potest: ita in hac gravissima civitatis ægritudine, non qualibus quis malit, sed quæ sunt ad præsentem usum accommodatissima remedia, iis utendum est.

XXXIII. *Etiam medici devenire ad ferrum & ignem solent, ubi leniora remedia pertinax morbus respuit: neque sævitia ad urendum secandumque, sed misericordia hominis, & servandi eum proposito votoque adducuntur. Idem ego hoc tempore sequendum nobis exemplum autumo; quibus in periculosissimo civitatis morbo, de idonea medicatione deliberandum est. Sane si esset aliqua medendi suavior ratio, illam potius adhibendam esse dicerem: sed quia mihi compertum est, hoc genus morbos non emendari timida curatione, sed augeri solere: nemo mirabitur, si quod in corpore meo salubriter expertus sum, idem in Republica tentandum arbitror.* Iis malis fortem adhiberi medicinam oportere. Cicer. Tuscul. quæst. 2. 22.

XXXIV. *Quum molesti mihi varices essent, exsecandos præbui: non aberat acutissimi doloris sensus: sed tanti esse valetudinem arbitrabar. Sunt etiam credite mihi, sunt in præsentia quidam velut Reipublicæ varices, quos etiam cum dolore quodam corporis excidi, ad sanitatem profuerit. Neque hic mihi clementiam aliquis, aut misericordiam nominet. Sæpe is animus ægris est, ut interire morbo, quam liberari cum aliqua molestia malint: & his qui parcendo nocet, quam qui offendendo consulit, crudelior est.* Etiamsi cum dolore sit conjuncta.

XXXV. *Præterea summæ dementiæ res esset, eos incolumes pati, quibus mox, si forte iterum convalescant, dandum jugulum fuerit. Parcamus sane Sullanis hominibus, si illi Gratidio, si Sulpitio, si nostrorum cuiquam pepercerunt. Nam illi quidem atque alii multi crudeliter interfecti sunt: nos beneficio fugæ prius, nunc virtute nostra & armorum tutela vivimus: cariturí vita, simul his carere cœpissemus. Quemadmodum igitur amentem potius quam misericordem vocaremus: qui feram bestiam quum occupare telo posset, abstineret ictu, mox ab ea devorandus: ita nulla posset exsistere satis acerba nostræ stultitiæ accusatio si vivere sineremus eos, à quibus toties petiti ad necem sumus: ut sint videlicet, qui nos nostrosque & has omnino partes funditus tollant.* Præterea dementium esse inimicis parcere.

XXXVI. *Ut enim semel explicate dicam quod res est: decutienda sunt Sullanarum partium capita. non nisi his remotis, stabiles nostræ in Rempublicam opes erunt. Quin & illud addidero: tametsi nostram caussam, quod abominor, oderint dii, atque omnia nobis acerba atque funesta efficiant: tamen si mature de inimicis nostris ultionem sumpserimus, hanc nobis voluntatem, hanc felicitatem non poterunt eripere. Mihi sane, ut me vobis indicem, morti similis vita videbitur, si eadem luce fruentem adspiciam Catulum, beneficii quo servatus est perpetuum obtrectatorem: si Cæsarum, si Crassorum odiis vicem nequeam reponere: si Metellos tolerare diutius, & Antonios cogar.* Igitur tollenda Sullanarū partium capita.

XXXVII. *Sed neque vos opinor, licet mitiorem aliquis animum simulet, inimicos vestros vivere atque adeo valere patienter feretis. nisi forte collegam tuum lubenter amplecteris, Cinna Consul, à quo multa tuorum occisa millia: te expulsum Urbe, omni deinceps contumelia vexatum meministi. Quid si L. Merula tibi occurret, tertius hujus anni Consul, cujus nomen non alia quam per summam injuriam* Idque cæteros etiam sentire autumat.

tuam irrepere in fastos potuisset? Cæteri vero perquam tibi jucundi sunt futuri, quorum hæc omnia decreta sententiis, peracta voluntate, opibus animisque defensa novimus.

Multi insignes viri necantur. Appianus. lib. 1. civil. Cic. de orat. 3. 3 Val. Max. 5. 3. 3 Flor. 3. 21. Lucan. 2. 119. Plutarch. Mario c. 74.

XXXVIII. *Quod si quis forte ab hac ratione dissentiat, eum primum adhortor, ut priusquam obloquatur, maturius secum dicta mea perpendat: deinde si quidem perstare in sententia velit, commonefacio, ita temperet, ut tamen amicior nobis, quam hostibus esse videatur.* Quum ita Marius dixisset, & plerisque eadem crudelitas esset, alios auctoritas illius & horum inclinatio deterreret; huc concursum: pactorumque & jurisjurandi neglecta fide, multi insignes viri necati, & capita velut jam recepto more posita in rostris sunt.

M. Antonius proditus. Velleius 2. 22. Plutarch. Florus. Val. Max. 9. 2. 2 Liv. Epitom.

XXXIX. In his C. Atilius Serranus vir Consularis & P. Lentulus fuerunt. C. Cæsar Strabo hospitis Hetrusci scelere proditus, in penatibus suis trucidatus est; M. Bæbius sine ferro manibus, ferarum more discerptus; deinde cum C. Numitorio per medium forum uncis carnificum raptatus est. M. Antonium Consularem villicus in prædio suo celabat. sed simplicitate servi, & scelere cauponis res est prodita, quum à tenuis fortunæ homine, generosius vinum, & solito crebrius emeretur. Marium epulis accumbentem detecti Antonii indicio sic exsultasse ferunt, ut clamore edito, manibusque complosis, ipse profecturus ad necandum fuerit, nisi foret ab amicis cohibitus.

Cuum milites eloquentia detineret, à Tribuno ociditur. Auct. de Vir. ill. c. 70. Appian. Liv. Epitom. Cic. pro Sex. c. 21. & pro Scaur. Diod. ap. Val.

XL. Missi cum P. Annio Tribuno milites, quum ad Antonium venissent, sic hominis eloquentia veluti constricti stetisse dicuntur, ut post longam exspectationem adscendens ad visendum Tribunus, intactum adhuc repererit, coactusque fuerit ipse commodare Marianæ sævitiæ manum. Caput Antonii relatum ad Marium & in ipsis mensis appositum est: nec ipse abstinuit, quin suis manibus avide tractaret. Anniumque recenti sanguine madentem, in sinum suum reciperet. Ejusdem imperio L. Cæsar, qui Consulatum & Censuram gesserat, apud seditiosissimi & vilissimi hominis Q. Varii bustum, à C. Fimbria, crudelissimo Cinnæ satellite, tamquam piacularis hostia immolatus est.

Crassorum interitus.

XLI. Duo Crassi quum in fuga essent ab equitibus Fimbriæ sunt occupati. filium in conspectu patris equites interemerunt: pater, ne quid indignum sua virtute pateretur, sua se manu interfecit. Capita omnium, pro Rostris sunt proposita, ut haud minus acerbitatis ostentatio cædium haberet, quam patratio habuisset: quum in foro Romano locus tota Urbe celeberrimus, quem hostilium navium spoliis majores adornaverant, clarissimorum virorum capitibus, tamquam ornamenti caussa dispositis, oppletus videretur.

Marii præcipuus furor.

XLII. Marius præcipue furebat, & Cinna jam ferme satiato, etiam quos ipse noverat inimicos interfectis, nec dum poterat quiescere. jubebatque promiscue omnes ad se adeuntes occidi, quibus ipse manum non porrexisset. inter quos & Q. Ancharius vir Prætorius, quum sacrificantem in Capitolio Marium adivisset, ut religionis veneratione propitium haberet, ante oculos tyranni in ipsa æde confossus est. Quinque dies continuos, totidemque noctes ista scelerum omnium duravit licentia. neque cadavera sepeliri permissum erat, & in liberos conjugesque interfectorum indigna, maxime à servis, perpetrabantur.

Appianus. Diodor. Plutarch. Sertor. c. 7.

Plutarch. Sulla c. 64. Val. Maxim. 9. 3. 14.

XLIII. Neque ipsi inter se cædibus atque rapinis seditiosi abstinebant. Inter hæc publicationes bonorum adsiduæ erant, & magistratuum coacta abdicatio; Sullana-

lanarumque eversio legum, & amicorum ejus, quotquot corripi potuerant, internecio. Metella quoque uxor cum liberis Sullæ vix effugerunt periculum, quum domus ejus atq; villæ incendio delerentur. Hoc tempore mirifica sane populi Romani abstinentia fuit. Quum enim occisorum domos prædæ multitudinis exposuissent victores; negant *inveniri quemquam paulo honestiorum civium potuisse, qui ullam ex his rem cuperet attingere.* Ammian. 30. 28. Appianus. Mirifica populi Romani abstinentia.

XLIV. Post tot mala, tamquam eo rerum statu legibus in civitate esset locus, L. Merula, & Q. Catulus subornatis accusatoribus rei fiunt. Merulam propter ablatum licet nullo ambitu honorem Cinna oderat; Q. Catulo iratus erat Marius, quasi Cimbrico bello servatus, malam pro beneficio gratiam retulisset, exsilii sui acerrimus auctor. Sed ludibrium istud judiciorum ambo dedignati, spontanea morte functi sunt. Merula deposito apice (quod apicatum Flaminem mori triste & inauspicatum Urbi habebatur) idque se fecisse scripto testatus, in ipso Jovis sacrario incidit venas, porrectoque super altaria sanguine Cinnanas partes consecravit. quo in homine propemodum ipsa sacerdotii religio exstincta est; quum in locum ejus nemo factus Flamen septem & septuaginta annis reperiatur. Merulæ cædes & post eam diu intermissum Flaminium. Val. Maxim. 9. 12. 5. Flor. Vel. Diod. l. 34. et. Tacit. 3. 58. Ruald. in Plutarch. Animad. 28.

XLV. Nam C. Cæsar annum agens septimumdecimum à Mario Cinnaque destinatus, victoria Sullæ sacerdotium amisit. Pro Catulo deprecati Marium necessarii, ne incolumitatem quidem, sed exsilium orantes, nullam ab sævissimo mortalium exprimere vocem potuerunt, præter hanc sæpe repetitam, *moriatur*. Igitur inclusus loco, qui nuper calce fuerat oblitus, multum inferri ignem jussit, atque ita suffocato spiritu exstinctus est. Inter hæc misertus patriæ & civium Q. Sertorius, qui solus inter cæterorum furorem omni maleficio abstinuisse fertur, damnata Marii sævitia, privatim appellavit Cinnam, & miseriarum Urbis postulavit modum servosque Marianos, quum à Cinna sæpius cohibiti, nihil de sceleribus remitterent, acceptis ab eo Gallorum auxiliis, eodem loco castra habentes noctu circumdedit, & ad unum omnes, hominum non minus octo millia, delevit. Q. Catuli interitus. Sueton. Cæs. 1. 2. Vell 2. 43. 1. Cic. Tuscul. quæst. 5. 19. & de orat. 3. 3. Diodorus. l. 38. Plutarch. Sertorio c. 7. Appianus. Plutarch. Mario. Orosius. Liv. Epitom.

XLVI. Sic anno magistratus exacto, Cinna Consules in annum sequentem, se iterum, C. Marium septimum, citra ulla comitia renunciavit: spei de septem Consulatibus eventu meliore, quam sperandi caussa fuerat. Hujus anni triste & minax exordium, cætera paulo quietiora tempora exceperunt. Sed eodem die quo novi Consules inierunt, quum maxime sacra in auspicio anni & magistratuum patrio more fierent; C. Marius filius Tribunorum plebis quemdam sua manu occidit, caputque Consulibus misit. duobus Prætoribus igni & aqua interdictum est: Sex. Licinius Senator de saxo Tarpejo Consulis Marii jussu præcipitatus. Cinna se & Marium Consules renunciat. Urb. cond. ann. 667. Ejus anni triste exordium.

XLVII. Sed efferam hominis immanitatem idus Januariæ finierunt. Laboribus & senio exhaustum, præsertim fama de Sulla exterruisse dicitur, quem finito bello Mithridatico adesse victorem, & admissorum vindicem audiverat. adeoque hoc est creditum, ut à quibusdam voluntaria morte sublatus existimetur. Certe cum amicis de adventu Sullæ deque fortunæ vicissitudine multa disseruisse dicitur: & negasse *sapientis videri, toties expertæ illius inconstantiæ se committere*. Hinc in morbum quum incidisset, & ex morbo in delirium, summa hominum lætitia ad inferos, quo infinitam ante se mortalium vim præmiserat, descendit. C. Marii mors. Cic. Bruto. cap. 90. Liv. Epitom. Diodorus ap. Valesium. Auct. de Vir. illust.



Et elogium. ic. pro Sex. Rosc. cap. 12. Val. Maxim. 9. 11. 2.

XLVIII. Vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile dixeris; utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. quamquam & bello pestilens, quam Rempublicam armis & consiliis servaverat; eamdem in pace aliis consiliis, & mox inter bella civilia iisdem armis hostiliter oppressit. Cæterum ut sanguinarii hominis ne funus quidem sine dolore civitatis atque luctu principum esset; C. Fimbria homo perdite audax Q. Scævulam mandavit occidi. compertoque deinde sic esse vulneratum, ut vivere possit, diem ei dixit. ac interrogatus *ecquid integerrimo sanctissimo viro esset objecturus: hoc ipsum*, inquit, *quod ferrum maligne recepit*.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXXI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

L. *Sulla Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occuparat, circumsedit, & cum maximo labore expugnavit. urbi libertatem & civibus, quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Præterea transitus Thracum in Macedoniam continet.*

Mithridaticũ bellum. Urb. cond. ann 667.

Appian. Mithrid. Plutarch. Sulla c. 25. Pausan. lib. 9. Sulla contra Archelaum proficiscitur.

I. EXPOSITIS Romanæ Urbis calamitatibus ad Mithridaticum bellum, & res interim à L. Sulla gestas, revertendum est. Sulla quinque legiones cum auxiliariis aliquot cohortibus & equitum alis in Græciam transvexerat. Deinde collectis ex Ætolia Thessaliaque commeatibus & auxiliis, postquam satis instructus esse visus est, in Atticam adversus Archelaum ducere instituerat. Per Bœotiam erat iter, cujus pleramq; partem per legatos recepit: eadem levitate animorũ deficientibus à Mithridate civitatibus, quæ paulo ante ad Mithridatẽ à Romanis desciverant.

II. Quo in genere Thebani, sicut urbis magnitudine & gloria caput Bœotiæ habebantur, ita præcipuæ ad mutandos socios inconstantiæ documenta dederunt. Sed metum & imbecillitatem suam allegabant, *quod omnibus circa ad Regias partes transeuntibus, resistere tantæ potentiæ nequivissent, quam neque Reges maximis exercitibus instructi, neq; Asiæ Græciæque auxiliis subnixi Romanorum duces sustinuissent. Modicas civitati suæ vires fuisse, etiam prosperrimis temporibus. tum vero præter antiquiora, bello Achaico sic esse debilitatam, ut vix recuperare sexaginta illis annis, tenuem pristinæ dignitatis speciem potuerit.*

Thebani deficiunt ad Sullam.

III. *Proinde magnopere à L. Sulla contendere, ut non tam defectionem suam quam deficiendi caussas respiciat. & siquidem studio sit à se ac voluntate peccatum, puniat noxios: sin vero invitos cognoverit à societate Romana discessisse, det necessitati veniam, cui ignoscere omnes soleant. Plane eum his temporibus fuisse Italiæ & Urbis statum, ut inde neque Imperator tantus, neque exercitus sperari potuerit. Majorum suorum in populum Romanum frequentiora delictis exstare merita: se quoque semper ejus populi majestatem fide optima coluisse, porroque daturos operam, ut enixe faciant omnia, quæ possint à se in tam exigua fortuna proficisci.*

Defectionem priorem ab Romanis excusant.

IV. *Neque sibi lætiorem diem ullum fuisse, quam quo data Romani Imperatoris sit copia. subesse quidem metum, ne forte sua rejiciatur purgatio: sed spem tamen majorem, fore ut pro nominis Romani & sua clementia, placatum se propitiumque deprecantibus Sulla exhibeat.* At ille, quum pro tempore pauca respondisset, in Atticam contendit. Ibi pugna cum hostibus commissa, postquam Aristionem in Urbem, Archelaum intra Piræei munimenta compulit: parte copiarum ad obsidendam cum Aristione urbem missa, ipse Piræeum sibi oppugnandum sumpsit, ubi Regii cum Prætore suo mœnibus à Pericle olim structis se incluserant.

Sulla vincit Regios. Pausan. lib. 1. Plutarch. Appianus.

V. Bello enim Peloponnesiaco, Pericles in munitionibus Piræei spe victoriæ collocata, murum ex quadrato lapide ingentis magnitudinis, ad altitudinem cubitorum quadraginta circumduxerat. Nec dubitabatur superiorem utique Urbem vel sedendo expugnari posse; quod magna rerum necessariarum penuria inerat. Sed frequentes Roma de novis rebus nuncii, festinare potius cum periculo, quam cum multa temporis jactura tuto vincere, cogebant.

Piræei munitiones. Appianus. Plutarch. Diod. apud Vales.

VI. Igitur scalis ad Piræeum admotis, magna vi conatus est perrumpere: donec omnia nequidquam expertus (nec enim segnius se Regii defendebant) ad compingendas omne genus machinas Eleusinem & Megara concessit. operibus enim oppugnare Piræeum cogitabat, eum in usum artifices ferrumque. & catapultæ aliusque apparatus, decem millibus mulorum jugis, ex urbe Thebana advehebantur. donec inopia materiæ (multa enim opera corrupta & incensa ab hostibus, aut suo pondere procumbentia peribant) sacris quoque lucis injecit manum, & Academiam, nobilissimum orbis terrarum gymnasium, quo non erat alius in suburbanis nemorosior locus, proximumque fama & amœnitate Lycæum arboribus nudavit.

Sulla Piræeum oppugnat. Sulpic. apud Cicer. Fam. 4. 12. Plutarch. Appianus. Jul. Obseq. Plutarch. Pausan. lib. 9

VII. Longi etiam muri, qui ad urbem Atheniensium à portu pertinebant, subruti, saxa trabesque struendis aggeribus præbuerunt. Forte miles cespitem ferens, fulmine exanimatus procideràt: ob eam rem consultus haruspex, *quod percussus in opere miles, caputque jacentis in oppidum versum esset, introitum & victoriam respondit Romanis, sed nonnisi post diuturnum laborem significari.* Has inter moras & sumptus obsidionis, quum rei nummariæ difficultas incessisset, L. Sulla Sacros

Sulla sacros thesauros spoliat.

Græciæ thesauros in promiscuum pecuniæ usum vertit, Olympia & Epidauro jussis advehi pulcherrimis preciosissimisque donariis.

VIII. Delphos quoque Caphis nomine missus est, natione Phocensis, ut ab Amphyctionibus ornamenta templi acciperet; nam *ut tutius apud se fore illa* scripserat: *aut si absumpta essent, non deteriora redditurum*. Caphis quum venisset Delphos, *auditum ex adytis citharæ sonum* scripsit Sullæ: accepitque responsum, *gaudentis non indignantis esse cantum. ageret igitur, & numine propitio sacrum aurum argentumque ad se deportare ne dubitaret*. Postea quoque per jocum dictitasse ferunt, *dubitare se non posse de victoria, qui deorum stipendio militaret*.

> Item eare facetiis ludit. Diodorus. apud Valesf. Plutarch. Lucul. c. 11.

IX. Erat inter Regum donaria dolium argenteum ea mole ac pondere, ut extrahi jumentis nequiret. id concidere coacti Amphyctiones, *statum Græciæ, & mutatos in deterius dominos* miserabantur. *olim T. Quintium & Lucium Æmilium Romanos duces, itemque Manlio Glabrionem, illos Macedonum Regibus, hunc Antiocho devictis, ultro honorem opesque delubrorum auxisse. nunc lapsis in pejus moribus, postquam inimicos quacunque re superare principes Romani studeant, largitionibus ad perfidiam luxumque corrumpi milites, hisque obnoxium Imperatorem, vilissimo teterrimoque hominum generi servire, quo optimis quibusque nobilissimisque dominetur*.

> Græcis ringentibus.

X. Cæterum Sulla neglectis Græculorum querelis, ad Quæstorem L. Lucullum sacros thesauros misit, cui cudendæ in Peloponneso monetæ negotium imposuerat: ipse redigendis in potestatem Athenis omnem animi cogitationem intendebat. Gloriosam victoriam vetus urbis facturâ fama erat: utilem, locorum ad omnia opportunitas. super hæc Aristionis væcordia stimulabatur, importunissimi & improbissimi scurræ; qui continentibus dictis in ipsum, aut Metellam, quæ impudicitiæ arguebatur, iracundum animum mira vindictæ cupiditate inflammabat.

> Sulla Athenas occupare nititur. Plutarc. Sulla Hieron. in Jovin. v. 56. Flor. 3. 5. 10. Appianus. Mithrid.

XI. Cæterum urbem fame urgere satis visum. Piræeum spes nulla capiendi, nisi per arma supererat. Sed hæc tamen proditione juvabantur. duo servi Attici, quidquid in oppido fiebat, glandibus plumbeis inscribebant. eas deinde glandes fundis ejaculabantur ad Romanos. Id ubi sæpius fieri ad Sullam relatum, ille re considerata, quum semper eventum respondere nunciatis comperisset: *diligenter colligi glandes emissas & ad se referri* jussit. Unde quum aliquando decretam in certum tempus eruptionem didicisset, insidias erupturis struxit: multisque interfectis, aliis in mare compulsis, magnum obsessis detrimentum, & plus aliquanto terroris intulit.

> Proditio servorum Atticorum.

XII. Crescebat interea indefesso labore militum agger, quum Archelaus ex diverso turres opposuit, unde cujusquemodi missilia late spargerentur. accitis deinde quæ Chalcide & per reliquas insulas agebant copiis, quum etiam remiges armasset, numero quidem militum longe superavit Sullam, quum etiam à principio majores aliquanto copias habuisset. Idcirco minime ratus contandum, proxima post acceptum supplementum nocte, validam eruptionem in opera Romanorum fecit. Circa tertiam vigiliam, cum facibus improvisa turba exsiliens, alteram testudinum & quidquid in ea machinarum stabat, incendit. neque potuit defendi. sed intra proximum decendium aliud excitatum eodem loco opus stetit.

> Archelai eruptio ex Piræeo

> Frontin. Strategem. 4. 1. 11.

XIII. Sulla ignaviæ suorum iratus, cohortem & centuriones quorum stationem

hostis perruperat, *illam ignominiæ caussa extra vallum tendere, hos galeatos & distinctos perstare in principiis* jussit. Deinde ligneam turrim, quam contra suum aggerem Archelaus erexerat, modis omnibus incendere studens (plurimum enim impedimenti obsessoribus adferebat) submotis valida impressione propugnatoribus, ligna circumponi, faces subjici jussit. Cæterum conatus iste irritus fuit, non concipiente ignem materia, quod eam multo alumine Archelaus obleverat. Dum hæc aguntur, missu Mithridatis Dromichætes cum novis Thracum auxiliis adfuit. Quadrig apud Agell. 14. 1. Appian. Lignea turris incendi non potest.

XIV. Archelaus igitur pugnandi facturus copiam, aciem ita applicuit oppido, ut à mœnibus quoque adjici ad Romanos tela possent: alios deinde facibus armatos *intra portas signum erumpendi exspectare* jussit. Prœlio commisso fugientes suos impigre obsistens Archelaus redire coëgit in hostem: unde vicissim Romana acies pedem referre cœpit. Sed à Murena cohibiti restiterunt: simul qui lignatum exiverant reversi; itemque alii qui ignominiæ caussa seorsim tendebant accurrerunt. horumque strenua opera factum est, ut Regii, duobus militum millibus amissis, intra muros compellerentur. Archelai prœlium cum Sulla.

XV. Archelaus, dum ad retinendos suos tota mente conversus, salutem suam negligit; occlusis jam oppidi portis, fune in mœnia subductus est. Sulla ob egregiam operam laudatis militibus, demptaque iis qui notati fuerant ignominia, quum appetere hiemem videret; relictis ad opera præsidiis, castra ad Eleusinem movit. Equitabilis eo loco planicies erat. & eo genere copiarum hostes abundabant. Igitur Sulla ne eorum pateret incursionibus, fossam profundam à montibus ad mare ducere cœpit. hoc opus prohibituri hostes, quotidiana modo ad fossam, modo pro mœnibus Piræei certamina moverunt. abundabant enim multitudine, marique libero utentibus, & exponere suos ubi volebant, & recipere, & quocumque opportunum videretur trajicere, in promptu erat: rerum quoque necessariarum copiam suis efficere, penuriam hostibus ex facili poterant. Sulla ad Eleusinem castra movit. Plutarch. Lucullo cap. 11.

XVI. Igitur Sulla missis ad Rhodienses certis hominibus, classem arcessit. Quod ubi Regiis mare obtinentibus parum procedebat, *L. Lucullum in Ægyptum & Africam proficisci ad corroganda à Regibus & maritimis civitatibus navium auxilia* jussit; quibus instructus Rhodiorum classem securius deduceret. Lucullus neque maris incerta, neque vim hostium veritus, hieme media cum paronibus Græcis tribus, totidemque Rhodiorum dicrotis solvit. Cretaque partibus adjuncta, Cyrenas transmisit. Erat tum pessimus Cyrenaicæ rei status; quæ post testamentum Apionis, magis sine Rege, quam in libertate relicta, neque defensa ab Romanis domi satis negotiorum habentibus, in seditiones & tyrannidem inciderat. L. Luculli profectio ad corroganda auxilia.

XVII. Cujus quam intolerabilis sævitia fuerit, ab uno documento intelligi potest: quod Nicocrates ad portas urbis custodes apposuit, qui mortuos quum efferebantur igne ac ferro admoto tentarent, ne quis simulatione mortis effugere tyrannidem posset. Cæterum illum ingens animi mulier Aretaphila, concitato in eum fratre tyranni Leandro sustulerat, deinde ipsum etiam Leandrum: postquam similem se gerebat ei, quem interemerat. Accesserant & finitimorum bella; igitur licet excisa tyrannide ad optimates Respublica rediisset, tamen nec auctoritas illis, nec concordia aderat: quum à recenti dominatione timidis necessario suspectus fieret, quisquis supra cæteros ingenium animumque habere credebatur. Cyrenaici tyranni sævitia; Plutarch. de Vir. Mulier. cap. 34. Polyæn. Stratagem. lib. 8.

Lucullus Cyrenensium Rempublicam ordinat. Plutarch. Philo. cap. 1. Plutarch. Lucullo.

XVIII. Quum his temporibus L. Lucullus supervenisset, velut divinitus missum pacis libertatisque instauratorem amplexi, *ut leges sibi ferret*, oraverunt, *quibus deinceps civitas regeretur*. Ille recensitis veteribus legibus, maxime quas olim Ecdemus & Demophanes Megalopolitani rogatu Cyrenæorum tulerant, additisque ex præsenti usu aliis, Rempublicam eorum belle composuit. Id ubi perfectum est negotium, eadem hieme in Ægyptum inde navigavit. In eo cursu plerisque navibus piratarum audacia depressis aut captis; ipse incolumis & sospes Alexandriam pervenit, eximioq; honore & magnificis à Rege honoribus cultus est.

Ægypti status. Eusebius Porphyr. Pausan.

XIX. Nam & quadruplum ejus, quod aliis hospitibus adsignari consueverat, ei decretum est: & munera è talentis octoginta missa, quæ tamen ille non accepit. Ptolemæus tum iterum regnabat *Lathuri* cognomento à cæteris distingui solitus: quem post fratris Alexandri necem, Alexandrini ad vetus Regnum è Cypro revocaverant. Nam matrem Cleopatram Alexander; Alexandrum Ægyptii bello persequuti occiderant. Neque adhuc plane motus omnes exstincti erant, quamquam Thebas quæ defecerant, triennii bello recepisset Ptolemæus, adeoque redegisset humiles, ut vix memoria pristinarum opum, quibus nulla civitas copiosior fuit, relinqueretur.

Urb. cond. an. 667. Neoptolemus à Romanis vincitur. Cicer. Acad. Appian. Mithri.

XX. Igitur dum his in locis varia per impedimenta Lucullus detinetur, L. Sulla manum militum frumenta ex Piræeo Athenas portantium, cum ipsis sarcinis intercepit. prodita enim ea res glandium inscriptione fuerat. Eodem die ad Chalcidem cum Archelai fratre Neoptolemo feliciter dimicatum est. legatus L. Sullæ Munatius mille quingentis militibus interfectis aliquanto pluribus captis, duce quoque hostium sauciato, pretium operæ fecit. Parvo post tempore, quum sopitis custodibus mœnia Piræei negligerentur, Romani milites scalas machinis imponentes, in murum evaserunt, & quos primum objecerat casus obtruncarunt.

Pugnæ ad Piræeum.

XXI. Excitato inter hæc tumultu, vigiles partim in oppidum quasi jam captis mœnibus desilierunt: alii magnis animis certamine inito, hostes, occiso qui eos ducebat, præcipites abegerunt. Hoc invitati successu Regii, non contenti periculum repulisse, eruptionem fecerunt, quo loco altera Romanorum turris exædificata fuerat. incendissentque, nisi continuato per noctem diemque labore Sulla, qui ex castris auxilio accurrerat, restitisset. Quum deinde aliam ex adverso turrim Archelaus struxisset, diu ex vicinis paribusque munitionibus omni genere telorum certatum est: donec Sulla viginti simul plumbeos graves globos catapultis excuti jussit.

Atheniensium fames. Posidon. apud Athenæ. 5. 19. Appian.

XXII. Horum impetu multi hostium occisi, & quod præcipue desideratum fuerat, labefactata turris Archelai, quum ruinam minitaretur, intra mœnia reducta est. Interea magis magisque gliscebat in urbe Athenarum fames, nam frumenti quidem parum inerat; & tyrannus chœnices hordei in quatriduum, gallinarum verius quam hominum dimensum dividebat. Sed hac necessitate Atheniensium cognita, licet contanter, de integro tamen Archelaus delectos cum cibariis misit. & quia prodi consilia sua animadverterat, eodem tempore circum portas validam opperiri manum jussit, ut Sulla in frumentatoribus capiundis occupato, cum facibus ad incendenda Romanorum opera prosilirent.

XXIII. Utrisque prospe expeditio fuit: Sulla commeatum portantes excepit; Archelaus aliquot machinas corrupit incendio. Circa eadem tempora fi-

lius Mithridatis Arcathias cum alio exercitu in Macedoniam irrumpens, Romanorum modicas copias haud ægre expulit; omnemque Macedoniam in præfecturam divisam, idoneis hominibus distribuit. Deinde magno cum apparatu contra Sullam profectus, haudquaquam parem spei eventum habuit, circa Tidæum morbo exstinctus. Arcathias Mitridatis F.

XXIV. Tanto minore molestiâ Romanus Imperator cœpta perurgens, Athenas, ut omnem non modo commeatum, sed etiam fugam interciperet; castellis circumdedit: quo plures in exhausta urbe clauderentur, eo celeriorem ex fame deditionem sperans. Ad Piræeum vim adhibere consultius visum; eductisque in justam altitudinem aggeribus, machinæ impositæ. At Archelaus terra clam egesta exinanibat opus, donec subsidente mole prodita res; deductisque machinis Romani aggerem repleverunt. Deinde contra cuniculos Archelai aliis effossis cuniculis, & sub ipsa mœnia productis, sæpe sub terra inter fossores, ut forte sibi occurrerant, hastis gladiisque pugnatum est. Sulla Athenas circumurit.

XXV. Hæc dum ita fiunt, Romanus multis ab aggere machinis admotis muros ariete quatiebat. neque ante desitum quam parte muri dejecta, proxima turris contento militum labore incenderetur; inque ipso quem ceperant muro præsidium statueretur. Simul cunicularii, suspensa trabibus mœnia, pice, stuppa atque sulphure multo adfusis, & igne subjecto concremarunt. Ibi quum alia post aliam pars murorum arderet, & superstantes gravi ruina opprimerentur, etiam qui longius à periculo aberant, commilitonum interitu territi, despondere animos cœperunt. Romani Piræeum acriter oppugnant.

XXVI. Summâ enim contentione à Romanis pugnabatur. quum Sulla fessis integros submittens, *hunc unum restare laborem* clamitaret: neque reliquum quidquam faceret, quo minus promissis, imperio, minis, modo hos modo illos ad spernenda pericula, murosque vi transcendendos incitaret. Neque minus animorum aut industriæ Archelao supererat; perculsis atque sauciis, corpore atque animo recentes subinde jubenti accedere; donec fatigatos iniquo prœlio milites Sulla miseratus receptui cecinit: quum ejus diei fortuna pari inter se robore prœliatos, etiam detrimento amissorum utrimque militum æquavisset. Regii strenuo resistunt.

XXVII. Archelaus ne noctem quidem suis quietam abire passus, reparandis mœnium ruinis operam dedit: intra murum multas exstruxit munitiones, in lunæ speciem sinuata fronte, quo pluribus ex partibus in hostem missilia jacerentur. Eas, dum adhuc recens labor facilius machinis cederet, magna vi oppugnare Sulla cœpit. sed undique telis expositis, quum multos occidi vulnerarique cerneret; abjecta spe capiendi per vim oppidi, ut commeatuum inopia cogeret ad deditionem obsessos, de reliquo abstinuit oppugnatione: claudi tantum aditus, ne qui exire, neve ingredi impune possent, jussit. Alia oppugnatio, itidem irrita.

XXVIII. Ipse, parte copiarum adsumpta Athenas perrexit: ubi graviorem in dies annonam factam, & jam ad extrema necessitatis perventum intellexerat. Jumentis enim omnibus absumptis, etiam oleribus & herbis vescuis, vulgo jam à tegulis parietinisque Parthenion (*urceolarem* herbam Latini vocant) in victum vellebatur. alii calceamentorum ampullarumq; coriis morabantur deficientem spiritum: etiam humana corpora cœperant in cibum verti. Nam frumenti quidem medimnus mille denariis æstimabatur. Neque hoc tristissimum pereuntibus erat, Athenarum horribilis fames. Plin. 22.18. Plutarch. Sulla cap.17. Diod. ap. Vales. Florus 3.5.10. Plutarch. Diodor.

ſed quod tyrannus Ariſtion in ea publica penuria quotidie cum ſuis compotoribus hilariter epulabatur; nec modo fatiſcentes inedia cives, ſed etiam exſtinctum olei inopia Minervæ ſacrum ignem in levi ponebat.

XXIX. Hierophantidi, ſummæ ea religionis in urbe ſacerdos erat, heminam tritici petenti, heminam piperis miſit. Urbem ita adfectam Sulla nactus protinus circumvallare inſtituit, ne quiſquam inde evadere poſſet. Interea ſæpe rogatus ab Athenienſibus Ariſtio, quum diu negaviſſet, ſemel etiam ſupplicantes ei cum Senatoribus ſacerdotes ſagittis abegiſſet, tandem familiarium aliquot ad Sullam oratores de pace miſit. At illi ſceleribus & crapula væcordes, ſtolida & minime accommodata temporibus oratione, nihil quod præſens uſus poſtularet; ſed vetera urbis decora, Theſeoſq; Eumolpoſque, & Medica trophæa prædicabant.

Tyrannus ad Sullam oratores mittit.

XXX. *Neque tibi decorum fuerit*, ajebant, *Imperator, neque tutum; eam exciſſe urbem, in quam ſingularis deorum favor ſemper exſtitit. adeo quidem, ut & banc præcipua benevolentia ſemper complecterentur: & inde potiſſimum in cæteras gentes emanare beneficia ſua vellent. Jam à principio quum urbi nomen eſſet imponendum, duos de Conſentibus de hoc honore certaviſſe ſatis conſtat: & quum oleam Minerva, Neptunus equum produxiſſet, pacis omen præferentibus diis, quorum arbitrio commiſſa lis fuerat, viciſſe Palladem, quam Athenam vocamus, deque hujus vocabulo appellari Athenas cœpiſſe.*

Eorum ſtolida oratio. Plato. Menex. Varro apud Auguſt. Civit. 18. 9. Ovid. Metamor. 6. & 40 Cic. de legib.

XXXI. *Ita propter nos & equum, tam accommodatum uſibus humanis animal, & oleam, cui præferri arborum nulla jure poteſt, vita accepit. Duratque illa etiam nunc certo divinitatis argumento, & quos præferimus ramos inde decerpſimus. Sed & Cereris munus, Triptolemique currum, & hinc ad alias terras exportata frugum ſemina referre poſſemus; quum adhuc glandibus miſeri mortales veſcerentur. Quin & præter oleam ſuaviſſimæ pomorum fici hæc terra eſt genitrix: & hic primum expreſſis Eumolpi ingenio uvis, vina fluxerunt.*

Athenienſium merita in humanum genus jactant. Ovid. Metamor. 5. 6 45. Diod. 5 60. Juſtin. 2. 6. 3. Ælian. hiſtor. Varro 3. 38. Plin. 7. 54.

XXXII. *Quæ jam alia in univerſum genus humanum exſtent urbis hujus merita, ſi recenſere vellemus, dies potius & vox, quàm argumentum nos deficeret. Ut pauca obiter indicemus, Lanificii uſum, nudis aut male veſtitis monſtravimus; & quum in ſpecubus antiqui habitarent, Euryalus & Hyperbius cives noſtri, lateritias exædificare domos docuerunt. Judiciorum etiam ordinem hominum primi tradidimus: ab ipſis diis acceptum, quo tempore nomen Areopago Mars dedit; qui primus ibi capitis dixit cauſſam, ob Halirrothii cædem.*

Athenienſium inventa. Juſtin. Plin. Ælian. Steph. Plin. Pauſan lib. 5.

XXXIII. *Sed & civitatem ante alios optime conſtituimus populari ſtatu; quum ejus nullum adhuc exemplum exſtaret. Sed & certamina, quibus corpora exerceantur commenti ſumus; gymnicoſque inſtituimus agonas, ungendique tradidimus morem: & quo magnificentius Panathenaica celebrarentur, primus hominum quadrigas Rex noſter Erichthonius junxit. idem, inquam, Erichthonius, qui & ſignandæ pecuniæ fuit auctor. Nec jam enarrare volumus, quid pictura Polygnoto, quid Pericli res nautica debeat. Literas certe & facundiam, quibus ornamentis te quoque ſcimus excellere, omnemque humanitatem, jura leges à nobis habere fatentur, quotquot habent. Sed & majores veſtros, qui tantæ magnitudinis fundamenta jecerunt, non puduit miſſis huc legatis, Solonis inclutas leges deſcribere: unde mox duodecim illæ tabulæ prodierunt, quas apud vos tamquam omnis publici privatique juris fontem atque normam, ingenui pueri inter præcipua diſciplinarum edocentur.*

Varro lib. 20. mirabil. Virg. Georg. 3. Plin. Ælian. Pollux lib. 9. Plin. Juſt. Cic. pro Flac. cap 26. Liv. 3. 31. Cic. de Orat. 1. 45. Leges Atticas deſcribunt Romani.

Tam

XXXIV. *Tam antiqua sunt nostræ urbis in Romanam officia: quæ deinde multis temporum opportunitatibus toties reculta auctaque sunt; ut nulla Græciæ civitas pluribus Imperatorum vestrorum Senatusque honorificis decretis gloriari possit. Nullum enim ferme in Macedonia, aut Asia, aut Græcia gestum bellum est, in quo non insignis erga populum Romanum exstiterit Atheniensium fides. Cujus rei quem ampliorem ipso populo Romano testem producemus & quidem universo? semper enim, & in omni re, quod optima fide gestum est, id Attica gestum Romani soletis dicere.* Vellejus 2.23. Fides Attica.

XXXV. *Quæ vero contra barbaros majores nostri toties gessere, quamquam forte invidiosa esse ob magnitudinem gloriæ videantur: tamen quia pro misera posteritate majorum allegare virtutem prodest, commemoranda sunt. Sed unde potius quam ab iis temporibus gentibusque ordiemur; in quibus quum vester aliquis dolor fuerit, erit aliqua etiam ex relata hostium ultione voluptas? Galli quum Italiæ magnam partem, mox etiam Macedoniam Græciamque innumeris copiis oppressissent, ad Thermopylas majores nostri occurrerunt; terraque & mari fortissime decertando, magnam Græcorum multitudinem servarunt.* Atheniensiũ gesta contra Gallos. Pausan. lib. 10.

XXXVI. *Quid antiquioribus adhuc temporibus, ô dii, & custos urbis Minerva! quæ tum urbs aut regio aut insula prope longeve fuit, quæ non aliquo præclaro Atheniensium facinore nobilitaretur? Marathon victoriæ Medicæ æternum monumentum, ex oculis hominum & agro nostro deleri poterit: è memoria quidem rerum gestarum & admiratione posteritatis numquam delebitur. Quid deinde Themistocles & frater ejus Agesilaus? Quorum hic interfecto principe purpuratorum Mardonio, quem Xerxem esse putaverat; quasi Regem hac audacia non satis terruisset, injecit foculo manum, tales adfirmans omnes Athenienses esse: non absimilis illi Mucio, unde adhuc Scævularum familia Romæ perdurat.* Contra Medos. Strab. lib. 9. Stobæus serm. 7. Plutarch. Parallel. c. 16.

XXXVII. *Themistoclis autem tam nota sunt facinora; ut omnis historiæ oporteat esse rudem, qui ista non teneat. Superbissimum enim Regem, & tantis instructum copiis, quantas aut antea, aut postea habuit nemo, nobili ad Salamina prælio fregit: deinde rem multis millibus improbam, unus consilio perfecit, ut universa Europa maximis adhuc viribus subnixum expelleret. Theseo vero duce Amazonicas pugnas, & quidquid ab eo heroë factum est, non modo vetus memoria loquitur, sed passim nobilium artificum opera demonstrant.* Prob: Themisto. 2. 4. Pausan. Contra Amazones.

XXXVIII. *Ne jam Thrasybulos vobis, & Cononas adducamus, & Cinægiros, & omnem illam clarissimorum Imperatorum, fortissimorum virorum manum. Periclem tamen indictum abire non sinimus, ut simul virtutem ejus, simul studium urbis nostræ in virtute honoranda prodamus: tantus enim ille vir fuit, ut novus ei honor decretus fuerit, duobus connexis oleæ ramulis capite cincto. Probaruntque & rem & auctores universi populi; atque inde claros viros coronandi consuetudo orta, statimque vulgata est. Neque transeundus Phocion est, licet ætas ejus in Philippi & Alexandri tempora incidit, quorum potentia & fortuna summorum virorum obscurare famam potuisset.* Pericles. Val. Maxim. 2. 6. 5. Plutarch. Phocion. cap. 11. Probus Phoc. cap. 1.

XXXIX. *Nec tamen illi sic officere nomini Phocionis potuerunt, quin strenuum virum, optimumque civem fuisse sciamus: qui quum quadragies quinquies exercitum duxerit, semper absens electus Prætor; tamen integritate vitæ, civi-* Phocion.

Plutarch. Libello sic Inscripto. Cic. Tuscul. quæst. 1. 1.

libusque artibus hodie est notior. Atque ea hominis mentio publicæ laudis admonet: quum eadem & civitatis nostræ fuerit in utroque genere præstantia, ut ingeniosissimi homines disputent; Belline, an vero sapientiæ studiis Athenæ fuerint clariores? An enim ulla pars disciplinæ est, in qua laudabiliter versari humanum ingenium possit; quam non aut invenerint nostrates, aut præ cæteris excoluerint?

Poetæ Attici. Plutarch. ibid. cap. 9. Temocles ap. Athenæum 7. 1. Clemēs lib. 1. Strom. Plutarch.

XL. *Ut enim à poëtis ordiamur, quod genus è doctis antiquissimum est, Comœdiæ Tragœdiaque plurimos atque nobilissimos auctores Athenæ tulerunt. Quamquam profecto comœdiam scribere vetitum Areopagitis est, ne severitatem judicum populari hilaritate corrumpant: tamen & in vestris theatris fabulæ nostræ spectantur, & ingeniosior quisque poëtarum habetur, quo propius abest à nostris. Tragœdia vero, quæ maximas in vita habet utilitates ad omnem bene ferendam fortunam, & primum inventorem, & scriptores adeo excellentes hæc civitas peperit: ut tanto jam tempore nemo sit repertus, qui sapientiam Euripidis, facundiam Sophoclis, grandiloquentiam Æschyli possit imitari.*

Oratores.

XLI. *Oratores autem præstantes civitas nostra plures eadem ætate habuit: quam propemodum omnes, omnibus annis. E quibus equidem Lysias, & Æschines, & Demosthenes; non tamquam oratorum, sed tamquam eloquentiæ nomina audiuntur. Et ut pictores, statuarios, aliosque artifices, quorum tamen insignis etiam est gloria; & quidquid ingeniorum diversis studiis occupatum fuit, silentio transeamus: quis ignorat nullibi terrarum meliores exstitisse doctores ejus, quæ vitam regit, sapientiæ.*

Philosophi.

XLII. *Solon & Socrates & cum Platone Xenophon, & tot profectæ à Socrate familiæ, quarum etiamnum successio durat, notiora sunt miracula, quam ut dici debeant; majora, quam ut possint. Ob tot urbis decora mirum non est, si maximi præstantissimique Reges, uti vincere Athenas magnificum, ita perdere inhumanum judicarunt. Possemus hic Philippum nominare Macedonum Regem, possemus Alexandrum. sed ne tibi talia commemorando, fastidio simus, Imperator; præsertim, quia pro humanitate atque eruditione tua nihil horum nescis; has tantum adjiciemus preces, ut clarissimorum Regum tueri judicium velis, atque clementiam imitari, quemadmodum imitaris & virtutem.*

Flor. 3. 5. 10. Iustin. 2. 66. Athenæ. 5. 2. Plutarch. Sulla, cap. 28.

XLIII. *Ne lubeat tibi vastare ædificia hujus urbis, à qua primum tradita mortalibus est ædificandi scientia. noli fame premere frugum parentem: noli bello vastare tot heroum patriam, artium omnium domicilium; religionum atque sapientiæ templum, & Pythii testimonio ac voce, Græciæ Prytaneum.* Sed huic orationi non aliter atque hac væcordia dignum erat, Sulla respondit. *Abite*, inquit, *beati: & hæc tam pulchra declamaturis adolescentibus præcipite. Ego enim Senatus Populique Romani missu, non discendi gratia, sed ad puniendos rebelles adsum.* Dum hæc aguntur, forte senum in tonstrina sermonem habitum exploratores ad Sullam retulerunt. tyranno maledixerant, *quod negligenter servaret urbem, facilesque ad Heptachalcum aditus incustoditos sineret.*

Sullæ responsum. Plutarch. de Garrulitāte cap. 8. Plutarch. Sulla. Athenarum expugnatio. Velle. 2. 23. 3. Plutarch. Florus 3. 5. Mithrid. Plutarch. de Garrul.

XLIV. Imperator haudquaquam spernendum indicium ratus, media nocte cum expeditis ad locum venit; & quia non difficilis superatu videbatur, admoveri statim scalas, & evadi in murum jubet. Primus omnium M. Tejus in summum enisus, quum occurrentem sibi hostem feriret, objectu galeæ fregit ensem: nec cessit tamen loco, sed donec alii commilitones supervenirent, restitit. Sic expugnatæ

sunt à Sulla Athenæ, Calendis Martiis. Romani diruto quidquid inter duas portas Piraicam & Sacram murorum fuerat, magno cum terrore ingressi, strictis ensibus ad cædem rapinasque discurrerunt: non defectionem tantum Atheniensium, sed suas contumelias, & jacta obsidionis tempore convicia, immitis ingenii viro acriter vindicante. Plutarc. Sulla Appian. Plutarch. Appianus. Memnon.

XLV. Erat omnino fœda tum eorum quæ fierent species, tum factorum memoria & notæ. *Multis in domibus condita in usum ciborum humana membra reperta; tantumque cruoris in ea nocte fusum* ferunt, *ut præter alias urbis partes cædibus & cadaveribus oppletas, totus Ceramicus ad Dipylon usque sanguine fluxerit: ejusque rivos etiam in suburbium manasse quidam retulerint*. Non enim à Romanis tantum obvii sternebantur, sed ingens oppidanorum numerus, acerbiora morte metuens, desperatione sibi necem consciscebat. Aristion cum paucis in arcem confugit, incenso prius Odeo, ne materia illius ad oppugnandā arcem hostibus usui esset. Et multiplices miseriæ.

XLVI. Sullam ne urbem dirueret, non quidem mandata Senatus absterruerunt, quibus tum quidem parum fuisset commotus: sed Romanis Senatoribus qui cum Sulla erant adjuvantibus, exsules Atheniensium Midias & Calliphon extremis precibus evicerunt, *ut miserrimæ civitatis aliquas esse reliquias pateretur*. Igitur postridie, jam satiata nonnihil vindictæ cupiditate, veterum Atheniensium laudibus commemoratis, *ingratissimos hominum*, ut ipse dicebat, *in honorem sacrorum suorum, atque antiquorum heroum conservavit, multos se paucis, & vivos mortuis donare dictitans*. Sulla exoratus urbi parcit. Florus 3.5.10. Plutarch. Appian.

XLVII. *Servilia* deinde *corpora venditurum* edixit: *cæteris concedere libertatem; suffragia legum & magistratuum non concedere, quod hostili in se atque populum Romanum animo fuissent. posteris tamen illorum ea quoque reddere*. Sic antiquissima & nobilissima Græciæ civitas, quum plurimorum bellorum pericula, seditionumq; & tyrannidis violentissima mala superasset; quo tēpore vix timeri tale quippiam potuisset, Aristionis opera in eam calamitatem adducta est, ut extremum exitium vix evaderet. *Sullam quoque postea gavisum esse* ferunt, *quod iræ, cujus potens non erat, hactenus indulsisset, ut tamen urbem non exscinderet: idque inter præcipua fortunæ suæ beneficia numeravisse*. Numquam tamen pristinam deinde recuperare speciem Athenæ potuerunt: & mœnia tum à Romanis diruta, circiter annos trecentos quinquaginta jacuere: donec imperante Valeriano, contra Scytharum incursiones reficerentur. Libertatem oppidanis cōcedit. Plutarch. Apoph. Roman. cap. 31.

XLVIII. Per eadem tempora aliis quoque locis inter Romanos Mithridaticosque duces varia fortuna certatum est. Asia ferme tota Regis erat: nisi quod ab obsidione Rhodi repulso, etiam Magnetes fortissime resistebant. Hi & alias plurimum damni Regiis attulerant: & Archelaum, paulo ante quam in Græciam iret, fines suos effusa populatione devastantem, multis barbarorum necatis, sauciaverant. Inde quum maximo exercitu circumsessa oppugnataque urbs eorum à Mithridaticis prætoribus esset, summa virtute defensa est. Pausan. lib. 1. Liv. Epitom. Tacit. 3.62.1. Memnon. Diod. apud Vales. Magnetes Mithridati resistunt.

XLIX. In Thracia atque Macedonia prosperiora omnia Regiis erant. Thraces Mithridatis partes sequuti, duce filio Regis Arcathia, deinde Dromichæte Regii sanguinis Thrace, capta Amphipoli, numerosis agminibus Macedoniam & propinquas illi regiones invaserant. Horum incursionibus Epirus & reliqua Dodonam usque adflicta sunt: ipsum Jovis Dodonæi templum sacrilegas eorum manus Thraces Macedoniam & finitimas regiones vastat. Euseb. num. 1934. Euseb. Ἀποσπ. 4. 83.

Plutarc. Sulla. Pausan. non effugit. Delphicum quoque delubrum, postquam antiquioribus temporibus bis incensum fuisset, tum tertium à Thracibus inflammatum est.

Taxiles Mithridatis Prætor. Flor. 3 5. 12. Orosius. 6. 2. Appian. Mithrid. Plutarch. Florus. Appian. Plutarch. Meq. de Fort. Atheniens. cap. 7. Plin. 737. 5. L. Iis post Arcathiæ mortem Taxiles cum imperio præerat, qui Atheniensium obsidione audita, quum Elateam Phocidis urbem circumsideret; copias in Atticam transducere instituit. Habebat autem sub signis centum peditum, decem equitum millia, cum nonaginta curribus falcatis; per se validas ad quodlibet bellum vires, nedum si Archelao jungeretur. Quo minus committendum Sulla ratus, ut post captam urbem, ad reliquas munitiones tempus tereret; obsidioni arcis Curionem præfecit: Piræeum summis viribus oppugnavit, neque prius destitit, quam repulsis continua telorum imbre propugnatoribus, muri recentis lunatam partem convelleret.

Piræeum oppugnat Sulla. LI. Sed cum optato laboris eventu, non statim præmium etiam speratum adfuit, Quippe interiorem murum Archelaus struxerat; & quasi nihil dum actum foret, subeunda erat integra oppugnationis alea. Neque hoc semel atque iterum factum esse dicitur: sed ea fuisse utrisque defendendi expugnandique contumacia, ut sex & amplius muri perrumpendi Romanis ante plenam victoriam fuerint.

Et expugnat. LII. Tandem urgente Sulla, ipsisque militibus per iram, & quia expugnato Piræeo cætera belli faciliora fore credebant, supra fidem humanarum virium connisis, Archelaus in opposità quæque ruentium insana pervicacia victus, cessit loco: seque in Munychiam & circumfluam undis Piræei regionem recepit. Victores ædificiis plerisque incendio ac ruina deletis, in quibus & navalia fuerunt, & celebratum Philonis armamentarium, tanta arte distributis spatiis, ut mille navium instrumentum caperet; ultra non potuerunt progredi, quod neque

Appian. Plutarch. classem haberent, neque sine navibus sequi Archelaum possent. Igitur omisso illo, relictisque idoneis præsidiis, L. Sulla cum majore parte exercitus, & Græcorum populorum auxiliis, ut venienti novo hostium exercitui occurreret, in Bœotiam contendit.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXXII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



ULLA copias Regis, quæ Macedonia occupata in Thessaliam venerant, prælio vicit; cæsis hostium centum millibus, & castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum Regis fudit ac delevit. Archelaus cum classe Regia Sullæ se tradidit. L. Valerius Flaccus Consul collega Cinnæ missus, ut Sullæ succederet, propter avaritiam

invisus exercitui suo, à C. Fimbria legato ipsius ultimæ audaciæ homine occisus est: & imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes à Mithridate & crudeliter direpta pecunia, incursionesque Thracum in Macedoniam, referuntur.

I. EXPEDITIONE L. Sullæ, quemadmodum nihil tam obnoxium hominum judiciis est, quam imperatorum consilia, à plerisque reprehendebatur, *quod relicto Attico agro, ubi propter asperitatem locorum pauci pluribus resistere possent, Bœotiæ campos & apertam planiciem, numero præsertim equitum tanto inferior optavisset.* Cæterum Sulla præter insitam audaciam motus caussis minime inanibus videbatur, quod recenta Munychia Archelaum hoc intelligebat agere, ut ducendo bello Romanos in regione sterili, commeatuum inopia premeret. Ager enim Atticus ne per pacem quidem tantam alere multitudinem poterat: subvectionem annonæ ipse mari, Taxiles terra haud magno negotio erant prohibituri. Plutarch. Sullæ consilium reprehensum à multis.

II. Adversum hæc ea ratio Sullæ erat, ut cum hoste potius solo, quam simul adversus hostem famemque dimicaret. Ad hoc periculo L. Hortensii movebatur: quem acrem virum & propositi tenacem, cum copiis non pœnitendis ad se ex Thessalia pergere; hostes autem in Thessaliam irrupisse noverat. & nisi subveniretur, ne ubicumque deprehensus pugnam vel cum exitio sumeret, metuebat. Sed Hortensium quidem Caphis Bœotius per aliam, quam qua venturum Barbari opperiebantur, viam circumduxit, donec superato Parnassi dorso tenuit Tithoream. munitissimus natura locus est, alto circum & præcipiti rupium velut vallo claudente: *cui quondam Phocensium pars inundante Græciam Xerxis exercitu, salutem atque libertatem debuisse* dicitur. Sed ab eo propter idoneas rationes susceptum. Memnon. Diodorus apud Vales. Plutarch. Liv. Epitom. Herodot. 8. 32. Pausan. lib. 10. Plutarch.

III. Huc ubi longiore via sequuti hostes penetrarunt, Hortensius toto die impetum eorum haud difficulter repulit: noctu deinde tacito agmine profectus per loca confragosa pervenit Patronidem, ibique ab occurrente Sulla receptus est. Hoc adjuncto milite, non ultra mille quingentos equites, peditum millia quindecim Romanæ copiæ efficiebant. accensa deinde Græcorum qui nuper ab Archelao defecerant auxilia, ita augebant numerum, ut tamen ne trientem quidem hostilis multitudinis æquaret. L. Hortensius ad Sullam venit. Appianus Mithrid. Plutarch.

IV. Igitur Archelaum (nam & hic accitus à Taxile in Thessaliam accurrerat) cæteri duces ad prœlii tentandam fortunam indesinenter hortabantur. Donec consensu omnium victus (nam trahere bellum haud absurdo consilio statuerat) in aciem suos eduxit. Præter veterum copiarum reliquias, & quæ postea Dromichætis ductu venerant, etiam Arcathiæ nullo adhuc incommodo imminuta agmina, & quæ subinde Mithridates submittebat, Taxiles è Macedonia adduxerat: in universum hominum millia centum viginti numerabantur, mista è variis gentibus acies. Thraces plerique & Pontici; Scytharumque & Gallogræcorum auxilia, tum ex Phrygiæ, Bithyniæ cæterarumque provinciarum, quæ jugum Regis acceperant, delectibus coacta inventus. suos cuique gentium ductores, summæ Archelaum Rex præfecerat. Archelai copiæ. Orosius 6. 2. Appianus.

V. Sulla castris locum in Elateæ finibus ceperat: sed quia neque collis quem obtinebat arduus, & lata circum planities erat; quum neque loco fideret, & terreri hostium multitudine animadverteret suos, intra vallum se continuit. Id quum continuis aliquot diebus factitatum esset, contemnere hostem Regii cœperunt, & Sulla suos intra vallum continet. Plutarch. Appianus.

Frontin. Strateg 1.2. Plutarch. Frontin. 1.18. quo ferebat animus injussu ducum pabulatum excurrere. Panopeum Bœotiæ urbem sine certo imperio tum deletam ferunt: Lebadeam cum celebri Trophonii oraculo direptam. dolebat in oculis suis fortunas sociorum diripi Sulla, sed militem formidine nondum liberatum certamini non audebat objicere. laboribus ergo Plutarch. atque operum tædio putabat adduci posse, ut potius pugnam poscerent.

Tædioque laboris ad poscendam pugnam adigit. VI. Ipse missis ad Archelaum legatis pacis mentionem interposuit; inducias quoque pactus: quo securiorem efficeret hostem, & castra sua in tutiorem locum transferret. Utrique consilio sicuti ratio adfuerat, fortuna & successus adfuerunt. Tertio die, postquam derivando Cephisi flumine, fossisque ducendis fatigari cœperant; prætereuntem forte Sullam magno cum clamore prœlium poposcerunt. Memnon. Ille non *pugnam cupientium, sed laboris pertæsorum hunc clamorem videri* increpans; *tamen, si viri estis*, inquit, *en vobis locum, quem extemplo cupiatis*. Simul ostendit arduum præruptumque collem, ubi quondam ad confluentes Assi Cephisique arx Parapotamiorum steterat.

Regiorum negligentia. Plutarch. VII. Ad hunc occupandum eodem tempore missi ab Archelao chalcaspides ibant; sed eximia Romanorum alacritate prævenit eos Sulla, locumque communivit. Ut jam redire militibus virtus & armorum fiducia cœpit, Sullæque exploratores retulerunt *castra hostium non magno plerumque præsidio custodiri, cæteros ad prædam, frumenti ve aut pabuli convehendi gratia passim evagari: redeuntes, ubi per noctem ignibus, interdiu fumo, adventum suum significassent, portis patentibus intromitti: eaque secure & negligenter omnia agi; quantoque plus ducum ipsis, tanto minus obsequii esse*: occasione usus magnum Barbaris detrimentum, & quia nec opinantibus acciderat, majorem ex securitate metum attulit.

Strategemate Sullæ castigata. VIII. Frumentatorum aliquo numero excepto, quum robustissimum quemque interfecisset, reliquos, à quorum imbecillitate nihil metuebat, resumptis armis suis pergere secum jussit. Quum in vicinum castris locum obscura jam nocte ventum esset: *Ne vos fugiat*, inquit, *quam salutis concessæ mercedem postulem, excitatis ignibus signum quod inter vos convenit, vestris date. ubi redditum ab illis signum fuerit, ad castra succedamus, apertas haud dubie portas reperturi, ubi vestræ è propinquo voces agnoscentur. In hoc non magis victoriam meam, quam vestram incolumitatem sitam esse scitote. quod si quis forte fugam, aut proditionem tentare voluerit: à me providebitur, ut nullo neque nostro damno, neque suorum commodo, extremos sibi cruciatus arcessivisse intelligat*.

Archelaus castra movet: Sulla sequitur Appianus. Plutarch. IX. Omnia sicut Sulla optaverat, obedienter facta. eventus etiam adfuit. Recepti pro amicis late per tota castra terrorem cædemque ediderunt. His incommodis, & quia Barbari temere vastando culta, penuriam sibi commeatuum ex magna copia fecerant, Archelaus ad Chalcidem retrocedere statuit, ubi è maritimis subvectionibus abundaturus commeatu erat: dum Romani fame ac inopia rerum omnium in vastatis agris attererentur. Non fallebat Sullam, quid hostis moliretur: igitur discedentem provide sequutus: neque se dabat in discrimen, & illum qualia voluisset itinera facere prohibebat.

Chæronea contra Regis defenditur. X. Ita ventum ad Chæroneam est, Plutarchi nobilis philosophi natalibus illustrem: qui rerum istarum historiam composuit. Erat inter auxilia Romana Chæronensium cohors: quæ patriæ periculo mota, oravit Sullam, *ne hostibus esse prædæ pateretur*, Sulla & illos ad præsidium patriæ occurrere jussit, & eum una legio-

ne Gabinium tribunum militum eo misit. tantaquo Romanorum diligentia fuit: ut in servando oppido Chæronensium ipsorum, licet inflammata studia præveniret. Barbari spe potiundi oppidi amissa, in Thurio (confragosum admodum & præruptum supra Chæroneam cacumen est) valido collocato præsidio: haud procul inde castra posuerunt. Appianus. Plutarch.

XI. At Sulla æstimato loci ingenio, quum Barbaros suam ipsos multitudinem inutilem effecisse, sibi vel ad inferendum gradum, vel ad referendum abunde spatii: illis angusta omnia & impedita cerneret: quod hactenus detrectaverat prœlium, appetere cœpit, hostemque lacessere. Quapropter bifariam divisis copiis sinistro cornu L. Murenam præfecit, in dextro curaturus. novissimam aciem cum subsidiariis cohortibus Sulpicius & Hortensius legati obtinebant, ita dispositi, ut circumventuris aciem Romanam hostibus se objicerent, id enim ob numerum Barbarorũ, & quia equitum levisq; armaturæ copiosam manum ostentabant, futurum rebatur. Sulla aciem instruit.

XII. Ericius cum Homoloicho & Anaxidamo Chæronensibus, ut occulto calle in Thurium evaderent, missus. ducibus illis ex improviso Regios perculit. Totum enim Romanorum exercitum adesse rati per invia præcipiti timore ferebantur: suisque ipsi armis se induebant. Ad tria millia hominum ibi cecidisse creduntur. Reliqua multitudo partim in Murenam instructa jam acie stantem incidit: partim ad Archelai castra delata, turbavit instruentium ordines sedulitatem. atque omnia terrore & tumultu permiscuit. sero tum Archelaus, quam iniquum in locum se conjecisset, intellexit. equitibus igitur celeriter immissis, inferentem jam signa Sullam submovere conatus est. Regiorum multi occiduntur in Thurio. Appianus. Plutarch.

XIII. Sed pulsi in abrupta equites parum aut hostibus moræ, aut suis præsidii attulerunt. Iterum ad perrumpendam Romanorum aciem sexaginta currus falcati processerunt. Sed quoniam justo spatio, quod maxime concitandis cum impetu quadrigis necessarium est, destituebantur: lente invectos Romani diductis ordinibus eum plausu, & tamquam in Circensi ludicro alios postulantes, sine noxa transmiserunt. ubi dum hærent, haud molli ad convertendum flexu, equi & aurigæ à subsidiis Romanorum impune sunt telis obruti. Sic quoque integrum Archelao erat, castrorum munitionibus se tueri, & subeuntem ad impedita Sullam, pari locorum fraude involvere. Sed ille, quacumque tandem caussa (nam & tum & postea varie dubitatum est) educere suos maluit, & quoniam in propinquo jam Murena erat, constipatam in angustiis multitudinem confertis ordinibus opponere. Equites Archelai & currus falcati repelluntur. Plutarch.

XIV. Quindecim servorum millia, qui ad promissam libertatem Regiis partibus se adjunxerant, in fronte porrectis hastis stabant. Romani, Saturnalia hæc esse conclamantes, gladios abjectis extemplo pilis, ad cædenda hastilia stringxerunt. Sed quia ob densos hostium ordines tarde res procedebat, subducta gravi armatura velites immissi sunt, totamque illam aciem glandium telorumque grandine proturbarunt. Interim dextrum suorum cornu ita Archelaus produxerat, ut inclusurus Romanum agmen videretur. ibi Galba & Hortensius raptim ductis cohortibus in latera hostium facturi impetum accurrerunt. Sed prævenit eos equestris hostium procella, sensimque recedentes ad montana, exclusit à cætero exercitu, submotosque circumvenit. Maximum ea parte periculum erat, quod in conspectu Archelai, nam & ipse aderat, alacrius à Barbaris pugnabatur. Servorum XV. M. in acie Archelai.

XV. Idcirco Sulla, qui nondum ad conjectum teli venerat, propere cum vali- Sulla laborantibus succurrit.

Appianus. Plutarch. do equitum globo laborantibus succurrit. Ea res, & quod ex pulvere conjectabat Imperatorem advenire, terruit Archelaum, ut omissa pugna ad dextrum Romanorum cornu properaret, id dum sine duce esset, sperans facilius in fugam verti posse. Sub idem tempus Taxiles contra Murenam chalcaspidas instituit ducere: diversisque è partibus ortus clamor, montiumque repercussu multiplicatus, distinuit Sullam: quo potius & prius ad ferendam opem advolaret. deinde celeriter capto consilio, Hortensium cum quatuor cohortibus Murenæ subsidio misit, ipse cum quinta & quos habebat equitibus ad suum cornu rediit. (Appianus. Plutarch.)

Et egregia victoria potitur. XVI. Commissum jam ea parte prœlium erat, & paribus utrimque animis viribusque pugnabatur. Ergo ubi Imperator, & cum eo peditum equitumque novum robur adfuit, haud ultra dubitatum est, quin hostes terga verterent. Imperator de Murena solicitus, protinus in illam partem victricia agi signa jubet. At jam sibi quoque oppositos Murena, concitatis hortatu & exemplo suo militibus, egregie fuderat. Reliquus igitur labor insequendi hostem, cędendique fugientes fuit. Magnus ibi numerus, & multo quam in prœlio major, occisus. nam ut sagaciter Sulla conjecerat, angustiæ locorum non minus fugam hostium quam pugnam impediebant.

Archelaus suos reverti in prœlium jubet. XVII. Castra tamen & magna pars exercitus servari potuissent, nisi exclusi fuissent ab Archelao qui eo confugerant. Sed ille redire in prœlium jubebat: nec animus plerisque deerat, sed sine ducibus, sine signis, ne loco quidem ad pugnandum apto, confusis ordinibus & sua multitudine impediti, neque referire hostem poterant, & multi à suis obterebantur. Tandem magna parte trucidata, ultimis reliquorum obtestationibus expugnatus Archelaus aperuit portas. sed sera & perniciosa hæc misericordia fuit. simul cum fugientibus Romanus miles irrupit, captisque castris victoriam consummavit. (Liv. Epitom. Appianus. Orosius 6.2. Plutarch. Appianus. Pausan. lib. 7. Plutarch.)

Occisorum utrimque dispar numerus. XVIII. Hostium ea die centum millia cęsa perhibentur: non supra decem millia cum Archelao Chalcidem perfugerunt. Neque tanta de asperrimis gentibus victoria plus duodecim Romanis abstulit, si quidem commentariis Sullæ credimus *quatuordecim desideratos fuisse* scribit; *sed ex eo numero duos sub vesperam revertisse*. Ob hujus victoriæ lætitiam ludos Thebis apud Oedipodeum fontem edenti missi à Curione *captam Athenarum arcem, tyrannumque in Minervæ templum confugisse* nunciant: quum eodem die, ut postea compertum est, victoria Sullæ Athenis Curioni nunciaretur. multiplicatum deinde spe alterius victoriæ gaudium est, cujus *certa se promissa ab Trophonio adferre*, Q. Titius negotiari in Græcia solitus adfirmabat. etiam Salvienus legionarius miles *adstitisse sibi speciem Jovis ea majestate qua Olympiæ viseretur* adseruit: *finem civilium bellorum*, qualis mox consequutus est, *prædicentem*.

Sulla Elatenses remunerati Thebanos punit. XIX. Lætus his Imperator, ut præsentia constitueret, judicibus ex aliis Gręcię civitatibus excitatis, Elatensibus, quod Taxili Mithridatis Præfecto portas clauserant, libertatem, quam Macedonico Philippi bello amiserant, reddidit. Thebanos dimidio agri mulctavit, & quod inde provenisset in posterum, pro donariis quę Olympiæ & Delphis & Epidauri abstulerat, Jovi & Apollini & Æsculapio consecravit. Armorum deinde hostilium acervum Gabino cinctu, patrio more diis belli præsidibus cremavit: monumentumque felicis prœlii Marti Victoriæque & Veneri dedicandum curavit. (Pausan. lib. 10. Plutarch. Appianus. Diodorus. apud Valesf. Pausan. lib. 1.)

Quum

XX. Quum inter hæc ex continuis laboribus modica quiete satis refectos eum corporibus militum animos putaret, Chalcidem cum exercitu profectus est. Sed quia navibus carenti facile præcludi aditus poterat, præsidiis, ubi profuturum judicabat, dispositis Athenas perrexit, ut pœnas de nocentibus sumeret. Fœdum omnino pestiferumque tyrannum Aristion egerat, & ad luendum supplicium divinitus in potestatem Romanorum traditus videbatur. Quum enim obsessi munimento loci se diu defendissent, tandemque penuria aquæ deditionem coacti essent facere, *ea ipsa die horaque quum arx Curioni est tradita, sereno cœlo repente nubes conglomeratas esse, copiosumque imbrem cecidisse* memoriæ proditur.

Athenas proficiscitur. Plutarch. Appianus & Pausan.

XXI. Sulla Aristionem templo extractum venenum coegit bibere: cæteros ejus satellites, quive magistratum sub ipso gesserant, quive quovis modo sibi aut populo Romano fuerant adversati, in Ceramicum conclusos, sorte decimum quemque ad capitale supplicium eduxit. Pecuniæ ex arce non spernenda vis egesta. quadraginta maxime pondo auri; sexcenta argenti reperta fuisse memorantur. Cæterum in his dum occupatur Sulla; L. Valerii Flacci adventu audito, ut Græciam petenti occurreret, in Thessaliam movit. Ejus L. Flacci mentio cogit, ut ad Urbana negotia exponenda prævertam.

Aristionem & satellites ejus punit. Plutarch. Cic Brut. c. 90. Vellei 2. 23.

XXII. Consul Cinna, C. Mario collega mortuo in locum ejus Flaccum adsciverat. Domi forisque nihil inconcussum, aut etiam mediocriter turbatum erat. Arma jam in Urbe cessabant, sed mœsta omnia suspectaque, tantis undique irarum odiorumque caussis, & animis & oculis hominum occurrebant. Inter alia non leviter civitatis concordiam magnitudo æris alieni, & labefacta fides concusserat. Ei malo ut remedium adferret, turpissimam legem L. Flaccus Consul tulit, quadrante creditoribus solvi jusso, ut jam injuriæ perfidiæque publicus auctor, non immeritas pœnas violatis societatis humanæ vinculis dedisse videatur, altero statim anno à C. Fimbria, legato suo, contra jus fasque interemptus.

Turpissima lex in fraudem creditorum lata. Plin. 33. c. 9. Cic. de Offic. 3. 20.

XXIII. Inter mala civitatis etiam monetæ fraudes patrimonia privatorum adflixerant. Iis ut obviam iretur, de probandis denariis (octoginta quatuor è libra signari justum erat) Tribuni plebis legem promulgaturi, ut res nummaria de communi sententia constitueretur, collegium Prætorum adhibuerunt. Sed edictum communiter conscriptum Marius Gratidianus Prætor, ut omnem populi favorem in se averteret, cæteris ex composito pomeridianum tempus exspectantibus, statim à subselliis ad Rostra contendens, suo unius nomine proposuit. Tantaque legis ejus gratia fuit, ut per omnes vicos ei statuæ, & ad eas thus & cerei ponerētur.

Monetæ fraudes.

XXIV. Cnæi quoque Pompeji qui postea Magnus est appellatus judicium idem annus habuit. Peculatus erat ob furta Strabonis postulatus, & quod in Asculana victoria libros & plagas venatorias munere patris acceperat. Dixerunt pro Pompejo Q. Hortensius, & L. Philippus jam senex, *se non immerito, quum sit Philippus, Alexandri studiosum esse* dictitans. quod jam id nomen à multis Pompejo imponi cœperat. Egit & pro se Pompejus ita constanter & præter ætatem diserte, ut commotus ea re Prætor Antistius, qui judicium exercebat, filiam ei nuptum offerret.

Cn. Pompejus accusatur. Seneca de ira. 3. 18. Cicero. Plutarch. Pompejo c. 8. Cic. Brut. c. 65. Plutarc.

XXV. Accepta conditione Pompejus, quum paucos post dies absolveretur, à populo Thalassionis inclamatum nomen est, quod tum inter festivitatem nuptiarum solebat celebrari. Plurimum tamen ei Cn. Carbo patronus profuit,

Val. Maxim. 5. 3. 5. & 6. 2. 8.

L. Flacco bellum Mithridaticum decernitur. Appianus. Alemnon.

magna tum potentia: cujus acerrimo studio, atque enixa operâ defensus est. Asiæ deinde & Græciæ bella respicientibus non magis hostis Mithridates, quam Imperator Sulla terrori erat. Igitur fit Senatusconsultum, quo *L. Flacco Consuli bellum Mithridaticum & legiones duæ* decernuntur. adjectum, *ut siquidem in potestate Senatus Sulla esset, adjutore illo; sin vero, tamquam hoste uteretur*. Hæc audita moverunt Sullam, ut in Thessaliam duceret.

Plutarch. Appianus.

Archelaus archipiratæ more insulas infestat.

XXVI. Inter hæc Archelaus acceptam terra cladem, utcumque maritimis expeditionibus sarciens, archipiratæ magis quam magni ducis more circum insulas vagabatur. Sed ad Zacynthum, exscensione facta, quum obsidere oppidum instituisset, ab oppidanis ductu quorumdam Romanorum, qui forte ibi negotiabantur, nocturna eruptione territus, è vestigio conscendit naves, Chalcidemque inglorius rediit. Eodem & Dorylaus Philæteri F. cum novo exercitu venit.

Strab. lib. 10. Plutarch. Stephan. Appianus.

Mithridates alias copias in Græciam mittit.

XXVII. Idcirco ad Sullam, quum vix Melitræensium fines (*Thessaliæ oppidum* Melittæa fuit, quod & *Melitea* vocabatur) attigisset, frequentes undique nuncii accurrerunt, omnia quæ recepisset à tergo, non minoribus quam antea copiis per Mithridatis præfectos opprimi. Rex enim comperta exercitus sui strage uti par erat territus, animum tamen minime desponderat, quin ex novis delectibus, & quos antea collegerat, octoginta hominum millia classi imposita, cum Dorylao duce mitteret. Atque is, quum Chalcidem appulisset, celeriter recepta Bœotia ferox & exultabundus, Sullæ congressum optabat, Archelaumque deterrere orsum negligebat: fama quoque dispersa, *non sine proditione ducis tot bellatorum millia tam facile deleri à Romanis potuisse*.

Plutarch. Orosius 6, 2.

Prœlium ad Orchomenum. Front. Stratag. 2. 3. 17.

XXVIII. Enim vero circa Tilphosum reverso Sulla, levibus prœliis Romanæ virtutis experimentum cœpit; adeo mutata sententia, ut postmodo princeps, *ducendum esse bellum, sumptibusque & tempore atterendum Sullæ impetum* censeret. Sed ubi castris ad Orchomenum positis, loci fiducia spem Archelao dabat, quod equitibus, qua parte virium Regii præstabant, opportuna planicies se pandebat; parare se cœpit, tamquam casum prœlii primo quoque tempore subiturus. Copias ita digesserat, ut in fronte quadrigæ falcatæ essent: post has locata phalanx erat, Macedonici instituti acies. Tertii auxiliares stabant, cum Romanis armis, mixtis Italicę gentis fugitivis. post omnes levis armatura cōstiterat. Equitatus utrumq; latus claudebat, commisso prœlio ad circumveniendum hostem evolaturus.

Plutarch. Appianus. Frontinus.

Sullæ stratagema.

XXIX. Adversum hæc omnia Romanus, loci numerique incommoda labore emendanda ratus, fossas in utroque latere complures instituit ducere, decem in latitudine pedibus patentes, & in capitibus earum castella communivit. Triplicem deinde peditum aciem fecit, intervallis relictis, per quæ equitem, quem novissimo loco tenebat, ubi visum esset emitteret. deinde antesignanis secundæ aciei imperavit, ut robustos defensosque palos firmiter in terram defigerent.

Plutarch. Appian. Frontin. 2. 12. Sullæ strenuè factum.

XXX. Quod ubi factum est, & ab Regiorum acie concitati currus provolarunt, intra palorum septa recepit suos; statimque sublato clamore velites & levem armaturam ingerere tela jussit. Erant ad terrorem comparata omnia; nihil usitatum notumve, sed in mediis campis velut subito enatum vallum, conversa in aliam formam acies, insolita & inopinata monstra occurrebant. Pars quadrigarum implicita palis hæsit: aliæ conversis habenis in suos recurrentes phalangem dissiparunt. Interea quum equitibus Archelai incumbentibus, qui ad opera erant mi-

lites turbarentur: metusque ad aciem etiam Sullæ pervenisset; ille ex equo desilit, correptoque signo in primos ordines procurrens, *quum deinde*, inquit, *interrogabimini, ubi Imperatorem vestrum deserueritis, mementote dicere, pugnantem ad Orchomenum*. Front. 2. 3. 17. Appianus. Oros. 6. 2. Plutarch.

XXXI. Hæc illo clamante tribuni centurionesque accurrerunt, milites quoque multi sequuti sunt, & à dextero cornu integræ cohortes duæ adfuerunt. Ita repulsis hostibus collaudatos milites reduxit; cibumque capere, & refectis prandio viribus ad opus reverti jussit. Tum vero iterum invecti sunt hostium equites, non incomposito ut antea impetu, sed servatis ordinibus. His Romanum equitatum Sulla opposuit, ipse præsens hortator, & tota acie, ubi maxime opus erat, se offerens: donec egregia iterum victoria potitus ad quindecim hostium millia, majorem partem equites, & in his Diogenem Archelai privignum cecidit. Sulla egregie vincit.

XXXII. Pedites quum diu restitissent, tanta sagittariorum pervicacia, ut quoniam prementibus Romanis spatium utendi arcubus non habebant, densis sagittis tamquam gladiis cominus ferirent hostem, intra vallum compulsi sunt. At L. Sulla, ne iterum Chalcidem elaberetur Archelaus, quo prosequi eum inopia navium nequiret; toto campo stationes nocturnas disposuit. deinde luce reddita, vix ad centum à castris hostium passus, fossam fodit: & magnam manum, quæ ad prohibendum opus procurrerat, ita rejecit, ut reliquis nulla deinceps ad erumpendum audacia superesset. Sulla stationibus & fossa circumdat hostes. Appianus. Plutarch.

XXXIII. Cohortatus igitur exercitum Sulla, *ut adversum trepidos & imbelles armis potius quam operibus pugnarent. & convulsis, in quas se condidissent, latebris, belli reliquias uno impetu profligarent*; protinus ad oppugnandum Archelai vallum duxit. Neque Regii præfecti stimulare suos omittebant: modo *dedecoris magnitudinem si plures à paucioribus ne in munimentis quidem se defenderent*; modo *nullam nisi in armis spem salutis* ostendentes. Magno igitur clamore & impetu res utrimque gerebatur. & licet Romani testudine facta, partem valli subruerant; densa tamen Barbarorum acies strictis gladiis deterrebat irrupturos. donec Basilus tribunus legionis primus omnium transcendit: & hoste cæso, exemplum reliquis viamque ad irrumpendum dedit. Castra Archelai oppugnat. Plutarch. Orosius. Appianus. Eutropius.

XXXIV. Sic expugnata sunt Archelai ad Orchomenum castra, tanta iterum cæde, ut sanguine paludes infectæ, stagnumque in proximo cadaveribus oppletum referantur. Viginti millia hominum, in paludes compulsa, quum preces victoribus non intellectas funderent, inexorabilis Sullæ crudelitas delevit. Totidem alia in flumine periisse dicuntur: præter eos qui in castris & circa passim sunt trucidati. Archelaus tamen evasit discrimen, paludum latebris per biduum occultatus: tertio demum die naviculam nactus, qua Chalcidem trajiceret. Ibi quidquid usquam Regiarum copiarum propinquis regionibus agebat, summo studio contrahere conatus est; ut saltem Eubœam teneret, donec meliorem aliquam spem repetendæ Græciæ casus aliquis attulisset. Et capit. Appianus.

XXXV. Sulla postero die quam prœlio victor exstiterat, tribunum vallari corona, multos deinde alios militaribus donis cohonestavit, virtutis caussa, & alioquin retinendæ exercitus voluntati pecuniæ profusus. Direptis deinde Bœotiæ oppidis, quæ quot iterum ad Regios defecerant, & Anthedone, Larymna, Alæisque eversis, in Thessaliam hiematum transiit: simul intentus in Flacci consilia, Victorque præmia & pœnas dispensat.

Plutarch. Lucullo. cap. 5. Appianus. simul Quæstorem exspectans, quem ad classem adducendam emiserat. Interim ipse fabricare ex præsenti copia naves instituit: quando neque Lucullus, neque certus aut constans de eo rumor advenrabat.

Luculli gesta. XXXVI. Sed ille, postquam ad belli societatem adduci nequibat, navibus, quibus Cyprum deduceretur, acceptis, ex maritimarum civitatum, quas præter vela faciebat, auxiliis modicam classem collegerat: & vitatis piratarum insidiis Rhodum appulsus, adsumptis Rhodiorum navibus, Coos etiam & Cnidios, ut ejectis Barbarorum præsidiis arma secum in Samios ferrent, impulerat. Eadem æstate qua bellatum in Bœotia erat, Mithridates post primam Archelai cladem sævitia ingenita, & levitatem Asiaticorum, ne cum fortuna mutarent animum, veritus; occupare perfidiam alia perfidia, & priusquam occasionem nocendi adipiscerentur, auferre potestatem statuit: suspectosque passim ut in manu haberet, operam dedit.

Mithridates Gallogræcorum insidiis petitus. Plutarch. de virt. mulier. c. 44. XXXVII. Ante omnia Gallogræcos quotquot Tetrarchici generis erant, amicitiæ specie Pergamum evocatos sustulit: quum ipsorum insidias vix evitasset. Ad sexaginta numero convenerant & quum serviliter se haberi cernerent, conspiraverant in necem Regis. Præcipuo robore Toredorix quidam erat, Tosioporum tetrarcha. is Mithridatem in gymnasio jus dicentem, cum ipso tribunali in præceps daturus, quum forte eo die Mithridates in gymnasium non adscendisset, in suam domum convocatos, *bono animo esse jussit, & quamprimum data occasio foret, undique strictis mucronibus impetum in Regem facere.*

Regulos eorum interficit. Appian. Plutarch. XXXVIII. Sed re detecta Mithridates omnes cum uxoribus & liberis interfecit, sepultura quoque negata. Tres tantummodo fuga servati. Pecuniam omnem Mithridates diripuit: missoque qui genti præesset Eumacho, Gallogræciam in provinciæ formam redegit. Sed qui effugerant Reguli, quorum clarissimus Dejotarus diu post hæc tempora vitam Regnumque produxit, collecta popularium manu, Mithridatis præsidia cum ipso præfecto expulerunt. Chios adhuc gravior calamitas oppressit. publicatis omnium bonis, qui profecti ad Sullam fuerant; deinde missis, qui in factionem Romanam inquirerent: postremo cum militari manu Zenobius adfuit, dissimulato consilio, tamquam in Græciam trajecturus.

Zenobius Chium occupat præsidio. XXXIX. Is nocturno tempore muros urbis, & si quæ alia apta defensioni loca erant occupavit, & præsidio ad portas collocato per præconem *hospites quiescere, oppidanos in concionem procedere* jussit, mandata Regis accepturos. Ubi convenerunt: *nihil eos mirari debere, ait, si graviter iratum sibi Regem audiant. Quanto quisque sit majoris animi locique, tanto ægrius tolerare injurias, & concoquere iram posse. Mithridatem hac potentia, & his gestis rebus, iniquissimo animo laturum, si à parva civitate contemni putet, quem maximæ nationes, potentissimique Reges colant.*

Chios tristi oratione terret. XL. *Plane constare multos eorum cives Romanæ factionis esse: utrum autem invita, an vero volente civitate sint, non constare. At vero ea facta neque merito Regis, neque ipsorum promissis respondere. Negari non posse ipsius beneficio, quemadmodum & cæteram Asiam, gravissimo Romanæ dominationis jugo liberatā Chion esse. Atque hoc ipsos agnovisse à principio: Regemque suis decretis liberatorem atque Deum appellavisse. Atqui illum vicissim tribuisse multa: debitorum partē remisisse.*

magnam; ex bonis damnatorum addidisse plurimum. Pro his meritis audire, Chios Romanorum esse studiosiores.

XLI. *Id quamvis verum esse de universa civitate non putet: multos tamen eo crimine teneri, haudquaquam ambiguum esse. Veniam tamen daturum, arma & liberos principum obsides tradituris. Id adeo Regis multo minus quam Chiorum interesse: neque illi, quam civitati, tanto odio esse debere, qui res novas moliantur. Quippe illius res defectione Chiorum non multo deteriores fore: at qui Chiis Regem inconcilient, certum patriæ suæ excidium meditari. Nam & insulam tanta Regis potentiæ resistere non posse: & quamquam in Bœotia victor Sulla exstiterit, non modo cum aliis exercitibus Mithridatis, quibus Rex abundet; sed etiam cum civibus suis dimicaturam.*

Arma & liberos principum obsides poscit.

XLII. *Jam in Græciam transcendisse L. Valerium Consulem, Marianarum partium virum, neque dubitare posse, quin ibi locorum eadem sint exercituri odia; quæ domi & in Italia ostendissent.* Chii, postquam hæc audiverunt, hinc necessitate, inde spe impulsi, fecerunt imperata. Idcirco Zenobius Erythras misso quod erat traditum, exspectare Chios literas Regias jussit. eæque paulo post adfuerunt, in hanc sententiam scriptæ. *Nunc quoque Romanorum fautores esse pergitis, quorum adhuc non pauci in vestra Urbe degunt: prædia quoque eorum exercetis, neque vectigal nobis eorum nomine pendetis.*

Mithridatis literæ ad Chios.

XLIII. *Et navem quidem meam impulsu triremis vestræ propemodum demersam, culpæ gubernatoris adscribi facile paterer; nisi vestros animos clam misse ad Sullam optimates arguerent: quod si publico consilio non esset gestum, nunciare vos, & delatis reorum nominibus, suspicione liberare civitatem oportuit. Vos igitur non imperio tantum meo, sed etiam saluti insidiatos, quamquam de sententia amicorum supplicio adficere debueram; duobus talentorum millibus mulctare malo.* Trepidis ad hæc, & ut ad Regem legatos mittere liceat orantibus, quum negatum à Zenobio esset; arma tradita, obsides datos, muros à barbaris infessos reputantes, eo descenderunt ut imperatam pecuniam penderent.

Chii duobus talentorum millibus mulctantur.

XLIV. Sed ubi detractis funerum ornamentis, mulierumque collato mundo ægre hanc summam confecerunt; Zenobius aliquid deesse ponderi cavillatus, adesse iterum in theatro universos jussit. inde quum theatrum viasque ad mare ducentes armatis sepsisset; nominatim evocatos præcipuum quemque, deinde cæteros ipsorum servis vinctos tradidit, ut in Colchos deportarentur. seorsim deinde à viris, ne quid acerbitatis atque ludibrii deesset, infirmiorem sexum ætatemque barbaris custodibus avehendos commisit.

Chiorum calamites. Memnon. Nicolaus Damascenus, & Posidon. apud Athenæ. 6.26. Appian. Mithrid.

XLV. Urbs Chiorum Ponticis Colonis est tradita, agerque à Zenobio distributus. Cæterum partem navium, quum præterveheretur Heracliensem oram, exceperunt Heracleotæ, quibus amicitia cum Chiis intercedebat: Chiosque in urbem suam receptos, donec confectus iis in patriam reditus fuit, hospitaliter secum habuerunt. Id primum in tanta clade solatium miseris fuit: proximum quod Zenobium haud multo post pœnam luisse scelerum compererunt. Ephesum ille cum militibus appulerat, eadem omnia, quæ Chii, exempla editurus.

Ab Heracleotis nonnihil sublevatur.

XLVI. Illi nisi positis armis, & parvo comitatu recipere hominem recusarunt. qui ubi accepit conditionem, & apud Philopœmenem, cui Rex gener urbis præfecturam commiserat, divertens, per præconem edixit, ut ad concionem

Ephesii Zenobium interficiunt.

populus conveniret: Ephesii nihil non ingratum opperientes, rem in sequentem diem rejecerunt. Sed nocte, quæ intercessit, capto inter se consilio, arma corripuerunt; trusoque in carcerem Zenobio & statim interfecto, centuriare multitudinem & ex agris in urbem comportatis quæ poterant omnibus, adversus vim parare se instituerunt.

Orosius. c. 2. Appian. Liv. Epitom. Mithridatis artes, ad retinendos in fide populos.

XLVII. Hæc audita Trallianos, Hypæpenos, Mesopolitasque impulerunt, ut eadem omnia facerent. Smyrnæi quoque Sardianique, & Colophonii cum aliis quibusdam exemplum Ephesiorum sequuti sunt. At Mithridates misso contra defectores exercitu, quotquot redigere in potestatem potuit, crudeliter afflictis; ut cæteros benevolentia retineret, *Græcis per Asiam urbibus libertatem* edixit *se concedere: porro, ne quod genus hominum Regiæ munificentiæ expers foret, debitores æris alieni obligatione solvi; inquilinos cujusque urbis civium numero ac jure agere; manumitti servos jubere.*

XLVIII. Hæc pertinebant, ut contra veterum civium dubios animos, hæc esset semper ad arbitrium Regis parata factio non ob acceptum modo beneficium, sed quia auctore sublato, ne illud quidem sibi mansurum esse intelligebant. Plures deinde contra Mithridatem initæ detectæque conjurationes fuerunt. Familiares Regis Minionem & Philotimum Smyrnæos, & Lesbium Clysthenem Asclepiodotus, & ipse Lesbo oriundus, quum particeps ejus consilii fuisset, prodidit: abducto velut in secretum Minione, ut ipse Rex post lectum abditus, de conjuratione agentem audiret.

Conjurationes contra Mithridatem.

Et de iis quæstiones. Orosius. Appian.

XLIX. His ita deprehensis, quamvis omnia crudelitatis ingenia admovisset, ipse tamen sæpius animo discruciabatur, nihil jam ne inter domesticos quidem tutum fidumque inveniendo. Postquam autem etiam Pergami circiter octoginta viros idem propositum habuisse cognovit; in cæteris civitatibus non defore qui similia molirentur existimans, passim exerceri quæstionem proditionis jussit. At quibus id negotium commissum fuerat, paucos ex merito, cæterum suos quisque inimicos sub ejus criminis invidia damnaverunt. Ad mille sexcentos suorum quique urbium principes ea pestis absumpsit. quorum accusatores paulo post partim à Sulla comprehensi pœnas luerunt; alii sua manu prævenerunt supplicii fœditatem: reliqui omnibus exosi, quum domi sperarent nihil tolerabile, Mithridatem in Pontum refugientem sequuti sunt.

Mithridates Archelaum tractare de pace jubet. Orosius. Appian. Salust. Incert. 6 5. Plutarch. Sulla cap. 44. Appian. Plutarch.

L. His tumultibus & gemina suorum clade territus Mithridates, scripsit Archelao, *ut quibus posset conditionibus bellum desineret*. Ille misso ad Sullam Deliaco negotiatore, cui & ipsi nomen Archelao erat, colloquium iis de rebus postulavit. Egit fortunæ suæ gratias Sulla, quæ ancipitem animi magno iterum æstu liberaret. Nam urbana modo negotia, modo Mithridaticum bellum respiciens, neque par ambobus erat, & utrum persequeretur, aut omitteret, paribus hinc inde momentis ambigebat. Navibus quoque & pecunia destituebatur: quæ neque domo mittebantur; & ex fanorum spoliis aut aliunde paratas jam absumpserat.

LI. Quum igitur uterque paratos ad paciscendum adferret animos, haud ægre pepigerunt, *ut in mari circa Delum congrederentur*. Ibi prior Archelaus ita inquit: *Quæ Rex meus aliorum ducum injuriis avaritiaque compulsus arma cepit; ea virtutem tuam admiratus cupit ponere, modo tolerabiliores ei conditiones ferantur. Tibi certe, cujus præsentiam Urbana res tantopere desiderant, in promptu*

Archelai oratio ad Sullam.

est, accepta à Rege pecunia, & navibus, & copiis, quanta postulaveris, ad ulciscendos inimicos uti.

LII. Tum Sulla: *Siquidem injusta se passum Mithridates crediderit, legatos missos & de injuriis questum oportuit: non vero aliena Regna invadere, totque millibus occisis hominum, & quae illi habuerunt, & excepta insuper mortalium casibus, deorumque sacris dedicata, diripere. Neque vero amicis mitius, quam hostium acerbissimus usus, & aliorum interfecit plurimos, & quos mensae suae adhibere consueverat Tetrarchas, cum liberis & uxoribus, licet hostile nihil ausos, trucidavit. Sed ut aliena mittam, qualem in nos animum fuisse dicam; qui nullum in belli usum, sed altissimo tantum odio, quidquid Italici generis hominum in Asia fuit, cum tota familia, ne libertinis quidem exceptis, omni cruciatu ignominiaque delevit?* Sullae responsio.

LIII. *Atque is idem repente noster amicus exstitit, non alio scilicet beneficio motus, quam quod plusquam centum sexaginta suorum millia nostris concisa manibus intellexit. Pro quibus in nos meritis, haud erat iniquum, inexpiabilia posthac adversus eum bella geri. Sed tamen tibi pro eo deprecanti, hoc dabimus, ut veniam ei à Senatu Populoque Romano impetremus, si bona fide resipiscat. Quod si ut solet, utque ego magis opinor facturum; haec ideo tantum agit, ut dilato interim periculo consilium ex eventu capiat: jam ego te, Archelae, hortor atque moneo, ut Fortunae invitanti ad excelsa omnia ne desis.* Archelaum ad proditionem illicit.

LIV. *Quemadmodum ille suos amicos remuneret, multorum jam malis discere potuisti: quae nostra sit in socios fides, quaeque liberalitas, ut alios taceam: Eumenes atque Masinissa satis & recentia & nota omnibus documenta sunt.* Ad extremum eo prolapsus est ut *loco Mithridatis Archelaum regnare posse* diceret, *siquidem tradita sibi classe dedisset operam, ut benevolis Romanis uteretur*. Sed ille adhuc loquentis abrupta oratione, *proditorem*, inquit, *Sulla, Archelaum non habebis: amicum habebis si aequis legibus pacem cum Mithridate feceris.* Plutarch. Sulla cap. 45. Appian. Mithrid. Illo valde abnuente.

LV. Ad haec Sulla paulo commotior: *Tu vero*, inquit, *Archelae, quum sis Cappadox, Barbari regis aut servus aut si malis amicus (nec enim ego quidquam interesse puto) tantis propositis praemiis à turpitudine proditionis abhorrescis: & Romanum & Sullam ad turpia foedera solicitas! quasi vero non ille sis Archelaus, quem de centum viginti millibus hominum, cum paucis fugientem Cheronea vidit: quam Orchomenus stratam corporibus Boeotiam relinquentem, in paludum suarum latebris biduo texit!* Territo ad haec Archelao, & deprecante; ille modico interposito silentio, *siquidem*, inquit, *omnem quam habes classem, duces, legatos, captivos, transfugas, fugitivos Mithridates tradiderit: Chios & si quorum aliorum par caussa est, civitatibus suis reddiderit: praesidia, nisi quibus locis ante bellum habuit, deduxerit: sumptus belli, cujus ipse concitor fuit, praestiterit; & patrio Regno contentus, caetera quibus oportebit restituerit: spero me ei delictorum veniam à populo Romano impetraturum esse.* Sulla irascitur Archelao.

LVI. Ad extremum ita convenit: *Mithridatem Asia & Paphlagonia abstinere: Bithyniam Nicomedi, Cappadociam Ariobarzani reddere: Romanis duo millia talenta, cum septuaginta rostratis & omni armamento dare. è diverso Sullam & reliquum ei Regnum confirmare; & auctorem fieri, ut socius amicusque* Conditiones pacis. Diod. apud Fulv. Ursin. Plutarch. Appian. Liv. Epitom.

populi Romani appelletur. His ita pactis, Archelaus *præsidia quibus ipse præesset, continuo deducturum, de cæteris scripturum Regi* recepit; *atque interim seque & classem Sullæ tradere*. Dum hæc ultro citroque geruntur, L. Valerius Flaccus Consul, ut Sullæ succederet missus, Brundisio solvit, statimque à principio, quum vix portu exisset, infelicis expeditionis quasi prænuncia tempestas plerasque naves solvit: aliasque præmissas Præfecti Mithridatis incenderunt.

Memnon.

Flaccus & Fimbria in Asiā veniunt. Liv. Epitom. Appianus.

LVII. Reliquos, quum invasisset fames, vix & ægre Byzantium, deinde fortuna jam prosperiore usi, in Bithyniam ad oppidum Nicæam pervenerunt. Eodem cum iis quos ipse ducebat C. Fimbria legatus accessit. Erat hic extremæ audaciæ homo Cōsuli ignavo & rei militaris imperito adjutor datus, sed ea res utriusque vitiis cito in commune exitium vertit. Pravum ingenium Consuli erat, avarum, & ad supplicia præceps: quibus rebus benevolentia militum haud sane retinetur.

Diod. ap. Val. Liv. Epitom. Memnon.

Eorum discordia.

LVIII. Ergo præmissa pars eorum in Thessaliam, in Sullæ castra transit: cæteri ne deficerent, ægre à C. Fimbria retenti sunt. Hunc enim ob simulationem virtutis & æquitatis exercitus diligebat: quod is contemptum pecuniæ præferebat; quum Flaccus inexplebili cupiditate, non contentus cætera in sinum suum condere, etiam annonam militum prædæque illis debitam partem, in lucrum converteret. Ab his initiis aversus à Fimbria Consul, quum neque dictis neque factis contumeliosis in eum abstineret, irritabile hominis ingenium, & ad audaciam semper projectissimum, væcordiæ contumaciæque implevit. Ea contentio jam ex quo Byzantii convenerant, se exseruit: Flaccumque in urbem ingressum criminatus Fimbria est, *milites hiemante cœlo extra mœnia viles contemptosque tendere: Flaccum pecunias per injuriam exercitus partas, luxu & deliciis intra tecta consumere.* tantumque seditionis commotum est, ut milites in urbem vi irrumperent, & obviis quibusdam obtruncatis, suo arbitrio per domos distribuerentur.

Lustrum conditum. Capitol. Fasti. Cicer. Ver. 1. 53. Cicer. pro Domo cap. 32. Certi. Fastis. Eusebius. Liv. Epitom. 83.

LIX. Sed his utcumque compositis, in alterum annum dilata est seditio, quæ delatum auctoritate Senatus imperium Flacco ademit; Senatu inconsulto Fimbriæ dedit. Inter hæc Censores in Urbe L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus, M. Perperna, lustrum septimum atque sexagesimum condiderunt: opera publica locaverunt: Senatum recensuerunt. quo tempore Ap. Claudius à Censore Marcio est præteritus (quamquam ei propinqua cognatione junctus esset) quod in partibus optimatium ille fuerat. Idem Censor aquæ Marciæ ductum bello Sociali disturbatum refecit. Civium Romanorum censa tum capita sunt CCCCLXIII. millia: princeps Senatus L. Valerius Flaccus gentilis Consulis Flacci lectus est.

Urbana turba. Appian. lib. 1. civil. Auct. de Vir. Ill. cap. 69. Liv. Epitom. Diodorus. Plutarch. Sulla cap. 44. Urb. cond. ann. 668. Cinnæ & Carbonis dominatio.

LX. Sub hoc tempus quum omnia in Urbe incerta, & neque legi quidquam neque mori relictum esset; qui dominationem obtinebant, cogitationes omnes converterant, ut L. Sullæ quem suæ publicæque rei vindicem metuebant, resisterent. Igitur L. Cinna se tertium, cum Cn. Papirio Carbone Consulem ipse fecit. Horum impotens tyrannis adeo multos principum virorum ad Sullam se recipere coegit, ut amplius in castris ejus, quam in ipsa Urbe Senatus instar esset.

Fimbria dimissus à Flacco seditionem concitat.

LXI. Hæc dum alibi fiunt, Proconsulem Asiæ Flaccum Fimbriana tandem audacia imperio vitaque exuit. Forte de hospitio Quæstori Consulis cum legato C. Fimbria lis inciderat. Flaccus multa cum legati contumelia secundum Quæstorem dedit: deinde Fimbriæ discessum minitanti, *discessurum esse, vel invitum* respondit: mox contra convicianti, adempta legatione successorem dedit.

Ille-

Ille tempore observato, quo Chalcedonem proficiscendum fuerat, quasi salutaturus in discessu commilitones Byzantium divertit. Multa ibi oblique in avaritiam & crudelitatem Flacci jactasse constat, militibus ut sibi prospicerent, per speciem benevolentiæ monitis. Deinde postquam hæc ad intimos animos dimissa, seque in ea apud omnes opinione esse sensit, ut pleramque opem salutis in ejus præsentia resp ponderent; conscenso suggestu aperte incusare Flaccum *proditionis* cœpit: *neque aliud immani avaritia hominem agere, quam ut accepto à Mithridate auro milites cædendos vinciendosque præbeat.* Appian. Mithrid. Diodor. Auct. de Vir. Illustr. c. 70.

LXII. Iis caussis ita exarsit proclivis alioquin in seditionem concio, ut Thermum proprætore à Flacco relictum ademptis fascibus ejiceret. Fimbria gratiis militi actis, tamquam vicem redditurus beneficii, res sociorum agi ferrique, redigi in servitutem obvios, alia contra disciplinam fieri passus; paucis diebus opulentos ex pauperibus effecit. Sed quorum raptæ res hominesque fuerant, obviam profecti Flacco, graviter de injuriis suis querendo, Proconsulem jam ante Fimbriæ infestum ita accenderunt, ut *sequi eos juberet sua statim recepturos*. Ubi ad castra ventum, multis cum minis imperavit Fimbriæ, *ut ablata dominis restitueret*. ille culpam in milites conferens, *se invito quod esset factum accidisse* præferebat: nec eo minus clam instigabat audacissimum quemque, *rem acerbam indignamque dictitans, auferri militibus ab Imperatore, quod suis laboribus & belli jure quæsivissent. neque se eis auctorem esse, ut quidquam earum rerum redderent.* Appian. Diod. apud Vales. Sociorum spoliis militea ditat.

LXIII. Igitur Flacco jam in omnes, & ut quisque loco præstabat, minacius invehente, magnus in castris tumultus excitatus est. donec metu profugus Proconsul, ex ædibus ubi se occultaverat, noctu superatis mœnibus, primo Chalcedonem, deinde Nicomediam se proriperet, clausisque oppidi portis vim extremam arcere conaretur. Sed Fimbria nihil contatus, trajecto freto Proconsulem insequens, obiter prædam agebat ex agris; pecuniam imperabat civitatibus, qua inter milites distributa, benevolentiam sibi manipularium compararet. Quod si quod oppidum jussa detrectaret, diripiendum exercitui præbebat. Appian. Orosius. c. 2. Diodor. Flaccus metu profugus. Appian. Liv. Epitom. Memnon.

LXIV. Ita Nicomediam perventum est. quam & ipsam militi concessit in prædam: Proconsulemque è puteo protractum privatus, & majorem amicum comes occidit. Imperium militari consensu in Fimbriam translatum, licet pessimi exempli res & esset, & videretur, Senatus temporibus servire coactus ratum habuit. Talis ferme ea tempestate rerum ubique facies erat: Mithridates multa & faciebat acerba & patiebatur: ingentes exercitus amiserat: insidiis, etiam amicorum, petebatur. Græciam Romani simul Regiique; Lydiam, Joniam, & conjunctas his provincias Pontici Regis ira vastabat. Macedoniam Thraces populabantur. Piratæ invaserant maria. Romani & cum aliis & inter se discordes, suas ipsis victorias, sua arma horrebant. multiplex omnino, & perplexum malum Europam Asiamque communi calamitate involverat. à Fimbria occiditur. Liv. Epitom. Flor. c. 3.

FINIS LIBRI LXXXII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXXIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



C. Fimbria in Asia fusis prœlio aliquot præfectis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque Regem non multum absuit quin caperet. Urbem Ilion, quæ se potestati Sullæ reservabat, expugnavit ac delevit, & magnam partem Asiæ recipit. Sulla multis prœlius Thracas cecidit. Quum L. Cinna & Cn. Papirius Carbo, à seipsis Consules per biennium creati bellum contra Sullam pararent, effectum quidem est per L. Valerium Flaccum principem Senatus, qui orationem in Senatu habuit; & per eos qui concordiæ studebant, ut legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere & adversus Sullam proficisci, interemptus est. Consulatum Carbo solus gessit. Sulla quum in Asiam trajecisset, pacem cum Mithridate fecit; ita ut is cederet Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit: impetravitque de servo suo, prabens cervicem, ut se interficeret.

Fimbriæ res gestæ. Appian: Memnon. Liv. Epitom.

I. C. Flavius Fimbria imperium copiarum quo diximus modo nactus, non sicut ambitiose erga milites, injuste adversus socios, sic etiam timide atque negligenter contra hostem administravit. Filium suum Mithridates patri cognominem cum ingenti exercitu Bithyniam tueri jusserat, Taxile & Diophanto, & Menandro, claris bello ducibus adjunctis. Ab his primum repressus nec sine detrimento Fimbria, mox aliquot prœliis superior, res Regis prope desperationem ultimam adduxit, non animo tantum adversus fortuita casuum, sed etiam consilio bonus.

Stratagema, & victoriæ. Frontin. Stratag. 3. 17. 1; Orosius. 6. 2. Plin. 5. 32. Memnon.

II. Quod enim numero militum longe erat inferior, astu rem inclinatam restituit: ductisque ad latera castrorum brachiis, fossa in fronte facta, quietum in vallo militem tenuit. donec Regium equitatum temere in angustias munimentorum ingressum improvisa eruptione sic excepit, ut sex hostium millia desiderarentur. Iterum ad Miletopolim, juxta quam Rhyndacus fluvius oritur, tali loco castra metatus, ut inter ipsum & Regios flumen interesset; quum forte circa Solis ortum ingens pluvia securiores hostes fecisset: raptim transducto exercitu, sopitos plerosque & inermes adortus, ingentem stragem edidit, plena & illustri victoria potitus. Mithridates cum præcipuis ducum, & mediocri equitum manu, circa non ausus consistere, contenta fuga Pergamum ad patrem pervenit.

Crudelitas et avaritia.

III. Post hoc prœlium passim deficientibus à Rege populis, occasionem

adeptus est Fimbria, ut crudelitatem suam avaritiamque satiaret. Tantus enim humani sanguinis appetitus inerat, ut passim multos non ex merito, neque in aliquam populi Romani utilitatem, sed animi caussa occideret. Semel complures erigi palos jusserat, ubi alligati verberarentur, quos damnaverat. Sed quum adducti illi essent, minorque aliquanto numerus, quam crucium esset, apparuisset; ne frustra fixae viderentur, *è media turba corripi ad numerum, & ad vacuos palos religari* praecepit. Diodor. apud Valesf.

IV. Cyzicum quum pro amico intrasset, opulentissimos oppidanorum proditionis crimine insimulatos, in maximum terrorem conjecit. Deinde ad hunc augendum, ex omni numero duos damnavit, virgisque caesos securi percussit. hoc metu facile adegit caeteros, ut vel universorum bonorum jactura salutem ab avarissimo saevissimoque latrone redimerent. Ad hanc formam constitutis ubique provinciarum rebus, adversus ipsum Regem Pergami sedentem ducere statuit: occurrentemque fudit fugavitque, & in oppidum se recipere coëgit. Deinde ne Pergami quidem resistere ausum, capto oppido, Pitanen, quo ille profugerat, insequutus, circumvallare obsessos orsus, parum ab ipso Rege capiendo abfuit: nisi quod fortuna videbatur obtulisse adjumentum, L. Luculli aversus animus invidisset. Plutarch. Sulla cap 47. Appian. Vellei. 2.24. Mitridatem ipsum vincit, capturus: Auct. de Vir. Illust. c. 70. Liv. Epitom. Plutarch. Lucullo. c. 6.

V. Is jam dimissa Rhodiorum classe tantum paraverat propriarum virium, ut Chio Regios ejiceret: Colophonios comprehenso tyranno eorum Epigono assereret in libertatem. Haec gerentem legati à Fimbria adeunt, omni obtestatione instantes, *ne à se obsessum Regem clarissimum eumdemque infestissimum Romano nomini elabi pateretur. Esse ipsi classem ad prohibendum mari exitum: à terra jam ita provisum, ut non possit evadere.* Facilis erat labor obsidere portum: periculum nullum, gloria amplissima offerebatur: tamen Lucullus, sive amicitiam Sullae omnibus anteponendo, sive interfectorem amici & Imperatoris sui detestatus, postulata Fimbriae neglexit. si à Lucullo adjutus foret. Orosius. 6. 2. Plutarch. Appian.

VI. Mithridates conscensis navibus Mitylenen avectus est. Fimbria jam confessione hostis victor, obibat Asiam, acerbe in vitas, in fortunas hominum consulens, quos Mithridati studuisse cognoverat, aut videri volebat. Si quae recipere eum civitates nollent, earum agros inultus populabatur. Sic ventum ad Ilium est, quod quum obsessum à Fimbria confugisset ad Sullae fidem, venturumque se Sulla promisisset, idque significandum Fimbriae curasset; tanto infestior ille machinis admotis, undecima die oppidum expugnavit. Sunt qui dolo illectos Ilienses aperuisse portas referant, laudanti consilium eorum, *nihil*que *referre* dicenti, *postquam in Romani populi fide essent, utri se Imperatori traderent: etiam cognationis necessitudine commemorata, indignum* dicebat, *se Romanum hominem ucemque antiquae patriae manibus arceri.* Fimbria Ilium capit. Liv. Epitom. Appian. Strab. lib. 13. Diodor. Appian.

VII. Quoquo modo ingressus fuerit, saevissimum truculentissimumque hostem in ea urbe gessisse constat. Nam & omnes qui occurrerant, promiscua caede stravit: & oppidum incendio delevit funditus: eos autem qui legati ad Sullam fuerant, exquisitis cruciatibus consumpsit: adeo ne sacris quidem parcens, ut multos qui confugerant in Minervae, cum ipso templo concremaret. Muris quoque demptis postridie visum ivisse dicitur, ne qua forte pars urbis integra intactave remansisset. Quo minus fidei habendum putem miracula narrantibus, *inviola-* Diodor. Liv. Epitom. Orosius. Appian. Auct. de Vir. illustr. cap. 60. Appian. Iul. Obseq. cap. 116. Stab. lib. 6. Et vastat. Pausan. lib.

Liv. Epitom. Auct. de Vir. Illust. cap. 75. Palladium mulsis locis ostensum.

tum Minervæ templum stetisse, neque dubitatum, quin divina majestate defensum esset.

Sane *sedem ejus* (*Palladium* vocari usus obtinuit) *amotis, quibus obrutum fuerit, ruderibus integram inviolatamque stetisse* fuerunt qui dicerent: multum irridentibus qui arcanum idem ab Ulysse & Diomede ablatum credi: & præterea Romæ, & Lavinii, & Luceriæ, & Siritide, & Argis ostendi noverant. Hoc infortunium Ilienses subierunt, quum inter duos Imperatores ad poriorem magis, quam ad propiorem respexissent. Sulla enim bellum eo tempore cum Thracibus gerebat, continuo Macedoniam incursantibus: quo simul immanium gentium coërceret injurias; simul, dum à Mithridate nuncios exspectat, & exerceret militem, & ditaret.

Liv. Epitom. Eutrop. Appian. Tacit. Annal. 2. 1. Vellejus 2. 8. J. Sulla Thraces vincit. Appian. lib. 1. Civil. Liv. Epitom. Auct. de Vir. Illustr.

IX. Igitur quum multis prœliis Henetos, Dardanos, Sintos, Scordiscos, finitimosque populos concidisset; agros populatus, prædaque militibus concessa, in Macedoniam est regressus. Sub hæc tempora Cinnæ Carbonisque Consulum sæva dominatio, plures subinde claros viros ad Sullam confugere compulit, Reipublicæ periculum, & miserandum Urbis statum nuntiantes: simul haud levi spe interjecta, fore ut consiliis adversariorum Senatus resisteret, siquidem auctoritate Sullæ juvaretur. Quippe L. Cinna sine ullis comitiis tertium Consul, Cn. Papirium Carbonem ducem ejusdem factionis, collegam adsciverat.

Literas ad Senatum mittit.

X. Igitur dedit ad Senatum literas, quibus, numerato *quantum in Numidia Quæstor pro Republica, quantum legatus bello Cimbrico, & deinde Prætor in Cilicia, belloque Sociali Consul laboris exhausisset; res adversus Mithridatem gestas, domitarumque gentium numerum & ferociam* extollebat: postremo multis & accuratis verbis imputabat, *se tot clarissimis viris inimicorum factione domo pulsis perfugium solatiumque exstitisse. At sibi non aliam pro ejusmodi meritis gratiam, quam proscriptionem capitis, eversionem domus, cædes amicorum, fugam uxoris liberorumque referri; quæ vix & ægre incolumes ad se pervenire potuisset. Venturum igitur sese propediem ultorem maleficiorum, & qui ea perpetrassent. cæterorum vero civium veteres novisve forent incusatorum neminem.*

L. Valer. Flaccus legatos ad Sullam mittendi auctor. Appianus.

XI. Ad has literas, quum nova solicitudo perturbaret omnium animos; L. Valerius Flaccus Senatus princeps luculentam de præsentibus orationem in Curia habuit: & adsentientibus quibus concordiæ studium erat, auctor mittendi ad Sullam legatos fuit. His mandatum, *ut conciliare eum inimicis studerent: peadrentque ut si quid caveri sibi fide publica vellet, quamprimum ea de re literas ad Senatum mitteret.*

Consules se parant contra Sullam. Liv. Epitom. Appian.

XII. Cum Consulibus idem Senatus egit, *ut interea dum de voluntate Sullæ rescitum esset, à delectibus abstinerent: neve spem pacis cum civibus corrumperent.* Nam illi dimissis per universam Italiam perquisitoribus, pecuniam & copias & annonam undique contrahebant; opulentissimum quemque solicitantes, eorum maxime populorum, qui nuper adepti jus civitatis Romanæ fuerant: quod *illorum caussa omnia & facere & pati* dicerent. Classem etiam instruebant, accitis nuper è Sicilia navibus; oramque omnem maritimam custodiebant: metu & cupiditate duobus validissimis stimulis, nihil ad exactissimam diligentiam reliqui facere cogentibus.

XIII. Igitur quantumvis *in arbitrio Senatus se fore* Cinna promiserat; id modo exspectans temporis, dum legati proficiscerentur, ad ingenium rediit; & quia non unius anni laborem se suscipere intelligebat, seque & Carbonem Consules in biennium creavit: ne eo nitiorum caussa reverti in Urbem necessum haberent. Quidquid deinde cogere militum undelibet poterant, in Liburnos præmittebant: quod inde maxime advenienti Sullæ constituerant occurrere. Et primum quidem præmissorum agmen prospero cursu trajectum est: sequens tempestate ad litora rejectum: militesque exscensione facta bellum civile detestati suas quisque domos repetiverunt.

Liv. Epitom. Cinna se et Carbonem Consules reficit.

XIV. Hujus rei fama quum late sparsa esset, jam nemo erat, qui conscendere navem vellet. Idcirco Cinna, jam quartum Consul, Anconam ubi magnæ congregatæ copiæ erant, accurrit: ut minaci oratione territos, vel invitos in naves imponeret. Nesciebat ille sua suique similium opera tantam esse factam morum depravationem, ut occidi à militibus Imperatorem, quia novum non erat, ne magnum quidem crimen haberetur. Erant præter alias caussas exacerbati militum animi, quod Pompejus adolescens, quum in castra Cinnæ fuisset profectus, calumniam, & ex calumnia periculum fugiens, ignoratus se subduxerat: militesque clam sublatum suspicabantur.

Seditio militum. Vrb. cond. ann. 669. Auct. de Vir. illust. c. 69. Appianus. Liv. Epitom. Plutarch. Pompejo c. 8. Zonar. Pompeius clam fugit ex castris.

XV. Sic exacerbatæ multitudini quum se Cinna objecisset, forte accidit, ut lictor, dum in concionem eunte Consule turbam submovet, militem contemptim resistentem pulsaret, vicissimque ab alio milite percuteretur. Ibi, quum accensus ira Consul percussorem corripi juberet; hoc initium tumultus fuit: sublatoque clamore omnium, lapides conjici cœperunt. Tum vero fugientem Cinnam quidam centurio adsequutus, ad genua sibi accidentem, anulumque magni pretii offerentem, stricto gladio confodit: *non ad signandam sponsionem, sed fœdissimi tyranni puniendi caussa se adesse* præfatus.

Cinna occiditur. Plutarch. Appianus.

XVI. Occiso Cinna Cn. Carbo, præsentibus haud sane lætus, revocatis è Dalmatia militibus, dominationem retinere nihilo modestior Cinna conabatur: neque Tribunis plebis ad comitia habenda redire jubentibus obtemperabat: donec se magistratum ei abrogaturos sunt minati. Sed comitia, licet repetita, sine successu fuerunt: semel avibus non addicentibus, in aliam diem; iterum quia Lunæ Cererisque tacta de cœlo fana erant, ex haruspicum responso, post solstitium dilata. Ne tum quidem suffectus quisquam est, totoq; anno Consulatum Carbo solus gessit.

Carbo dominationem retinet. Velleius 2. 24. Liv. Epitom. Plutarch. Sulla c. 46. Diodorus. apud Fulv. Vrsin. Plutarch.

XVII. Interea Sulla ordinandis Græciæ rebus per Thessaliam incedens, propter Archelai morbum, Larissæ per aliquot dies substitit: ejusque non secus egit curam, ac si legatus, aut collega foret. unde rumores orti, *non optima fide pugnatum in Bœotia esse; præmiumque proditionis hoc Archelao dari: quemadmodum non alia de caussa, necatus unus omnium Mithridatis amicorum Aristio foret* (ceteros enim accepta classe Sulla dimiserat) *Archelao discors*. Etiam appellatus ab Sulla socius & amicus populi Romani Cappadox, acceptis insuper decem millibus jugerum agri Euboici, in eamdem suspicionem trahebatur. quæ Sulla ipse in commentariis suis relata diluit.

Sulla Archelaum comiter tractat. Strabo lib. 9. Plutarch. Strabo lib. 12. Appianus. Mithrid. Appianus. Plutarch. Diodorus.

XVIII. Per Thessaliam deinde & Macedoniam ad Hellespontum ducenti occurrerunt legati Mithridatis, *ceteras conditiones probare Regem* nunciantes, *sed Paphlagoniam excipere: de navibus etiam promissum nihil arbitrari*. addiderunt

Mithridatis legatis aspere respondet.

deinde *aequiores se conditiones impetrare ab altero Imperatore C. Fimbria potuisse*. Hoc praecipue dicto exacerbatus Sulla, *& Fimbriam poenas daturum* respondit: *& simul in Asiam trajecisset apparituram, bello an pace Mithridates opus habeat. cui ego*, inquit, *si dextram reliquissem, qua tot civium Romanorum interfecit millia, procubiturũ ad genua mea arbitrabar: nedũ ut de Paphlagonia, de navibus neges*.

Ab Archelao placatur.

XIX. Legatis ad haec obmutescentibus, deprecari Sullam Archelaus coepit, dextramque amplexus petere, *ut se ad Regem proficisci fineret, quibus dedisset legibus relaturum pacem: aut si hoc impetrare nequivisset, sua semetipsum manu interempturum*. Ita dimisso Archelao expeditionem in Medicam (Thraciae regio est) Sulla fecit: eaque late vastata, in Macedoniam est regressus. Apud Philippos agentem Archelaus convenit: *omnia ex animi sententia esse* dictitans, *caeterum colloquium ejus enixe expetere Mithridatem*. Nam ille Fimbriam bello ferocem pactis infidum metuens, Sullae amicitiam optabat.

Ad colloquiũ Mithridatis pergit. Plutarch. Lucullo c. 7. Plutarch. Sulla c. 47. Appianus. Plutarch.

XX. Igitur Sulla per Thraciam ad Cypsela terrestri itinere pergens, L. Lucullum cum navibus praestolari ad Abydum jussit. Quippe Lucullus circa Lecton Troadis Regiis classibus subito occursu profligatis; deinde Neoptolemo ad Tenedum fugato, feliciter ad Sullam penetraverat. Postquam in Chersonesum exercitus pervenit; Lucullo tutum transitum, & naves praestante, ad Dardanum Troadis Romanus processit. Eodem & Mithridates cum navibus ducentis advenit, & gravis armaturae viginti millibus, sex millibus equitum, magnoque curruum falcatorum numero.

Occursus Sullae et Regis.

XXI. Sulla legiones quatuor, equites ducentos adduxerat. Paucis utrimque comitibus, in conspectu tamen exercituum, in campum colloquio destinatum prodierunt. Prior Mithridates, quum venienti Sullae occurrens dextram porrigeret, interrogatus ab illo est, *positurusne arma esset, quibus conditionibus Archelaus pepigisset*? deinde, silente Rege, *atqui deprecantium est*, inquit, *priore loco dicere: victoribus vel tacere satis est*. Ibi Mithridates repetita *patris suaque cum Romanis amicitia, quam deorum quadam invidia sibi propriã perpetuamq; esse noluisset: ad accusationem legatorum ducumque* vertit, *qui multa cum injuria suaCappadociam Ariobarzani reddi dissent: sibi ademissent Phrygiam: Nicomedis iniquis conatibus favissent*.

Appianus. Plutarch.

Mithridates Romanos accusat, se purgat.

XXII. *Quae omnia*, inquit, *sola pecunia cupiditate sunt ab ipsis facta, quam semper aut à me, aut ab inimicis meis accipiebant. quae equidem res, si quae alia, jure meritoque in vobis arguitur, Romani, quod tales plerumque Imperatores emittitis, qui nihil melius aut antiquius esse lucro putent. Ab his coactus arma indui: quae si qua parte vobis infestiora quam voluissetis fuerunt; id omne non animo meo, qui dum licuit Romani nominis amans reverensque fuit, sed necessitati imputari aequum est*.

Sulla respondet.

XXIII. Ad haec Sulla: *Quod ab aliis accepte esse disertissimum, id nunc coram experior, quum in factis atrocissimis speciosa tibi non deest oratio. Sed quãquam non in hoc convenimus, ut disceptaremus controversias, verum ut leges petita pacis impleres: non gravabor paucis respondere. De Cappadocia non erat ut absentibus inclementer diceres, nam Ariobarzanem, si nescis, & ego reduxi. Tum igitur caussari quaelibet oportuit, si jussui Senatus Populique Romani obtemperare nolles; non tanto post tempore quum decretis adquiesses, convellere, quae semel*

adprobaras. Phrygiam Manius Aquillius donis emptus patri tuo concesserat: quod commune vobis delictum, frustra in illum transferre nisus es: sed & ista, & quæ præterea pecunia corruptus multa Manius egerat, Senatus irrita esse jussit omnia.

XXIV. Neque tamen, injusto possessore depulso, nobis recepimus Phrygiam, ne quod in aliis damnamus, ipsi facere videremur; sed immunem liberamq; pronunciavimus. Quæ igitur nos licet justo pioque bello quæsita relinquimus, ea tibi quo tandem jure vindicabis? De Nicomedis injuria quereris. Sed ille percussorem sibi Alexandrum, deinde æmulum Regni Chrestum immissos esse, atque his caussis adscribendum, quod in fines tuos irruperit, testatur. Quamquam etiam missis Romam legatis, exspectare Senatus responsum poteras, siquidem à Nicomede læsum te esse putavisses. Sed de Nicomede esto. vim inferentem vi repuleris: qua fuit Ariobarzanis injuria, quē haud minus atq; Nicomedē, sui Regni finibus exegisti? Phrygiam pertinere ad Mithridatem negat.

XXV. Atque hoc quum faceres, non te latebat fore, ut qui in Asia tum legati ducesque Romani erant, pulsum reducerent. Sed hoc agebas, ut bellum oriretur, quod spe obtinendi terrarum orbis imperium, siquidem Romanos superasses, jam olim eras meditatus. Nisi forte tam parum videre cæteros arbitraris, ut quum nullo adhuc cœpto bello, Scythas, Thraces, Sarmatas societate jungeres, circum Regna finitima legatos mitteres, naves ædificares, proretas gubernatoresque ex longe dissitis gentibus arcesseres; nemo intellexerit, quorsum ista pertinerent? Caussam belli in ipsum transfert.

XXVI. Quasi vero consilium tuum ipse temporum status non prodiderit, quod nobis defectione Sociorum occupatis, ab ultimo Ponti sinu, tamquam captatis ad hoc latebris, astutus insidiator erupisti. Neque Cappadoces tantum & Bithynos, sed Galatiam, sed Paphlagoniam, Asiam denique, non ignarus nostræ ditionis esse invasisti. Quibus in terris quid tandem à te sceleris aut crudelitatis prætermissum est? Taceo civitates mancipiis aut obæratis traditas, ut quibus obnoxii esse debebant, his imperarent. de Græcis Asiaticis nihil dico, quorum principes mille sexcentos uno proditionis obtentu trucidasti. Gallogræcorum sepulta sit memoria quamquam corpora sepultura prohibuisti; quum socios tuos & hospites communi mensæ adhibitos, miserabiliter occidisses. Illum insidiatum temporibus. Plutarch. de Virt. Muliec. cap. Appianus. Mithrid.

XXVII. Cujus animi fuit, quod Italos omnes cum liberis & uxoribus una die ferro aut aqua sustulisti? quo quidem tempore ne sacra quidem & veneranda loca præsidio pereuntibus esse potuerunt: tantum te populi Romani tenebat odium, ut dum nobis noceres, nec humani nec divini juris ullius meminisses. Et horum quidem etiam bonis raptis, contra edictum nostrum, quod Asiaticos Reges Europa prohibet, trajecisti: Macedoniam incursasti: Græcis abstulisti libertatem. neq; ante ad mentem reversus es, quam Macedonia Græciaque receptis centum sexaginta tuorum millia occidi, castra omni adparatu belli instructissima semel iterumq; cepi. Multa scelerate & crudeliter fecisse. Plutarch. Sulla c. 49. Appianus. Plutarch. Memnon. Flor. 3. 5. 12. Liv. Epitom.

XXVIII. Quæ omnia quum animo meo obversantur, rationem consilii tui non expedio, quod eorum nunc purgationem instituisti, quorum antea per Archelaum veniam petiveras. An igitur quem procul agentem timebas, cum huc venisse rerís, ut tecum judicio contenderet? sed ejus rei quidem tempus olim præteriit, ex quo tibi bellum inferenti restitimus, & donec opus erit, resistemus. Idcirco his omissis, quod unum scire interest responde, pacem cum Archelao factam accipis, an recusas? Mithridates iracunda Sullæ oratione territus, accipere se respondit. Mithridates pacem accipit.

Tum demum salutavit eum Sulla, amplexusque & osculatus est.

Ariobarzanes & Nicomedes in Regna sua redeunt.

XXIX. Ariobarzanem deinde & Nicomedem accitos Mithridati conciliavit, reditumque iis in sua regna confecit. *Asiam Romanorum esse, ita ne cui civitati descivisse ad Regem fraudi esset,* convenerat. *id non integre servatum, multasque postea urbes tributarias esse factas* Memnon ex Heraclea Pontica scriptor tradidit, in partes Regias ob communem patriam proclivior. Idem *tria talentorum millia Sullam à Mithridate accepisse memorat, ut domum reverteretur.* Naves Regem septuaginta cum quingentis sagittariis, itemque captivos tradidisse (in quibus & Q. Oppius, & L. Cassius, nescio quo casu redactus in potestatem hostis, fuerunt) & si quæ alia ex fœdere debebantur, fecisse satis constat: deinde in paternum Regnum, cujus ipsi confirmatum eadem pace jus erat, rediisse.

Plutarch. Vellei. 2. 23. Appianus. Plutarch.

Sulla contra Fimbriam movet.

XXX. At Romanus exercitus indignabatur, *quod dimissus è manibus Rex omnium sævissimus, nominique Romano infestissimus, coactam ex opulentissimis Asiæ regionibus toto quadriennio prædã, in patrium Regnum sospes incolumisque reportaret.* donec advocata concione reddidit consilij rationem Sulla: docuitque *si Mithridatem pace denegata ad Fimbriæ petendam amicitiam compulisset, veritum fuisse, ut ambobus satis posset resistere. nunc amoto hoste externo, pœnæ de seditioso cive tuto sumendæ otium esse.* Movit deinde versus Thyatira, ubi castris positis Fimbria consederat: & quum ad pedes ducentos quinquaginta castra castris contulisset: jussit *eum imperio cedere, quod contra leges obtineret.*

Fimbriani multi ad eum transeunt. Plutarch. Appianus.

XXXI. Ille vicissim irridens, *Sullam potius cedere* jussit, *qui hostis esset patriæ judicatus.* Sed ubi Sulla circumvallare castra Fimbriana cœpit, crebri ad eum milites transierunt, Sullanosque in opere faciundo adjuverunt. Igitur Fimbria in concione militum sortem suam prolixe miseratus, orat *ne deserant, neve quem ipsi Imperatorem fecissent, optime de se meritum hominem, rebus præclare gestis, milite dictato, injuria adfici paterentur.* Nullum infirmius ad fidem vinculum est, quam quod societate scelerum adstringitur: nec aliud citius aut pœnitentia tolerabilium aut levitate perditorum mutabile.

Auct. de Vir. Illust. cap. 69. Plutarch. Liv. Epitom. Appian.

Fimbria suos suppliciter orat.

XXXII. Et non deerant, qui spe præmiorum à Sulla corrupti, cæteros etiam ab obsequio Fimbriæ avellerent. Igitur passim tota concione clamores audiuntur, contra cives arma sumere negantium. Tum ille de tribunali desiliens, scissa tunica singulorum pedibus advolvitur. Id quoque frustra factum: tantoque plures palam transfugerunt. Ergo Fimbria tribunorum præfectorumque circumitis tentoriis, multaque pecunia distributa, quum iterum vocari concionem jussisset, jusjurandum à militibus exigere cœpit. Occlamatum à quibusdam est, *nominatim singulos ad jurandum citari oportere.*

Sullæ percussorem subornat.

XXXIII. Tum ille Nonium citari primum omnium jussit, in quem plurima beneficia contulerat, omnium consiliorum facinorumque participem. Sed iste quoque jurare abnuebat: & quum Fimbria stricto gladio necem intentaret homini, fremitu concionis est deterritus. Igitur in tantis rerum angustiis, quum incolumi Sulla se incolumem esse animadverteret non posse; servorum aliquem nummis datis promissaque libertate induxit, ut ad Sullam interficiendum specie perfugæ proficisceretur. Sed insidiæ quum minimum à patratione abfuissent, trepidatione primum insidiatoris, deinde correpti ob hanc tormentis patefactæ sunt.

XXXIV. Tum vero accensus ira Sullanus exercitus circumstetit Fimbriæ vallum,

lum, *Athenionem* appellando, quo nomine nuper in Sicilia fugitivus quidam paucorum dierum regnum obtinuerat. Idcirco Fimbria, spe abjecta resistendi, progressus in vallum, colloquium Sullæ cœpit exposcere. Sed Rutilius adfuit, sævum Fimbriæ omen, qui nihil jam ex eo læti augurabatur, quod ne in colloquium quidem Sullæ admitteretur, rem nec hostibus denegari solitam. Orsus tamen excusationem & preces, *si quid peccavisset, id adolescentiæ suæ condonari* petiit. Responsum est, *Asiæ Proconsulem Sullam esse: si vellet aliena provincia decedere, tutam ei profectionem ad mare beneficio Sullæ fore.*

Cum Rutilio colloquitur. Vellei. 2. 24. Appianus. Auct. de Vir. illust. c. 69. Appianus. Velleius.

XXXV. Ille *viam sibi meliorem patere* interfatus, abrupto colloquio Pergamum ivit, ingressusque templum Æsculapii gladio se transfixit: deinde, quia vulnus lethale non erat, à servo petiit, ut se occideret: servus & dominum, & super domini corpus semetipsum interemit. Sulla cognito Fimbriæ exitu, petentibus libertis cadaver ad sepulturam reddidit; *nolle se Cinnam atque Marium æmulari* dictitans, *qui plerosque Romæ interfectos humari vetuissent.* Comiter deinde receptis Fimbrianis copiis, quæ consensu ad eum transibant, suoque exercitui junctis, Curionem misit, qui Nicomedē atque Ariobarzanem Reges in Regna reduceret.

Manus sibi infert.

XXXVI. Deinde Senatui de rebus omnibus scripsit, hostem se judicatum esse dissimulans. His ita ex animi sui sententia compositis, veluti per otium ordinavit Asiam: & Iliensium urbem instauratam multis beneficiis consolatus, libertati & suis legibus reddidit: populique Romani socios & amicos appellavit. Pari liberalitate Chios, Rhodios, Lycios, Magnetas, & si qui alii contra Regem auxilia tulerant, aut ob studium Romanarum partium acerbe fuerant ab eo tractati, recreavit. Reliquas urbes omnes distributo ubique exercitu oneravit præsidiis, non ad veterem disciplinam; sed omnis generis licentia militi permissa. præterea edixit, *ut unicuique gregario quotidie denarios sedecim hospes penderet: cœnamque daret & ipsi & sodalibus, quotquot vocare militi placuisset. centurionibus quinquagenas in diem drachmas præberi* jussit, *vestemque duplicem, ut haberet qua domi, quaque in publico uteretur.*

Sulla Ilium instaurat. Orosius. 6. 2. Strab. lib. 13. Appian. Plutarch.

Sallust. Cat. 11. 4.

XXXVII. Ab his initiis urbium vitia in exercitum & horridos antea milites fluxerunt. ibi per amœna loca in otio habiti, amare, potare, signa tabulasque pictas & vasa cœlata mirari didicerunt: eaque mox publice privatimque rapere; spoliare delubra; sacra ac profana omnia polluere. Multum deinde sanguinis passim in Asia fusum: urbiumque nonnullarum mœnia diruta, ager subhastatus est, quia contra edictum Sullæ præstitam à Mithridate libertatem servis defenderant. Quotquot autem privatorum civitatumve, Regiarum partium paulo cupidiores fuisse dicebantur, præ cæteris graves mulctas pendebant: Ephesii ante omnes, quorum præcipua vesania eo proruperat, ut etiam donaria Romanorum cum ludibrio templis detraherent.

Militarem disciplinam corrumpit.

XXXVIII. Postremo missis circum populos Asiæ præconibus, Ephesum convenire jussi sunt principes. ad quos è tribunali Sulla talem orationem habuit: *Prima Romani signa in Asiam ea tempestate intulimus, qua vos Antiochus Syriæ Rex acerbus hostis aut gravis dominus urgebat. Hoc ultra Halyn & Taurum exacto, non ut bello quæsitos imperio nostro subjecimus; sed libertatem dedimus omnibus: nisi quos Eumeni Rhodiisque belli ac victoriæ sociis clientes magis quam tributarios concessimus. quod quidem manifesto statim apparuit, quum Lycios, præter no-*

Asiaticos principes graviter increpat.

stra decreta premi questos, imperio Rhodiensium eximimus.

Ingratum animum exprobrat.

XXXIX. *Tali erga vos animo fuimus Romani: cui quam gratiam retuleritis quærerem à vobis, nisi jam ante nota hæc omnibus essent. Quum enim Attalus testamento nos hæredes reliquisset, Aristonico vindicanti Regnum per quadriennium adhæsistis: donec & ille caperetur: & vos ad extremum discrimen atque metum adduceremini. Nostra tamen indulgentia recuperata pace, opibusq; multorum annorum tranquilla possessione auctis, denuo sustulistis animos, & observato iniquissimo nostro tempore, inter Italicos tumultus, alii quidem vocastis Mithridatem, alii accessistis venienti. Quod autem omne immanitatis exemplum supergreditur, Italos omnes, non sexus, non ætatis miserati, una die trucidare sustinuistis: ne vestrorum quidem numinum reverentia deterriti, quin ipsis templorum adytis supplices eorum occideretis.*

Et stultam electionem amicorum.

XL. *Et hæc fecistis in gratiam ejus Mithridatis, qui vos deinde continuo cædibus & rapinis exhausit: agros vestros divisit: debitoribus vestris æs alienum remisit: servitia liberavit: multis tyrannos imposuit; omnes objecit prædonum atque piratarum incursionibus. ut jam inde discere possetis, quales amici qualibus essent vestro judicio antepositi. Licet autem horum malorum auctores etiam nobis quodammodo dederunt pœnas: non ideo vos impunitos abire fas est, qui scelestè consulentibus tam promptè estis obsequuti. Et oportuerat quidem æqualem meritis pœnam statui; cæterum quia promiscuæ cædes, & servitiorum concitationes, & hoc genus exempla barbari moris, à mansuetudine Romana prorsus aliena sunt; absit ut tale aliquid in mentem nobis veniat.*

Postremo mulctam grandē imponit.

XLI. *Habeatur Græci nominis, & celebritatis Asiæ, & cognationis nostræ ratio, mulctæque modum potius misericordia, quam ira finiat. quod faustum felixque sit, quinquennii tributum repræsentari jubeo, & præterea sumptus, quique impensi sunt in hoc bellum; quique porro ad constituendam provinciam erunt necessarii. Eam collationem ego per civitates dividam; tempusque conferendi præfiniam, & qui non obtemperaverint, hos habebo pro hostibus.* Ex quatuor & quadraginta regionibus Asiæ, tot enim ex distributione Sullæ esse cœperant, viginti millia talentorum his nominibus exacta sunt. Lucullusque recipiendis quæ adferebantur, & signandæ pecuniæ præpositus, licet homo mitis ingenii nonnihil civitates mansuetudine sua refocillaret; efficere non potuit, ne maximā in calamitatē inciderent.

Cassiod. Chronic. Plutarch. Sulla c. 49. Lucullo c. 8. Appian. Mithrid.

Asia vastatur etiam à piratis

XLII. Nam & pecuniæ conficiendæ caussa, quia milites ferociter & contumeliose exigebant, passim fœneratoribus theatra, aut mœnia, aut portus, aliave publica ædificia pignori opposita sunt: & eodem tempore magna à piratis incommoda inferebantur. Illi Mithridatis concessione, Asiam tamquam mox amittendam negligentis, mare infestum habere cœperant: & jam successu numeroque aucti, tantum non justis classibus, tum navigantibus, tum etiam portubus, castellis, urbibusque metuendi, vagabantur. Jassus certe, Samusque & Clazomenæ, & Samothrace, dum adhuc in Asia Sulla erat, captæ sunt; Samothraciæque celebre fama delubrum spoliatum, & ut creditum fuit, mille talentorum egesta ornamenta sunt.

Sulla neglecta Asia, navigat Athenas. Plutarch. Sulla. Posidon. apud Athenæ 9-5.

XLIII. Id Sulla nec prohibere, nec ulcisci curavit: sive meritos hæc pati putabat; sive Urbanis motibus intentas cogitationes habentem, aliis negotiis pigebat tempus atque curam impendere. Igitur L. Murena cum duabus legionibus quæ sub Fimbria fuerant, in Asia relicto, cum cæteris copiis conscendit naves, tertioque die

quam ab Epheso solverat, Piræeum applicavit. Mysteriis deinde Atheniensium initiatus, Apelliconis Teii bibliothecam requiri jussit, Romam deportaturus. Is inter familiares Aristionis fuerat, missusque tyranni Delum spoliandi fani caussa navigarat. ob hæc & talia bonis ejus publicatis, Sulla, ut erat doctissimus & studiorum amans, libros accepit: quos Apellicon magno pretio passim coemerat, illustrium auctorum opera, quædam etiam ipsorum scripta manu.

XLIV. Inter hos & Aristotelici libri fuerunt, quorum fata ob celebritatem nominis, & quia res ad cautionem studiosorum pertinet, non tædebit exponere. Aristoteles primus inter Græcos, quantum scimus, bibliothecarum colligendarum auctor, Theophrasto scholam simul suam librosque decedens transdidit. Theophrasto Neleus Scepsius fuit heres: à quo Scepsin translati postea ad homines indoctos studiorumque rudes pervenerunt: apud hos tam indignos hospites diu sub clavibus satis incuriose adservati; deinde, quum Attalicorum Regum studiis opera celebrium scriptorum undiq; conquirerentur, ab ineptis possessoribus in fossam quamdam subterraneam sunt abditi. donec eos longis post temporibus illorum successores Apelliconti Tejo magna pecunia vendiderunt. *Aristotelicorum scriptorum fatum. Strab. lib. 13.*

XLV. Erat librorum magis quam eruditionis studiosus Apellicon, tamen, quod solenne est talibus ingeniis, doctrinæ opinionem adfectabat. Igitur scripta Aristotelis edidit, tam ambiguo beneficio, ut vix dijudicari possit, satiusne fuerit omnino periisse acutissimi viri labores, an interpolatos talis hominis audacia, sub præscriptione tanti nominis legi. Nam ille situ corrupta, aut à tineis erosa temerarius emendator quoquomodo suppleverat: deinde in alios codices tam sua quam Aristotelis verba inexplicabili errore transcribenda curaverat. Plus etiam postea vitiati ab exscriptoribus libri sunt, quum Romam delatos Tyrannio suis commentis replevit. hanc deinde editionem nacti, qui libris vendendis quæstum faciebant, dum in conducendis librariis, comparandisque cum exemplari voluminibus, ad lucrum magis, quam ad fidem respiciunt, ita repleverunt mendis: ut jam ante mille sexcentos annos, quid plerisque locis ab Aristotele esset scriptum, disceptari consueverit. *Ex varie corrupta, & vilissime edita. Plutarch. Sulla cap. 49 Strab.*

XLVI. Sed L. Sulla quum Athenis dolore pedum tentari cœpisset, Ædepsum profectus est, Eubœæ oppidum, ubi calidarum aquarum scaturigo erat, quod *Herculis lavacrum* appellabant; valetudinique & oblectationi suæ operam dedit, Bacchicis artificibus addictus. Interea Lucullus post profectionem Sullæ ex Asia, pro sua mansuetudine, tum alias quantum poterat civitates allevabat: tum præcipue Mitylenæis auctor erat, *ut agnita culpa mediocrem quæ imposita erat mulctam persolverent*. Hi ab initio palam ad Mithridatem desciverant, Manio Aquillio turpiter prodito; diutissimeque manserant in partibus, ne digresso quidem Rege resipiscebant, quin se Romanis armis opponerent. tantus stolidissimorum hominum animos furor occupaverat. *Sulla dolore pedum tentatur. Stephan. Strab lib. 9. Plutarch. Lucul. cap. 8.*

XLVII. Igitur Lucullus classe admota, quum prohibentes exscensionem oppidanos intra mœnia compulisset, castra ante urbem posuit. Deinde quodam die quasi desperata expugnatione propalam de die cõscensis navibus Eleam trajecit; sed mox sub noctem reflexit cursum, & in insidiis haud procul urbe consedit. Mitylenæorum vulgus vix à prudentioribus cohibitum, ne statim in castra prorumperet; postquam iterum lux adfuit, neque hostium conspectus quisquam est, retineri amplius *Lucullus Mitylenæos cædit.*

non potuerunt, quin promiscua turba liberorum servorumque excurreret. Ibi coortæ ex insidiis Romanorum copiæ, adversus homines nec instructos militariter, nec ordinatos (non enim ad prœlium, sed tamquam direpturi castra exiverant) non dubio Marte pugnarunt.

Vrbem munitam obsidere insuper habet. XLVIII. Comprehensus fugientium ingens numerus; ad quingentos, qui repugnare ausi fuerant, occisi: serviciorum quoque sex millia, præter multiplicem aliam prædam capta sunt. Lucullus, sive hoc detrimento castigatis spatium daturus ad pœnitentiam: sive ut ad magis necessaria præverteret, cum captivis & præda discessit: ne munitissimæ urbis, & omnibus copiis abundantis, obsidione implicitus, maritimam Asiæ oram insulasque à piratis impune vastari pateretur, qui prospere decedentibus rebus, majora indies virium & audaciæ incremēta sumebant.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXXIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

SULLA legatis qui à Senatu missi erant, futurum se in potestate Senatus respondit, si cives qui à Cinna pulsi ad se fugerant, restituerentur. quæ conditio quum justa Senatui videretur, per Carbonem factionemque ejus, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo, quum ab omnibus oppidis Italiæ coloniisque obsides exigere vellet, ut fidem illorum contra Sullam obligaret, consensu Senatus prohibitus est. Novis civibus Senatusconsulto suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partem optimatium sequutus erat, quum in Africa bellum moliretur, à C. Fabio Prætore pulsus est. Senatusque consultum per factionem Carbonis, & Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque & triginta tribus distributi sunt. Praeterea belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur, continet.

Appianus lib. 1. civil. I. INTER hæc legati, quos ad Sullam ab Senatu missos fuisse diximus, cum aliis, quos adjunxerat Sulla, in Italia appulerunt. sed Sullani quamprimum Brundusii de morte Cinnæ, novisque Reipublicæ turbis cognoverunt, omisso negotio ad Sullam sunt revecti: & mandata Sullæ cæteris perferenda reliquerunt. Sullæ mandata ad Senatum. Negaverat autem *cum tantorum scelerum auctoribus unquam sibi privatim amicitiam fore: sed pacis publicæ caussa, voluntati Senatus Populiq; Romani, siquidem salvos* Liv. Epitom. Appian. *cupiat, non intercedere. Sibi tamen curæ fore, ut & cæteri boni, & qui ad se confugissent, perpetuo tuto degant: idque se sperare adepturum, quod haberet studia exercitus.*

Conditiones ab eo propositæ. II. *De cætero futurum in potestate Senatus, si cives qui à Cinna pulsi ad se fugissent, restituerentur: sibique pristina dignitas, facultatesque & Sacerdotium, &*

quidquid ante Cinnæ primum Consulatum habuisset, redderetur. Non ita se de Republica meritum, ut ad arbitrium inimicorum domo, fortunis, honoribusque carere debeat. Eadem omnia pari vi atque ablata ab adversariis essent; retineri, aut recuperari à se potuisse. verum enimvero nolle imitari exempla, quorum non approbationem modo, sed omnino memoriam, deleri ex animis hominum malit. Idcirco nihil his rebus avocatum aut deterritum, non aliter hostes populi Romani gravi continuoque bello persequutum esse: quam si omnia domi tranquilla, sibique prospera & faventia fuissent.

III. *Non supplementum sibi, non commeatum, non pecuniam aut arma submissa: nec eo secius pro eadem illa Italia atque illa Urbe, suum corpus infensissimis hostibus objecisse; quam plenam quidem etiam bonorum honestorumque virorum, sed tamen à diversa factione oppressam atque coactam sibi adversari sciret.* Non injusta Senatui conditio videbatur: sed per Carbonem, ejusque satellites, quibus bellum cordi erat, effectum est, ne conveniret. Quin & violentius in Sullanas partes ira malorum civium recruduit, Tribunusque plebis P. Popillius Lænas, Sex. Lucilium, qui superiore anno Tribunatum gesserat, quod Carbonis actionibus restitisset, de saxo Tarpejo dejecit: & cum collegæ Lucilii, quibus diem P. Lænas dixerat, metu ad Sullam profugissent, aqua ignique iis interdixit. Carbonianorum iniquitas. Liv. Epitom. Vellejus. 2. 24. 2.

IV. Nam ab illo collegio coactus Carbo, contra animi sui sententiam comitia Consularia habere coactus fuerat, quibus L. Scipio, C. Norbanus designati sunt. Igitur tantis animis resurgente factione Carbonis, Senatus etiam sententiam eorum sequi adactus est, qui *bello contendendum cum Sulla* censuerant: *Neque enim dimissurum eum milites, sed horum opera abusurum ad dominationem. Non obscure ab eo jactatum esse favorem exercitus, haud dubium animi ejus argumentum. Jam à tot annis nihil illum aliud quam civile bellum meditari. Nec iniquissimæ cum Mario æmulationi tam propositum ejus, quam opportunitatem & tempus defuisse: Cimbricis primum, deinde Socialibus intervenientibus bellis.* Bellum cum Sulla volentium. Appian. Lib. 1. Civil.

V. *Postmodum, quum esset auctus Consulari dignitate, paulòque factus robustior; non distulisse, quin suum olim Imperatorem insidiis armisque peteret. Mox etiam Reipublicæ palam intulisse bellum: & Urbem, quod ante eum fecisset nemo, vi ac armis occupasse. Ne in Græcia quidem & Asia, quamquam fervente Mithridatico bello, temperare potuisse, quo minus L. Valerium ab Senatu in Asiam missum, & postquam ille sit interfectus, C. Fimbriam armis peteret: legionesque Valerianas, citra Senatus aut populi auctoritatem, suum sub imperium acciperet.* Accusantiumque Sullæ acta.

VI. *Et illam inauditam Romanis moribus licentiam, quo sibi legiones fidas exitio Asiæ facere studeat, non alterius profecto, quam civilis belli sacramentum esse. Præterea inflatum victoria Mithridatica, & adjutum copiis paulo ante hostilibus, aurum Ponticum navesque & auxilia Barbarorum, in patriæ perniciem adducere.* Igitur neque sibi committendum rati, ut impares deprehenderentur; non solita tantum præsidia, sed quædam etiam insolita ac nova sunt moliti. Carbo Consul ab omnibus oppidis Italiæ coloniisque obsides exigebat, ut fidem illorum contra Sullam obligaret: donec perniciosi moris exemplum consentiu Senatus adversantis cohibitum est. Carbo ab Italiæ civitatibus obsides exigit. Liv. Epitom.

VII. Nec omittenda M. Castricii Placentini constantia, qui forte magistratum in patria gerebat, quum eo Consul obsides accepturus ipse venit. Sed pe- Eos animose negat Castricius

cius Placentinus. Val. Max. 6. 2. 10. debuisset addi ex eodem. 4. 8. 6.

tenti *decretum ea de re fieri*, Castricius neque nomen Consulis, neque mores Carbonis, ne legiones quidem quas adduxerat veritus, pernegavit. quumque iratus Carbo dixisset; *multos ego gladios habeo*: nihil contatus subjecit; *& ego annos*. Sic & inceptum Carbonis irritum fuit: & ira, magni doloris tenuem è senili sanguine vindictam aspernata, detumuit. Depulsus hac spe Consul, ne nihil obtinuisse videretur, ad novos cives libertinosque recenti beneficio arctius adjungendos convertit animum; effecitque ut illis suffragium, qua de re certatum toties fuerat, Senatusconsulto daretur.

Q. Metellus exercitum in Africa cogens. Liv. Epitom. Plutarch. Gracch. c. 9.

VIII. Sub id tempus Africam quoque inquietam civilis belli quædam initia habuerunt. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium sequutus erat, haud contemnendas ibi copias, habebat: à suis & patris Numidici clientibus haud segniter adjutus. Accesserat M. Crassus adolescens, qui inter Cinnanam Marianamque rabiem, quà pater ejus fraterque sunt absumpti, in Hispaniam elapsus, multis mensibus in spelunca quadam latuerat. Is cognito Cinnæ interitu progressus in lucem, concurrentibus ad eum multis, hominum duo millia quingentos armaverat; & civitates obiens, quod cum patre Prætore multos ante annos in Hispania fuerat, hospitum amicorumque voluntates experiebatur.

à C. Fabio expellitur. Liv. Epitom. Appianus. lib. 1. Civil.

IX. Inter hæc quum de Metello audisset, naves adeptus, ad eum in Africam trajecit. Sed illæ bellorum minæ, tamquam nubeculæ sine tempestate transierunt. Nec diuturna inter Metellum Crassumque concordia fuit: relictoque illo ad Sullam adolescens profectus est; Metellum C. Fabius Prætor expulit Africa, rursumque ad pristinas in Liguribus latebras reverti, adventumque Sullæ operiri coëgit. At in Urbe L. Cornelio Scipione C. Norbano Consulibus Carbonis factio Marianæque partes Senatusconsultum fecerunt, *ut omnes ubique exercitus dimitterentur*. quod si esset factum, dubitari non poterat, quin quorum in manu ad id temporis Respublica fuisset, penes eosdem in posterum quoque permansura summa rerum esset.

Urb. cond. an. 670. Senatusconsultum de dimittendis exercitibus.

Carbonianorũ apparatus.

Plutarch. Sulla. cap. 22. Appianus.

X. Præterea libertinis, qui tum eadem adnitente factione in quinque & triginta Tribus distributi erant: novisque civibus omnibus ad quælibet usuri videbantur. Nec tamen eo secius, quia non erat ambiguum, ne sexcentis quidem Senatusconsultis compelli Sullam ad dimittendas copias posse; ad imminens bellum summa contentione omnia parabantur. Tantæ profecto rerum omnium & præcipue militum contractæ copiæ sunt, ut in commentariis suis Sulla scripserit; *se adversus quindecim partium adversarum duces quadringentis & quadraginta cohortibus instructos, in Italiam transmisisse*: alii *cohortes ipsis quingenarias fuisse ducentas statim ab initio* tradunt: *posteaque auctum eum numerum esse, quos Sulla ab externis oris veniens hostis Italia videbatur; Consules & Carbo privatis studiis Reipublicæ amabile nomen obtenderant*.

Et duces.

XI. Vulgus igitur certatim sacramento dicebat, tot illustrium virorum auctoritate commotum, qui partibus se duces offerebant. Nam præter eos qui modo sunt memorati, Ap. Claudius, Q. Sertorius, C. Marius adolescens, M. Marius, clara nomina aderant; præterea Marcii, Bruti, Albini, quibus insuper Albinovanus, Flavius Fimbria Caji frater, Damasippus, & ab Italia M. Lamponius, Pontius Telesinus, Gutta Capuanus accesserunt. Interim Su la cer-

tus in Italiam transire, per Thessalos & Macedoniam Dyrrhachium profectus est, ubi classem ad copias transponendas occurrere jusserat.

XII. Hic loci Satyrum, quales à pictoribus & poetis finguntur, adductum ad Sullam ferunt, in Nymphęo captum, quum forte somno operam daret. Juxta Apolloniam vicinam Dyrrhachio Nymphęum est; sacer tum locus: ubi in virenti & læta valle campisque florentibus, subterranei ignis venæ perpetuis velut fluctibus evolvuntur. Eum igitur satyrum multis adhibitis variarum gentium interpretibus, unde aut quisnam esset interrogatum, quum humanam vocem nullam, sed velut ex balatu hinnituque confusum sonum edidisset, Sulla pro monstro aversatus esse traditur. Nec ultra reperio dimitti jusserit, an vero occidi, aut quod omnino sit eo factum. Sed postquam in satyrorum mentionem incidimus, neminem reprehensurum puto, si quæ de his mihi lecta aut credita sunt, paucis aperuero. *Satyrus ad Sullam adducitur. Plutarch.*

XIII. Jamprimum ut alia passim occurrunt in natura parum convenientia legibus, quas humanæ opiniones imaginantur; ita mixtas hominum ac belluarum formas exsistere posse, rationi minime repugnat. Sed ex eadem ratione manifestum est, non ideo statim exsistere quidquid potest; & de omni re extraordinaria, nisi bonis testibus, inepte credi. nec illis tamen ultra credendum, quam quoad idonei testes esse possunt. Igitur in præsenti negotio, conspectas ejusmodi formas semicaprorum, cum lascivis fœdisque gestibus non negaverim; id enim à multis est proditum; animaliumne fuerint ea corpora, an vero dæmonum fraudes, id illi quidem distinguere haudquaquam potuerunt. *De ea re Excursus.*

XIV. *Montem Atlantem, quà spectet Africam lætum amœnumque spontaneis fructibus, interdiu vacuum cerni; eumdem noctibus micare crebris ignibus, Ægypanum Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulæ cantu tympanorumque & cymbalorum sonitu plusquam humano strepere*, celebrati auctores prodiderunt. Etiam in Æthiopia juxta sylvas hebeni, montemque æternis ignibus flagrantem, modicos colles amœnæ opacitatis, cum Ægypanibus & Satyris quidam posuerunt. De his ita sentio, quum Africa monstris abundet, solitudinibus horreat; fieri potuisse; ut eminus conspecta animalia fidem prænavigantibus fecerint superstitione jam occupatis: deinde solita longis peregrinationibus vanitas accesserit, nova & mira narrandi. *In Atlante Satyrorum lusus. Plin. 5. 1. Solin. c. 36. Mela 3. 10. Plin. 6. 30. Tacit. a. 24. & Plin. 8. 33.*

XV. Certe simiorum gregibus, mira varietate generum, Africam refertam esse non ambigitur: è quibus etiam fuerunt, quos antiqui *Satyros* appellarent. Et nota est animalis lascivia, cavenda mulieribus, quarum concubitum, appetunt; velut à natura decepti, qua similia ipsorum fœminis membra dedit. Sed ista quemadmodum fabulis veterum satis conveniunt; ita quod de cantu tibiisque & cymbalis additur, longissime abhorret. Nullum enim animal præter hominem, musicæ numerorumque scientiam habere potest. Igitur si quid tale revera auditum est, quod mihi valde sit probabile, ob caussas, quæ subjungentur; id omnino aut hominibus adscribendum, aut geniis putem. *Satyri simiorum genus. Aristot. Histor. Animal. 2. 8.*

XVI. Sana Paracellus, & qui ejus deliramenta sequuntur, de Faunis, Nymphisque & Pygmæis nefaria multa tradiderunt; quomodo non solum conversari cum hominibus, sed etiam misceri connubiis, atque hinc adipisci animam humanam possint: quæ nec vera sunt; & si essent, nulla cognosci aut ratione huma- *Paracelsi de Satyris impiæ nugæ.*

na, aut experientia queant. Sunt hæ deceptorum spirituum strophæ, modis omnibus curiosam & incautam hominum naturam, in præcipitium illicere satagentium: cujus etiam farinæ fuisse censeo pleraque omnia, quæ de Faunis atque Ægipanibus exempla referuntur.

Fabula de Satyro & Antonio Eremita. Hyeron in Vit. Pauli.

XVII. Ne hoc quidem exceperim, quod *Antonio solitariæ vitæ principem Paulum quærenti homunculum aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cum caprinis pedibus occurrisse* narrant: *interrogatumque* (nam verba ipsa ponam) *respondisse; Mortalis ego sum, & unus ex accolis eremi, quos vano delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque, & Incubos vocans colit. legatione fungor gregis mei: precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus, & in universam terram exiit sonus ejus. Hæc dicentem volucri celeritate aufugisse.* Quis hæc ludibria sive astuti dæmonis, sive nugatorum hominum non deprehendat?

Nugis humanis, aut diabolico ludibrio adscribenda.

XVIII. Illum, scilicet, mortalem quisquis tandem aut cujatis fuerit, præscisse qua transiturus esset Antonius, cognosse non antea visum, eo sermone quo intelligi posset, alloquutum esse? Deinde negotium ipsum quam ineptum! legatio unius pro omnibus, qui fortasse ne simul, aut plures venirent: cura domesticarum rerum attinebantur! deinde petitio nescio stultior an scelestior CHRISTUM pro se deprecandi. quasi aut hic Satyrorum caussa naturam humanam adsumpsisset: aut illis, si ad se pertinere hoc beneficium credidissent, Antonius fuisset exspectandus; nec intra trecentos annos DEUM aut per se potuissent, aut per alios exorare.

Fabula de Sileno & Mida.

XIX. Sed ne cætera examinemus, ipse quoque tam velox discessus, non exspectato responso arguit, aut Senatui populoque Satyrorum rem istam haud sane cordi fuisse: aut stultissimum virum omnium oratorem delectum, qui tantam rem tam negligenter egerit. Ejusdem generis ille Silenus fuit (si Theopompo Chio egregio fabulatori non omnino deneganda fides est) qui Midæ Regi multa exposuit, falsa quidem omnia, sed mirabilem habentia similitudinem veri: non eam dico, quæ veritatem doceat; sed quæ aliunde cognitam possit ad fabulæ opinionem adducere. Nam duæ certe civitates sunt in mundo, de quibus multa docte pieque Augustinus scripsit: quarum altera non immerito *pugnax*, altera *pia* nominetur.

Ælian. Histor. Var. 3. 18.

Spectrum apparuisse Midæ fingit. alin. 33. Ælian. Augustin. de Civit. 8. 14. Aristot. apud Plutarch de consolatione ad Apollonium.

XX. Et quod ille *de fructibus tristitiæ lætitiaque* Midæ tradidit, videntur duarum paradisi arborum, prohibitæ nimirum & vitalis historiam, malitiosis fabularum involucris operire. Ut mihi non fiat incredibile, homini curioso & mago, qualem fuisse Midam annulus quem ei tribuit Plinius, & alia quædam arguunt, sub illa figura dæmonem talia respondisse. Nam & ipse fingebat *mediæ se naturæ inter divinam humanamque compotem*; quod genus antiquis *dæmonum* appellatione veniebat, quamquam conditionem eorum ignorantibus. Illud vero responsum, quod Midæ dedit, *non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quamprimum mori; quam est plenum diabolici mendacii, & ad desperationem adigendi efficax!*

Midas Orphei præstigiatoris discipulus. Maxim. Tyrius dissert. 30.

XXI. Sed & ipsa Sileni captura, quam narrant, magicis cærimoniis, & sacrificiorum imitationi proxima est. *Fontem* enim *medio loco situm inter Pæonas atque Medos vino diluisse* tradunt: *ut sic aquis eis uti solitus Silenus non animadversa vini fraude caperetur.* Nam & hæc inter artes est inimici spiritus, ut iis rebus teneri se posse fingat, quarum nulli hæc à Deo per naturam insita facultas

est:

est: quo magis temerarii homines erroribus & superstitione irretiti capiantur. Neque hæc aliena erunt Midæ institutis, quum esset Orphei præstigiatoris discipulus, divitiarum & Regni nihil ad se pertinentis cupitor.

XXII. Igitur nec illos sequendos arbitror, qui *Silenum*, *ut illis temporibus, naturæ & omnis antiquitatis intelligentissimum hominem fuisse* interpretantur. Nam hanc quidem expositionem omnia dicta dicendaque refutant. Quod si forte verum est (nam penes auctorem sit fides) quod *regnante Constantino visum Alexandriæ Satyrum* Hieronymus scripsit, *cujus etiam defuncti pellem Antiochiæ spectarit Imperator*; eum quidem monstrosum fuisse partum arbitror, qui potuit ex tabella picti Satyri non aliter movisse imaginatricem facultatem gravidæ; quam fuit in illis mulieribus factum, quæ secundum tabulas pictas, quæ in cubili erant locatæ, fetus aut venustate præcipuos, aut deformitate insignes ediderunt. Conon apud Photium. Satyrus Alexandriæ visus. Vossius Idolol. 1. 21. Hieronym. in vita Pauli. Camerarius Oper. sub.

XXIII. Sed ille nimirum Satyrus, neque lingua humana usus, neque tale quidquam quod suis antiqui tribuerunt, fecisse traditur. Quemadmodum *intra hos ducentos annos superiore sæculo vir ferus in sylva S. Germani prope Villingam oppidum fuisse* memoratur, *consortium hominum fugiens*, *nudoque corpore per æstatem ac hyemem*, *radicibus herbisque victitans*, *& aquam bibens ex fætidis paludibus*. Ideoque fraudes malignorum spirituum & incredibile in nostrum genus odium reputanti, vix aliud persuaderi queat; quam antiquorum illas de Satyris opiniones non temere natas, sed ex diaboli præstigiis initium habuisse. Vir ferus prope Villingam.

XXIV. Vox ipsa atque nomen ab Hebræis desumptum, si Faunum aut Panem voces, nihil aliud quam faciem, aut apparitionem spectri; sin Satyrum, occultum & in abdito latentem signat. Nam Panem Græci, Latini Faunum, Germanicæ gentes Fanum, solemni literarum istarum commutatione dixerunt: deum esse putantes, quem sic nominarent. Unde Germanis signa militaria sunt hoc nomine appellata, quod hodie quoque manet; quia sicut aliæ gentes Herculem, aliosve Deos, ita horum majores Fanum pro vexillo prætulerunt copiis suis, quod ita facile superiores se hostibus fore ratiocinabantur, si tanquam duces belli deos sequerentur. Eumdem & *Tanfanam* vocaverunt, quasi silvestrem Fanum dicerent. Fauni aut Panis nomen spectrum notat. Curtius 8. 14. 31. Tacit. Germ. 7. & idem 1. 51. 1.

XXV. Hic igitur Fanus sæpe in silvis apparebat ea forma qua pingitur, humanam speciem imitans, sed corruptam; quemadmodum corrumpi & naturam cupit; hircinam adsumens, propter petulantiam animalis, qua nullum in Venerem noscitur esse proclivius: quod & matrem, cujus adhuc uberibus alitur, stupro supervenit; & cum alias, tum præcipue tempore coitus, omnium est fœtidissimum. Quapropter immundissimo spiritui, non aliud in natura animalium visum est genus, exprimendæ suæ similitudini accommodatius. Spectra cur humanam figuram capri na miscere ament. Heresbachius de re rustic. lib. 3. Taubmannus in Plautum Mer. 5. 2. 85.

XXVI. Ergo & Ægyptiis in forma semicapri apparuit, *Mendes* ab ipsis dictus, quo nomine & animal ipsum appellabant: idemque ab his pariter atque Pana Græcis pictus est. & Herodotus quidem monstrosæ formæ caussas exponere verecundatur, quod nempe arguit, parum honestas aut deo dignas audivisse. faciem autem rubram propter ætheris similitudinem ei tribui quidam existimarunt: ego factum reor ideo, quod tali figura, & ignito vultu fuit conspectus. Et ad hunc ferme modum apparere in nocturnis sagarum orgiis dæmonem concordi propemodum confessione omnium firmatur. Herodot. 2. 46. Pan cur facie rubra pingatur. Servius ad Virgil. Eclog. 9. 27.

Satyri, loquentes, diaboli fuerunt.

XXVII. Nec mirandum fuerit, si quæ memorantur ab antiquis de satyrorum nocturnis lusibus, tripudiis, cantibus, ad simile quoddam diabolici ludi commentum referamus. Nam talia multis locis audiri feruntur: & in Lopensi eremo, quæ in ditione erat Tatarorum, quum iis locis Marcus Paulus Venetus degeret. In summa, si quod ea figura repertum sit animal monstrosum fuisse, idemque rationis ac sermonis humani expers crediderim; ubi vero loquelæ intervenit usus, spectra larvasque mali dæmonis.

Similes aliæ præstigiæ dæmonum. Tacit. 12. 13. 4. Pausan. lib. 3. Plin. 4. 12. 7. 5. Zosimus. Xiphilinus. Sigibertus. Plutarch. Sulla, cap. 51.

XXVIII. Ut ista sint ex eodem genere prodigiorum, quo apud Sambulon Parthicæ ditionis montem Herculem venari; Achillem Helenæ matrimonio junctum, Leucen incolere Tauricæ Chersonnesi insulam; eumdemque oppugnatas ab Alaricho Athenas defendisse creditum est. Quos vero ludos spectrum edidit, quod sub forma magni Alexandri cum bachabundo agmine per Asiam incessit, longoque post tempore disparvit, Heliogabalo imperante? Nec ab his abludunt, quæ de Græcis Heroibus Philostratus, de Arturo Britanni, de Valdemaro Dani, multique alii de suis quisque populi jactant.

Sulla, suos jurejurando adstringit.

XXIX. Sed omissis hoc genus præstigiis, ad Sullam unde discessimus revertamur. Is ergo contra suos adversarios transmisurus, cæteris fermè satis fidebat; hoc uno angebatur, quod trajectos in Italiam milites, ubi patrium solum adspexissent, ne desertis signis delaberentur, metuebat: aut, quod solemne civilibus bellis est, hostiliter vexarent Italiam. Cæterum hic etiam ferente fortuna usus, ultro offerentes jurejurando adstrinxit, *mansuros apud signa, neque molestos cuiquam sponte sua fore.* Quin & pecunia eum indigere rati, pro sua quisque copia conferebat. Ille mirifice delectatus tanta militum benevolentia, vocatos in concionem sic adfatus est.

Ejus Oratio ad milites.

XXX. *Si mihi prima hæc dies experiundi animos vestros esset, milites: mihi quidem plurimum gratularer, qui tales haberem copias: sed subtimerem tamen ne forte subitus ardor benevolentiæ, postquam aliquid præter opinionem offendissetis, extingueretur aut tepesceret. Nunc autem post tot omnium temporum documenta, quæ per complures annos, & ego vobis, & vos mihi dedistis; adeo fundatus atque radicatus est mutuus amor; ut mihi nihil aliud cogitandum reliqueritis quam quemadmodum vos sicut optimi omnium estis, ita beatissimos omnium efficiam.*

Gratias agit militibus.

XXXI. *Erant mea, nec enim vana hæc est gloriatio, erant, inquam, erga vos multa & magna merita mea: sed vicissim ea virtus vestra est, eaque fides, benevolentia, charitas, ut militibus meis ultro gratias agam Imperator. Quod enim certius offerre dii immortales bene gerendæ rei pignus potuerunt, quam tantam inter adversas partes nostrasque animorum dissimilitudinem; ut inde odiis, conviciis, cædibus, hic officiis & amore inter milites Imperatoremque certetur.*

Appianus, lib. 1.

XXXII. *Enimvero virtute vestra satis sum in præsentia dives: liberalitate vestra non utar, animos accipio prolubeque, quos donec mihi præstiteritis, præstabitis autem semper, nihil mihi defuturum est. Operam autem dabo, ut non modo hæc quæ adsunt laborum præmia retineatis: sed etiam longe pluribus majoribusque cumulemini.* In hanc deinde sententiam multa addidit, occasionem tam commodam tenens, animosque omnium suavi oratione permulsit. Ita fidos duci ad reliqua, & robori suo fortunæque fidentes ad quadraginta virorum millia (quinque legiones erant, & Achajæ Macedoniæque auxilia, & cujusque generis equitum sex millia) in naves imposuit.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXXV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

SULLA in Italiam cum exercitu trajecit, missisque legatis qui de pace agerent, & à Consule C. Norbano violatis, eundem Norbanum prælio vicit. Et quum L. Scipionis alterius Consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus Consulis, sollicitatus per emissos à Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio cum interimi posset, dimissus est. Cn. Pompejus Cn. F. ejus qui Asculum ceperat, conscripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat: ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per universam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

SULLANA classis apud Brundisiumne an Tarentum copias exposuerit, ambiguum diversi auctores faciunt. credi tamen potest, neutros falsa dicere, quod tanta navium multitudine (mille ducentas alii fuisse, alii quadringentis auctiorem numerum produnt) uterque portus repleri potuerit. *Brundisinis* certe, *quod prompte exceperunt venientes, concessam ab Sulla immunitatem, ad sua tempora durasse* Appianus testis est. Vicissim Plutarchus *Sullæ Tarentum appulso, statimque sacrificanti jecur apparuisse dicit coronæ figura, lemniscorumque inde dependentium*. Quum deinde per Calabriam Apuliamque, cum singulari modestia exercitus, ut non hominibus tantum oppidisque, sed etiam agris & frugibus parceretur, in Campaniam contenderet; Q. Metellus cum suis copiis in itinere ad eum venit: duoque hi Imperatores proconsulibus, honore potius quam potestate pari, res administrare cœperunt.

Sulla in Italiam trajicit. Vellejus 2. 24. Plutarch. Sulla cap. 52. Appianus. Vellejus: Appianus.

II. Legatis deinde mittendis iterum tentata spes pacis, justaque conditiones propositæ; sed violatis a Consule Norbano legatis, tantus ardor Sullanorum fuit, ut priusquam ordinari acies posset, lymphatis similes in hostem impetu incurrerent. C. Norbanus Consul cum C. Mario adolescente magnas copias inter Capuam & Casilinum Vulturno additam coloniam habebat; quo loco paulo antequam in Italiam Sulla transcenderet, duæ acies, cum horrendo fragore armorum, signorumque strepitu, per plures dies visæ concurrere, sensim è conspectu hominum in aërem elatæ evanuerant; relictis equorum hominumque

Legati Sullæ à Consule Norbano violantur. Liv. Epitom. Vellejus. Plutarch. Jul Obseq. cap. 118.

vestigiis, herbisque ac virgultis velut recens protritis.

Sulla vincit Norbanum. Plutarch. Orosius. Eutropius. Appianus.

III. Prœlio commisso neque pugna anceps, neque cæsorum utrimque numerus alius fuit, quam si hinc mulieres, inde viri constitissent. septem millia de Norbani exercitu ceciderunt; sex millia capta sunt: Sulla milites haud amplius centum viginti quatuor amisit. Victis Capua receptus fuit: victores hoc velut omine belli læti, quamquam multis partibus ampliorem esse hostium numerum sciebant, se tamen superiores futuros rebantur. idque caussæ fuisse Sulla tradidit, cur non in oppida dispergerentur, quod ille facturos timuerat.

Capitolii incendium. Eusebius lib. 4. Plutarch. Appianus. Hist 3.72. Jul. Obseq. Dionis. 4.70. Cassiod. Tacit. Cic. Verrin. 4. 31. Eusebius præparat. 4.81. Appianus. Jul. Obseq. Vellejus. Diodorus ap. Valesium. Cic. Ver. 3.18. Belli Sullani prodigia.

IV. Ergo faciles duci, quo Imperatoribus videretur, Teanum Sidicinum processerunt. Inter eundum Pontii cujusdam servus fanaticus adiit Sullam, *victoriamque se ei nunciare* dixit *Bellonæ jussu: cæterum ni maturaret, Capitolium arsurum*. idque factum est A. D. pridie Nonas Quinctiles, quem ille diem prædixerat. Ea res prodigii loco habita, quod summæ religionis templum, supra annos quadringentos accuratissima custodia servari solitum, ne origine quidem incendii cognita, unam intra noctem deflagrasset. Libros quoque Sibyllinos, quos in ea æde Tarquinius locaverat, ille ignis hausit. Æditui negligentiam alii, quidam insidias fuisse; id quoque varie, Carbonem aliis aut Consules, aliis Sullam incusantibus: magna pars flammam divinitus immissam, uti cuique mens dictaverat, cogitata pro compertis adferebant.

V. *Vestæ templum sub idem tempus ignibus correptum minime certis incendii auctoribus* traditur, *& motu terræ multa in Urbe templa corruisse* inter istius belli prodigia relatum est. additur & *mulæ partus: & mulieris nixu serpens in Hetruria apud Clusinos editus; qui jussu haruspicum in profluentem dejectus, adversa aqua nataverit*. Sed omnia hæc pro Sulla faciebant: dum adversariis aspera & fœda quælibet timentibus, hujus partes utiliore stultitia suæ victoriæ caussa deos ista omnia moliri interpretantur.

Q. Metellus auctoritatem Sullanis partibus conciliat.

VI. Ergo multis bonisque ad eamdem spem confluentibus, quotidie egregia incrementa sumebant, Metellus præcipuo suscitamento erat, quem sanctæ integræque constantiæ virum, numquam adhæsurum illi caussæ putabant, nisi justiorem esse patriæque utiliorem cognovisset. Etiam contrariæ factionis multi ad Sullam accedebant, quorum vel præcipuus P. Cethegus, qui cum Mario pulsus in exsilium fuerat, eodem se contulit; ad omnia quæ animo Sullæ collibuissent, ministerium suum offerens. Mox etiam deserto Carbone, Quæstor ejus Verres, interversa pecunia publica mutavit fidem. Lucii quoque Scipionis Consulis Quæstor M. Piso, quum sequi ius de partibus ille judicaret, neque pecuniam attigit, nec ad exercitum profectus est.

M Crassus increpatus à Sulla. Val. Maxim. 9. 7. Aliter Schog. ad Velleium 22. Plutarch. Crasso cap. 9.

VII. Cajum deinde Carbonem Cnæi fratrem, milites paulo severius exigentem priorum temporum disciplinam, facta seditione trucidarunt. Ita & adversariorum deficiebant vires, & Sullanæ copiæ in dies augebantur: dimissique passim duces haud pœnitendo successu agebant. Nobiles enim juvenes, qui frequentes ad Sullam concurrerant, ubi cujusque utilissima videbatur futura opera, ad eam destinabatur. Horum M. Crassus in Marsos ire jussus, quum ob hostes propinquos præsidium postularet; vehementi oratione Sulla, *do tibi patrem tuum*, inquit, *fratremque & amicos, quorum indigne interemptorum persequor à sceleratis pœnas* sic incitatus adolescens impigre perrupit, magnisque celeriter conscriptis copis, utilem eo bello operam præstitit.

VIII. At ipse Imperator, qui L. Scipionem cum magno exercitu in propinquo, multos alios duces validis copiis subnixos passim tendere sciret, imparem se viribus ratus, denuo ad pacis negotium adjecit animum. Quidam dolo id factum arbitrantur, non improbabili conjectura, quod Sociali Mithridaticoque bello iisdem artibus hostes circumvenerat. Sed Romani scriptores, quibus plus cæteris tribuas in patriis rebus, bona fide certoque proposito quæsitam ab eo concordiam testantur.

Sulla de pace cupit colloqui cum Scipione. Appian. Plutarch. Sulla. cap. 52. Liv. Epitom. Vellei. l. 2. 25. Cic. Philip. 12. 11.

IX. Neque recusavit Scipio, quin acceptis obsidibus, extra castra in colloquium prodiret. Terni tantum colloquuti sunt, quo magis quid utrimque dictum fuerit latet, nec in vulgus emanavit. *De auctoritate* tamen *Senatus, de suffragiis populi, & de jure civitatis* collatas esse conditiones ipso rerum indicante statu credebatur. Hoc unum constat, pactis induciis, Q. Sertorium ad Norbanum Consulem missum esse, quod Scipio collega ignorante de tantis rebus quidquam pacisci gravabatur. Sed Sertorius in eo itinere Suessam, quæ Sullæ partibus se applicaverat, occupavit. Ea de re quum Sulla quereretur, Consul incertum conscientiane violatarū induciarum, an ut in re subita consilii inops, obsides reddidit.

Sertorius Suessam occupat.

X. His rebus quum abrupta spes pacis esset, exercitus Consulis vehementer offensus, quia si convenisset, tolerabilis status civitatis sperabatur, aures corruptoribus præbuit; quum permisso colloquio, dux callidus milites ad eamdem fraudem compositos subinde ad castra Scipionis mitteret. Ii percontando *quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis augerentur*, postquam volentia acceperunt; *Sullæ benignum imperium, infinitam liberalitatem, nec Imperatorem sibi; sed patrem divina quadam sorte obtigisse* prædicabant. Rebus utrimque constitutis, ut propius suggredienti Sullæ se conjugerent: Sulla per speciem hostilia castra oppugnandi cohortes viginti admovit: sed preparatis omnium animis, castra sine vulnere introirum. tum vero universus Scipionis exercitus, quadraginta cohortes signa ad eum transtulerunt. Solus cum filio Lucio Consul in tabernaculo deprehensus est: non utique magno boni Imperatoris argumento, quem vulgata totis castris militum inclinatio fefellisset: quum præsertim esset à Q. Sertorio præmonitus.

Scipionis exercitus à Sulla corrumpitur. Cic. Philip. 13. 1. Sallust. in cert. 4. 9. 5. 21. Plutarch. Sallust. Appian. Liv. Epitom.

XI. Sulla Scipiones dimisit inviolatos: additis equitibus, qui eum quocumque vellet tuto deducerent. Atque ille ubi primum urbem amicam attigit, resumptis magistratus insignibus, iterum copias haud contemnendas comparavit. Idem Sulla beneficium multis aliis, & nominatim Q. Sertorio præstitit; qui desperatis rebus in Hispaniam, jam olim provinciam erat sortitus, se contulit, maximum paulo post incendium belli excitaturus. Fertur his auditis Carbo dixisse præsentibus, *bellum sibi cum vulpe & leone animum Sullæ inhabitantibus esse, sed cum vulpe periculosius*. At Sulla post victoriam aquas ad montem Tifata, ubi eum Norbano pugnaverat, salubritate nobiles agrumque circa Dianæ dedicavit, cujus numini sacrata illa regio erat.

Carbonis vox de Sulla. Plutarch. Sertor. cap. 8. Velleius. Appianus. Plutarch. Sulla. Diodorus. apud Valef.

XII. Inter hæc novum se in Italia sidus ostendere cœpit, Cn. Pompeius Cnæi filius, ejus qui Asculum ceperat, trium & viginti annorum adolescens; sed mox clarissima fama cuilibet senum Imperatorum conferendus. Hic in Piceno forte agebat, quum ad Sullam undique concurrere probatissimum quemque cognovit. hoc stimulo adjecit & ipse has ad partes animum, non tamen ut contemptus &

Cn. Pompeius adolescens exercitum pro Sulla comparat. Liv. Epitom. Plutarch. Pompe cap. 9. Diod. apud Valef. Val. Maxim. 5. 2. 9.

Hirtius de bello Afric. cap. 22. Plutarch.

tamquam opis egens; sed firmamentum quibus accederet partium, & cum beneficio veniret. Igitur solicitatis paterni exercitus reliquiis, quum Vindius quidam *Pompeium ex ludo subito concionatorem factum* exclamasset; tantus adolescentis favor fuit, ut à multis simul impetu facto Vindius è vestigio opprimeretur.

Et statim egregium ducem agit. Liv. Epitom. Appian. Plutarch. Diod. apud Vales.

XIII. In foro igitur Auximatium erecto tribunali, ducem partium professus, Vindiciis fratribus, qui principes civitatis, & Carbonianæ factionis erant, excedere jussis, delectum habuit. Ab hoc initio quum vicina quæque sibi adjungeret, Carbonianos ubique proturbaret, brevi in tantum auctus est, ut tres integras legiones sub signis duceret. Neque huic exercitui commeatuum, cæterarumque rerum idoneus apparatus deerat. Ipsius permagnus apud militem amor, magna apud omnes admiratio erat, qui in illa ætate nihil remissum aut juvenile, sed omnia magnis ducibus solita agitabat. nullus illi labor tædio, nulla defatigatio molestiæ erat. cibi vinique temperans, somni parcus, curæ corporis negligens, majorem dierum noctiumque partem bellicis aut operibus aut certe cogitationibus conterebat. frequenter inter milites exercens corpus, cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis lucta certabat.

Ad Sullam proficiscens. Sallust. Incert. 4. 18. Diodor. Velleius. Plutarch.

XIV. Belli quoque incerta ante experimentum ingenio & meditatione præcipiens, tantus statim dux exstitit, ut quanto tempore vix paratum exercitum alius accepisset, ipse privato consilio delectum confecerit, milites que armatos eduxerit ad pugnam. Neque latebras aut avia quibus ignoratus tutusque ad *Sullam* perveniret, sectabatur, palam incedens, quascumque inter eundum regiones attingebat, ad communem caussam adducere nitebatur. Hæc ubi Romam perlata sunt, quia supra fidem erant ætatem potius Pompeii quam indolem æstimantium, tamquam ineptis nunciis in majus aucta spernebantur. sed postea quam certiore fama innotuerunt, Senatus Junium Brutum proficisci adversus illum jussit.

In itinere Brutum vincit.

XV. Jam & Carinas & Cœlius cum suis quisque copiis eidem se diversis ex partibus objecerant. Igitur tribus hostilibus exercitibus cinctus, in Brutum summa vi convertit. Primi utrimque equites concurrerunt: nam Gallicum equitatum Brutus adduxerat. ibi provectus ante signa adolescens, insigni robore Gallum qui & ipse ex diversa àcie procurrerat, lancea dejectum interfecit. unde timor incessit hostibus, & mox fuga; suorumque in aciem impacti, peditem quoque turbatum averterunt. Sic fuso Bruti exercitu, quum inter reliquos duces orta discordia esset, alius alio castra moverunt. Pompeius oppida discessu eorum præsidiis nudata, voluntate incolarum recepit.

Diodor. Plutarch. Mox Scipionem & Carbonem. Cluver. Ital. Antiqua. 5. f. Orosius. 5. 20. Plutarch.

XVI. Mox Scipio Consul cum exercitu occurrit, non meliore quam antea contra Sullam eventu. nam milites ejus simulatque Pompeianos conspicati sunt, salutatione facta ad illos transierunt. Postrema cum Carbone lucta fuit, ad Æsim flumen multas equitum alas objiciente. Sed ille in loca iniqua detrusos, quum evadendi via non esset, cum armis equisque in deditionem accepit. Ignarus horum Sulla, qui nihil dum aliud, nisi de primis Pompei conatibus audierat, & de adolescente solicitus, ne per tot hostium exercitus perrumpere posset; in occursum ejus expeditam manum duxit. Hoc ubi Pompeio compertum, neque longe abesse Sullam, ornari signa, armari ordinarique exercitum jussit, ut Imperatoris oculis quam pulcherrimam speciem objicerent. magnos enim ab eo honores, nec immerito sperabat: spe tamen majores adsequutus est.

XVII. Nam ut eum accedere ad se Sulla, simulque tres aquilas, & egregiam sub signis juventutem, rerumque gestarum conscientia alacrem adspexit, desiliit ex equo; appellatusque, ut par erat, à Pompejo *Imperator*, vicissim *Imperatorem* illum salutavit. multum mirantibus, qui nominis hujus honorem adolescenti tributum iri minime exspectassent ab eo Sulla, qui de isto cum Scipionibus & Mariis dimicaret. Cætera quoque ad eamdem formam comitatis fuere. Pompejo venienti adsurgere de sella, caput aperire: quæ postmodum etiam Dictator privato servavit; unum omnium Pompejum hoc honore dignatus.

Igitur valde honoratur ab Sulla. Sallust. Hist. lib. 5. Plutarch. Appianus. lib. 1. Civil. Sallust.

XVIII. Sed & consilia cum eo communicabat omnia; & plurimum in ejus virtute reponebat spei. Aliquando etiam egit cum eo, *ut in Cisalpinam Galliam cum imperio proficisceretur. Est enim ibi*, ait, *Q. Metellus vir optimus, & bello non spernendus. Sed nescio quomodo segnius ibi res gerit, quam hæc tempora desiderent. Nobis maxima in celeritate spes est: nisi quamprimum vincimus, vincimur. Et hic quidem omnia prosperrime decesserunt: pacati, quotquot à tergo reliquimus, populi; tua virtute alii adjuncti: duo hostium exercitus fusi fugatique, totidem ad nos sponte concedentes, & initium victoriæ magnificum, & partem haud exiguam fecerunt.*

Qui & mittere eum cupit in Galliam cum imperio. Appianus. Val. Maxim. 5. 2. Plutarch.

XIX. *Est tamen adhuc adversariis permultum virium: neque tem re debilitentur; quamdiu Cisalpinam tenere Galliam possunt, unde illis novæ semper copiæ submittantur; etiam trans Alpes colentium adfluentibus haud paucis. Et hunc in usum digressus à me Metellus erat. sed video senescentem ejus virtutem juvenili fervore excitandam esse. Tibi viget ætas, viget gerendarum rerum cupido. nec ideo cautionis eges. animum prudentiamque tuam paucis mensibus majore documento approbasti, quam edere multi veteres Imperatores potuerunt. Abi ergo bonis avibus, & illas nobis provincias recipe. non magis illi pares tibi hostium duces erunt, quam fuerunt, quibuscum hactenus es congressus. Ego hinc facile sustinuero bellum; si & ab illa parte superiores simus, haud dubitanter è tyrannorum manibus recuperabimus Rempublicam.*

Quod ibi Q. Metellum segnius administrare respublicabat.

XX. Hæc ubi Sulla dixerat, Pompejus, quamvis in illa ætate & fortuna, modestiæ satis tenax, negavit *rectum sibi videri, senatu & dignitate majori provinciam extorqueret. Neque vero te mandante quidquam negotii defugiam. non cepissem hæc arma, certe non ita cepissem, si laboribus & periculis potuissem absterreri. Sed Q. Metellus is sane vir est, quem à me adfectum injuria videri nolim. Fortassis etiam per se res ita geret, ut fortunæ tuæ desiderioque respondeat. quod si forte in tantum impar hosti futurus est, ut sustinere eum posse diffidat: haud dubie mittet ad te litteras, & consilium rebus suis auxiliumque postulabit. Ipso porro arcessente, promptus & lubens ibo.*

Id Pompejus modeste renuit.

XXI. *Et hanc sententiam tibi quoque probari non dubito, Imperator; cui & ipsi fuisse viderer justo cupidior, si provinciam oblatam statim accepissem. Sed & nobis, qui pro legibus & Republica gerimus bellum, honestius fuerit, nihil commisisse quod illis parum congruere videatur. Neque fortassis utile sit, Q. Metellum tanta nobilitate & gratia virum offendi. nam propter illum, & si qui præterea sunt ejus similes, optimatium partes vocamur: & quemadmodum illius favor multorum tibi adjunxit animos; ita multi se læsos in uno putabunt. Præterea mortalium omnium fata dispensat DEUS. qui si forte de me aliquid in illa provincia secius decerneret: jam*

Invito Metello leuum.

omnium conviciis non mea solum temeritas, sed tuum quoque consilium vapularet.

Nobilitas Urbe relicta ad Sullam venit. Plutarch. vit. Sullæ cap. 13. Liv. Epitom. Appianus. lib. 1. Civil.

XXII. Ita res dilata est, donec eam in sententiam paulo post ab ipso Metello literæ venerunt. Inter hæc propemodum tota nobilitas Urbe relicta in castra Sullana venerat: robur simul partibus, simul speciem ac decus adferens. Neque tamen ex diverso leve momentum in consensu Consulum erat; & ad summi imperii nomen ex omni Italia, & circumpadana Gallia ingentes copiæ confluebant: quibus ferme apparatibus utrimque quod reliquum æstatis erat, consumptum est: ita tamen ut nec ab expeditionibus cessaretur. partium ducibus hinc inde, ut cuique occasio adesse videbatur, omnia tentantibus.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXXVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



CUM C. Marius, C. Marii filius Consul ante annos viginti per vim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelitatem & avaritiam in prætorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Sullæ Sardiniam, Qu. Antonio Prætore pulso & occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus civitatem, & suffragii jus nuper datum, fœdus percussit. idemque ex fiducia jam certæ victoriæ, litigatores à quibus adibatur, vadimonia Romam differre jussit; quum à parte diversa urbs adhuc teneretur. L. Damasippus Prætor, ex voluntate C. Marii Consulis, quum Senatum contraxisset, omnem quæ in Urbe erat, nobilitatem trucidavit. ex cujus quidem numero Q. Mucius Scævola Pontifex maximus fugiens, in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum à L. Murena adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.

Von. Urb. Condit. 671. C. Marii mater immaturum honorem filii deflet: Fasti Capitol. Liv. Epitom. Auct. de Vir. Ill. cap. 68. Vellejus. 2. 26. Appianus.

I. ANNO sequente C. Marius C. F. C. N. ante ætatem per vim creatus Consul, collega Cn. Carbone honorem iniit: quem ut immaturum periculoque plenum Marii mater acerbe flevisse dicitur. Is adolescens C. Marii fratre genitus, à patruo adoptatus, quo ætatis anno Consulatum ceperit, scriptores differentiunt: quinque, aut sex, aut septem annis vicesimum egressus apud diversos reperitur, sed ut Livianis reliquiis adhæream, quæ minorem annis viginti faciunt, ea quoque ratione adducor, quod nihil ab eo ante hæc tempora gestum traditur, quum ejus rei, si adfuisset ætas, occasiones multas fuisset habiturus: quodque C. Marius senex *ideo se bellum Mithridaticum appetere, quo se potissimum magistro filius militiæ rudimenta poneret*, jactaverat.

II. Acris

II. Acris eo anno hiems, quum impedimento rebus gerendis esset; eo intentius cogendis ad bellum pecuniis Consules incumbebant. Et ne militibus stipendia deessent; festinantibus in summa inopia Patribus; Senatusconsultum, quale tum potuit, factum est, *ut aurea atque argentea templorum ornamenta conflarentur.* Principio veris ad Æsin fluvium, Galliæ tum Italiæque terminum, Q. Pius cum legato Carbonis Carinate signis collatis dimicavit. Ab orta luce ad meridiem summa utrimque contentione pugnatum quum esset, Carboniana acies loco cessit, multis ex suo numero desideratis.

Templorum ornamenta conflantur. Appianus. Val. Max. 6. 7. 4. Salust. Incert. 2. 2. Strab. lib. 5. Orosius. 5. 20.

III. Idcirco vicinis ad Metellum deficientibus, Consul Carbo ingentibus copiis adfuit, tam prope collatis castris, ut viribus superior obsessum tenere hostem videretur. In Africa deinde res turbatæ, Prætorque C. Fabius Hadrianus propter avaritiam ac credulitatem in cives Romanos, qui Uticæ commorabantur, in prætorio suo vivus exustus est. Quippe *homo nequissimus Regnum Africæ adfectare, coactaque servorum manu de principum nece conspirasse* dicebatur. Nulla postmodum de hac re quæstio fuit: non solum ob tempora Reipublicæ; sed quia justam fuisse ultionem consensu Senatus & omnium credebatur.

C. Fabius Hadrianus in prætorio suo vivus exuritur. Liv. Epitom. Cic. Verr. 5. 36. & 27. Val. Maxim. 9. 10. 2. Orosius Pedian. in Verrin. 3 Appian.

IV. In Sardinia quoque civilia arma se commoverant, vincentibus & ibi Sullanis: & à Legato Sullæ L. Philippo provincia, Q. Antonio Prætore pulso & occiso, occupata est. His partium successibus quum nihil magis obsistere quam metus Italicorum populorum videretur, ne Sulla rerum potito jus civitatis & suffragiorum recens acceptum amitterent: Sulla missis quos apud unamquamque civitatem valere gratia & auctoritate noverat, fœdus cum iis percussit. tanta jam fortunæ suæ fiducia, ut à quibus aditus fuerat, litigatores Romam differre Vadimonium juberet, quamquam Urbs adhuc adversæ factionis armis tenebatur.

Sullæ fiducia.

Marius per Damasippum principes multos tollit. Plutarch. Mario. cap. 80. Liv. Epitom. Florus. 3. 21. Orosius. Val. Maxim. 9. 2. 3. Appianus. Vellejus 2. 26. 2. Cic. Famil. 9. 21. Plutarch. Pompejo cap. 25. Liv. Epitom. Diod. apud Vales.

V. Quibus rebus quum exulceratus C. Marii Consulis animus esset, adolescens paternæ sævitiæ, scripsit ad L. Brutum Damasippum, *ut Sullanæ factionis principes trucidaret*: velut imminente jam fato in antecessum ultionem rapiens. Ille convocatos in Senatum quasi de Republica consulturus (Præturam enim Urbanam gerebat) C. Carbonem cognomento Arvinam, virum Prætorium, Consulis fratrem patruelem, & P. Antistium socerum Cn. Pompeii in Curia Hostilia trucidavit. L. Domitius fugiens circa fores interemptus est. Q. Mucius Scævola Pontifex maximus, vir laudatissimæ vitæ, ad vestibulum Vestæ confugerat: sed ad aras occisus sanguine suo simulachrum respersit: ut inane numen, & in tanta infamia pudoris expers, eruore saltem indefensi clientis erubesceret.

VI. A suis quidem cultoribus ita contemptum est, ut per eos minime steterit, quo minus in ipsis penetralibus mactatus, sempiternum illum horrendæ religionis ignem sanguine suo restingueret. Neque satiatus cædibus Prætor, ni ludibrium etiam crudelitati adjecisset; truncum Carbonis corpus patibulo adfixum, circumgestari jussit: cæterorum quoque corpora per carnificem unco tracta, atque in amnem abjecta sunt. Uxor Antistii Calpurnia Bestiæ filia, quum de casu mariti cognovisset, gladio semetipsam interemit. Dum ad hunc modum Italia, cæteraque Europæ bellorum violentia inhorrescunt, Asiam denuo Mithridate irritato L. Murena concussit.

Florus. Cic. de Orat. 3. 3. Lucan 2. 126. Calpurnia occiso marito sibi consciscit necem. Val. ex. Orosius. Appianus. Vellejus. Plutarch. Liv. Epitom.

VII. Is relictus à Sulla cum Fimbrianis legionibus, ut Asiam ordinaret, triumphi cupiditate, belli novandi caussas circumspiciebat. Mithridates in patrium

Mithridates filium interficit.

Regnum reversus, bellum Colchis atque Bosporanis faciebat, qui Romani belli tempore ab imperio ejus defecerant. Colchi Mithridatem filium Regis, cum cujus adversus Fimbriam præclara tametsi infelix opera fuerat, Regem deposcebant: votique compotes facti statim arma deposuerant. Ergo Mithridates ingenio & peritia rerum suspicax, filii profecto astutia rebellionem eam cœptam arbitratus, quo sibi Regnum Colchorum extorqueret, ad se comiter vocatum compedibus aureis vinxit; & paulo post interfecit: minime recenti humanarum mentium fluctuatione, ut nunc liberorum caussa quærant Regna, nunc Regnorum caussa occidant liberos.

Archelaus ad Murenam perfugit. Orosius. 6. a. Appianus. Mithrid.

VIII. In Bosporanos deinde adeo magnam copiarum naviumque collegit multitudinem: ut plerique contra Romanos magis hæc omnia parata interpretarentur, quam quos ille volebat invasurus videri. Suspiciones horum haud parum movere credebatur, quod Mithridates Ariobarzani Cappadociam ita restituerat, ut tamen loca aliquot opportuna tum quoque retineret. In hac ægritudine animorum, quum ad Murenam Archelaus cum uxore & liberis perfugisset; adeo magnum ad omnia momentum attulit, ut jam nemo, quin suscipiendum esset bellum, dubitaret. In magna illum invidia, jam a tempore Chæronensis pugnæ fuisse, supra ostendimus: neque eximi Regi poterat, æquioribus condicionibus transigi potuisse, si magis ad suam gratiam, quam Romanam Archelaus respexisset.

Eumque ad bellum incitat.

IX. Igitur ille non ignarus, suspicacem Regis animum ne liberis quidem parcere; fuga salutem adeptus, etiam vindicari volebat. Quoque magis moveret Murenam, sponte sua satis in hanc sententiam proclivem nactus: *Hæc*, inquit, *Regum fides est, Murena! quanto quisque pluribus modis gratiam eorum meruit; tanto plerumque est suspectior. Amicos uti non charitate, sed ex usibus suis deligunt; ita simul eorum ruinam rebus suis utilem esse crediderunt (vere an falso in eam inciderint opinionem, nil refert) quo minus crudelissimis exemplis eos pessumdent, nullo adfectu retinentur.*

Ducum Regiorum ancipitem statum exaggerat.

X. *Sed præ cæteris eorum anceps & lubrica est statio, qui magis exercitibus præstituntur. Quippe sive feliciter ipsis res cedit, invidia; sive improspere, suspicionibus onerantur: neque dicere queas, utrum sit apud hæc ingenia periculosius, quæ vincere duces suos volunt, vicisse indignantur. Ego fortunam utramque ductor copiarum Mithridatis expertus, non aliud pro meis meorumque factis, vulneribus, quorumdam & mortibus, præmium exspectare debui, quam ut imperio tyranni occiderer, pro magno habiturus beneficio, si solus hoc paterer, neque liberi mei uxorque una morerentur. Hæc & alia, quæ non ignoras, vel me tacente satis indicant, quo animo & erga illum esse debeam, cujus haud sane meritam crudelitatem fugio; & adversus vos, qui paulo ante hostem, nunc supplicem vestrum, benignissime suscepistis.*

Operam suam pollicetur.

XI. *Ut igitur utriusque gratiam quam debeo referam; confirmo tibi, haudquaquam vanus auctor, Mithridatem certo certius rebellaturum. Sed ut potius vestro, quam illius tempore incipiatur bellum interest; nondum ita paratus est, quin occupari possit. In eo maximum ad victoriam momentum esse nosti. Neque ego tam parum amicitiis ac clientelis valeo, ut non insignem tum in consiliis hostium indagandis, tum in recipiendis populis, operam navare possim.* Hæc non

Memnon. Appianus. Strab. lib. 12.

postrema festinandi belli ratio, quum ad priorem cupiditatem accessisset; haud difficulter motus est Murena, ut exercitu contracto Cappadociam ingrederetur.

XII. Ante omnia reddita sunt Ariobarzani, quæ ad Regnum ejus pertinentia Mithridates retinebat. Comanam deinde irrupit, maximam iis regionibus Pontici juris urbem, ubi magnæ religionis opulentiæque templum visebatur. In ejus urbis præsidio Rex Mithridates aliquot equitum alas collocaverat. quas ubi concisas à Romanis esse cognovit, legatis ad Murenam missis, pacta cum L. Sulla inita servari postulabat. Forte Græcos quosdam sapientiæ studium professos magis quam præstantes Mithridates legaverat. hi sive gentis odio, sive mores Regis perosi, contra mandatum & utilitatem ejus à quo veniebant, bellum potius Murenæ, quam pacem suadebant. Legatorum Mithridatis perfidia.

XIII. Igitur quia Sulla contentus fidem factis repræsentaret, tabulas fœderis conscribere neglexerat; negabat *pacta se videre, ad quæ Mithridates provocaret*. Hoc responso legatis reddito, statim prædatum dimisit suos, neque profanis, neque sacris abstinens manus: deinde quia jam tempus anni rebus gerendis ineptum erat, hibernandi caussa in Cappadocia subsistit. De his Mithridates tum ad Sullam missis, tum ad Senatum legatis querebatur: *Omnia se fecisse, dedisse, quæ ex formula fœderis & fide bona fieri, dari oportuisset: Romanis Asiam, Regibus Cappadociam, Bithyniam, Paphlagoniam restituisse: recessisse intra patrii Regni limites, longissimeque remotum à consilio simul & occasione Romani belli diversissimis locis adversus Colchos atque Bosporanos dimicasse. quum nulla provocatus injuria L. Murena, quem L. Sulla cum imperio in Asia reliquisset, irruptionem in fines suos fecerit: urbes expugnarit; præsidia Regia ejecerit aut occiderit: & quamlibet occurrente nemine, divina simul ac humana latrocinio ac rapinis vexaverit.* Mithridatis legatio ad Sullam & Senatum. Appianus.

XIV. *Nec hunc injuriarum finem facere constituisse, in Cappadociæ hibernis exercitum tenentem, ut quamprimum tempus anni pateretur, redintegrare bellum posset. Magnopere igitur postulare, Senatus datam sibi pacem præstet: Murenam revocet: res reddere, bellum omittere, injuriis abstinere jubeat. Se nec antea lubenter arma contra Romanos induisse, & nunc passurum omnia potius, quam ut hos iterum hostes habeat. Providendum tamen Patribus, ne talibus factis ea invalescat apud Reges & nationes opinio: parum interesse, socii an vero hostes populi Romani habeantur. Nam cupiditate ducum, licentia militum, sublato quod interesse debuisset discrimine, pari violentia & acerbitate omnes tractari.* Questum de injuriis Murenæ.

XV. Similia quoque mandata ad Sullam dederat; adjunctis quæ singulariter illum attingebant, *qui pacis ejus auctor, magna à Rege ad bellum accepisset auxilia, majora exspectare posset.* Hæc erant superiore anno facta. Cajo vero Mario, Cn. Carbone Consulibus, quum nondum reversi Roma legati essent, Murena transito Haly fluvio, qui & alias copiosus aquis, tum continuis imbribus supra solitum intumuerat, fines Mithridatis libera populatione persultavit; Rege nusquam occurrente, ne bello caussam dedisse argueretur. Sic Romanus in Phrygiam Gallogræciamque onustus præda recessit. Ibi convenit eum missus ab Senatu Callidius, qui literas quidem nullas adferebat; palam autem Murenæ nunciavit Senatus verbis, *Regem socium amicumque ne lacesseret*. Murena denuo populatur fines Mithridatis. Appianus.

XVI. Deinde quia cum solo colloqui conspectus erat, neque Murena ideo minus hostilia faciebat; *dolum Romanorum* incusans Mithridates *Gordium occurrere, &* Sed à Rege profligatur.

prædatores coërcere jussit. Ille quum & milites multos & jumenta comprehendi fecisset, abductis illis, castra castris Murenæ sic opposuit, ut interfluente amne dirimerentur. Neuter tamen pugnæ tentare fortunam voluit: donec ipse Mithridates cum majoribus copiis supervenit. Tum cœpto circum amnem prœlio, quum rebus omnibus impar Murena esset, transcenderunt amnem Regii, Romanosque multis cæsis, in collem quemdam munitum, se recipere coëgerunt.

Mithridates victor sacrificat.

XVII. Mox Rege ad oppugnandum collem profecto, quum locus ad resistendum parum aptus videretur, desertus à Murena est, magnoque labore, Regiis subinde carpentibus agmen, per montes aviis itineribus in Phrygiam penetratum. Celeriter vulgata tam insperatæ victoriæ fama multos adjunxit Mithridati: brevique omnia, quæ per Cappadociam dux Romanus disposuerat, præsidia dejecta sunt. Mithridates ut bonis suis rebus honorem diis haberet, in alto monte sacrificium Jovi bellorum præsidi patrio more fecit.

Ejus sacrificii ritus Persicus. Strab. lib. 15. Herodot. l. 31. Appianus in Mithridat.

XVIII. Ejus hæc fuisse ratio traditur. Primus ipse Rex in summo montis cacumine more Persico, ligna suis manibus allata deponit. tum certatim ab aliis adgesta, postquam in quam maximum fastigium excreverunt, aliâ circum humiliori strue firmantur. In summo rogo cum melle & lacte vinum oleumque & generis omnis odores largiter adfunduntur, altera pyra, quam humiliorem strui diximus, cœnam præsentibus paratam sustinet, qua peracta, ignis subditur: Inde propter copiam materiæ, locique altitudinem tantum flammarum emicat, ut ad centum & triginta millia passuum incendium conspiciatur: neque propter ardoris violentiam quisquam eo accedere per dies aliquot proximos possit.

Unde & Mithridatis genus Strab. lib. 12. Polyb. 4. 56. Memnon. Diodor. 20. 112. Appianus.

XIX. Id sacrum Persarum olim Reges faciebant Pasargadis. inde transiit ad Ponticos velut hæreditario jure, quod ii genere Persarum Regum erant editi. Nec alienum est, quo Mithridatis nobilitas & pars majorum cognoscatur, brevem gentis ejus recensionem subnectere. Mithridatis, qui tam diu bellavit cum Romanis, eodem nomine pater fuit, Evergentes cognomento; de quo suis locis quædam memoravimus. Ante hunc regnavit Pharnaces, Sinopensium domitor, quos contra patrem ejus Mithridatem Rhodii defenderant.

Mithridatis Ctistæ historia.

XX. At Ariobarzanes Amastrin adjunxit Regno, nobilem urbem; patris Mithridatis opibus validus, qui Cappadociam & Paphlagoniam annis sex & triginta obtinuerat, valde auctis paterni Regni viribus. Pater enim ejus Mithridates angustius imperavit, prævalente Macedonum potentia. Nam Antigonum sectari necessum habuit, ex Alexandri Magni duce potentissimum Asiæ Regem: à quo etiam fuisset occisus, nisi fuga servasset salutem. Somniaverat Antigonus (res enim est non indigna relatu) se agrum auro conserere: Mithridatem vero demessum aurum asportare in Pontum.

Initia Regni Pontici. Plutarch. Demetrio cap. 5. Appian. Strabo. Plutarch. Lucian. in Macrob. Diodor. 15. 90. Laert. in Platon. Florus. 3. 5.

XXI. Laborat hoc etiam insaniæ genere humanum ingenium, ut & prædictionum harum ratam esse fidem putet; & nihilo secius pugnare cum fato conetur. Igitur Antigonus tollendum de medio Mithridatem ratus, rem totam Demetrio aperuit, filio suo. Atque ille misertus sodalis & amici, non equidem voce monuit, ne jusjurandum patri datum falleret, sed illo inspiciente in arena depinxit hastili duo verba, fugere jubens Mithridatem. Atque ille cum sex equitibus profugit, occupatoque castello, cui nomen erat Ciniata, fundamentum jecit ejus Regni, quod in octavâ demum successione Romanis armis subjugatum est.

XXII. Igitur & conditoris cognomento celebratur; quod ipse primum sui juris Regnum iis locis orsus est; quibus ante Ariobarzanes Phrygiæ Satrapa & Rhodobatæ filius Mithridates, qui Platonis imaginem dedicavit Musis, precario pro Regum Persicorum purpuratis Præfectisque præfuerant. Nam à septem Persis oriundi, datam à Dario Rege majoribus suis ad Euxinum Pontum Satrapiam, perpetua successione tradiderant posteris. Quorum omnium potentissimus Mithridates, quum & majorum antiquissimam gloriam, & tum amissas nuper, tum superstites adhuc opes animo reputaret; non satis fractus uno bello, Romani populi vastum imperium iterato sumptis armis oppugnare audebat. Quod prius fuit Satrapia Persica.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri LXXXVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

SULLA C. Marium, exercitu ejus fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Pranesle obsedit: urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere tentantem repulit. Praterea res à legatis ejus, eadem ubique fortuna partium gestas, continet.

SUB idem tempus L. Sulla ducto in Volscos exercitu Setiam oppidum cepit: non procul inde castra habente C. Mario. qui audita deditione oppidi, quum prope Signiam ad Sacriportum (id loco nomen) cum quinque & octoginta cohortibus venisset; insequutum Sullam ad pugnam provocavit. Proxima nocte visus Sullæ per quietem C. Marius senior fuerat, præcipiens filio, monensque vitaret illum diem, minacem & consiliis suis adversum. Id somnium valde confirmavit Sullam, ut eo potissimum die dimicare optaret. Idcirco missis qui Dolabellam arcesserent (is cum parte copiarum procul castra erat metatus) quadrata acie iter versus hostem facere instituit. Appianus. Plutarch. Sulla. cap. 55. Liv. Epitom. C. Marius L. Sullam ad pugnam provocat.

II. Nec omittebant Mariani locis opportunis offerre sese; & alibi saxa aut cespitem obmoliendo vias claudere, nonnumquam variis locis ex occasione conferere manus: donec ita defatigati pugnando simul eundoque Sullani sunt, præsertim quia molestus imber accesserat, ut præ lassitudine vix consistere possent. Id Imperatori nunciatum à tribunis est, simulque milites ostensi, scutis humi defixis sese sustinentes. Fremens ille frendensque tempus, quod sibi felicissimum ad pugnam futurum existimaverat, ita perire, signum consistendi castrisque ponendis dedit. Ejusque cōpias varie vexat.

Prælium ad Sacriportum. III. Cæterum quemadmodum paulo ante certam ejus spem lassitudo militum destituerat, ita tum depositam hostium ferocia reddidit. Marius cum equitibus ferociter invectus (fessos enim atque operi intentos fundi posse speraverat) hac ignominiæ specie sic accendit veteranum exercitum vincique insolentem, ut omisso opere pilisque in margine fossæ defixis, gladios stringerent. Hoc initium acerrimi prœlii fuit: collatisque signis aliquamdiu pari contentione animorum dimicatum. donec inclinante sinistro Marii cornu, priusquam aperta fuga fieret, quinque cohortes cum duabus aliis signa projecerunt, & simul transierunt ad hostem.

Orosius. 5. 20. Appian.

Marius Præneste fugit. Lucan. 2. 134. Plutarch. Auct. de Vir. Illust. cap. 68. Vellei. 2. 26. Appian.

IV. Ea res cæteros in confessam fugam egit, & insequentibus alacriter, qui paulo recentiores erant, Sullanis, magna fugientium strages est edita. Fenestella cum quibusdam aliis scriptoribus *interfuisse prœlio C. Marium* negant. *sed vigiliis laboribusque confectum, signo pugnæ dato, sub dio quievisse, & fugiente jam exercitu, vix potuisse excitari.* Fuga reliquias exercitus Præneste abstulit, quod natura munitum oppidum, Marius etiam præsidiis firmaverat. Sed tanta fuit trepidatio, ut intromissis qui primi accurrerant, deinde metu ne una hostes irrumperent, Prænestini clauderent portas: factumque est, ut Marius tum demum superveniens fune demisso in murum subduceretur.

Carbo vincitur à Pompejo & Metello. Plutarch. Appianus.

V. Cæteri plerique omnes in conspectu suorum cæsi captive sunt. Sulla *viginti millia hostium eo prœlio cecidisse, capta fuisse octo* scripsit; *suorum tres tantum & viginti desideratos.* Samnites quotquot in manus venerant, occidi omnes, tamquam perpetuos hostes nominis Romani, Sulla imperavit. Hujus pugnæ fama Carbonem, à quo Metellus graviter premebatur, sic exterruit, ut protinus ex locis, quæ ceperat, præsidia deduceret, & cum exercitu Ariminum properaret. Sed forte fortuna accidit, ut per idem tempus Metello opem ferens Pompejus adventaret: qui discessu hostis cognito, castra ejus occupavit; tergisque abeuntium inhærens, multis occisis, multis ad deditionem pellectis, magna illum exercitus parte spoliavit.

Orosius. Appianus.

Pompejus Senas diripit. Frontin. 3. 9. 3.

VI. Et Metellus alium Carbonis exercitum signis collatis cecidit, facili victoria, quia tum quoque inter pugnandum quinque cohortes hostium ad illum defecerant. Neque multo post Pompejus circa Senas devicit Marcium, & ut præmium laboris strenue navati haberent, urbem captam à militibus diripi passus est. Sed non sicut indulgens in benemeritos, sic etiam insolentibus lenis aut propitius fuit. Mediolani trucidatus injussu suo Senatus fuerat: eaque culpa ad multos pertinebat. Pompejus igitur, ne tumultum moverent, si soli evocarentur, veritus, universum exercitum adesse in concionem jussit.

Ejus Strategema. Appianus. Strab. lib. 5.

VII. Sic nocentes quia cum omnibus acciti erant, aliud quid velle Imperatorem rati, adfuerunt; & cætera pars exercitus, quæ pura ab illo crimine erat, postquam intellecta res est, tanto diligentiorem in custodiendis reis præstiterunt operam, ne illorum fuga sibi tamquam consciis ejusdem noxæ imputaretur. Interim L. Sulla compulsum intra Prænestinorum mœnia Marium, circumvallare cœperat, quia propter loci naturam expugnari armis nequibat. Nam supra urbem mons excelsus in altitudinem amplius passuum ducentorum quinquaginta consurgebat: hæc arx erat civitatis, & ab diversa parte continentibus jugis angusta cervice jungebatur.

VIII. Igitur fossam vallumque è longinquo duci jussit: operique Lucretium Ofellam præfecit, Equitem Romanum, qui nuper è Carbonianis partibus ad se transfugerat. Id consilium à quibusdam repræhensum est, non improbabiliter quærentibus, *cur è tot egregiis quos circa se habebat viris neminem, sed obscurum & ignobilem hominem ad tanta rei ministerium delegisset. certe fœdissimi propositi conscium humiles potius, & servituti paratos extollere voluisse: à bonis viris haud æque promptum ad turpia obsequium exspectantem.*

Sulla Prænestinæ obsidioni Lucretium præficiens. Appianus. Liv. Epitome. Velleius a 27. Diod apud Vales.

IX. *Illa quoque caussa subesse* putabatur, *ne præstantes virtute ac nobilitate homines consiliorum gestorumque laudem ad se retraherent; Republicaque restituta pari cum illo jure censeri æquum putarent.* Viles ergo malebat, qui modicis præmiis contenti, famam potentiamque solidam ad Imperatorem transmitterent. Sed paulo ante, quum adversariorum apparatibus omnis Italia streperet, & ingentes passim exercitus contra se ducibus minime contemnendis concitarentur; optimum quemque honestissimumque maximo studio ambiverat, eorumque opera gratanter erat usus.

Vituperatur.

X. O gravem vitæ pestiferamque luem quæ vinculum humanæ societatis solvit, maximumque rerum gerendarum instrumentum obtundit ac hebetat! Quem enim omnium fidum nobis, nostræque utilitatis caussa omnia facturum sperare possumus; si hæc pessima consuetudo inolevit, ut quos ob spem præstandæ operæ charos habuimus, post præstitam spernamus? Cæterum Sulla rebus ad Præneste constitutis Romam petens, omnibus viis globos militum præmittebat, præcipiens, ut exclusi mœnibus Hostiam concederent: recepti ad portas præsidii caussa remanerent. Sed illis non quæ in via modo erant urbes, sed ipsa Roma statim patuit: fame urgente populum, & jam inter tot civilium bellorum vicissitudinem adsuetis hominibus potentiori accedere.

Sullani Romæ recipiuntur. Liv. Epitom. Appianus.

XI. Sulla, quum ex sententia rem procedere comperisset, nihil contatus ad Urbem venit, & copiis in Campo jussis tendere, ingressus, bona inimicorum, qui sub adventum ejus omnes profugerant, sub hasta vendidit. Advocato deinde in concionem populo, *necessitatem præsentem*, miseratus, *quod iterum armatus adire Urbem cogeretur, quam contra omnem vim atque omne periculum, armis suis semper studuisset defendere; improbitatem atque pervicaciam adversariorum*, incusavit, *qui neque secunda fortuna quiescere, neque adversa pœnitere didicissent.*

Sulla concio.

XII. *Sibi semper certum fixumque fuisse, in honorem communis patriæ, acerbissimis adversariis parcere. Hujus animi se non suos tantum duces legatosque, sed ipsum populum Romanum habere testem, cui lenitatem suam semoer approbarit, quamdiu suo se ingenio uti perversitas inimicorum siv sset. Sed ubi viderit eosdem illos, quorum injurias patria condonasset, suam mansuetudinem pro ignavia accipere, atque velut impune quidlibet ausuros, ipsi patriæque eamdem perniciem meditari; vim atque temeritatem improborum virtute ac constantia repulsurum, scelestis atque nefariis armis justa ac pia opposuisse.*

Lenitatem suam prædicat.

XIII. *Adfuisse etiam caussæ meliori deos, adfuturosque. Considerent igitur Quirites, & quemadmodum temperando à bonis innocentium, quæ diripienda ipsis pravi homines objecissent, insigne edidissent benevolentiæ sua in has partes documentum, ita nihil à se aliud, quam quæ ipsis essent optatissima exspectarent, paulo*

Pacem & bonum Reipublicæ statum pollicetur.

Bellum civile Sullanum.

post sublatis discordiis, pacem, & qualem desiderarent Reipublicæ statum, visuri. Hæc ita uti dicta erant, à plerisque accipiebantur; at quibus reputatio temporum, & quæ paulo ante viderant, acrius exercebant ingenia, rem esse periculi plenissimam autumabant.

Id prudentes non credunt.

XIV. *Etiam melioribus sæculis, quum nondum quotidianis rebus accenseri bella civilia, & in Urbe, in foro, in Curia pugnæ cædesque possent; sæpe discordiam partium ad sanguinem necemque imbecilliorum pervenisse. Sullam, tametsi mirifice adhuc lenitatem præferat, ita tamen irritatum ab adversariis esse, ut ab ipsa Modestia vix possit postulari, in tanta vindictæ & caussa & occasione, incruenta Reipublicæ conversio. neque illum ingenio abhorrere à sævitia, sed tempori dedisse, ne præmature effervesceret: ne sic quidem temperare potuisse, quin evidentia nonnulla crudelis animi argumenta erumperent.*

Priora Sullæ facta æstimantes.

XV. *Priore sane bello, quum servatus à Mario ad legiones jam alii decretas redisset; vi ac armis omnium rerum arbitrium arripuisse: Urbem occupasse: multisque ipso connivente, interdum & jubente occisis, coëgisse Senatum, ut complures egregios viros facultatibus suis exutos, patriæ adspectu privatos, hostes judicaret. Sed nec ambitionem ejus minus, quam iracundiam metuendam esse. Cupiditate bonorum & dominationis multos ingenio mites eo se præcipitare, unde sine suo aut aliorum exitio eniti nequeant. Jam vero ita comparatum in rebus humanis, ut sine ulla contatione alios quisque pro se, quam se pro aliis perire malit.*

Et ingenium civilis victoriæ.

XVI. *Non posse exsistere clementem animum in civili victoria: iras, odia, offensas, quamquam mitissimos mores exacerbare. accedere licentiam summæ potentiæ: & interdum vel à nolentibus aliquid durius fieri, ut admoneantur homines, quantum victoribus liceat, si velint. multa quoque contra voluntatem facere cogi, ut satisfaciant adjutoribus victoriæ. horum inexplebilem avaritiam, nullis umquam opibus exsatiari posse; sed ad has parandas opus esse crudelitate. nam & adimi bona innocentibus invidiosissimum esse; & injustissimos etiam, quum facere scelesta nihil pensi habeant, probos tamen videri malle. nihil ergo reliquum, quam ut quibus eripere facultates constituerint, eis prius adimant vitam, quo tamquam sontes punivisse credantur.*

Sulla contra Carbonem movet.
Appianus, lib. 1. civil.

XVII. Cæterum Sulla, non diutius Romæ moratus, quam ut curatis instantibus, amicorum quosdam Urbanis rebus præficeret; inde contento cursu Hetruriam petiit: quod apud Clusium Carbo Consul florentes copias; ipsum partium robur contraxerat. Accesserant Celtiberorum alæ, quas nuper Hispaniarum Prætores Consulibus auxilio miserant. cum his præcursores Sullæ contracto ad Clanim fluvium equestri prœlio, circiter quinquaginta occiderunt: ducentos septuaginta non captos, sed sponte transgressos, deduxerunt ad Imperatorem. Carbo re cognita infensus Celtiberis, & parem reliquorum perfidiam metuens, circumdatos valida manu omnes trucidavit. Eodem tempore Sulla cum alia parte copiarum in agro Caletrano circa Saturniam coloniam oppositos sibi hostes vicit: & Metellus Ravennam navigans, Uritanum agrum planum & frumenti feracem in potestatem redegit.

Livius 39.
Appianus.

Prœlio ancipiti dimicat:

XVIII. Aliæ quoque Sullanæ copiæ in Neapolitanorum oppidum noctu proditorum opera recepti, promiscua cæde compleverunt omnia, triremesque civita-

tis

tis abduxerunt. Etiam, ut ubique eadem partium fortuna esset, in Spoletinis campis Pompejus Crassusque Carbonianorum tria millia conciderunt, Carinatisque castra circumsederunt. Inter hæc Sulla Carboque capita factionum apud Clusium ab oriente die ad occidentem commisso prœlio, neutro inclinante victoria, tenebrarum superventu dirempti sunt. Carbo deinde copias magnas ad eximendum obsidione Carinatem misit: quibus insidiæ à Sulla positæ, & ad duo millia interempti sunt. Carinas fœdam tenebris & pluvia noctem nactus, ex locis iniquis exercitum ad tutiora deduxit: magis dissimulantibus, quam ignaris hostibus, quod inter cæca tenebrarum & tempestatis ad prœlii laborem aleamque prodire pigebat. Liv. Epitom. Appianus.

XIX. Post hæc Carbo ad liberandum Præneste, ubi collegam fame premi compererat, Marcium eum octo legionibus misit. Eas angustis locis insidiæ Pompeii quum excepissent, fuga stragesque facta est, & in tumulum quemdam, quod evaserat, rejectum. Marcius, non exstinctis ignibus, ne consilium proderetur, ad Carbonem, ut re desperata refugiebat: sed prodita re, seditiosis militum vocibus agitatus, auctorque insidiarum quas essent passi appellatus est. Eoque tandem irarum ventum, ut convulsis signis pars Ariminum peteret; alii passim domos dilaberentur: neque ad summam plus septem cohortibus apud ducem permanerent. Irrita Marcii expeditio M. Lamponium, Pontium Telesinum, Guttam Capuanum Italicos duces accendit, ut eo promptius ad auxilium Marii concurrerent. Marcius obsidionem Prænestinam solvere conatus, frustra.

XX. Neque spernendæ his vires, septuaginta millia armatorum, erant. Sed ubi hos adventare Sulla cognovit, quibus locis maxime arcta sunt itinera, & necessario transeundum hostibus erat; castrametatus, frustra quærentes aditum, exclusit. Proinde Marius, nullam nisi in se ipso spem reliquam videns, inter oppidum & opera Sullæ (spatium enim satis magnum intererat) castellum exstruxit, machinisque & copiis ibi collocatis, eruptionem tentavit. Sed quum per complures dies nequidquam se fatigasset, accurrente Sulla, intra Præneste repulsus est. Similiter & Italici duces. Plutarch. Sulla cap. 37. Appian. Liv. Epitom. Appian.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXXVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



ULLA Carbonem, exercitu ejus fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque cæso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli Italicorum populorum nondum arma posuerant, juxta urbem Romam ante portam Collinam debellavit: recuperataque Republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum unquam fuit, inquinavit. Octo

millia deditorum in villa publica trucidavit: tabulam proscriptionis posuit: Urbem ac totam Italiam cædibus replevit: inter quas omnes Prænestinos inermes concidi jussit: Marium Senatoris ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis, & effossis oculis necavit. C. Marius Præneste obsessus à Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, mortem sibi conscivit. in ipso cuniculo, quum sentiret se evadere minime posse, cum Pontio Telesino fugæ comite, stricto utrimque gladio concurrit: quem quum occidisset, ipse saucius impetravit à servo, ut se occideret.

Vellei. 2. 28.

PAULO ante quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, à ducibus ejus, duobus Serviliis ad Clusium; Metello Pio ad Faventiam; M. Lucullo circa Fidentiam, Carbonianos magnificis prœliis victos esse, Vellejus Paterculus retulit. Sed ego Livianam historiam vestigiis persequutus, seriem rerum, Appiani quoque testimonio fultus, aliter contexui. Igitur quibus temporibus repulsus intra Prænestina mœnia Marius fuit, iisdem ad Faventiam Carbo Norbanusque per absentiam Sullæ Metello imminentes, conjunctis exercitibus prope castra ejus vix una hora diei reliqua venerunt. Et quamquam statim adfutura nox erat, præterea locum pugnandi densa circum vineta arctabant; ira magis quam consilio impetum fecerunt, tamquam inopinata audacia plus formidinis illaturi.

Carbo & Narbonus Metellum oppugnantes. L. v. Epitom. Appianus.

Magna strage vincuntur. Orosius. 5. 20. Appianus.

II. Sed iniquo loco, quum impediti vitibus milites procederent, neque armis uti possent, magna cæde victi sunt; exercitusque omnis ita dissipatus, ut morte decem millium, sex millium transfugio, cæterorum quo cuique visum fuerat abeuntium desertione; non ultra mille hominum servatis ordinibus Arretium sit reductum. Alia quoque legio Lucanorum, quam P. Albinovanus, qui cum Mario sene hostis judicatus fuerat, ducebat, frustra indignante Albinovano, signa ad Metellum transtulit. ille quum omnibus tentatis retinere deficientes nequivisset, ad Norbanum se recepit. Deinde fata partium, & quam frustra obniterentur reputans, animo commutato, neque simplici scelere proditionis contentus, Norbanum, & qui una erant duces, invitavit.

L. Damasippus Præneste liberaturus, ab Sulla impeditur. Asconius Pedian. Verr. 4. Cic. Verr. 14. Appian.

III. Norbanus ipse non accessit: Flavius Fimbria cæterique quum venissent, omnes inter ipsas epulas trucidati sunt. Albinovanus ad Sullam profugit. Harum cladium fama quum Ariminum, Albinovani proditione oppressum direptumque; deinde alia multa iis locis præsidia alienasset; Norbanus nemini suorum rebus suis adversis fidem mansuram ratus, privato navigio Rhodum avectus est. Carbo nihil non in eo situm videns, si Prænestina solvi obsidio posset; L. Damasippum cum duabus legionibus eo proficisci jubet: sed nec ab hoc quidem, occupatis per Sullam angustiis penetratum quitum. Metellus interea, quidquid à Ravenna ad Alpes Gallicorum populorum colit, adjunxit partibus: & ad Fidentiam in agro Placentino M. Lucullus quum à Quinctio obsideretur, cum sexdecim cohortibus adversus quinquaginta eruptione pugnavit; cæsisque millibus octodecim castra quoque vi cepit.

Liv. Epitom. Orosius. Plutarch. Sulla cap. 53.

Carbo desperata victoria Italiam deserit.

IV. Alacritatem militum ante id prœlium ea re mirifice auctam ferunt, quod cunctante Lucullo clemens ventus, e vicino prato florum magnam copiam in vallum ejus compulit, qui scutis galeisque hærentes, coronati ab hoste exercitus speciem referre visi, velut certo victoriæ omine ad conandum omnes impulerunt. In-

tor hæc etiam à M. Crasso res in Umbria gesta, & insigne iis locis municipium Tuder receptum est. Hæ aliæ super alias clades ita perculerunt Carbonis animum, ut de retinenda Italia desperaret. Igitur quamvis ad Clusium adhuc triginta militum millia haberet, præterea duas sub Damasippo legiones, alias itidem sub Carinate & Marcio, Samnitum quoque ingentes copiæ partibusque fidæ superessent; turpi formidine Italiam, atque exercitum Consul deseruit, cum amicis in Africam provectus.

Plutarch. Crasso cap. Appianus. Plin. 8. 37.

V. Relictus ad Clusium exercitus cum Sullanis acie commissa, post viginti ferme millium interitum, dissolutus est; reliquis in suam quoque patriam sparsis. Decus hujus victoriæ à quibusdam duobus Serviliis, ab aliis Cn. Pompejo vindicatur. Quid veri sit haud facile queas discernere: omnes istos duces simul adfuisse prœlio non sit absurdum existimare. Servilii certe magnam eo bello & præclaram operam fuisse boni auctores prodiderunt. Sed Carinas & reliqui Carboniani duces junctis copiis ad angustias accesserunt, extremo conatu, simul cum Samnitibus perrupturi. quippe Samnites inde repulsi, Campaniam Herruriamque vastabant, sub invidia partium se vindicantes.

Exercitus relictus, ab ullanis ceditur. Salluft. incert. 4. 12. Liv. Epitom. Appianus. Velleius. 2. 28. Plutarch.

VI. Id quoque frustra fuit. ergo quum neque tenere propositum possent, & instante hinc Sulla, inde Pompejo, neque progredi facile, neque regredi tutum videretur; nocturno itinere Romam petierunt, virorum & commeatuum inopia haud difficilem captu arbitrati: & ad duodecimum neque amplius ab Urbe lapidem castra in Albano monte posuerunt. Ibi nocte exacta haud exigua cum spe, quod tantis totque ducibus imposuissent; simul cum luce profectos ex urbe nobiles juvenes, una cum Ap. Claudio insigni viro ceciderunt. Octoginta millia bellatorum erant: dimidium ejus numeri Samnites implebant; quos solos omnium Italicorum arma retinentes Pontius Telesinus civis eorum ducebat, vir domi bellique fortissimus, & magnis certaminibus inveteratus.

Reliquiæ cum Samnitibus junctæ Romam petunt. Florus 3. 21. 22. Plutarch. Appianus.

VII. Igitur quum res ad summum timorem spectaret, Urbsque tota tumultu & clamoribus sequioris præcipue sexus personaret; primus ab Imperatore Sulla cum septingentis equitibus citato cursu Balbus adfuit: qui tantum moratus, donec sudor equorum consisteret, statim iterum frænari eos jussit, & ad distinendum hostem procurrit. Interim Sulla raptim exercitu ducto ad portam Collinam circa meridiem pervenit, castrisque ad Veneris fanum positis, ut quique primum advenerant, *prandere milites, deinde in aciem adsistere* jussit. Jam enim & hostes ad Urbem castra metabantur. Ibi Dolabella & Torquatus magnopere Sullam obtestati sunt, *ne lassatis itinere militibus patriæ salutem in unius pugnæ discrimen committeret.*

Eodem & ille accurrit. Appianus. Plutarch.

VIII. *Non Marium ex adverso & Carbonem, inimicissimos homines, Romanos tamen; sed Lamponium cum Lucanis, sed cum Samnitibus Telesinum consistere, infestissimos Romano nomini, bellicosissimosque & populos & duces. Atque illos multarum horarum quietem curandis corporibus consumpsisse: sibi suisque simul faciunda omnia: eundum, prandendum, pugnandum esse. non equis, non viris, solidum adesse robur: ut cibo ac quiete refectis hostibus obiici debeant. Esse quidem sibi militum fidem eximiam, esse virtutem, hactenus etiam Fortunæ singulare obsequium adfuisse: sed neque ab illis plus quam possint, neque ab hac plusquam soleat, exspectari oportere.*

Cui duces sui moram suadent.

Ad reficiendum exercitum.

IX. *Numquam non timendam casuum humanorum vicissitudinem: & quamlibet fortes viros à deterioribus opprimi posse, si cum validis & refectis ipsi labore ac inopia debiles committantur. Non esse caussam festinandi, ubi meliorem tuam, quam hostium conditionem, factura mora videatur. Si paululum quiescat, non modo rediturus militi vires; sed hostium ex desperatione natam audaciam, tempore & spatio rectius omnia æstimandi defecturam. Nunc adhuc dum animi caleant, acre prælium facturos: ubi refrixerit impetus, & modo validissimum juxta se exercitum, nec procul inde caput rerum Romam recogitaverint; modo suarum adversariumque partium reputaverint fortunam, aut posituros arma, aut minus constanter oppositurus.*

Ille non movetur. Appianus.

X. Nihil motus horum precibus ac monitis Sulla: *Jam in eo res est*, inquit, *ut quod restat negotii, celeritate confici debeat. Mori præstat, quam hanc ferre ignominiam, ut me incolumi & inspectante, Samnites Lucanique obsedisse Romam glorientur. Tecta Urbis, & Capitolinam arcem, & quidquid ibi deorum hominumque est, quoties respicerem; exprobrare mihi vel timiditatem, vel negligentiam crederem, si unum diem amicos nostros in metu, adversarios, si qui etiamnum Romæ sunt, in spe versari; passus essem. Neque militum lassitudinem, nec Fortunæ inconstantiam objeceritis. Viverent adhuc immensa hostium agmina, neque Prænestinis mœnibus Marium inclusisset necessitas; si ad Sacriportum his argumentis à pugna fuissem absterritus.*

Sed militi & Fortunæ confidit.

XI. *Milites mei etiam fessi bene pugnare possunt: & de Fortuna quantum mihi pollicear, quibusque inductus rationibus, haud semel audivistis. Illa, illa, sicuti perpetuo consuevit, nunc quoque reperiet aut faciet nostræ victoriæ viam. Nec adeo temere cœptum mihi consilium existimaveritis. animos exercitus magis, quam corpora respicio. quamdiu illi vigent, non deerunt etiam fessis lacertis vires: & tamen spatium erit cibo ac modica quiete reficiendi membra. Vos ergo alacres bonaque spe pleni, ad curandum vestras partes discedite: militemque ut solitam nobis virtutem præstet, excitate. nam ego, quod mihi, Reipublicæ, & exercitui bene vertat, signum pugnæ confestim dabo.*

Statim prœlium committit. Vellei. 2. 28. Orosius. 20. Plutarch. Sulla cap. 59. Appianus. lib. 1. Civil. Plutarch. Crasso cap. 10 Plutarch. Sulla.

XII. Ita Kalendis Novembribus post nonam diei horam summis viribus concursum: neque unquam propior victo Sulla, aut in majore periculo Roma fuit. Dextrum Sullæ cornu, cui M. Crassus præerat, egregie vicit: persequutusque fugientes Crassus certos homines misit, qui rem bene gestam nunciarent Sullæ, & cibaria militi poscerent. nam delatus Antemnam usque, castra ibi posuerat. Sed nocte jam adulta, qui fuerant missi, ad Sullam pervenerunt, defunctum discrimine, cui tum gravissimo ac formidolosissimo subiverat. Nam interim dum oppositos sibi hostes Crassus fundit fugatque, lævum Sullæ cornu valde laborarat; quamquam eo ad sistendam suorum fugam Sulla ipse se contulisset.

Sullæ periculum. Frontin. Strateg. 1. 11. 11. Plutarch.

XIII. Ferunt albo & pernici equo insidentem; & à duobus hostium equitibus inde agnitum, hastis emissis petitum fuisse; nec animadverso periculo, sed agasone equum impellente, hactenus esse prætervectum, ut pone caudam equi hastæ in terra defigerentur. Erat hoc morum Sullæ, ut modicum sigillum Apollinis, quod ex templo Delphico sustulerat, in conspectu exercitus adoraret, *promissamque victoriam maturari* peteret: id tum etiam eduxit sinu, exosculatusque, fusis quas præsens trepidatio suggesserat precibus, cedentibus cœpit obsiste-

re; quosdam minis, alios precibus, nonnullos injecta quoque manu retinens. Neque tamen efficere potuit, ne multis amicorum familiariumque cadentibus, permixtus agmini fugientium in castra sua repelleretur. Et post ancipitem pugnam, victoria. Velleius. Plutarch. Appianus:

XIV. Et instabat Fortunæ Telesinus, totaque volitans acie, *adesse Romanis ultimum diem, eruendam delendamque Urbem; nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, ni silva in quam refugere solerent, esset excisa*; & alia incendendo militi acclamabat. Igitur multis qui spectatum prodierant, ad Urbem refugientibus, senes ad custodiam portarum relicti, claustra demiserunt: quibus & alii mortales, & quidam Senatorum elisi sunt. tantaque formido fuit, ut propemodum solutus obsidione Marius fuerit, quia multi fuga ad Lucretium delati, perditas res, oppressum Sullam, occupatam Urbem nunciabant. Cæterum adnitente Imperatore, & quia clausis portis aliud præsidium nullum supererat, restituta acies est: demumque post primam noctis horam superior esse res Romana cœpit. reliquum noctis cædibus datum, castraque hostium capta sunt.

XV. Magna ibi strages fuit, quod Imperator edixerat, *ne quis Samnis vivus caperetur. Ad quinquaginta hominum millia utrimque desiderata* dicuntur. In his & Albinus interiit. Postridie Telesinus semianimis repertus est; victoris magis quam morientis vultu. caput abscissum cum Damasippi, Marcii, Carinatisque capitibus, qui capti in fuga fuerant, ad Lucretium missa sunt, ut obsessis Præneste ostenderentur. Hactenus omnia Sullæ præclara, aut saltem excusanda videbantur. Recuperata Respublica, parta pulcherrima victoria, patriæ impendens periculum summa vi depulsum, immortalia ad gloriam facinora erant: Damasippum etiam, & alios ejusmodi miseria publica saginatos, jugulari jussos, homines lætabantur. Sulla mores mutat post victoriam. Velleius. Appianus. Strab. lib. 5. Diodorus ap. Valesium. Liv. Epitom.

XVI. Sed statim hæc decora omnia crudelitate, quanta in nullo alio unquam fuit, fœdata sunt. eaque facta edita, & tam à superioribus viri institutis discrepantia, ut vix ab eodem homine profecta viderentur. Modestissimus ante victoriam, simul placere sibi victis Samnitibus cœpit: nec enim reliquias belli ullo in numero ducebat; Cinnas & Marios, quorum antea solitus erat incusare sævitiam, longo post se intervallo reliquit. sive recens talem animum indiderat fortuna; sive dissimulatum ad id temporis, detexerat. Postero quam pugnatum est die quum Antemnam venisset, tria hominum millia, qui se ab hostium acie abruperant, veniam petitum misere: & ille annuit, *siquidem aliqua prioribus sociis illata clade pœnitentiam partium approbassent*. Ejus immanis crudelitas. Sallust. Catilin. 51.12. Liv. Epitom. Diodorus. Velleius. Joan. Antioc. apud Vales. Plutarch.

XVII. Illi cum aliis conserta manu, amissis occisisque multis, quot supererant (cognata enim caussa cædium cæteri quoque *eadem auspicia sequuturos* dixerant) ad octo millia Sullæ se dediderunt. Eos in villam publicam ingredi jussos, quasi inter suos milites descripturus, eodem tempore, quo Senatum in ædem Bellonæ convocari jusserat, crudelissime trucidavit: multique simul pagani qui forte eodem venerant, etiam Sullanarum partium homines, perierunt. Corpora in Tiberim projecta sunt. Etiam in deditos. Liv. Epitom. Dionys. 5. 67. Plutarch. Strab. lib. 5. Orosius. 5. 21.

XVIII. Dum tanta multitudo cæditur, ipse verba in Senatu faciebat: Patribusque ad horribilem tumultum ac clamorem, quem tot millia indigne moritura edebant, exterritis; eodem quo dicere cœperat vultu, vocisque tenore; *Hoc agite*, inquit, *Patres Conscripti. pauci seditiosi jussu meo puniuntur*. qua tanta Vox ejus truculentissima. Val. Maxim. 9. 2. 1. Diodorus. Plutarch. Seneca de

Clement. 1. va. 4. Orosius. Flor. 3. 21. Diodorus. acerbitatis voce, vix quidquam ab ullo homine dictum puto truculentius. Proximis deinde multis diebus passim per Urbem cædes factæ, tanta gladiorum licentia, ut quem quis vellet, occideret. inimicos suos maxime tollebant: deinde quorum aut dignitas invidiam, aut res familiaris prædam luculentam ostentabat.

C. Metelli. XIX. Eadem ista, velut signo ab Urbe dato, per omnem Italiam fiebant; & ubique per colonias ac municipia quos adversatos Sullæ aut satellitum ejus alicui constabat, trucidabantur. Plurimi sanguinis, alii spoliorum cupiditate, cædes perpetrabant: erant & qui periculum sibi metuebant, ni aliorum exitio studium partium significassent. Tandem C. Metellus juvenis ausus est in Senatu interrogare Sullam, *ecquem ergo suppliciorum finem statuisset*. *Non enim*, inquit, *hoc deprecamur, ut quos decrevisti tollere, vivant: sed ne quos conservatos cupis moriantur*.

Et Q. Catuli voces liberæ. Plutarch. Orosius. Flor. 3. 21. 25. Sallust. Hist. 1. a. 15. Diodor. XX. Ajunt & Q. Catulum palam dixisse, *cum quibus tandem victuri simus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus?* Tum negante Sulla, *constitutum adhuc sibi esse, quibus velit parcere;* subjecit Furfidius primipilaris Sullæ turpissimus adsentator, qui mox in petitione magistratuum egregiis hominibus prælatus est: *quin igitur edis, quos tibi punire certum est*.

Liv. Epitom. Proscriptio Sullana. XXI. Id se facturum recepit, neque multo post, re neque cum Senatu, neque ullo magistratuum communicata, proscriptionis proposuit tabulam, qua nomina octoginta continebantur: inter quæ Consularia quatuor, Carbo, Marius, Norbanus & Scipio; deinde Sertorius, & alii quos Sulla præ cæteris oderat, omnium ad inauditæ antea sævitiæ tyrannicique imperii exemplum indignatione commota; tantum uno die interposito, ducentos viginti, dein postridie iterum haud pauciores adscripsit.

Cæsorum ingens numerus. Appian. lib. 1. civil. Plutarch. Vellejus. 2. 28. Val. Maxim. Florus. Augustin. de Civit. Liv. Epitom. XXII. Adjecit pro concione, *eos quorum meminisset, proscripsisse: de cæteris decreturum, ubi in mentem venisset*. Receptatoribus etiam proscriptorum pœna mortis est proposita, non excepto, sanguine junctos an externos servare voluissent. Et sicut humanitati supplicium, ita crudelitati & perfidiæ merces dicta est in singula capita talenta duo. hæc servo si dominum occidisset, hæc si parentem, filio repræsentabantur. Proditoribus etiam latentium præmia constituta sunt. Denique quatuor millia septingenti, quos ea pestis sustulit, jubente Sulla, tamquam ad præclari facinoris servandam memoriam, in tabulas publicas relati sunt. In his Senatorum Equitumque Romanorum duo millia fuisse traditum.

Etiam per Italiam cædes passim editæ. XXIII. Neque Romæ tantum, sed per universam Italiam furialis illa tempestas delævit. Severæ passim quæstiones habebantur, si quis sub Mario aut Carbone legati sive eorum stipendia civili bello meruisset: si partes ope, consilio juvisset: si omnino studiosus illarum fuisset. Quibusdam etiam crimini datum referunt; quod eum aliquo eorum commune iter inivissent. Ibi omnia divina humanaque violata & polluta sunt. mariti in gremiis uxorum; in sinu matrum liberi confossi. sacra hospitalia, cærimoniæ & religiones deorum, ipsaque eorum penetralia, nemini securum adversus percussores perfugium dabant.

Plerique facultatum caussa necati. XXIV. Eratque numerus exiguus per iram aut odium victoris pereuntium, præ multitudine eorum, qui facultatum caussa necabantur. quorum etiam per nomenclatorem conquisita nomina tabulæ proscriptionis tyrannus adjecit. Q. Aurelius, vir quieti animi, & conscientia securus, quum tantum aliorum sibi do-

lendam vicem putaret, lectis proſcriptorum nominibus, quum ſe quoque videret adſcriptum; *Væ miſero mihi*, inquit, *fundus Albanus me perſequitur*. neque longe progreſſus, à quodam, qui eum agnoverat, percuſſus eſt. idemque ſive Lollii ſive cujuſdam alterius fatum, ſed ex merito fuit.

Oroſius. Diod. apud Valeſ.

XXV. Is ſingulari pravitate ingenii inter turbam in forum ad legendam tabulam geſtiens procurrerat, & quorum propoſita nomina cognoſſet, in eos multa contumelioſe dicebat, calamitate miſerorum gaudens. igitur hunc ſtatim divina corripuit ultio; namque dum legendo carpendoque ſingulos pergit, ſuum in ima tabula adſcriptum nomen videt. quare metu obmuteſcens, quum ſe capite adoperto ſubduceret, agnitus, & è veſtigio, lætantibus qui adſtiterant omnibus, confoſſus eſt. Inde latior in omnes pavor, nec quid aut facerent, aut omitterent, quo tuti forent, ſatis ſciebant.

Lollii cujuſdam improbitas & fatum.

Oroſius. Diodor.

XXVI. Accederes ad tabulam; pro curioſo periclitareris: non accederes pro indignante: quæreres, quid ſcriptum eſſet; pro te aut tuis conſcientia ſollicitus videreris: adſtares tacitus; odiis latronum objicerere, tamquam triſti ſilentio præſentia damnans. Nam & multi, quod vel ſubriſerant ad talia, vel frontem contraxerant, cædebantur. neque aut amici caſu ingemiſcere, aut adverſarii exitio lætari impune erat. Præterea multis pernicioſus cognominum error erat; quæ percuſſores, ubi proſcriptos non noſſent, aliis adfingebant: oriebaturque ſæpe imponentium cognomina & rejicientium vehemens contentio.

Periculoſiſſima tempora.

XXVII. Ne mulieres quidem exemptæ penitus periculo erant, quum etiam illarum nonnullæ gladiis homicidarum objicerentur. Inter has miſerias minus videbantur miſerabiles, quos ignaros ſortis ſuæ, aut dum illam diſcunt, percuſſor occupabat; eorum qui præviſo periculo ſe abſcondiderant, ſollicita & morte triſtior vita erat, quia neque profugere, ne deprehenderentur, audebant: neque in tanto omnium metu, quum multi ab amiciſſimis proderentur, confidere latebris poterant.

Latentium ſors miſerrima.

Val. Max. 9. 2. 1. Diodor.

XXVIII. Neque ſecuriores erant, quorum nominibus crudelis ſtylus pepercerat. Nec enim modo proſcriptos jugulari; ſed etiam jugulatos proſcribi obtinuerat. L. Catilina, magnam poſtea famam ſceleribus nactus, quum fratrem nondum proſcriptum ſuſtuliſſet, oravit Sullam, ut tamquam ſuperſtitis nomen in tabulam referretur, & impetravit. Ergo ut pro tam pulchro merito dignam referret gratiam, excarnificando M. Mario Prætorio, fratre Conſulis operam præbuit: cujus cruciatibus nihil vidit illa ætas crudelius.

Quidam jugulati prius, deinde proſcripti.

Oroſius. Diodorus. Plutarch. Sulla. Seneca de Ira. 3. 18. Flor. 3. 21.

XXIX. Hunc enim de caprili caſa extractum, prius occidi Sulla vetuit, quam exquiſitiſſimis tormentis, ad Lutatiorum ſepulchrum, ubi conditus Q. Catulus pater erat, laceraretur: quia L. Cæſar ad Varii buſtum occiſus à Marianis fuerat. Raptus ergo per ora vulgi Marius trans Tiberim, & virgis inter eundum cæſus oculis erutis, perfractis cruribus, amputatis manibus, exſecta lingua, membris omnibus concuſſis, infelicem ſpiritum per ſummos cruciatus reddidit. Ad hoc tam immane ſpectaculum quum forte adſtans M. Plætorius Senator linquente animo concidiſſet; illico mactatus eſt.

M. Marii crudeliſſimum ſupplicium.

Val. Maxim. Cic. de Petit. Conſul. cap. 3. Liv. Epitome Oroſ. eucca, ſalluſt. incert. 8. 20. Lucan. 2. 181. Pedianus in Toga candid. Plutarch.

XXX. Ibidem etiam Venulejus triumvir periit. Caput ſua manu deſectum, Catilina per urbem eadem manu retulit ad Sullam. Erat enim ſpectaculis ejuſmodi nihil Sullæ ſuavius: & omnium qui ubique erant occiſi, capita ad illum re-

Et alia Catilinæ atrocia facta.

lata, pro Rostris proponebantur; eademque omnia pericula creabant intuentibus, quæ de proscriptionis tabula memorata sunt. Sed Catilinam tam gnavum suæ severitatis, & industrium satellitem, Gallis quorum potissimum ministerio in occidendis hominibus utebatur, præfecit, à quibus M. Volumnius, L. Tantasius aliique illustres Equites Romani sunt trucidati inter quos Q. Cæcilium sororis suæ virum, qui ætate & ingenio quietus, neutrarum partium fuerat, Catilina suis manibus occidit.

Præneste dedito. C. Marius sibi consciscit necem. Front. Strateg. 1. 9. 3. Appianus. Lib. 1. Civil. Liv. Epitom. Strab. lib. 5. Vellejus 2. 27. Auct. de Vir. Illust. cap. 69. Val. Maxim. 6. 8. 2. Orosius. Diod. lib. 37. Plutarch.

XXXI. Interim M. Marii caput Præneste missum Cajum Consulem ad ultimam desperationem adegit. Nam qui cum eo obsidebantur, postquam aliorum ducum audivissent interitum, aliorum ipsi vidissent præfixa hastis capita, periisse Carbonis copias, fugisse Norbanum, Urbem in potestate Sullæ esse cognossent; oppidum Lucretio dediderunt. Marius per cuniculum, quales Præneste fuisse aliquot antiquitus, ex Strabone discimus, conatus evadere, postquam septum hostili exercitu exitum intellexit, cum minore Telesino ejus qui ad portam Collinam occubuit fratre, belli fugæque socio, strictis pugionibus concurrit: eoque interfecto ipse leviter vulneratus, servo suo cervicem præbuit. Sunt qui sua manu, sunt qui à Sullanis militibus, in id ipsum dispositis, interemptum putent.

Tum demum Sulla Felicis cognomen adsciscit. Vellejus. Plutarch. Mario. cap. 30. Val. Maxim. Plin. 7. 43. 5. Appianus. Plutarch. Sulla cap. 67.

XXXII. Caput ad Sullam relatum, & ab eo pro Rostris positum est, cum cavillo in ætatem Consulis, quem *antea remum, quam gubernaculum tractare debuisse* dicebat. Neque tamen ille indignus tanto nomine credebatur, animoque parenti non dissimilis, fortunam iniquiorem habuisse. neque dubitari posse, quid de eo Sulla judicaverit; qui tum demum, postquam sublatus ille fuerat, cognomentum *Felicis* homo omnium miserrimus adsumpsit: statuamque equestrem auratam cum hoc cognomine poni sibi pro Rostris passus est; & quum Metella geminos eodem partu edidisset, puerum *Faustum*, puellam *Faustam* appellari voluit.

Sulla Præneste venit. Orosius. Val. Maxim. Appian.

XXXIII. Lucretius Præneste recepto, Senatores Romanos quos ibi repererat, partim interfecit, alios conjecit in vincula, donec Sulla advenisset. Ille non diu contatus, & illos, & quotquot legati, quæstores, præfecti, tribunique partium illarum fuerant, occidit. Cæteros spe salutis per P. Cethegum data, in campos progredi jussit. progressis exemit admodum paucos, quorum aliquando usus opera fuerat; reliquam multitudinem tribus agminibus discerni imperavit: ut seorsim Romani, seorsim Samnites, atque Prænestini consisterent.

Ibique ad millia duodecim deditorum interficit. Strab. lib. 5. Appianus. Lucanus. Liv. Epitom. Plutarch. Val. Maxim. Plutarch. Plutarch. Reip. gerend.

XXXIV. Tum denunciavit per præconem Romanis, *& ipsos mortem esse commeritos, e aeternum suo beneficio fore salvos*, Samnites & alios ubique omnes interficere solitus, quod compertum habere dictitabat, *neminem Romanum incolumi Samnio tutum aut quietum fore*; non dubitavit ad unum omnes cædere. Prænestinorum primo singulos caussa cognita duci imperaverat: deinde cognitioni se vacare posse negans, universos, quamquam plerique insontes erant, armato milite cinctos, sagittis jaculisque configi, aut concidi gladiis præcepit. Ad duodecim hominum millia sic interierunt, quorum quinque millia Prænestinos fuisse reperio (cætera multitudo Samnitium, opinor, fuit) uni tantum quo cum illi jus hospitii fuerat, incolumitate concessa, quam ille fortiter aspernatus, *neque se salutem patriæ suæ publico carnifici debiturum* dicens, immiscuit se civibus suis, & inter eos occisus est. Mulieribus tantum & impuberi ætati pepercit Sulla, cru-

delí

deli misericordia, quum quibus concesserat vitam, vitæ usus ademisset.

XXXV. Nam oppidum longe ditissimum ea tempestate diripuit: agrum publicavit. Jam enim desitis fere singulorum hominum pœnis, municipia coloniasque & civitates integras mulctabat, aliarum arcibus mœnibusve dirutis; aliis gravi exactione oppressis: quædam etiam sub hasta venierunt. Florentia, Spoletium, Interamna, & de quo multa jam diximus, Præneste. Sulmo quoque, Latii vetus & clarum oppidum, priusquam expugnatum esset, damnatum dirruique jussum, cum aliis ejusdem regionis oppidis, ab illis temporibus esse desiit. Mox civitates integras mulctat puniitque. Appian. Tacit. 4. 30. a. Flor. 3. 21. Strab. Dionis. 5. 17. Plin. 3. 5. 14.

XXXVI. Hæc omnia Romani sociique nec immerito patiebantur, pristinæ virtutis simplicitatisque desertores; quos etiamsi indigna paterentur, meritos diceres vel ideo quia pati potuerunt. Neque enim usquam ea tempestate generosus ille populi Romani spiritus, & rebus omnibus antiquior libertatis amor, præterquam in puerili Catonis animo resedit. is annum agens quartum decimum, à pædagogo frequenter salutandi Sullæ caussa domum ejus deducebatur: quem illo honorem admissionis exhibere paucis consueverat. Ibi quum subinde recens resecta capita videret, quæ viris illustribus dempta dicebantur, magistrum interrogavit Cato, *quid ita nemo talem tyrannum occideret?* atque illo respondente, *metus enim odio potentior adfectus est; sibi pugionem dari* postulavit. Exterritus inde Sarpedo (id nomen erat præceptori) numquam postea nisi excussum ausus est ad Sullam ducere. tanta constantia puero, tantumque animi robur inerat, ut solus & securus tyrannidem ferre nequiret: quam tot insignes viri, gentes denique ac nationes, & caput scilicet orbis terrarum Roma, pecudum ritu taciti inultique patiebantur. Cato, quamquam puer, de tyranno interficiendo cogitat. Plutarch. Catone cap. 5.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri LXXXIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

M. Brutus à Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram appulerat, missus nave piscatoria Lilybæum, ut exploraret an ibi Pompeius esset, & circumventus navibus, quas Pompejus miserat, in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, occubuit. Cn. Pompejus in Siciliam cum imperio à Senatu missus, Cn. Carbonem qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit: Sulla dictator factus, quod nemo unquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit. Rebus novis Reipublicæ statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit, & omne jus legum ferendarum ademit. Pontificum au-

gurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; Senatum ex equestri ordine supplevit: proscriptorum liberis jus petendorum bonorum eripuit, & bona eorum vendidit: ex quibus plurima primo rapuit. redactum est sestertium ter millies, quingenties. Q. Lucretium Ofellam, Consulatum, contra voluntatem suam, petere ausum, jussit interimi in foro: & quum hoc indigne ferret populus Romanus, concione advocata, se jussisse dixit. Cn. Pompejus in Africa Cn. Domitium proscriptum & Hiarbam, Regem Numidarum, bellum molientes, victos interemit. & quatuor & viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit. Cn. Norbanus Consularis proscriptus, in urbe Rhodo quum comprehenderetur, ipse se interemit. Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto, ad posticas ædes Bastiæ uxoris quum accessisset, admissus minime est, quia illum proscriptum diceret. itaque se transfodit, & sanguine suo fores uxoris respersit: Sulla Nolam in Samnio recepit. quadraginta septem legiones in agros captos deduxit, & eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum, in deditionem accepit. Mitylenæ quoque in Asia, quæ sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæque sunt.

Appianus.

INTER hæc circum Italiæ regiones missi post victoriam ab Sulla duces obibant municipia, suspectis præsidia imponebant: alia quæ postulabat usus, aut parendi necessitas, exsequebantur. Sed Cn. Pompejo, quem dimissa Antistia privignam suam Æmiliam, M. Scauro genitam, viro suo M. Glabrioni ademptam, ducere compulerat, negotium Carbonis persequendi imposuit; eadem opera Siciliam purgaturo in quam Carbonis amici quidam & præcipuus Perperna, qui prius in Liguria bellum cum Sullanis gesserat, vir Prætorius confugerant, quum Carbo & Cn. Domitius in Africam navigassent.

Cn. Pompejus in Siciliam missus. Plutarc. Sulla. cap. 66. Plutarch. Pomp. cap. 14. Velleius. 2. 30. Orosius 5. 24. Frontin. Strat. 2. 12. Liv. Epitom. 5. 21. Perpernam fugat.

II. Adventu Pompeii Perperna statim Sicilia cessit, civitatesque auctoritate adolescentis, & partim consilio receptæ sunt. Inter quas Catana, quum suspecta Pompejo esset, & præsidium recusatura videretur, à fortissimis omnium militibus occupata est, quos Pompeius impetrato, ut ægri sui reciperentur, sub eo habitu in oppidum miserat. Dum hæc geruntur, ex Africa cum multis nobilibus viris redierat Carbo, & in Cossura insula rumores de rebus Italicis captabat, in Ægyptum fugam meditans, & interim M. Bruto in nave piscatoria Lilybæum misso, ut exploraret, an in Sicilia Pompejus esset.

Carbonem captum occidit. Appianus Val. Maxim. 9. 13. 13. 6. 2. 8. & 5. 3. 5. Orosius. Plutarch. Pomp. 3. 21. 25.

III. Sed ille circumventus à Pompeianis, quum se capi animadverteret, in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, occubuit. Pompejus cognito Cossuræ Carbonem esse, ad comprehendendum eum misit. Quum ita retractus in Siciliam esset, cæteros qui judicati hostes erant, non admissos in conspectum Pompejus duci jussit: in Carbone visus est se gessisse insolentius, quum ad pedes suos sisti vinctum juberet ter Consulem; & ipse pro tribunali acerbe in eum invectus (multum indignante corona, quæ hunc acerrimum pueritiæ Pompeii, ne paternis bonis spoliaretur, defensorem fuisse meminerat) post tam grave ludibrium abduci ad supplicium imperaret.

Carbonis mors deformis.

IV. Hic exitus Carbonis fuit, qui tot in Urbe & per Italiam fœda cruentaque facinora fecerat; non merita magis quam formidata morte deformis. Ubi enim distringi gladium vidit, simulans sibi alvum purgari, locum & spatium demissa

& flebili voce muliebriter petiit, miserrimæque vitæ brevem usuram rapuit, donec caput in sordido loco sedentis impatiens moræ miles demeteret. Id Pompejus misit Romam; ut oculos Sullæ hoc spectaculo pasceret. Per eosdem dies Q. Valerii Sorani fata reprehensionem Pompeii, & indignationem hominum habuerunt. quem adductum, quia peritissimum humanitatis & priscarum literarum noverat, comiter una deambulans, de multis rebus interrogavit: mox ubi quæ voluerat, etiam arcanum Romæ nomen, accepit; abripi è conspectu virum, trucidarique jussit.

Sallust. incert. a. 2. Plutarch. Val. Maxim. Liv. Epitome Appianus. Florus.

V. Cæterum hoc postremum de Pompejo Q. Oppius tradidit, C. Cæsaris amicus, ut aliquid odio dedisse videatur. Nam Pompejus, uti præcipuos inimicorum Sullæ, & palam oblatos castigare necessum habuit; ita nec cupide requisivit latentes, & quibusdam effugiendi fecit potestatem. Deinde quia bellum jam nullum in Sicilia supererat, versus ad res insulæ componendas, jusque dicendum, valde recreavit provinciam, solers idem & incorruptus publicorum privatorumque negotiorum cognitor. Quæ res eo gratior Siculis fuit; quod multis jam annis jus dictum in ea insula non meminerant.

Pompejus in Sicilia jus dicit. Plin. 7. 5. 37. Macrob. Saturn. 3. 9. Plutarch. Q. Roman. cap. 60. Diodor. apud Vales. Plutarch.

VI. Mamertinis tamen tribunal ejus præscriptione juris vetusti declinantibus, paulo acerbiorem se exhibuit, gravi etiam voce edita; *quousque leges accincto recitabitis?* Longe moderatior fuit in Thermitanorum caussa qui Himeram colebant. Hos ob studium adversarum partium quum punire decrevisset, Schenius civitatis princeps, *inique facturum* exclamavit, *si ob culpam unius condemnaret omnes*, & quærente Pompejo, *ecquem igitur unum illum esse diceret? se ipsum esse* respondit, *qui propter C. Marii familiaritatem & hospitium, cives suos, amicis persuadendo, cogendo inimicos, ad eandem caussam adduxisset.*

Sthenii constantia & in patriam amor. Cic. Verrin. 4. 49. Plutarch. Cicer. Plutarch. Pompeio & in præcept. Reip. Germ. cap. 50. Appianus. Orosius. 5. 21.

VII. Delectatus animi generosi adolescens tam forti & pia confessione, primo illum, deinde civitatem absolvit: & in eo ipso judicio dignissimum statuit, quocum hospitii contraheret necessitudinem. Quum deinde militaris insolentia multas passim injurias Siculis inferre diceretur; excogitavit, ut quoties aliquo mittendi milites essent, gladii, ne possent educi, obsignarentur: animadverteretur que in eos quorum à gladiis revulsa cera esset. Hoc rerum ubique statu, quum pacata omnia præter Hispaniam viderentur, ubi Q. Sertorius bellum conflabat, Pio Metello illa expeditione commissa, ad Rempublicam ordinandam Sulla se transtulit, potestate plane tyrannica, sed honestius aliquod nomen circumspiciens.

A Pompejo honoratur.

VIII. Igitur licet acta ejus omnia Senatus Populusque Romanus rata habuisset; habiturusque etiam agenda videretur; paulisper ex Urbe secedens monuit Senatum, *ut quoniam sine Consulibus esset Respublica, comitiis Interrex proderetur.* Proditus est L. Valerius Flaccus Senatus princeps. Ad hunc scripsit Sulla, *referret ad populum, videri sibi Dictatorem creandum esse, nec ad certum tempus, sed donec constituta Respublica foret.* & in infima epistola subjecit, *si populus Romanus sibi id onus imponere velit, se populi Romani caussa non recusaturum.* Libertas comitiorum sperari nulla poterat. igitur quod proximum erat, libertatis umbram amplexi, Sullam Dictatorem perpetuum creant: quum jam propter potestatis ejus magnitudinem, per annos centum viginti Dictator nemo factus esset.

Sulla dictator perpetuus. Plutarch. Sulla. cap. 66. Appianus. Vellei. 2. 28. Cicer. contra Rul. 3. 2. Cic. de legib. 1. 15. Frag. Capitol. Appianus. Plutarch. Sarr. 3 cap. 5. Pighius Annal. 679.

IX. Lex etiam ab Interrege lata est, qua *rerum omnium plena & libera potestas*

Leges multas fert, aut refert.

Sullæ dabatur, *ut deducere colonias, urbes condere aut evertere, Regna eripere aut dare, etiam quem vellet civium, indicta caussa impune posset occidere.* Dictator accepto imperio L. Valerium L. F. L. N. Flaccum, quo rogante lex lata fuerat, Magistrum equitum dixit. Formidabilis inde & nova species procedentis in publicum fuit, quum ut solitum Dictatoribus, quatuor & viginti fasces præcederent: quod nemo præsentium umquam viderat. Mox consulta & acta longe terribiliora prodibant: quum leges alias antiquaret, alias novas ferret. *Ne quis Præturam ante Quæsturam peteret; neve Consulatum ante Præturam: qui Ædilis fuisset, continuo Prætorem fieri; & ex Prætura Consulem licere. Prætores octo quotannis creari.*

Tribunorum potestatem minuit. Ammian. Marcelli. 29. 18.

X. *Consulem eumdem iterum, nisi decennio interposito creari*, superiores quoque leges vetuerant. id sequentibus temporibus abolitum, Sulla Dictator ex antiquo retulit. itemque *de Majestate: ne cui eorum qui cum imperio essent, exire de provincia sua, exercitum educere, bellum injussu populi gerere, aut in Regnum externum ingredi liceret.* Eadem lege *quæstiones haberi de quolibet, nullo discrimine fortunæ*, jubebat. Nominantur & *de Falso* hodieque leges Corneliæ, & *de Sicariis Veneficisque*, item *de Iniuriis*. quæ omnes cum pluribus aliis, quos memorare nihil attinet, in Dictatura latæ sunt.

Senatum supplet. eique judicia tribuit. Liv. Epitom. Appianus. Pedian. Salluſt. Hiſt. 1. 2. 10. Cic. de legib. 39. Tacit. 11. 22. Pedian. Verr. 1 Salluſt Catilin. 376. & Hiſt. 1. 2. 5. Plutarch. Sulla cap. 63. & Cic. cap. 15. Vellejus. 2. 8. Dioniſ. 8 92.

XI. Sed ante omnia Tribunorum plebis potestatem ita minuit, ut tantum non abolevisse videretur. Nam & *omne jus legum ferendarum* ademit: tantum *auxilii ferendi* quadam imagine relicta. & *ne quis nisi Senator Tribunus fieret: & ne quis Tribunicius alium magistratum peteret*, tulit. quorum altero provisum erat; ne plebis quam Patrum majorem rationem Tribuni ducerent: altero, ne quis insigni genere aut favore populi, aut qui rerum magnarum esset appetens, Tribunatum adfectaret. Pontificum Augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim. Senatum per seditionum bellorumque clades infrequentem tributis comitiis ex Equestri ordine supplevit: adlectis circiter trecentis. Quæstores etiam quotannis viginti creari jussit ad supplementum Senatus, cui judicia tradiderat.

Proſcriptorum liberis jus honorum Petendorum aufert. Cic. pro Sext. Rosc. Salluſt. Hiſt. 1. 2. 8.

XII. Proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit: ut quod indignissimum profecto erat, Senatorum filii & onera ordinis sustinerent; & jura perderent. præsertim quum etiam bona eorum venderet, aut dilargiretur. quod quidem in tanta calamitate multo acerbissimum videbatur: quum ipse in tribunali sedens, mulieribus formæ quam famæ melioris, histrionibusque & scurris, quibus impense delectabatur, & libertinorum pessimis, agros populis suffectuos, & vectigalia civitatum concederet. *Chrysogonum certe bona Sex. Roscii quæ erant sexagies, duobus millibus nummum emisse*, Ciceronis oratio testatur, quam proximis deinde Consulibus sex & viginti annorum adolescens habuit. A. D. Kalendas Junias hæc auctio cœpit. quum plurima ex his antea rapuisset Sulla, cæterorum pleraque donasset aut vilissimo pretio addixisset; redactum est ter millies, quingenties.

Q. Lucretium occidi jubet. Nicolaus Damascen. lib. 107. apud Athenæ. lib. 6. Liv. Epitom. Appianus. Plutarch. Sulla.

XIII. His ita pro arbitrio decretis factisque, ut tamen aliqua pristinæ Reipublicæ species esset, Consules creare populo permisit. Inter candidatos Q. Lucretius Ofella erat, qui Præneste ceperat; meritis suis & Sullæ gratia confisus. At hunc quia contra legem recens latam petebat, nondum inferiores magistratus adeptus, primo monuit Sulla, desisteret: deinde postquam spreta Dictatoris vo-

luntate magno faventium agmine comitatus in forum venit; à L. Bellieno in medio foro est interfectus. Indigne rem ferente populo comprehensus percussor ad Sullæ tribunal adducitur, qui sedens pro Castoris ex edito loco cædem spectaverat. Ille vocata ad concionem multitudine, *ne nesciatis*, inquit, *Quirites, ego jussi. dimittite hominem Dictatoris imperio obsequutum*.

XIV. Addidit deinde atrocissimæ interpretationis fabulam: *Rusticum à pediculis morsum, quum semel iterumque interulam purgasset; tandem ne sæpius intermittere opus cogeretur, exutam, cum ipsis vermiculis injecisse in ignem. Et ego* inquit, *monitos volo victos, ne tertium insanientes opus incendio habeant*. Ita depulso quem certissimum Consulem fore omnes crediderant, M. Tullius M. F. A. N. Decula, Cn. Cornelius Dolabella creati, nomen verius, quam dignitatem Consulatus acceperunt. Nam eos Dictator viginti quatuor lictoribus, & magna satellitum turba stipatus, potestate plane Regia præminebat. Initio ejus anni L. Cornelius Sulla Dictator de Mithridate Rege triumphum duxit. In quo illud laudabiliter ab eo factum, quod neque triumphare de civibus voluit, quamquam ingentibus eorum copiis prostratis, & quum Asiæ Græciæque multas urbes transveheret, nullum civium Romanorum oppidum in ea pompa spectari passus est. — *Sullæ atrox fabula. Pedian. in Toga candid. Liv. Epitom. Plutarch. Appianus. An. Urb. cond. 673. Triumphus de Mithridate. Appian. Val. Maxim. 2. 6. 7 Liv. Epitom. Plutarch.*

XV. Cæterum magnificus apparatu ferculisque triumphus fuit, quum inter opulentissimi Regis spolia res pretiosæ visuque raræ longo ordine portarentur: sed nullo majore ornamento illustrata pompa est, quam quod tantus nobilissimorum virorum numerus, quos à Mariana factione pulsos reduxerat, in equis currum ejus sequebantur, *servatorem & patrem* appellantes: cui acceptum referebant, *quod adspectu patriæ, quod complexu charissimorum pignorum, quod denique communi illa luce fruerentur*. biduo triumphavit A. D. IV. & III. Kalendas Februarias. prima die transtulit auri pondo quindecim millia, & argenti pondo centum & quindecim millia: prostridie tredecim millia pondo auri, quæ junior Marius ex Capitolinæ ædis incendio, cæterisque delubris omnibus Præneste detulerat; quæ & sub eo titulo translata sunt, & argenti septem millia pondo. — *Ejus Triumphi magnifica pompa. Fragm. Capit. Plin. 33. 1. 4*

XVI. Exacto triumpho de rebus suis pro concione disseruit, non minus diligenter enarrans, quæ feliciter, quam quæ fortiter fecisset: *eaque de caussa æquum videri* dixit, *ut quod cognomentum recens adsciverat, ab omnibus Felix vocaretur*. Sed ad Græcos scribens *Epaphroditum* se appellabat: positæque sunt illi eum hac inscriptione statuæ. Eodem anno & L. Murena de Mithridate Rege triumphavit, de cujus rebus gestis pauca, neque magnopere laudanda solus quod sciam Appianus refert: quæ suis temporibus reddidimus. Post ista missu Sullæ, A. Gabinius ad Murenam venit, denunciatum, *non placere Senatui bellum eum cum Rege socio & amico gerere*. Eidem Gabinio mandatum, *ut Mithridatem Ariobarzanemque Reges reconciliaret*. Mithridates filium quadrimulum amicitiæ & pacis obsidem Ariobarzani quum dedisset; sub ejus pignoris fiducia non modo quæ habebat per Cappadociam præsidia retinuit, sed insuper aliorum locorum concessione auctus est. — *L. Murenæ Triumphus de Mithridate. Plutarch. Appianus. Fragm. Capit. Appian.*

XVII. Epulum deinde celebratæ luxuriæ omnibus dedit: nam & *præmia* proposuit, certum auri pondus, *ei qui plurimum bibisset, edisset ve, quive dicacissimus fuisset judicatus, aut cantus aliorumve ludicrorum peritia cæteros excelluisset*. eorum præmiorum omnium solum expertem fuisse Gabinium scribunt. — *Eius gesta.*

Cic. pro Leg. Man. cap. 5. & Academ. 4. 1. Auct. de Vir. Illust. cap. 78.

Hæc omnia nihil habent triumpho dignum: quum tamen honorem illum Sullæ haud temere nisi merito tribuisse videatur: & *Murenam fortissimum virum, summumque Imperatorem* audiente populo Romano M. Tullius prædicaverit. Non dubito, multa eum præclara in Cappadocia Pontoque gessisse, donec à L. Sulla revocatus, tradita M. Minucio provincia, Romam ad triumphum decederet. Sane quæ supersunt Pontici Memnonis reliquiæ, *confirmato illum Ariobarzanis Regno, urbem adversus irruptionem Mithridatis condidisse*, tradunt: *deinde multis suadentibus Sinopen versus movisse, capite Regni occupato, cæteram in promptu victoriam fore ratum. Sed Mithridatem firmo imposito præsidio, ipsum cum exercitu occurrisse Murenæ: principia prosperiora Regi fuisse; deinde æquo Marte gestum bellum, detrito utrarumque partium ardore consenuisse. Mithridatem ad Phasin fluvium, Murenam in Asiam revertisse.*

Cn. Pompeius res in Africa gerit. Liv. Epitom. Plutarch. Pompeio c. 17. Val. Maxim. cap. 2. 8. Orosius. 5. 24.

XVIII. Dum inter has triumphorum pompas, toties capta suorum armis Roma gentibus externis exprobrat victoriam, in Africa ductu imperioque Cn. Pompeii præclarissime gesta Respublica est; quo illæ Sullæ literis & Senatusconsulto acceptis, ex Sicilia transmiserat. Cneus enim Domitius Ahenobarbus proscriptus (erat enim Cinnæ gener) magna ibi manu coacta priusquam magis confirmaretur, debellandus erat, ne pacem Italiæ turbaret, quod ex eadem regione C. Marius non ita pridem longe minoribus copiis instructus fecerat.

Exercitus Pompeiani ridicula occupatio.

XIX. Pompejus relicto, qui Siciliæ præesset Memmio, sororis suæ viro, cum navibus longis centum viginti trajecit copias. sequentibus onerariis octingentis, quibus commeatus, arma, pecuniæque & machinæ portabantur. Parte classis Uticæ portum tenente, parte Carthaginem appulsa, simul adesse Pompeium percrebuit, septem ad eum millia ab hostibus desciverunt. ipse sub signis sex legiones plenas habebat. Sed inutilis ei per aliquot dies exercitus à ridicula caussa fuit. Forte militum quidam defossam olim in agro pecuniam repererant. ea fama per tota castra pervagante, *omnem eam regionem plenam esse thesauris, quum Punica res floreret, absconditis*, dictum simul vulgo creditumque est. Inde nihil videres aliud nisi sparsa per campos agmina effodientium eruentiumque humum; neque abduci ab hac insania ulla vi aut arte poterant. complures ita dies absumpti, circumeunte Pompejo, nec tenente risum, quod tot millia hominum invertendis agris tamquam rei seriæ incumbere cernebat.

Prelium Pompeii cum Domitio. Orosius. 5. 21. Plutarch.

XX. Tandem inani labore defatigati, dixerunt Pompejo, *uti se quo vellet duceret, satis magnas se stultitiæ suæ pœnas dedisse*. Circa Uticam uterque exercitus in acie adstitit, valle tantum interposita aspera & ad transeundum difficili. Ob eam rem, & quia ventus imbrem ferens à primo mane ortus, ne provecto quidem die cessabat, Domitius tum temporis minime pugnatum iri ratus, signum receptui dedit. Hanc suam occasionem Pompejus prudenti consilio ratus, continuo transduxit suos, hostibusque incompositis & disjectis incubuit. at illi vento quoque turbabantur, qui compulsa in ora oculosque pluvia, conspectum auditumque adimebat. Nec expers hujus incommodi Pompejanus exercitus erat; adeoque dux ipse parum abfuit, quin occideretur à milite, cui tesseram poscenti tardius reddiderat.

Pompeius Hiempsalem in Numidiæ Regnum restituit.

XXI. Victi tamen magna pugna Domitiani sunt, ut de viginti millibus hominum tria tantum superessent. Pompejus quum ob hanc victoriam

Imperator ab exercitu appellaretur, negavit *hoc se nomen agnoscere, donec hostium castra starent*. Ad hunc quoque laborem promptis militum manibus usus est: & ne iterum in simile periculum incideret, deposita galea nudo capite pugnavit. Castra capta sunt. Domitius, dum inter primos repugnat, occubuit. Civitates quæ sequutæ Carbonianas partes fuerant, sponte ad obsequium victoris occurrerunt: nonnullæ vi receptæ sunt. Ut deinde Hiempsalem in Numidiæ Regnum restitueret, Hiertam bello persequutus, quia Comitio auxilium tulerat, in fugam præcipitem egit: deinde immisso Bogude Bocchi Maurorum Regis filio, copiis omnibus spoliavit: postremo Bullæ obsessum, dedito sibi oppido, interfecit. Orosius. Liv. Epitom. Plutarch. Sallust. Hist. 1. 2. 9. Eutropius. Auct. de Vir. Illustr.

XXII. Ita Regnum Numidiæ ab Hierta ad Hiempsalem Pompeji beneficio rediit; quam universam finitimasque aliquot regiones cum victore exercitu mira celeritate peragravit, quadraginta non amplius diebus Africa recepta, Regnorumque statu composito, annorum admodum quatuor & viginti adolescens. Postquam è Numidia reversus Uticam est, redditæ sunt ei Dictatoris literæ *dimittere* jubentis *exercitum, & cum una legione exspectare successorem*. id quum ipsum occulte morderet, exercitus palam indignantissime tulit: & petente Pompejo ut proficiscerentur, multis in Dictatorem conviciis, *tyrannum & Cinnam* appellantes, negarunt *se passuros ut sine legionibus se credat homini crudeli & perfido*. Revocatur à Sulla. Hirtius de B. Afric. cap. 22. Plutarch. Liv. Epitom. aluft. locis cit.

XXIII. Adversus hæc Pompejus orando monendoque mitigare iratos conabatur: sed illis in sententia persistentibus, in tabernaculum relicto tribunali lachrimabundus se recipit. Tum illi reprehensum iterum collocarunt in suggestu, magnaque diei pars hac contentione exempta est, donec instantibus illis & clamorem tollentibus juravit *sibi manus allaturum esse, ni quiescant*. Ægre destiterunt. Inter hæc Ægyptii legati venerunt Romam, Cleopatræ quæ post mortem viri Alexandri ac patris Lathuri, duorum Ptolemæorum, Regnum obtinebat, maritum ex Regia stirpe petituri. Nam Alexandri filius ex alia uxore, cognominis patri, quum à Cois apud quos educabatur, Mithridati deditus, ab hoc ad Sullam profugisset, inter familiares ejus Romæ agebat. Ægyptiorum legati Roma Regē petunt. Porphyr. apt. Eusebium. App. an. lib. 1 Civil. Prolog. Trog. 39.

XXIV. Idcirco Sulla tum alias honestum sibi fore ratus, Ægypto Regem imposuisse, tum ex opulentissimo Regno prædam forte sperans, Alexandrum ad Cleopatram mittit. Sed illi nuptiis novercæ potito haud satis fuit consortem Regni factum esse, quin Sullæ fiducia, quidlibet pro sua unius libidine faceret: eo progressus væsaniæ, ut undevicesimo imperii die, Cleopatram audaciæ suæ succensentem, de medio tolleret. Sed mors mulieris, ipsius quoque vitæ properum attulit finem: Alexandrinique correptis armis è Regia protractum, in Gymnasio interemerunt. Regnum ad Ptolemæum cognomento *juvenem Bacchum*, qui Ptolemæo editus, mox cognomen *Auletæ* ex tibiarum studio nactus est, tamquam proximum Cleopatræ tororis hæredem, pervenit. Anno sequente, L. Sulla, quamquam Dictaturam gereret, iterum creari Consul voluit, adsumpto in societatem honoris Q. Cæcilio Q. F. L. N. Metello Pio. Alexander mittitur; sed malis successibus. Urb cond. an. 674.

XXV. Quod deinde Cæsaribus exemplum placuit, ut cum summa & Regia potestate, Consulatus titulum conjungere, pulchrum & civile arbitrarentur. Hic annus jucundum, nec ante visum Urbi spectaculum attulit, quum Eques Pompeji reditus ex Africa. Plin. 7. 26. 2.

Liv. Epitom. Plutarch. Sallust. Hist. a. 1. 2. Cæsar. Civil. a. 7. Diod. apud Vales. Romanus, idque nondum expleto quinto & vicesimo ætatis anno, triumpharet. Pompejus is fuit, non minoris paulo ante terroris hominibus, quam nunc lætitiæ caussa, quia *dedignantem jussa Sullæ, cum infesto exercitu venturum in Italiam* putaverunt. Unde Sullam quoque dixisse rumor erat, *fatale sibi esse cum pueris in senectute colluctari*, quod & C. Marius adolescens negotium ei exhibuerat. Igitur quemadmodum præsentibus uteretur incertus, & ferebat de reditu ejus legem, & ex composito per C. Herennium Tribunum plebis se sinebat prohiberi.

Sulla honoris caussa occurrit Pompejo. XXVI. Nam alio ferme omni jure Tribunis erepto, intercessionem liberam reliquerat. Cæterum fama Pompeji Romam pacato agmine contendentis metu ac solicitudine civitatem absolvit. Incredibilis hominum multitudo, cum summa propensissimæ voluntatis demonstratione, obviam fuere. Sulla quoque quasi cum studiis civium certaturus occurrit ei, pronoque favore acceptum, elata voce *Magnum* consalutavit, adstantesque monuit, ut hoc eum deinceps nomine compellarent. Triumphum tamen petenti restitit: nec quasi invideret.

Sed triumphū negat. Val. Maxim. a. 8. 5. Plutarch. XXVII. *Nec enim ignoras*, inquit, *Cn. Pompei, quanti te faciam, quantisque dignum honoribus judicem. quid enim est, quod non virtus illa tua Reique publicæ & mihi præstita fidelissima atque fortissima opera mereatur? Et ego, si verum amas, non parcior in honoranda virtute tua fui, quam tu in explicanda extitisti. sed neque in posterum quidquam tibi negaturus sum, quod fieri possit, & instituta civitatis nostræ patiantur. Verum enim vero ita comparatum esse nosti, ut more majorum hic honor concedatur nemini, nisi qui Consulari aut Prætorio imperio præditus res gesserit. Ita P. Cornelius aliquanto amplioribus in Hispania gestis rebus; ita M. Claudius captis Syracusis triumpho caruerunt.*

Rem invidiosam & illi & sibi dicitant. XXVIII. *Non debes indignanter pati, si Scipionibus & Marcellis æqueris adolescens nondum ætate Senatoria. Plus est meruisse triumphum, quam duxisse: & si quid in hac pompa felicitatis inesse arbitraris; non adempta tibi, sed ad maturos honores, quorum certiora pignora nemo umquam habuit, seposita est. Quid te delectat occupare cum invidia, quod paulo post ultro venturum est cum gloria! Quamquam, si te tantummodo sermonibus hominum objectares, fortassis ego paterer; & tibi eadem ætas, quæ ad commovenda judicia facit animum, etiam ad ferenda daret. Sed quia mihi nemo ignoscet, cujus ab annis & potestate publici decoris scientia simul atque custodia postulatur, ut vel mea caussa desistas, peto. Quod si tu mei rationem habere renuis, & rem utrique invidiosam perficere perseverans, salva amicitia nostra hoc facere posse existimas; mihi quoque tandem juris adsumam, & quod ambitione ac cupiditate inductus captas, auctoritate & jure prohibebo.*

Pompeii vox nullam movet. Zonaras. Plutarch. XXIX. Vera erant quæ allegabantur. sed intelligebat adolescens, frustra hæc ab eo adferri, qui jura civitatis omnia prior conculcasset. ideo ne Lucretii quidem casu perterritus institit tanta fiducia, ut etiam *plures adorare Solem orientem quam occidentem* diceret. Eam vocem quum non satis Sulla percepisset, ex vultu autem gestuque mirantium, aliquid insuetati esse conjiceret; *quid enim dixisset Pompejus?* interrogavit: acceptoque, confidentia adolescentis perculsus, voce velociter repetita *triumphet! triumphet!* exclamavit. Erat plane res livori multorum obnoxia, sed Pompejus ut malignitatem eorum ulcisceretur,

Plin. 7. 2. 1. Plutarch. Frontin. 4. 5. 1.

auge-

augeretque dolorem, quadrigis elephantorum invehi constituit, multas enim belluas victo Numidiæ Rege ceperat. Sed quia porta erat angustior, quam ut juncti intrare elephanti possent; ad pristinum morem reversus est.

XXX. Dum id agitur, exercitus donativo non contentus, tumultuabatur: & *pecuniam quæ erat ferenda in triumpho direpturum* dicebant. Neque deerant ex illustribus, qui *dividendam* dicerent, *ne seditio oriretur*. sed ille negabat *se clamoribus militum commoveri. Non ideo cepisse arma, & cum principibus civitatis multa prælia fecisse, ut iis serviret, quibus imperare debeat. Mirari se hominum amentiam, si putent constantiam, quam in mediis bellorum tumultibus semper præstiterit, nunc parta pace, victis hostibus, ad Urbem omissurum*. Pompeji severitas in seditione militũ.

XXXI. *Non ita se per Italiam hoc bello, Siciliamque & Africam esse cognitum, ut illi ipsi, quos animi sui testes toto eo tempore habuisset, sperent seditiosis vocibus ab instituto dimoveri posse. Facilem se & liberalem exercitibus suis Imperatorem exhibuisse, quoad rectum honestumque putaverit: nunc etiam pronunciasse quod satis esse existumet, præsertim tam brevi expeditione defunctis. Olim milites Romanos parvo contentos maluisse sudoribus & periculis suis ærarium publicum locupletari: nunc sibi studere quemque, ut defraudata Republica in tot particulas distractæ pecuniæ, neque privatorum cupiditatem explicant, & usibus civitatis, nimium quantum his temporibus exhaustæ subtrahantur*. Liberalem se fore dicit suo arbitrio.

XXXII. *Audire se jactari à quibusdam, multum etiam juris penes exercitum esse: id quidem facilius dici, quam demonstrari posse. cæterum ut maxime ita res haberet, missum se prius triumphum facere, quam ut militibus suis aduletur*. fasces deinde laureatos objecit acriter increpitis, *ab illorum direptione* jubens *incipere*. Hac verecundia quum ad modestiam eos redegisset, in majori omnium admiratione, quam ob tot res bello gestas fuit: Serviliusque præcipuus antea negandi triumphi auctor, pulcherrimum ei testimonium reddidit; *nunc vero se Pompejum vere Magnum, triumphoque dignissimum agnoscere*. Sub idem tempus Cn. Norbanus Consularis proscriptus, quum Rhodum trajecisset, atque repetitus à Sulla comprehenderetur: Rhodiis adhuc deliberantibus, in medio foro se interemit. Cn. Norbanus se interemit. Plutarch. Frontinus.

XXXIII. Neque enim adhuc proscriptionum acerbitas plane conquieverat: & Mutilus unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad ædes Bastiæ uxoris quum accessisset, admissus minime est, quod illum mulier *proscriptum* diceret: itaque se transfodit, & sanguine suo fores uxoris respersit. Tum etiam Nola, quæ postrema urbium Samnitibus infessarum pertinacissime arma retinebat, proditione capta est, M. Æmilio Lepido intromisso. neque cognita obsessi, quia Samnitibus nulla spes salutis apud Sullam relicta erat, suis aut suorum gladiis occuparunt necem: quidam laqueis præfocati sunt: alii foribus occlusis domos seque concremarunt. eodemque tempore ventus exortus vehemens, ita distulit incendium, ut oppido conflagrante omnis simul præda amitteretur. Nola capitur. Liv. Epitom. Appianus. lib. 1. Civil. Velleius 2. 18. Appianus. Liv. Epitom.

XXXIV. At L. Sulla quo Urbem & Italiam suæ factionis hominibus quasi compedibus vinctas teneret, decem millia servorum, ætate ac viribus florentissimum quemque manumisit, qui inter cives adscripti, de nomine patroni, uti mos erat, *Cornelii* sunt appellati. Lege deinde comitiis centuriatis lata, municipiis plerisque civitatem & agros ademit, adscripsit tamen in eandem legem: *si quid* Municipiis civitas & agri adimuntur. Appianus. Cic. pro domo cap. 30. Cic. pro Ce-

cin. cap. 7 Liv. Epitom. Memnon. *jus non esset rogari, ejus ea lege nihilum rogatum*. Ità caput de civitatis jure adempto, ne vivo quidem Sulla valuit: de agris ratum fuit; & coloniæ militares legiones quatuor & viginti deductæ, iisque divisi agri sunt. Namque non modo qui arma contra tulerant, sed quorum neutro inclinata studia, aut etiam pro Sulla fuerant, res suas fortunasque omnes perdiderunt. nec enim tam in pœnam inimicorum, quam ut firmamenta dominationi quærerentur, talia fiebant.

Reges etiam premuntur à Sulla. XXXV. Ex eadem disciplina, externæ nationes Regesque non stipendiarii solum, sed & æquo fœdere juncti, nonnulli etiam ob virtutem & merita immunitatem adepti, exactionibus & tributis atterebantur: ut etiam agri quibusdam & portus, qui ex formula fœderis debebantur, adimerentur. His maxime rebus & ille annus præteriit, & proximus quo P. Servilius C. F. M. N. Vatia, qui postmodum Isauricus appellatus est, & App. Claudius Consules fuerunt. Nam oblatum sibi adulatione populi Consulatum Sulla recusaverat. Inter hæc Volaterræ, quod oppidum adhuc in armis erat, publica interposita fide sunt deditæ.

Urb. cond. an. 674. Volaterræ deduntur. Appianus. Liv. Epitom. Cic. pro domo cap. 30. Mitylenis expugnatis C. Cæsar civicam meretur. XXXVI. In Hetruria Volaterræ sunt juxta litus maris, eximio ad tutelam loci situ. Nam è profunda valle tumulus undique præceps in altitudinem prope duorum millium passuum erectus, urbem sustinebat, uti adscensu aspero & difficili, ità plano commodoque vertice. Huc se proscriptorum quidam contulerant, coactaque Hetruscorum manu, quum legiones quatuor effecissent, per biennium restiterunt. quamquam nonnumquam ipse Dictator in castris obsidentium fuisset. Sic exstinctis per Italiam bellorum reliquiis, etiam in Asia quæ sola urbs post victum Mithridatem in rebellione perstiterat, Mitylenæ à M. Thermo expugnatæ dirutæque sunt. Eo bello C. Julius Cæsar admodum adolescens in contubernio Prætoris egit, & ab eo captis Mitylenis corona civica donatus est.

Cic. pro Sex. Rosc. cap. 37. Liv. Epitom. Sueton. Cæsar. cap. 2. Orosius. 5. 22.

Sulla privatus ex Dictatore. XXXVII. Idem annus L. Sullam ex perpetuo Dictatore privatum vidit, rem inopinatam, & non una de caussa prorsus admirabilem. Qui enim tamquam rabie quadam actus, nihil usquam sibique & aliis quietum, nulla jura inviolata, nihil ad summam contentionem laborum, periculorum, denique scelerum & immanitatis reliquum fecerat, ut unus omnia posset; is ut interpellante nemine summi imperii pacatam & patientia civium propemodum justam possessionem sponte deponeret, exspectari profecto non debuit, præsertim quum neque ætate etiamnum, neque corporis viribus destitueretur. An ipsum jam pigebat raptæ potestatis, & quum recordatio delictorum feræ pœnitentiæ morsibus conscientiam mentem cruentaret, quantas miserias quam vile ob præmium perferret, experientia monstrante persenserat.

Adfectus consilio regendi. Plutarch. Sulla. cap 68. Sueton. Cæsar. Henric. Pau. de M. Rom. Appianus. lib. 1. Civil. Orosius. 5. 22. XXXVIII. Nam priusquam cupitis poriretur, in his omnem inesse & solidam animi felicitatem crediderat: adeptus deinde, quum se pejus etiam excruciari deprehenderet, odisse atque fastidire cœpit, quod antea per tot bella civilia flagrantissime appetiverat. Hæc exempla docere mortalitatem poterant, ut priusquam sese præcipitent, unde regredi non liceat, consilio regant adfectus, iisque rebus quærendis adhibeant, quas ubi consequuti fuerint, nullo deinceps pudore, pœnitentiave torqueantur. Nam Sulla quidem, quam acerbis suppliciis domesticus pristini judicii errorem emendaverit, in propatulo est, quum rem antea prælatam omnibus, ità festinaret abjicere, ut ne mortis quidem metu tot millium in se irritatis animis retentus, hoc diserte dicere videretur, perire se malle, quam diutius Dictatorem agere.

XXXIX. Non dubito, quin plerique pravo consilio usum fuisse Sullam judicaturi sint; quemadmodum & statim C. Cæsar in depositam ab eo Dictaturam ludens, *Sullam nescisse literas* dixit: sed eventus utriusque satis ostendit, doctiorem in his negotiis Cæsare Sullam fuisse. Proximum deinde miraculum fuit, quod privato non solum salus, sed etiam dignitas constitit: quum plusquam centum millia civium Romanorum, & inter hos Senatores nonaginta, Consulares quindecim, Equitum circiter duo millia sexcentos (computatis una exsulibus) occidisset; bona eorum vendidisset; multos projecisset inhumatos; civitates quoque plurimas arcibus, muris, agris, pecunia varie spoliasset. cæterum illum ne hominum manibus cita & communi plurimis morte defungeretur, ad memorabile exemplum ultio divina servaverat. — *Cæsaris dictū in Sullam.*

XL. Ideo quum pro concione dixisset, *rationem se actorum omnium, si quis reposcat, redditurum esse*: dimissis lictoribus atque custodia, cum amicis diu in publico deambulavit, attonito populo, & hæc miracula non sine horrore quodam adspiciente. Unus tantum adolescens fuit, qui auderet queri: & quia nemo prohibebat, animo sumpto, recedentem usque ad fores domus conviciis incesseret. Atque ille cujus iram potentissimi viri maximæque civitates, nec effugere, nec placare potuerant, unius adolescentuli contumelias patienti animo tulit; id tantum in limine jam domus effatus; *hic adolescens efficiet, ne quis posthac tale imperium deponat.* quam præsagi animi vocem non longo post tempore Dictator Cæsar explevit. — *Adolescens conviciatur Sullæ. Plutarch. Appianus.*

XLI. Sulla profectus in Cumanum, rusticari, piscandoque & venando tempus ducere cœpit: quum prius Herculi consecratis decimis epulum populo sumptuosissimum præbuisset, ea adfluentia, ut quotidie (per multos enim dies ducebatur) ingens vis ciborum in amnem projiceretur; vinum quoque dedit annis quadraginta vetustius, quod à nomine Consulis sub quo natum fuit, *Opimianum* vocabatur. nam contra suas ipse leges leniendæ ægritudinis caussa, luxum intenderat, iisdem diebus uxore amissa Metella. ei quum jam desperatæ salutis esset, de sententia sacerdotum libellum repudii Sulla misit, spirantemque adhuc transferri in alias ædes jussit, quod scilicet religiosissimus Pontifex, qui tot hominum agmina contrucidaverat, salvis religionibus adspicere morientem, aut funere pollui domum suam ferre non posset. — *Metella Sullæ moritur. Plutarch. Plin. 14. 14. Senec. Consol. ad Marc. c. 15. 3. Plutarch.*

XLII. Non tamen sic abstinuit à Republica, ut nullo eorum quæ fierent sensu adficeretur. Igitur comitiis Consularibus, quum præter suam sententiam designato M. Æmilio Lepido, Pompejus, cujus studiis perfecta res fuerat, lætus abiret; vocavit eum ad se Sulla, dixitque, *Te vero providum consilii, adolescens, & sapientem, qui pessimum omnium Lepidum, optimo omnium Catulo priorem renunciandum curaveris. At tu fac vigiles, qui adversarium effeceris valentiorem.* Neque fefellit eum præsagus futuri animus, & spirante adhuc Sulla, seditiosam ad Quirites orationem Lepidus Consul habuit, quæ adhuc inter reliquias Historiæ Sallustianæ servatur. — *Sullæ vox ad Pompejum de Lepido. Plutarch. Pompejo. cap. 14.*

XLIII. Paulo ante hoc tempus, quam à Mithridate ad scribendum fœdus legati venissent, infecta re dimissi sunt: quod Ariobarzanes, sponte sua an aliorum instinctu, incertum, *non esse sibi cum fide restitutam Cappadociam* detulerat. Eam Sulla tum adhuc Dictator jussit restitui. & Mithridates paruit, quam- — *Mithridatis res gestæ. Appianus. Mithridat. Memnon.*

B. Hic referri de Sullæ altero Matrimonio ex Plutarch Sulla cap. 70. & Suid. in εἰ'ρωνες.

quàm ad Phasin & Caucasum rebus interea præclare gestis, imperii fines protulerat, Bosporanis subactis, quibus filiorum unum Macharem Regem dedit. Sed idem quum in Achæos fecisset expeditionem, insidiis & vi frigoris exercitum carpentibus, vix tertiam copiarum partem reduxerat.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XC. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

SULLA decessit, bonosque ei à Senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Æmilius Lepidus, quum acta Sullæ tentaret rescindere, bellum excitavit: & à Q. Catulo collega Italia pulsus est: & in Sardinia, frustra bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam tenebat, à Cn. Pompejo occisus est. Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul, & M. Domitius legatus, ab Herculeo quæstore prælio victi sunt. Præterea res à P. Servilio Proconsule adversus Cilicas gestas continet.

Urb. cond. an. 675. Morbus Sullæ pedicularis. Sallust. Hist. 3. 1. 1.

RES populi Romani M. Lepido, Q. Catulo Consulibus, ac deinde militiæ & domi gestas amisso Livio, satis ex Sallustianis Historiis licebat cognoscere, nisi & illas idem omnino fatum abstulisset. Idcirco fontibus obturatis, ex rivulis aut etiam lacunis, ista nobis haurienda sunt, sic interim sordida cœnoque permixta, ut vix magno studio & attentione percolata liquescant. Sed nos, qua poterimus industria cœpto insistentes, à morte L. Sullæ velut novum initium ordiemur. Nam ibi iterum conversio quædam Reipublicæ facta est, & auctoris voluntate deposita brevis ævi dominatio, morte ipsius plane exstincta. Morbus igitur quo Sulla periit, minime communis fati, sed singularis cujusdam fœditatis atque supplicii fuit exuberantibus pediculis, ut qui tot milla civium cognatique sanguinis hominum, inauditis cruciatibus peremisset, ejusdem artus, velut intestino bello, ab illo quem genuerant animalculorum exercitu deriperentur.

Epitom. Liv. Appian. lib. 1. Civil. Tacit. 1. 1. 2. Plutarch. Sulla cap. 72. Q. Serenus. Pad. Plin. 7. 43. 6.

Justum DEI judicium. Plutarch.

II. Est enim profecto DEUS, qui numquam impune spernitur, & licet acerbiores pœnas in aliud ævum justissimus judex seposuerit, quod includi præsentis angustiis nequeant; sæpe tamen viventibus proponit spectanda noxiorum tanta supplicia, ut si nihil deinceps timendum foret, vel his deberent à peccando deterreri. Dissimulavit tamen utcumque mali sensum jam non felix Sulla, & quo avocaret à tam tristi cogitatione animum, in quaslibet occupationes incubuit.

III. Quippe decimo ante excessum die, Puteolanorum dissensionibus compositis, leges scripsit, quibus deinceps uterentur. Rerum suarum componendis commentariis biduo priusquam decederet, operam postremo dedit, alteri & vicesimo libro immortuus. in eo *Chaldæos sibi prædixisse* narrabat, *ubi gloria invidiam vicisset, in summo flore felicitatis esse obiturum*. itemque *somnium præterita nocte sibi oblatum, per quod filiolum suum, ante Metellam mortuum, videre visus esset, appellantem se, jubentemque curis omissis ire secum ad matrem, ubi cum ea in quiete & otio degeret*. Sulla rerum suarum Commentariis immoritur. Plin. Plutarch. Appianus.

IV. Postridie quum id somnium amicis enarrasset, testamenti tabulas confecit obsignavitque. mox sub vesperam nunciato, *Granium quemdam Puteolanæ Reipublicæ debitorem, mortem ejus exspectare, ne solveret*; accito homini in cubiculum à famulis *intorqueri fauces*, non sine vehementi clamore & corporis jactatione jussit. Ab hac contentione rupta vomica, magnam vim effudit sanguinis: ne qui tam sanguinarius in vita fuisset, incruenta ad inferos morte descenderet. Ita viribus defectis noctem eam inter summos cruciatus quum exegisset, infelicem spiritum reddidit. Mors Sullæ.



V. Mors Sullæ confestim Consulum jam ante non satis concordium contentiones excitavit. Senatus referente Catulo honorem ei haberi volebat, ut in Campo Martio sepeliretur; Lepidus multique cum eo alii præfracte repugnabant. Ibi generose animo suo Pompejus imperavit, & quamquam Sullæ testamento, quum ille legata relinqueret, liberisque tutores daret, esset præteritus, partim gratia, partim precibus, interim & minis submovit obstantes, funusque Romam prosequutus exsequiis securitatem decusque præstitit. Ordo pompæ hic fuit. Aureo lecto corpus defuncti per Italiam in Urbem Regio prorsus fastu ferebatur. tibicinum caterva, equitesque & gravis armatura frequentibus ordinibus sequebatur. pariterque in itinere qui legati ejus ad exercitum fuerant, cum armis accurrentes ut quisque advenerat, locum suum capiebat. alia quoque multitudo, quanta vix umquam ulla de caussa, undique confluebat. Et ejus Exsequiæ. Appianus. Liv. Epitom. Plutarch. Pompeio cap. 25. Plutarch. Lucul. cap. 60. Plutarch. Sulla.

VI. Insignia magistratus & secures, ut nuper Dictatori, præferebantur. Hoc ordine in Urbem perlatum cadaver est. Sed quum ad rogum efferretur, longe major longeque splendidior apparatus fuit: coronæque aureæ, dona civitatum, legionumve, aut amicorum, plusquam duo millia spectabantur. Corpus, quo sacrorum timore concurrentium militum licentiam frænaret, omnia Sacerdotum Ordo & pompa Funeris.

collegia Vestalesque comitatæ sunt: tum Senatus universus, & cum insignibus suis magistratus. Mox Equitum Romanorum agmen, & omnis qui sub eo meruerat exercitus (singuli enim ut præsto forent properaverant) cum auratis signis, & armis argentatis, quo ornatu esse deinceps etiam in pompis consueverunt.

Dispar animus hominum, in pari testificatione voluntatis. Plutarch. Sallust. Hist. 1. 2. Appianus.

VII. Inter hos variis locis magnus tubicinum incertus numerus, lugubre quiddam concinebat. Voces deinde honorificæ per ordines acclamatæ sunt, incipientem Senatum Eques, Equitem plebes excipiebat. Sed non idem omnibus in pari testificatione voluntatis animus erat: pars vere deflebat amissum: cæteri Sullanorum præsentes copias, & ipsum adhuc quamquam vita orbum metuebant. Pro Rostris cadavere posito, laudatus est ab aliquo disertorum, quia Faustus filius nondum maturæ ætatis erat. L. Philippum huic officio delectum crediderim, qui tum ætate & facundia cæteros anteibat. deinde sublatus Senatorum humeris lectus in Campum Martium deportatus est, ubi tantummodo Regum erant monumenta.

Sulla cur voluerit cremari.

VIII. Sub nonam diei horam in Campum est ventum: quia nebula matutina ne celerius exirent, pluviæ metu curatores funeris tardaverat. Tum impositus rogo est, cum ingenti vi odorum, quos adeo liberali manu matronæ contulerant, ut præter ducenta decem fercula, Sullæ ipsius simulachrum justa magnitudine, simulque lictoris imago fictæ fuerint ex optimo thure & cinnamomo. Hæc omnia flammis consumpta. Nam cremari primus è patriciis Corneliis voluerat; quum ejus gentis mortui semper intactis igne corporibus terra tegerentur. Id eo factum putant, quia C. Marii reliquias ad Anienem sitas, mortuo quoque implacabilis hostis, spargi in flumen jusserat; & ne sibi accideret, quod in alterum statuisset, metuebat.

Cic. de legib. 2. 2. Plin. 7. 54. Cicero.

Novæ contentiones post Marium & Sullam. Florus. 3. 23. Appian. L. Ampel. Pedian. in Verr. 4. Liv. Epitom.

IX. Mortuus jam Marius, mortuus Sulla, civilium bellorum sævissimi duces erant: sed vivebant adhuc in animis superstitum discordiæ, & velut ab ipso hujus rogo accensæ, inter redeuntes ab exsequiis Consules statim acerbis sermonibus exarserunt. Seditiosum Lepidi ingenium metus judiciorum stimulabat, ut res turbari, valde sua interesse judicaret. Nam ob exspoliatam Siciliam, à duobus Metellis, Celere & Nepote legibus interrogatus, quamvis illi ob gratiam ejus apud populum victi destiterant, absolutus tamen non erat, & ne aliquando revocaretur in judicium metuebat. Itaque turbidis concionibus veluti classico, concitata inopi plebe, Italicos etiam populos spe restituendorum agrorum conciliabat.

Prodigia.

X. Sanior pars populi facile providebat, si acta Sullæ rescinderentur, Rempublicam utcumque compositam, novis tumultibus bellisque arsuram. Movebantur & prodigiorum obscœnitate, quæ inter novum illud & inauditum antea, *in Ariminensi agro in villa Gallerii loquutum gallum gallinaceum esse*. Idcirco Senatus utrumque Consulem jurejurando adegit, *se hujus controversiæ caussa arma non sumpturos*. Lepido, ne quid in Urbe turbarum daret, exercitus & provincia Gallia trans Alpes decreta. Ille tempus in Hetruria ducendo, nolebat ad comitia reverti, ne bellum quod in animo habebat, impediretur. putabat enim jusjurandi non ultra Consulatus tempora valitura fide, postmodum nulla religione obstrictum ad servandam pacem fore.

Plin. 10. 21. Sallust. Hist. 1. 3. 4. Appian.

Lepidus cum exercitu venit ad Urbem. Sallust. Hist. 1. 3. 6.

XI. Non erat obscurum Senatui, quid animi consiliique Lepido esset: præsertim quum *Hetruriam conjurare, proscriptos acciri, largitionem tentari* perno-

tuisset. Igitur *occurrere eum ad tempus Comitiorum* jubet. & adfuit ille ex Hetruria, sed eum universo exercitu, quem ad Urbem adducere secum constituerat. Sed jam Milvium pontem, collemque Janiculum Q. Catulus Consul, cum Cn. Pompejo præceperant. Relata enim lex Plautia, capitibus aliquot adiectis, contra vim malorum; & adiungens se optimatibus Pompeius, Catulo pacis quam belli artibus præstantiori datus adiutor fuerat. Igitur Lepidus arma suos capere imperat: fit idem & à Senatus partibus: prœliumque non procul Campo Martio conseritur.

Florus. Appianus: Cic. pro Cælio cap. 29. Plutarch. Pompeio c. 25. Eusebius. Rutil. it iner. 290. Liv. Epitom.

XII. Primo statim impetu pulsus Lepidus, in Hetruriam perfugit: Pompeius adversum Brutum est profectus, qui legatus Lepidi Galliam Cisalpinam non invalida manu obtinebat. Satis diu bellum id tractum ad Mutinam est: quum castra castris opposita essent, nec ad summam rei profectura certamina consererentur. Ea res Lepido qui circumacto interim anno Proconsule se gerebat, otium præbuit, ut collectis ex qualibet hominum fæce copiis magnis ad Urbem tenderet, adsidensque Consulatum alterum postularet.

Sed repellitur.

XIII. Ad famam venientis haud parva in Urbe trepidatio fuit: & in Senatu Q. Philippus in hæc verba censuit; *Quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum, cum pessimis, & hostibus Reipublicæ contra hujus ordinis auctoritatem ad Urbem ducit, uti Ap. Claudius Interrex cum Q. Catulo Proconsule, & cæteris quibus imperium est, Urbi præsidio sint, operamque dent ne quid Respublica detrimenti capiat.* Sed metum cito ademerunt adlatæ à Pompeio literæ, quibus *confectum bellum, traditus cum exercitu Brutus* nunciabantur.

L. Philippi sententia contra Lepidum.

XIV. Eum Pompeius, quum datis qui prosequerentur equitibus Rhegium deduci iussisset: statim insequenti die pœnitentia ductus, Geminium misit, à quo non sine infamia perfidiæ crudelitatisque Pompeianæ est interfectus. Alba quoque, quam deinde *Pompeii* nomen tulisse arbitror, quod ab eo tum conservata esset, postquam obsidionem famemque ferre amplius non potuit, dedita est, ibique Scipio eum Lepidi filio captus & occisus. Inter hæc Comitiis per Interregem habitis, Consulatum D. Junius D. F. M. Nepos Brutus, Mamercus Æmilius Mam. F. M. N. Lepidus Livianus inierunt.

Pompeius id bellum conficit. Plutarch. Orosius 5. 22. Val. Maxim. 6. 2. 8. Cic. ad Attic. 9. 17. Plutarch. Brut. cap. 6 Ann. Urb. cond. 676.

XV. Mamerco homini ditissimo ne suo anno Consul fieret, prætermissio Ædilitatis nocuit, quod sumptuosum muneribus magistratum amore pecuniæ vitatum ab eo populus crediderat. tum quoque tulisset repulsam, ni C. Curio, ut adolescentior, & populi suffragiis integer, ætati Mamerci concessisset. His auditis Lepidus, quum hostis ab Senatu judicatus, iterumque victus esset, recessit Cosas Hetruriæ maritimum oppidum, ubi insequente Catulo nova commissa pugna est. cui superveniens ex Gallia Pompeius magnam edidit cædem, & reliquos fugere in Sardiniam coegit.

Lepidus in Sardiniam fugit. Fasti Capitol. Cic. de Offic. 2. 17. Sallust 1. 2. 24. Eusebius. Orosius. Jul. Exuperant. cap. 6.

XVI. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior ut amoto nonnihil periculo, cæterum haud minus gravis & multiplex cura Patres exercebat; quia præter externa bella, quæ sub idem tempus pluribus locis eruperant, duce partium vivo, dilatum potius, quam exstinctum civile incendium habebatur: metusque erat, ne impedienda annonæ transvectione Urbem inopia urgeret. Sed illud bellum, per quod homo delicatus luxu sibi carendum videbat, segniter mo-

Ibique moritur. Florus. Sallust. Hist. 1. 4. 1. Orosius. Jul. Exuper. Florus. 3. 23. Ascon. in Scaur.

Plutarch. Plin. 7. 36. 4. 7. 53. 12. Val. Maxim. a. 8. 7. Appianus. lib. 1. Civil.

liebatur, donec pœnitentiâ consilii, & à C. Valerio Triario qui provinciam proprætore obtinebat, undique depulsus, & oppidorum expugnatione prohibitus, contrarios cogitatis eventus habuit: lentaque tabe correptum, cognitum uxoris Apuleiæ adulterium tædio & dolore confecit.

Mortis ejus caussa. Jul. Exuper. Sueton. Cæsar. cap. 2. Liv. E. Hi. Salust. id. 3. 5. 5. Sueton. Agel. 13. 8.

XVII. Epistolam enim criminis indicem forte nactus, divortii libellum misit: deinde simul charitate desiderioque repudiatæ, simul injuriæ suæ acerbitate ac dolore exanimavit. Extrema quoque hujus memorabili eventu adverterunt curiosos: quia corpus flammæ vi è rogo ejectum, quum reponi propter ardorem nequiret, juxta sarmentis aliis nudum crematum est. Sic atrocibus belli minis inter ipsa initia compressis, victores, rara iis temporibus modestia, pace contenti fuerunt: quam ob moderationem non minus, quam ob bellum feliciter confectum, C. Catuli magnopere celebratum nomen est.

Belli Lepidani gratia fit pœnitentibus.

XVIII. Exercitus Lepidi, carpentibus insulanis, quibus molestus esse cœperat, dissipatus est: quod roboris fuerit Perperna ad Sertorium adduxit; qui profectus in Hispaniam, quum se relatum in proscriptos didicisset, bellum ingens excitaverat. Igitur ut vires ei subtraherentur, Senatusconsulto, & rogatione Plautia belli Lepidani gratia pœnitentibus facta, reditusque decretus: maxime adnitente C. Cæsare, qui concionem super ea re habuit, quod in eadem caussa L. Cinna, uxoris suæ frater, esset. Igitur *civilium armorum furias*, quibus ipse haud leviores excitaturus erat multum execratus, orare Patres cœpit, *ut aliquando his malis terminus poneretur*.

Suadente C. Cæsare.

XIX. *Ira deorum multis ab annis ita conquassatam internis seditionibus Rempublicam, ut siquidem diutius ea durare pestis debeat, necessum sit omnia ruere. Desiderare Urbem ornamenta pacis belliques; desiderare consiliorum auctoritatisque principes Curiam: multa præstantissimorum virorum capita per Damasippum; multo deinde plura per Sullam decisa, quæ velut in opprobrium publicæ servitutis pro Rostris spectanda proponerentur. Nunc autem remittente numinum indignatione, sublatis horum scelerum auctoribus, necessum haud esse, ut deterrimorum virorum instituta, per probos & patriæ amantes exerceantur.*

XX. *Donec recens adhuc dominatio, & Dictatoris terror primum, deinde memoria valuerit, facta quædam à gementibus esse, quæ recordatione temporum utcumque defendantur: si quid eorum præterea fieret; jam nullum colorem superesse, quum consulto facta credantur, & multi pro uno Sullæ exstitisse. Ita nullum alium civilis belli finem, nisi eumdem & imperii sperari posse. Igitur magnopere se consulere Patribus, ut recipiendis in civitatem abolendaque eorum noxa qui Lepidum sequuti nuper essent; minuerent hostes patriæ, darentque exemplum omnibus, nemini errorem suum fraudi, sed tantum pervicaciam fore: neque Senatum alios habiturum pro hostibus, quam qui conciliari Patriæ nolint.*

Sertoriani belli origines. Plutarch. Sertor. cap. 9. L. Ampel.

XXI. *Nullum validius ad stabiliendam pacem adjumentum fore: nam eadem opera Sertorio, & qui alii arma retineant, magnam virium partem decessuram; & eamdem ad Rempublicam accessuram esse.* Cæterum postquam ad Sertoriani belli mentionem accessimus, quod illa tempestate longe gravissimum fuit, rem paulo supra repeti, ad multa, quæ scire lecturos refert, profuerit. Postquam primum Scipionis deficiente exercitu, Sertorius in Hispaniam abiverat, tum admiratione virtutis & industriæ, tum ambitioso ac leni imperio,

provin-

provincialium simul, civiumque Romanorum qui locis illis consederant, ita conciliavit animos, ut paulo post magno exercitu coacto, C. Annio misso Sullæ in Hispaniam eunti, sex millia armatorum duce Livio Salinatore opponere potuerit: qui occupatis Pyrenæi angustiis, Sullanos aditu arcerent.

XXII. Sed obtruncatus à Calpurnio Lanario Salinator, quem fidissimum amicorum crediderat, C. Annium subito immisit nec opinantibus: unde Sertorius cum tribus hominum millibus Carthaginem novam, & inde navibus in Mauritaniæ litus perfugit. Sed multis militibus inter aquandum subita barbarorum irruptione amissis, retro vela fecit: iterumque repulsus, adscitis piratarum Cilicum paronibus, præsidium Annii in Pityusa insula improvisus oppressit. Sed Annio magnam classem, cum una legione adducente, prœlio navali parum prospero usus, quod naves illius leves parumque firmas, ortus forte ventus disjecerat, post longum & acrem naufragii metum, paulo supra Bætis amnis ostia applicuit.

Sertori re Annio pulsus. Hieron. adverſ. Rufinum.

XXIII. Sub idem tempus nautæ recens ex insulis Atlanticis revecti miracula narrabant: *duas ibi insulas propinquas inter se, & decem millibus stadiis procul à Gadibus sitas, suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.* Igitur *fortunatæ* vocabantur: & has intellexisse Homerum etiam apud barbaros obtinebat, quum *Elysios campos, sedesque beatorum* describeret. Earum esse quæ hodie *Canariæ* vocantur, ex modo navigationis, & descriptione locorum, & quæ de his apud Plinium auctore Juba Rege narrantur, propemodum constat. His igitur intellectis traditur tædio præsentium Sertorius, & ne aut facere aut pati tam tristia necessum esset, fugam in longinqua Oceani agitavisse, apud Fortunatas illas insulas, quod reliquum esset ævi, in quiete exacturus.

Fugam agitat ad Insulas Fortunatas. Salluſt. Incert. 1. 2. 8. 13. Petrus Martir. Ocean. 1. 8. Chronic. del Peru. 2. 233. Plutarch. Salluſt. incert. 6. 2. 9. 13. Florus. 3. 22.

XXIV. Igitur aliquando quum famam illam apud suos late sparsam cum admiratione vidisset excipi, ejusmodi jacere sermones cœpit: *Fabulam hanc esse credidissem, nisi non spernendi auctores verum subesse persuaderent. Multi sunt qui se vidisse confirment: & ne dolum putem: singuli seorsim interrogati de rebus, de quibus inter se comparare, si maxime voluissent, nullo pacto potuerunt, eadem omnia miro consensu referunt. Unum subit mirari, quod tantæ felicitatis loca ex cætero orbe non petuntur avidius. Annon enim satius foret, contentum iis quæ in pace & otio viventibus omniparens tellus sponte sua ministraret; dimittere inanes aut atroces curas, & sibi aliisque parcentem sine metu, sine injuria, munere deorum oblata accipere cibaria?*

Idque suis persuadere conatur.

XXV. *At nos improvidi & immites, quo scilicet aliquando beatiorem ducamus vitam, tumultu turbisque miscemus omnia: annosque nostros prodigimus, tamquam alio tempore victuri. & ut paremus supervacua, necessariis invicem spoliamur spoliamusque. Ita multis calamitatibus malisque cogentes coactique, & interdum scelesti magis, quam miseri distringimur. Sed alii sane insaniant! quid nos facere decet commilitones? Quin arripimus vacuam tantorum bonorum possessionem: ut aliquando incipiamus vivere, cæterorum mortalium errores tempestatesque de tutis litoribus despecturi.*

Vitam communem vituperans. Salluſt. Incert. 5. 19.

XXVI. *Si cuiquam nostrum sperare multum ex his rebus licet, quæ vulgo præcipua habentur; ego is esse debeo. Genere Romanus, ordine Senator dignitate Prætorius, qui exercitibus magnis, provinciisque præfui, qui res gesti*

Sed Cilices eum deserunt.

Plutarch. Sertor. cap. 13.

nemini hujus ævi ducum pœnitendas. Me tamen eo propemodum natura ducit, quam sequi optimam vitæ magistram æquum est; ut spes meas omnes hoc pretio commutare nihil abnuam. Non erat ea mens Cilicibus, ut pacis amore, pecuniæ studium abjicerent, cujus caussa pacem otiumque reliquissent. ita Sertorio relicto in Africam se contulerunt, ubi de Regno Mauritaniæ bellabatur. At Sertorius, ne quod supererat militum, inopia deficeret, alteri se partium adplicuit; rebusque bene gestis quum ab incolis locorum amaretur, quid postea facto opus esse deliberabat.

Sertorius à Lusitanis vocatur.

XXVII. Ancipitem & impeditam consultationem legati Lusitanorum abrupерunt, *ad imperium gentis* eum vocantes: quæ contra Romanos terrores ducis egens, laudatum ab omnibus qui cum illo fuerant Sertorium, velut divino munere oblatum rebatur. Erat enim ille animo consilioque maximus: virtutis liberalissimus æstimator, in puniendo moderatus: facundus idem & comis, & tam in confirmandis suis, quam terrendis hostibus, singularis artifex. Igitur accepta conditione cum duobus millibus, sexcentis, quos vocabat *Romanos*, & septingentis, qui ex omni Africa se ad eum contulerant, levi præsidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, æstu secundo, furtivaque celeritate, vitare prœlium in transgressu conatus est.

Perfidium vincit, & alios. Sallust. Hist. 1. & 11. Orosius 5. 23. Plutarch Lips. Epistol. Quæst. 4. 14. Plutarch. Pomp. cap 27.

XXVIII. Sed occurrente eum navibus Cotta, juxta Mellariam in freto dimicare coactus, vi perrupit, & ad montem Balleram quem Lusitani præceperant, contendit. Horum copiis adsumptis, erant autem cetratorum millia quatuor. equites septingenti; Furidio cum legionibus adventanti se objecit. Is enim Bœticam cum imperio obtinebat. cum hoc, difficultatibus locorum adjutus, ita certavit, ut ille duobus millibus Romanorum amissis, cedere cogeretur. His igitur aliisque multis ducibus interfectis pulsisve, C. Metellus a Sulla missus est, claræ veterisque famæ Imperator. Qui postquam in ulteriorem provinciam venit, artibusque Sertorii fatigatus, neque cogere potuit ad pugnandum, neque insequi fugientem, nisi ut omnia fugientium incommoda ipse pateretur; L. Domitium Proconsulem citerioris Hispaniæ cum omnibus copiis quas paraverat, arcessivit.

L. Domitii, & L. Manilii clades. Appian. lib. 1. Civil. Sallust. Hist. 2. a. 7 1. 4. 3. Plutarch. Sertor. cap. 19. Liv. Epitom. Florus. Pomp. pon Mela. Orosius. Eutropius.

XXIX. Sed ille ad Anam fluvium, qui Bœticam à Lusitania separat, ab Hirtulejo Quæstore Sertorii cum exercitu oppressus est. Idemque fatum eodem loci Legatum Metelli Thorium deprehendit. Deinde quia tanto hosti resistere res Romana uno Imperatore non poterat; L. Manilio Galliam Narbonensem obtinenti præcipitur, ut suppetias Metello in Hispaniam transgrediatur. Hunc quoque cum quinque legionibus, & mille quingentis equitibus advenientem, idem Hirtulejus sic excepit, ut L. Valerius Præconinus legatus, exercitu pulso interficeretur; L. Manilius Proconsul impedimentis amissis, in oppidum Ilerdam pene solus confugeret.

Sertorius sibi Senatum constituit. Florus. Plutarch. Liv. Epitom. Orosius. Cæsar. de Bel. Galli. 3. 20. Appianus. Florus. 3. 6.

XXX. Unde viribus & fama in dies augescens Sertorius, ut consilium & decus partibus adderet, Senatores ex proscriptis eodem nomine locoque apud se habebat, adlectisque ex amicorum cohorte primoribus, ut trecentorum numerus fieret, hunc *Senatum* appellabat: ad eum ordinem de rebus omnibus referebat, hinc Quæstores legatique, quam proxime patrium morem creabantur. Nam Sertorius ea modestia & animi magnitudine agebat, ut quamquam Hispanorum armis, pecuniisque & urbibus ac corporibus uteretur, nulla tamen re lædi obliterarive Romani nominis dignitatem sineret.

XXXI. Quum hæc agebantur, P. Servilius cum Cilicibus prospere ad summũ, sed non sine magno labore ac periculo dimicabat. Mithridatici belli occasione piratæ quod inter Cretã Cyrenasque & Achajam sinumq; Maleum est mare (ipsi a prædarum ubertate *aureum* vocabant) latrociniis infestum habere cœperant, Isidoro duce. Deinde quia Mithridates Asiam pro aliena negligebat, Sullam Urbanæ res revocabant in Italiam; impunitate plures invitante, numero viribusque aucti, magnis jam classibus oberrabant. adeoque placebat ipsis hoc vitæ genus, ut hoc perpetuo exercere certi, in quamdam velut Reipublicæ formam coirent. Igitur licet passim haberent castella, arces, insulas desertas; sedem tamen fortunarum omnium Ciliciam, quæ vocatur aspera, consensu legerunt, importuosam, & altissimis rupibus horrentem. Piratici belli origo.

XXXII. Unde communiter ab omnibus *Cilices* vocari cœperunt: quamvis esset mixta variarum gentium colluvies, Syri, Cyprii, Pamphylii, & quidam ex Ponto, ac propemodum omnibus Orientis regnis: multi enim bellorum diuturnitate patrimoniis exuti, quum facere indignia & gravia, quam pati mallent, naves pro natali solo ad ducendam vitam delegerant. His omnes fere Ciliciæ Pamphyliæque urbes patebant, dulcedine lucri forum prædæ vendendæ, navibusque eorum stationem præbentes. Sidetæ quidem naves etiam iis fabricabant, & captos ab illis palam vendebant, quamvis liberos esse scirent & faterentur. Piratæ cur Cilices vocati. Strab. l. b 4.

XXXIII. Diversum Lyciorum institutum, eoque dispar etiam fortuna fuit: qui neque terrore neque lucro victi, omnem cum Cilicibus societatem constanter recusarunt: quorum deinde excidium salvi sospitesque viderunt: nisi quod è finitimis bellis, velut ex vicino incendio partem aliquam vapor adflavit. Cæterum piratas L. Murena nuper, imperato civitatibus Asiæ, ut ex pecunia vectigali populi Romani naves facerent, paulisper represserat; sed quia neque receptacula illorum expugnata erant, neque prohiberi poterat, quo minus plures quotidie ad illorum institutum adfluerent, postquam Murena decessit ex Asia, plus terroris ac damni quam umquam antea passim dederunt. A. Murena paulisper repressi. Appianus. Cic. Ver. 1. 35. 4 ro. Sext. Ruf. cap. 11.

XXXIV. Jam enim & Siciliam infestabant, ut circa eam insulam nemini tuta navigatio esset: occurrentemque sibi Prætorem navali prœlio vicerant. nec meliore eventu ab aliis in eos pugnatum. Igitur missus in eos P. Servilius Proconsul primum in ipso mari congressus, quamquam adversus leves & fugaces myoparonas justæ magnitudinis naves opposuerat, non incruentam victoriam retulit. Sed nec mari submovisse contentus, ad urbes illorum & prædarum receptacula eruenda convertit. Non minimi laboris id bellum fuit. fere triennio pugnatum: multæque per Ciliciam Pamphyliamque & Lyciam urbes eversæ. Mox vehementius à P. Servilio. Orosius. 5.23 Strabo. Cicero.

XXXV. Phaselis in Lyciæ Pamphyliæque confinio sita, juxta quam Alexander olim per angustias fluctibus coopertas transduxit exercitum; crebro commeantibus eo piratis, quod ita projecta in altum horum accessibus erat opportuna, primo commerciis, deinde & societate se conjunxerat. Sed non ante destitit Servilius quam expugnatam dirueret. Eadem sors Olympi fuit, urbis antiquæ & opulentæ, quæ inter sex Lycias maximas numerari solet. Hujus, quum vi capta esset, magna præda fuit: multaque inde signa & ornamenta ab imperatore bellis fere sublata sunt. Corycum quoque urbem inclusam nemore, in quo crocum gignitur, eorumdem armorum tempestas evertit. Qui Phaselin, Olympum, Corycum evertit. Florus. Cic. Ver. 1. 21. Strabo. Cicero. Sallust. Hist. l. 4. 15. Eutropius.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XCI. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

CN. Pompejus quum adhuc eques esset, cum imperio Consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Appius Claudius Proconsul Thracas pluribus prœliis vicit. Q. Metellus Proconsul L. Herculeium Quæstorem Sertorii, omni cum exercitu cecidit.

Appianus. Hispan.

TRANSGRESSUS in Hispaniam Perperna, quemadmodum superiore libro ostendimus, curam Senatus duplicaverat, nihil æque metuentis, quam ne auctus novo exercitu Sertorius in Italiam reverteretur. Metellus enim, fessa jam ætate, & statariis pugnis adsuefactus velocissimæ virtutis hosti parum resistebat. Idcirco Cn. Pompejus, qui nuper recepta Gallia Cisalpina, quamquam jubente Catulo copias non dimiserat, cupidus Hispaniensis belli, ut ad opem ferendam Metello mitteretur, ad Urbem hærebat, semper aliqua reperta caussa, cur exercitum sub signis retineret. Neque aliud in promptu præsidium erat, neque ducum quisquam, qui Sertoriano vigori rectius opponeretur. Ergo ex sententia L. Philippi, decreta illi provincia est, ut pari cum Q. Metello imperio esset. quo tempore aiunt, mirantibus quærentibusque, *anne igitur Equitem Romanum proconsule mittendum censeret?* Respondisse Philippum: *non se illum sua sententia proconsule, sed pro consulibus mittere.*

Cn. Pompeius contra Sertorium mittitur.

Sertorius Metellum ad singulare certamen provocat. Val. Max. 8. 15. 8. Cic. pro Fonteio. Plutarch. Sertor.

II. Tanta erat de virtute Pompeii opinio, ut quum duo Consules clarissimi fortissimique essent, duorum Consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Igitur Pompejus accepto imperio diebus quadraginta suppleto exercitu, paratisque necessariis ad Alpes movit, quarum aditus Sertoriana præsidia obtinebant. Igitur Pompejus aliud, quam Hannibal patefecerat, sibi opportunius iter juxta Rhodani Padique fontes aperuit: hostibusque in Hispaniam submotis, Galliam, adjuvante non segniter qui provinciæ præerat M. Fonteio, recepit. deinde perrexit ad Pyrenæum, ut ad auxilium Metello ferendum quam maturrime occurreret. Nam is in dies molestioribus rebus utebatur: quum super alia mala, fatiscens laboribus miles, segnior, & adversus Imperatorem contumacior fieret: eousque, ut Sertorio Metellum ad singulare certamen provocante, impudens clamor oriretur, *ire* iubentium, *ducemque cum duce, Romanum cum Romano congredi*, non sine conviciis, ubi Metellum Imperatorii loci memorem, neque hostis insultatione, neque suorum stultitia moveri viderunt.

III. Igitur Metellus, ut aliquo negotio militem occuparet, celeriter ad Laccobrigas movit, urbem hosti opportunissimam, non magno negotio in potestatem redacturus; quod unus tantum intra mœnia puteus erat, & suburbanis aquis obsessi prohibebantur. Sed hic quoque neque solita cautio Sertorio, neque celeritas efficiendi cogitata defuit. Ex omni Hispanorum Maurorumque numero robustissimum quemque eumdemque pernicissimum, pronunciato in singulos utres præmio excitans, magnam aquarum copiam inferendam in oppidum curat. per eosdem inutilis turba educitur, ita in multos dies adversum sitim providetur. Enimvero Metellus, cui omnis spes in eo erat posita, ut imparatos opprimeret, *tantum quinque dierum cibaria portare* militem jusserat. Laccobrigas obsidentem frustratus.

IV. Idcirco deficiente commeatu Aquinum cum sex millibus militum frumentatum misit. At Sertorius occultatis tribus hominũ millibus, cum cæteris quos secum habebat, Aquinum ad pugnam cogit. ea dum conseritur, signo dato procurrunt insidiæ: sic Aquinus dimidia copiarum parte, & equo armisque amissis, vix à Metello receptus; & obsidio cum magna Romanorum ignominia soluta est. His successibus ab Hispanis Sertorius in cœlum tolli; *hoc Imperatore sibi decus, divitias, victoriam quisque spondere.* neque ille omittebat omni arte parare novorum amicorum, retinere veterum benevolentiam. comiter appellando singulos, donando ob virtutem, armis auro atque argento ornatis, sagulisque pictis, & Romana disciplina exercitum ad speciem & robur instruendo. Et cum damno submovet.

V. Sed & nobilissimos ex amicis populis pueros, ludo Oscæ instituto, Græcis Latinisque literis curabat erudiendos, *civitatem Romanam* promittens, *ubi adolevissent:* & hi quidem Sertorio usum obsidum præbebant, sed quia nominis invidia aberat, securi vacuique suspicione parentes, ultro liberali & honesta suorum educatione lætabantur. Mos vetus Germanorum Gallorumque per Celtiberos in Hispaniam introductus fuerat, ut principibus virtute præstantes viri comites se adjungerent, indiscreta familiaritate lætorum adversorumque, atque etiam mortis socii. nam ne quis amisso duce vivus ex acie reverteretur, devotione terribili adstringebant fidem. Hispanis usitata devotio comitum. Tacit. Germ. cap. 13. Nicol. Damasc. lib. 16. Plutarch. Sertor. cap. 23. Sallust. Hist. l. 4.19

VI. Horum major quam cuiquam alias, Sertorio numerus apparebat. multa enim eum in has leges millia sequebantur: feruntque *aliquando fuga ad urbem quamdam facta, portisque turbam morantibus, devotos illos abjecta suæ salutis cura, Sertorium per sua corpora ad medium quasi murum extulisse, ut deinde super adstantium manibus in summum attraheretur.* Nec dissimili fama, atque charitate apud Italicos milites celebrabatur. Nam Perpernæ milites, quod ille nobilitate & opibus potior, cedere Sertorio recusabat, indignabantur: nec ultra passi, quam donec per Pyrenæum saltum Pompejus adventare auditus est, *ut ad Sertorium duceret*, postularunt; *ni duxisset, sua sponte ituros.* Horum devotorum multa millia apud Sertorium.

VII. Idcirco Perperna, quod summum tenere locum nequibat, proximum utique non abjiciendum ratus, cum ingenti pecunia, tribusque & quinquaginta cohortibus ad Sertorium venit. Hac tanta accessione ferociores Hispani, quorum undique magna vis ad castra Sertorii concurreret, insolentioribus quotidie vocibus *pugnam* flagitabant. At Sertorius non minus cautus quam acer Imperator, neutiquam conducere rebus suis existimabat, ut præter rationem belli seque & exercitum non necessariis casibus objiceret. Postremo, quia nulla jam Perperna ad Sertorium accedit.

Suidas. Front. Strat. 1. 10. 2. Plutarch.

ratione cohiberi hominum impetus poterat, turmæ equitum ut lacesseret hostem permisit: deinde laboranti submisit alias, atque ita citra magnæ noxæ experimentum docuit, quis exitus flagitatam pugnam mansisset.

Sertorii inventum ad frangendam suorum temeritatem.

VIII. Igitur ut quoque in posterum obsequentioribus uteretur, jussis *in concionem adsistere* militibus, *duos equos produci imperavit, prævalidum alterum, alterum mire exilem.* valido deinde parvum hominem & contemptibilem adspectu; exili magnum robustumque admovit, præcepto *ut robustior ille gracilis equi caudam universam abrumperet, valentis singulos pilos infirmus velleret.* Atq; illo inter plurimum omnium risum magna vi nequidquam adhibita defatigato, quum gracilis quod imperatum erat confecisset, versus ad suos Sertorius, *Jam*, inquit,

Val. Maxim. 7. 3. 6. Plutarch. Frontin. Stratag. 4. 7. 6.

quod mihi sæpe monenti noluistis, oculis opinor vestris credetis, milites. quanto plus perseverantia quam impetus valeat, sub claro exemplo didicistis. Romani exercitus hac imagine vobis ostensa natura est; quem universum qui aggredietur, nihil aget: per partes carpenti minime erit insuperabilis.

Ejusdem Oratio eodem pertinens.

IX. Per hæc conversis animis suorum, & ad accipienda quælibet apertis; *rem se facere, non nisi rarissimam & magna de caussa probabilem*, ait, *qui gerendi belli rationem exercitui reddat Imperator, Sed facere semel, ut ostenso cognitoque à quali duce, & qualibus consiliis regantur; post hæc etiam celanti animum suum læti atque securi obediant. Neque enim sibi deesse ferociam, siquidem robore & impetu posse obtineri victoriam putaret: idque tot prœliis compertum, quibus miles, tribunus, legatus, Imperator suæ alienæque vitæ juxta pepercisset. Cæterum ita se videre comparata esse præsentia, ut nulla sit, nisi qua instituerit ducere, ad salutem via.*

Utilitatem artium suarum ostendit.

X. *Laudare se quidem animos cuilibet discrimini promptos, & timori impenetrabiles; Sed eo ipso dignos arbitrari, qui nullum aut modicum ad usum temere non prodigantur. Sed neque ignaviæ cuiquam auctorem esse, quin ultro indicere expeditiones, pugnas, itinerum operumque multiplicatum laborem. His enim rebus se confidere, quibus adhuc contra tot duces & magnos exercitus, cum modicis copiis invictus stetisset. Olim se scire, plerosque omnes præ nimio ardore ad summæ rei dimicationem animis votisque properare: sed suis artibus effectum, ut & bellum sustineretur egregie, & Perpernæ daretur spatium tantas adducendi copias, quæ profecto, si ante tempus in unius certaminis aleam descensum foret, non fuissent habituræ, quocum se conjungerent.*

Rationem earum edocet.

XI. *Nunc vero aucti tanto exercitu, neque ipsi nos trademus inertiæ, neque hosti quidquam temporis tutum aut quietum esse patiemur. Sed nec temere à priori ratione belli gerendi recedemus. Romanam aciem, si viribus ac locis æquis congrediare, sine summo tuo periculo damnoque haud sustinueris: at ego vobis ita constrictam locis, turbatam improviso metu, vigiliis laboribusque enectam dabo; ut citra noxam meorum militum concidatur.*

Sic obsequentes suos habet.

XII. *Omnia quæ ad hunc obtinendum finem faciunt, pro nobis sunt. Locorum ingenium, quibus à pueritia adsuevistis, & perinde scientia: velocitas ingenita Hispanis, famis, sitis, æstus, laboris patientia. quibus rebus ita fatigavimus Metelli hostium copias, ut quandoque se victas ante sentiant, quam à quibus oppugnentur, cognoverint. Scio nobiscum esse, qui Viriathini belli meminerint: iis consilium meum haud difficulter approbabo. juniores satis habeant, animos promptos,*

arma expedita habere, ut feliciter expertum ducem; ad gloriam & opus recto itinere praeeuntem sequantur. Ita condocefactis barbaris, quum illorum viribus, ingenio suo uteretur, multa prospere gessit, aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Unde non minori admirationi, quam terrori hostibus erat. Liv. Epitom.

XIII. Sed praecipuam ei calliditatis famam peperit Characitana expeditio, qua gentem feram, non urbes aut vicos, sed magnum & arduum collem plurimis speluncis in Aquilonem versis supra Tagum incolentem subegit. Ibi dum circa inaccessum collem obequitans adversus tutos loco barbaros inanes minas jacit, & pudore recedendi multa volvit animo; Caeciam animadvertit in adversas speluncas flare: edoctusque ab accolis, id eo tempore anni solitum illis regionibus esse, milites *excidere glebas ex circumjecto agro, & contra speluncas comportare in aggerem* jubet. multum irridentibus montanis insanae molitionis vanitatem, quod putabant, ad oppugnandum altissimum collem id institutum pertinere. Inter haec Sertorius sub noctem suos reduxit in castra. Characitani stratagemate expugnat. Plutarch. Sertorio c. 26.

XIV. Postridie quum flare ventus coepisset, & ex congesta humo pulverem in altum efferre, militibus immissis, *subruere ex imo cumulum illum* jussit, *terramque levem admodum & friabilem comminuere*. illa atq; labore hominum, equorumque ultro citroque super eam discurrentium ungulis trita, quum à vento rapta in aërem tolleretur; statim densa quaedam nebula speluncarum ostia fenestrasque obturavit. neque jam aut lucis usus supererat; aut reciprocandae animae purus suppetebat aër. nec enim aliam in partem apertae illorum habitationes, aut ulla ducendi spiritus, copia dabatur. Biduo tamen sustinuerunt hoc malum obsessi: tertio die, quia perseverante vento suffocabantur, sunt dediti. Pulvere in speluncas eorum immisso.

XV. Dum haec geruntur, in Hispaniam Pompejus venit; arrectique omnium animi erant, ut solet, ad novi Imperatoris famam: multique populi qui minus constanter adhaerebant Sertorio, jamjam mutaturi socios videbantur. Sed insperatus ad Lauronem casus & dubios in officio retinuit, & fidos confirmavit. Sertorius eam urbem obsidebat, quum universum exercitum suum, apud Pallantiam convenire jussum, succursurus obsessis Pompejus adduxit. Tumulus haud procul urbe visebatur, quem qui prior occupasset, magna erat ex loco commoda habiturus. Utroque duce properante Sertorius quum praevenisset; exclusus ea spe Pompejus haud eo minus laeto animo agebat, quod inter suum exercitum & Lauronem interclusas Sertorii copias tenere rebatur. Pompeius in Hispaniam venit Plutarch. Pompejo c. 28. Plutarch. Sertorio. Orosius 5. 23.

XVI. Igitur missis ad Lauronenses nunciis, *bono animo esse jubet, atque confidentes in moenibus obsessi obsessoris spectaculo frui*. Sertorius jactantia Pompeji comperta; ridens ait, *se discipulum Sullae* (sic appellabat eum ludibrii caussa) *docturum, debere plus respicere Imperatorem, quam prospicere*. Simul ostendit obsessis sex millia peditum prioribus in castris relicta; ut Pompejum si in se movisset signa, à tergo aggrederentur. Ita Pompeji gaudium irritum cito in gravem verecundiam vertit. Nam serius errore cognito, quum neque invadere Sertorium, ne circumveniretur, auderet, neque prae pudore Lauronem sustineret relinquere; pereuntium sociorum spectator otiosus sedebat. Sertorii artibus superatus

XVII. Dum ita vicina castris castra duo Imperatores habent; Sertorius talem dolum machinatur. Duae tantummodo regiones erant, ex quibus peti pabu- Sertorii vafrumentum.

Frontin. Strateg. 2. 5. Appianus. lib. 1. Civil. Salluft. Hist. & 5.2.

lum posset, una in propinquo, altera longius sita. Sertorius ulteriorem ab armatis adiri vetuit: cirimam subinde per levem armaturam jussit infestari. Sic ad extremum fides adversis partibus facta, tutiorem esse, quæ erat remotior: magnusque eo Pompejanorum numerus pabulatum profectus est. His à Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus ponuntur, missis Octavio Græcino cum decem cohortibus, in morem Romanorum armatis, & totidem levis armaturæ Hispanis, Tarquitioque Prisco cum duobus millibus equitum.

Pompejani pabulatores excipiuntur.

XVIII. Illi strenue imperata faciunt. exploratаque locorum natura, in vicina sylva prædictas copias noctu abscondunt, ita ut in prima parte leves Hispanos, gentem ad furta belli peridoneam ponerent; paulo interius scutatos; in remotissimo equites, ne fremitu equorum destinata proderentur. quievere omnes silentio servato in horam tertiam diei. quum deinde Pompejani securi gravatique pabulo de reditu cogitarent, & hi quoque, qui in statione fuerant, quiete invitati ad pabulum colligendum dilaberentur; emissi primum Hispani, velocitate gentili in palantes effunduntur, & convulnerant confunduntque nihil tale exspectantes. prius deinde quam resisti his inciperet, scutati erumpunt à saltu, & redeuntes in ordinem consternant, vertuntque. fugientibus equites immissi, toto eo spatio, quo redibatur in castra, persequuti cedunt. curatum quoque, ne quis effugeret. nam præmissi per compendia itinerum ducenti quinquaginta equites, quos in hunc usum opperiri duces jusserant, antequam ad castra Pompeji perveniretur conversi, occurrerunt eis qui primi fugerant.

Item que legio subsidio immissa. Appianus. Jul. Obseq. Frontin. Plutarch. Sertor. c. 29.

XIX. Ad cujus rei sensum Pompejo immittente legionem cum Lælio in præsidium suorum; subducti in dextrum latus specie cedentium equites, mox circumitu legionem abs tergo infestarunt: quum jam enim à fronte Sertoriani qui pabulatores persequuti erant, incursarent. Sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato cæsa est. ad cujus auxilium Pompejo universas educente copias, Sertorius quoque è collibus instructum ostendit exercitum, effecitque, ne Pompejus progrederetur. Ita præter duplex damnum, eadem solertia illatum, spectatorem quoque eum cladis suorum constituit. Hoc primum prœlium inter Sertorium & Pompejum fuit. decem millia hominum de Pompeji exercitu, cum jumentis & calonibus amissa sunt. Pompejus vix reliquias incolumes reduxit.

Sertorius Lauronem delet. Appianus. Plutarch. Orosius. 5. 23.

XX. Hic eventus etiam Lauronensium fregit animos, neque diu cunctati, concesserunt in Sertorii fidem. Is prædam militi concessit, edicto *liberis corporibus uti parceretur*: direptam deinde urbem incendit, non crudelitate, à qua vix ullus umquam dux alienior fuit; sed ut ex tanta existimatione Pompejo contemptus apud barbaros oriretur: quo inspectante, & tantum non flammis incensæ calefacto, urbs socia & amica deflagrasset. Lauronenses qui obsidioni superfuerant, in Lusitaniam Sertorius deduxit. In ea direptione miles quidam muliere Lauronensi præter naturam abusus, oculis mulctatus est, quos directis in eos digitis mulier effoderat. Re ad Imperatorem delata, quum facta & caussam didicisset, infensus tanto militiæ dedecori, integram cohortem, hoc genus flagitiis famosam, licet Romana esset, delevit. Pompejus tamen impetum Sertorii victoris quamquam novis militibus, & multo paucioribus, sustinuit, nam adversus sexaginta millia peditum, novem equitum, non ultra triginta peditum millia, & mille equites adduxerat.

Hæc

XXI. Hæc ea æstate in Hispania gesta, quum deinde tempus anni adversum expeditionibus esse cœpisset, diversi Imperatores in hiberna discesserunt. Cn. Pompejus & Q. Metellus circa Pyrenæum inter sævissimos hostes, in castris hiemarunt: Sertorius cum Perperna in Lusitaniam profectus est. Per hæc tempora continuum fere cum Thracibus bellum erat, perpetuo incursantibus Macedoniam. Et quamquam acriter à Dolabella repressi; justissimusque de iis ductus triumphus erat; cum Ap. Claudio successore Dolabellæ multis, sed levibus prœliis concurrerunt.

Bella cum Thracibus in Macedonia. Sallust. Hist. 3. 2. 4. Orosius. Appianus. Cic. pro Font. Orosius. Cic. in Pison. Liv. Epitom. Eutrop. Sext. Ruff.

XXII. Quibus victis Appius, per Rhodopæas gentes, magno cum labore in Sarmatas usque pervenit. Sed inter asperrimas gentes, ubi cum Mædis varie dimicavit, curis & ægritudine fatigatus in morbum incidit, ex quo est in provincia mortuus. Jam Romæ Cn. Octavius M. F. Cn. N. C. Scribonius Curio Consulatum acceperant. Tum Reatinorum improvisa clades in prodigium versa. quippe terræ motu ædes sacræ in oppido agrisque commotæ; saxa quibus forum stratum erat, discussa: pontes interrupti; ripæ labentis fluminis in aquam provolutæ; fremitus inferni exauditi fuerant, paucis ab inde diebus, quæ concussa erant, corruerunt. saxum vivum quum provolveretur, non sine stupore visentium in præcipiti rupe immobile stetit. Aliud deinde nunciatum prodigium est, quod *scintillam è stella cadere, & augeri terræ appropinquantem, ac postquam Lunæ magnitudine facta esset, illuxisse ceu nubilo diei, dein quum in cœlum se reciperet, lampadem factam Junius Silanus Proconsul cum comitatu suo viderat.*

Iul. Obseq. Flor. 3. 4. Appius in provincia moritur. Urb. cond. an. 677. Reatinorum improvisa clades. Plin. 2. 35. Pighi. Ann. 777.

XXIII. Hoc forte nunquam antea visum annotatumve movit Patres, ut *de Sibyllinis carminibus colligendis referri* juberent, quoniam quod eorum adservatum in Capitolio fuerat, incendio ædis illius consumptum erat. In eam legationem P. Gabinius, M. Otacilius, L. Valerius lecti. His negotium datum, *ut Erythras præcipue adirent*, quæ patria Sibyllæ dicebatur, *ad scribenda quæ ibi pro Sibyllinis celebrarentur*. Per hos aliosque (nam & Samo quædam allata sunt, & Ilio, per Africam etiam & Siciliam, & Italicas colonias, etiam à privatis conquisita) magnus librorum numerus in Urbem comportatus est. & quia multa vana inerant, sacerdotibus mandatum, *ut quantum humana ope posset, vera à falsis discernerent.*

Sibyllina carmina undique conquiruntur. Fenest. apud Lactan. de Ira. & de Inst. Dionis. 4. 70. Strab. lib. 13. Tacit. 6. 12.

XXIV. Nec in tam cæco negotio, certius aliud quam per acrostichidum, ut vocant, indicia repertum discrimen, Terentius Varro doctissimis, sed iisdem ineptissimis Rerum Divinarum libris prodidit. Eodem anno, postquam primum ver apparuit, resumptum acriter in Hispania bellum est, multaque & cruenta prœlia facta. Tandem apud Italicam Bæticæ urbem Q. Metellus, & Sertorii Quæstor L. Hirtulejus, totis viribus congressi sunt. Metellus adversus hostium celeritatem ac ferociam, haud paulo minus viribus quam consilio tribuebat: iam diligens celandi quæ cogitaret, ut interroganti, *quid postera die facturus esset*, responderit; *tunicam meam, si eloqui posset, comburerem.*

Metelli Apophthegma. Appianus. lib. 1. civil. Orosius. Front. Strat. 1. 1. 12.

XXV. Igitur insignem, quam tunc adeptus est victoriam, non tam militum lacertis, quam ingenio suo debuit. Oriente protinus die Hirtulejus instructam aciem vallo ejus admoverat: neque mora esset, si suos audiret, quin statim contra exiretur. Sed prudens Imperator, intra castra retento exercitu, geminam utilitatem percepit: spatium nactus quo consideraret hostium aciem,

Prœlium cum Hirtuleio. Front. 2. 1. 2. & 3. 5.

eamdemque (fervidissimum enim anni tempus erat) caloribus conficiendam relinqueret. Idcirco quum quod roboris in hostili exercitu erat, in media acie stare comperisset: sic instruxit edocuitque suos; ut cornua longius protenta prius cum oppositis congrederentur, quam mediæ acies confligerent. His ita ordinatis, sub sextam diei horam exercitum eduxit. Recens Metello miles, curatis corporibus, viribus integris pugnam capessebat; Sertoriani stando fessi, magis etiam æstu fatigabantur: & quia Metellus mediam aciem reduxerat, fortissimæ quæque cohortes si starent, otiosæ manebant; sin procurrerent in hostem, hic quoque novus labor prioribus molestiis accedebat.

Et clara victoria Metelli. Sallust. Hist. 2. 4. Orosius. 5. 23. Flor. 3. 22. Liv. Epitom. Front 2. 7. 5.

XXVI. Inter hanc dubitationem pulsis utrimque cornibus ita circumveniuntur, ut neque repugnando servari, neque erumpere ad fugam possent. Ibi vehementissime dimicatum est, ita promptis avidisque ducibus, ut Metello in sagum, Hirtulejo in brachium tela venirent. neque tam virtute, quam quibus diximus rebus inferiores Sertoriani exstiterunt. Ita viginti millibus militum amissis, pauci in Lusitaniam cum duce refugerunt. Neque tamen ille cladi suorum diu superstes fuit, dum reparatis viribus fortunam denuo tentat, cum fratre ad Segoviam interfectus. Quo tempore *barbarum, qui forte evaserat, nuncium cladis Sertorius, cum maxime pugnam adversus hostem ciens, è vestigio pugione trajecisse* dicitur; *veritus ne inter milites vulgata rei fama, animos eorum alienissimo tempore infringeret.*

Sertorius magnus dux in reparandis cladibus. Plutarch. Sertor. c. 30.

XXVII. Magnum enim omnino incommodum acceperat, insigni duce, multisque fortissimorum virorum millibus deperditis. Sed nemo temere cum ad alios belli casus, tum in reparandis cladibus, Sertorio dux melior erat: quum invictus ipse, legatorum culpa fortunave vulneratam caussam mirabili semper celeritate consilioque restitueret. Unde ingens viri nomen, quotidieque majus, ne quidem Europæ finibus continebatur, quin Asiam quoque & Pontum implerent ejus laudibus, qui ex Occidente adventabant. Quod non ultimum incitamentum Mithridati fuit, cur tertii belli, sibique ad postremum exitiosi aleam subiret: elatum Regis animum aliis etiam stimulantibus caussis. Quippe post remissam à Sulla legationem, Cappadociam Ariobarzani, uti jussus erat restituerat: quum alios oratores scribendi fœderis caussa Romam ablegasset, iterum spe sua frustratus est, quia mortuo jam Sulla, magistratus civilibus turbis impediti de eo negotio non retulerunt.

Appianus. Mithrid.

Tigranes Cappadociam vastat, ad implendam Tigranocertam. Strab. Lib. 11. 12. Appian. Sallust. Hist. 3. 4.

XXVIII. Igitur Mithridates ultionis cupidus, & sibi adhuc diffisus, Tigranem subornat: facilius conjicientibus rem Romanis, quam ad prohibendum paratis. Ille Cappadociam velut indagine cinctam evacuavit, abactis hominum ferme trecentis millibus, & urbibus Græcanicis duodecim evastatis. Hos in Mesopotamiam, agris juxta Tigranocertam ad incolendum attributis, transtulit; majoremque partem urbis ex eo genere frequentavit. Curæ enim habebat Rex longe superbissimus, ut urbs ubi sibi diadema Armeniæ imposuerat, quamque de suo nomine voluerat appellari, magnificentissimo murorum ambitu, maximaque hominum & ædificiorum multitudine ornaretur.

Romæ certatur de jure Tribunorum restituendo.

XXIX. Hæc dissimulare Romanos non externa tantum bella, sed etiam Urbani motus coëgerunt. De Tribunatu, cujus omnem fere potestatem Sulla exstinxerat, certabatur. Nam illo mortuo, plerorumque erecti animi fuerant, resti-

tutum iri jus populi sperantium, nisi C. Catulus acta Sullæ constanter defendisset. Proximis deinde Consulibus agente L. Sicinio Tribuno plebis tumultuatum: isque statim quum D. Bruto & Æmilio Mamerco impar fuisset, cum acriore viro, Curione, malo suo fato, commissus est. Vehementer eum accusabat Curio, ut erat ei sermo splendidus & copiosus, quod *Reipublicæ vix è tantis cladibus respiranti, denuo civilium bellorum metum intestinæ seditionis fax & auctor admoveret.*

XXX. *Quasi enim parum molesti Perperna ac Sertorius forent; quasi nesciretur quæ Mithridatis, quæ Tigranis essent consilia; quasi Macedoniam & Achajam à Thracibus lacerari, nihil ad Rempublicam pertineret: ita novos subinde in ipsa Urbe exoriri Cinnas atque Marios, qui sævius quam illi hostes civitatem vexent premantque. Scilicet hunc Sicinium apud levem & seditiosam turbam ipso nomine favorabilem, haud minus turbarum daturum credi; quam antiquis temporibus educta in Sacrum Montem plebe, nescio quis Sicinius dederit. Nisi tamen hic tanto est deterior, quod non contentus jure Tribunitio quatenus tolerabile civitati, & populo salutare est, quale majores vestri unice desiderarunt; licentiam sibi miscendi omnia, & Rempublicam arbitratu suo agendi ferendi postulat.* Curionis oratio in L. Sicinium Tribunum. Cic. Bruto. cap. 59. Liv. 2. 32. 4.

XXXI. *Annon satis modo pœnarum dedimus, quod hominibus turbulentis, ambitiosis, audacibus, stultis adolescentibus, populum quo vellent agitandi concessa potestas est? Unde enim Gracchanæ Apulejanæque seditiones? unde mox Marianus Cinnanusque furor: nisi ex Tribunitiis rogationibus? Hoc igitur audes dicere, Sicini, talem mihi potestatem deposco, qualem Sempronii Saturninique habuerunt: ego Rempublicam constituam scilicet: ego leges, quibus obediatis, feram. Infelix scurra, tu isto tuo impudenti ore flagitium tale proferre ausis. Tua ista insignis & prodigiosa stultitia, tua improbitas, tuæ illæ sordes in hac se Republica jactabunt?* Omnes seditiones à Tribunis concitatas adseverat.

XXXII. *At nos merito nostro miseros, si nunc Sicinium feremus Regem, qui nuper Æmilium non tulimus. Scilicet apparebat, quam efficax ad subruendam Rempublicam cuniculus effoderetur, si, quod ille sub honesta specie petebat, leges Sullæ, quibus tamquam firmissimo vinculo concordia statusque civitatis hujus continetur, abrogarentur.* Hæc atque talia dictitantem non tam oratione Sicinius, quam clamoribus & improba dicacitate refellebat. Erat enim homo perquam ridiculus; & scurriliter facetus, omnes civitatis principes ac magistratus exagitare consueverat. memoraturque à solo M. Crasso petulantiam abstinuisse; interrogantibus, *cur soli omnium huic parceret*? respondere solitus, *fœnum in cornu habere*. Sed à Curione minime temperabat, quin & de Republica cum eo contenderet acriter, & inconcinnum Consulis in dicendo motum dictis procacibus irrideret: & corpore ac lingua percitum, & inquietum, nomine histrionis vix sani *Burbuleium* appellaret. Igitur quum in magistratu esset occisus, penes Curionem invidia necati fuit: Tribunatusque desiderium paulisper repressum eo facinore apud plebem Romanam, non multo post vehementiore nisu erupit. Sicinii dicacitas & mors. Cic. Brut. c. 9. Cicer. Plutarch. Crasso c. 13. Quintil. 11. 3. 96. Sallust. Hist. 2. 5. 15. 3. 4. 10. Plin. 7. 12. 8. Val. Maxim. 9. 14. 5.

F I N I S L I B R I XCI.

JOH. FREINSHEMII SUPPLEMENTUM

Libri XCII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

CN. Pompejus dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium, & Perpernam cum duobus exercitibus prælio fudit: cujus victoriæ partem cupiens ferre Pompejus, parum prospere pugnavit. obsessus deinde Calagurii Sertorius, assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus intulit. Præterea à Curione Proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos & Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet. qui plurimos ex amicis & secum proscriptis crimine proditionis insimulatos, interemit.

Sertorius & Pompejus ambiguo Marte dimicant. Flor. 3. 22. Liv. Epitom. Plutarch. Sertor. 6. 30. Orosius. 5. 26. Sallust. Hist. 3. 2. 4. Plutarch. Pomp cap. 29. Appianus. lib 1. Civil.

EADEM æstate, qua victus & occisus à Metello L. Hirtulejus erat, Sertorius & Pompejus, collatis apud Sucronem oppidum signis, ambiguo Marte dimicarunt. Ab ambobus erat properatum, ut adventum Metelli occuparent: dum Sertorius auxiliatorem hostis prævenire studet; Pompejus consortem gloriæ. Animosus enim rebus prospere gestis, quod Segidam nobilem Celtiberiæ urbem ceperat, & secundo ad flumen Duriam prœlio ducem hostium C. Herennium cum decem amplius hominum millibus, & urbe Valentia deleverat; solus cum Sertorio decertare cupiebat. ne sæva quidem tempestate territus, quum sereno repente cœlo crebra cum ingenti fragore fulmina micarent. Dilata tamen in vesperam pugna est, Sertorius astu, qui hostibus locorum ignorantia neque ad fugiendum, neque ad persequendum, qualiscumque sors prœlii fuisset, utilem fore prævidebat.

Pompeji duplex periculum. Plutarch. Sertor. Appianus. Plutarch. Pompeio.

II. Forte sic evenerat, ut Sertorius contra Afranium in acie consisteret, Pompejusque cum Perperna congressus, impelleret illum, cæderetque. Quare Sertorius propere commisso aliis ducibus dextro cornu, succurrit laborantibus, & alios circumspectantes fugam, alios jam palantes colligit, Pompejique victoriam gnaviter urgentis impetum sistit. Ibi vir vasta corporis magnitudine in Pompejum equitem pedes se intulit: consertisque ensibus dextram alterius alter petiit; sed æquior Pompejo sors fuit: & accepto vulnere, manum hostis amputavit. At multis in eum se incitantibus, quum etiam hasta in femore graviter læsus, à suis fugientibus desereretur, præter spem evasit. Equus auro phalerisque eximiis adornatus, dum captus ab Afris, divitis prædæ objectu altercantes inter se barbaros à persequendo retinet, effugium domino dedit.

Varia fortuna prœlii. Sallust.

III. Dum hoc cornu, in quo Pompejus curaverat, vincitur; vicissim hi à quibus Sertorius discesserat, ab Afranio vertitur in fugam, adeo perculsis hostibus,

ut ne castra quidem defenderent, quo minus ab Afranianis eodem impetu victoriæ perrumpentibus diriperentur: frustra vetante legato, quia Pompeii fortuna qualis fuisset ignorabatur; quia tenebræ jam oborientes obtentui delinquentibus erant. Sed acerbam eis prædam Sertorius effecit, qui reversus à persequendo statim adortus est Afranii turbatas incompositasque cohortes, & magna eum cæde ex castris suis ejecit. Quum ita discessum esset, ut fusis utriumque singulis cornibus, damno quoque non valde inæquali (decem millia Pompejus; haud multo pauciores Sertorius desideraverant) de victoria neutri concederent; postridie simul illuxit, iterum educti sunt exercitus, prœliumque sperabatur.

Orosius. 5.23. Plutarch. Front. Strateg. 2. 13. 3. Plutarch. Pompeio. Plutarch. Sertor.

IV. Sed propinquante Metello, Sertorius dixisse fertur; *nisi anus ista supervenisset, ego hunc puerum verberibus castigatum Romam dimisissem*. Idcirco cum duobus congredi nolens, dimisit suos, admonitos quem in locum convenire vellet. Eos enim ita dudum adsuefecerat, ut ad ducis imperium diffluerent aut colligerentur: & ipse, nunc solus, per loca que vagando venandoque de industria pererrare consueverat, palaretur; nunc centum quinquaginta millibus armatorum stipatus incederet. At Pompeius Metello venienti honoris caussâ obviam pergens ubi in conspectu fuit, *submitti fasces à lictoribus suis* ut dignitate superiori jussit. Metellus neque id passus est fieri, neque ulla in re quidquam usurpavit præcipui, nisi quod, quoties una tendebant, universo exercitui signum ab uno Metello dabatur.

Sertorii vox de Metello & Pompeio.

V. Consilio tamen senis plerumque Pompeius adquiescebat, digno inter cætera quod narretur documento. Junctis uterque copiis sæpe diuque Sertorium provocaverant, contra duos pugnare recusantem: donec animadverso milites Sertorianos incredibili ardore instinctos, humeris exsertis, lanceisque vibratis, pugnam deposcere, Metellus recepit exercitum, & Pompeio idem faciundi auctor fuit. Sed inter superioris pugnæ trepidationem amissa cerva candida macerabat Sertorium, ita ut compluribus diebus, non sine irrisu hostium, à rebus gerendis abstineret. Nam ad inclinandos quo vellet barbarorum animos, illo animali, quasi machina quadam utebatur. Erat enim insigni forma, colore candido, & sic adsueta Sertorio, ut audiret vocantem, euntemque sequeretur.

Metellus pugnare non vult cum desperatis. Frontin. 2. 1. 3. Plutarch. Sertor. Appianus: Lib. 1. Civil. Frontin. 1. 11. 13.

VI. *Hanc* ille *Dianæ donum esse* fingebat, & superstitiosæ genti quidlibet persuadebat *ab hac per quietem edoceri*. sive hostes aliqua irrupturos compererat, *ab hac se* dicebat *admonitum*: sive res à suis bene gestæ erant, occultatis qui retulerant, cervam producebat ob faustum nuncium coronatam; jubebatque *honorem habere diis, cito lætum aliqu d gratumque audituros*. Sertorius igitur non cervam, sed quam illa conciliabat utilitatem perisse moleste ferebat. Idcirco quum nocte quidam errantes ex colore agnitam comprehendissent, scirentque magnam se ab Imperatore gratiam hoc facto inituros, diligenter nunciarunt: Ille grandi promissa pecunia, si rem tegerent; & si vulgassent, supplicium interminatus, præcepit *ut eam postero die repente in eum locum ubi jus reddere erat solitus, immitterent*.

Sertorii cerva. Agell. 15. 22. Frontin. Plutarch.

VII. Ipse vultu hilariore in publicum progressus, principibus Hispanorum qui tum aderant, dixit, *in quiete sibi visum esse, cervam quæ perierat, ad se reverti; & pristino more, quid facto esset opus prædicere*. Inter hæc dimissa ex composito cerva, ubi Sertorium conspexit, lætis saltibus ad tribunal fertur, & geni-

Et astus Sertorii circa eam. Plutarch. Agell.

bus ejus capite imposito, dextram sedentis (nam frequenter ei gratum aliquem cibum clam obtulerat) ore contingit. Clamor inde factus, & orta admiratio est, tantumque ea persuasio, diis charum hunc ducem esse in animis mobilissimorum alias hominum valuit, ut *ex iis nationibus neminem unquam ab eo defecisse, quum esset multis præliis superatus*, memoriæ proditum sit. Sed tum maximo hominum concursu, lætus successu fabulæ Sertorius, & animos sponte in superstitionem præcipites magis impulsurus, vultu ac voce in speciem religione incensi composita.

Deque ea re Concio.

VIII. *Sunt* inquit, *dii: nec sunt modo; sed etiam nobis favent! Mittat sane Roma Pompeios suos, mittat Metellos! utinam & Regum ille domitor, terror omnium gentium, Romanæ libertatis oppressor Sulla reviviscceret, ut majora nomina vinceremus! Nam ut hæ quidem res eunt, favorem deorum in tam manifestis indiciis non agnoscere insanum; non æstimare impium foret. Quid minus dare quam victoriam possunt? quibus tanta victoriæ non præsagia tantum, sed adjumenta miserunt? Quantum in eo esse putemus, quod toties monitu Dianæ clandestina hostium consilia sacrum hoc animal indicavit: loca, tempora, agenda omittendaque docuit: rerum bene gestarum nuncium; bene gerendarum prænuncium fuit?*

In qua denuo fingit sibi aliquid à cerva nunciari.

IX. *Neque hæc à me fingi sicut existimari hostes vellent, ipsi præclare intelligitis, bonorum istorum sæpe socii, participes, testes: Cur autem ò milites sociique ad vetera provocamus? en vobis præsens & grande documentum! Quid enim, ò quid mihi nuncias, amica*; simul cum his verbis permulcens cervæ caput, quod iterum dextræ ejus admoverat, nominansque locum, ubi partem hostium castra nuper posuisse per exploratores didicerat; *imus* exclamat, *imus, quo tua nos monita vocant, nemorum arcusque potens virgo. Tu nobis tela intorquentibus aderis; tu venationem efficies uberem & secundam. Sed neque parum grati aut memores meritorum erimus. Tibi non jam ursorum cervorumque arma, sed victis hostibus detracta spolia suspendemus: Tibi pro feris sylvestribus cohortes legionesque procumbent.*

Suosque sic animatos statim educit in hostem.
Appianus. lib. 1. Civil.
Plutarch.
Orosius. 5. 23.

X. Hoc velut furoris œstro percussas militum mentes Sertorius videns, optimæque spei plenas, continuo duxit in hostem, levibusque prœliis tempore ducto donec sui convenirent, eum inter Segontiam & Tuttiam urbes, in ultimas angustias redegit. Tandem Romani magnis copiis pabulatum profecti, necessitatem imposuerunt Sertorio, ni reverti illos cum præda vellet, prœlio dimicandi. Igitur equo adduci jusso commisit pugnam: certatumque est summis utriumque viribus, à sexta diei hora, donec stellæ cœlo fulserunt. In eo certamine C. Memmius Quæstor Pompeii, vir militiæ peritissimus, occubuit: & sex millia Pompejanorum sunt interfecta; de Sertorianis ad millia tria ceciderunt. Interim Metellus de Perpernæ exercitu, ad millia quinque concidit.

Metelli periculum.
Sallust. Hist. a. 2. 5.
Plutarch.
Appian.

XI. Igitur illatis in eam partem signis, Sertorius ad ipsum usque Imperatorem pulsis obstantibus penetravit. Ille quamquam senio gravaretur, fortiter restitit, animosque suorum prope deploratis rebus voce, manu, exemplo denique confirmavit. Sed immane quantum animi exarsere, postquàm vulneratum ictu tragulæ viderunt. tum enim pudore ne deseruisse Imperatorem dicerentur, & ea ætate virum, periculorum præ ira obliti, repulerunt hostes, & Metellum, scutis objectis protegentes, extulerunt ex acie.

Sertorius includit se Calaguri.
Liv. Epitom.

XII. Sertorius amissam è manibus prope certam victoriam dolens, vespera sequentis diei quum magna ad eum auxilia Hispanorum venissent, castra Metelli

subito oppugnare adortus est: sed superveniente Pompeio, Calaguri montano & munito oppido, quod paucis inde millibus aberat, se inclusit; ut in se avocatis Romanis ducibus, tutum suis abitum præstaret. Romani quum neque persequi palantes, nec expugnare resistentes possent, gravibus ab eo damnis per continuas eruptiones adfecti, jam tempore anni invitante, relictis ad obsidionem Calaguritanam idoneis copiis in hiberna discesserunt. Plutarch. Ptolemæus.

XIII. Hæc ita apud alios auctores reperio. Livius à *Metello Sertorium & Perpernam cum duobus exercitibus fusos fugatosque* scripserat; *Pompeium partem victoriæ ferre cupientem, parum prospere pugnavisse*. Certe Metellus Imperatorem se ob fusum acie Sertorium appellari, adeoque omnibus humanis honoribus coli passus est, ut ne quidem à divinis temperaret. In ulteriorem Hispaniam regressus, magna gloria concurrentium undique virorum fœminarumque, vias ac tecta visendi caussa replentium spectabatur. Metelli intemperans gloria. Plutarch. Salluft. Hist. 2. 2. 1.

XIV. Sed præcipuæ infamiæ cœna fuit, qua eum Quæstor C. Urbinius, & postquam hoc ille gratum habebat, alii deinceps exceperunt. Ædes aulæis signisque exornata, scenæ ad histrionum ostentationem, sparsa croco humus, & alia in modum celeberrimi templi visebantur. præterea sedenti transenna demissum Victoriæ simulachrum cum machinato strepitu tonitruorum coronâ capiti imponebat. triumphalis plerumque habitus erat accumbenti: epulæ quæsitissimæ, non per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauritania petita volucrum, & ferarum incognita ante genera, inter puerorum virginumque choros apponebantur, hymnos accinentium, quibus ejus victoriæ celebrarentur. Fastusque & Luxus. allust. Plutarch.

XV. Nam adeo laudibus suis delectabatur, ut etiam Cordubensibus poëtis, pingue quiddam atque peregrinum sonantibus aures suas dederet. Et hæc faciebat quia Sertorium propemodum voluntate cedentem repulerat. quum eum sermonibus contemneret, *Sullæ fugitivum, & Carbonianorum exsulum reliquias* appelando. Sed idem *in caput ejus quater & vicies* pronunciari jusserat, *si à cive Romano interficeretur; si ab exsule, reditum in patriam*. In Sertorii caput pecunia pronunciata. Plutarch Cic. pro Arch. cap. 10.

XVI. Inter hæc L. Octavianus Cn. F. C. Aurelius Cotta Consulatum inierant. Quo anno C. Scribonius Curio Macedoniæ Proconsul, qui Appio successerat, omissis quos ille irritaverat gentibus, in Dardania asperum bellum felici eventu gessit; & aliquot subactis populis, multaque imperata, quam certo tempore penderent, in hiberna regressus est. Ea tam formidolosa militibus expeditio fuit, ut de quinque legionibus una circa Dyrrhachium obsequium detrectaret, *sequuturam se temerarium ducem, in asperam & insidiosam militiam* negans. Sed dux acerrimus, quum *reliquas legiones in armis* adsistere jussisset *seditiosam legionem inermem procedere*, & in conspectu armati exercitus discinctam, stramenta secare, postero etiam die similiter fossam discinctos milites facere coegit. Ann. Urbe cond. 678. Curionis gesta in Dardania. Eutropius Orosius. 5. 23. Liv. Epitom. allust. Hist. 2. 1 6 Front Strateg. . 1. 44. Marcellin. 29. 26.

XVII Atque ita domiti quum infimis precibus obtestarentur, ne signa legionis submitteret, nomenque aboleret; nequitum est impetrari: signis ademptis soluta legio, milites que in cæterarum supplementum distributi sunt. In Hispania Q. Metellus & Cn. Pompejus Imperatores iterum à Pyrenæis montibus ad flumen Iberum castra moverunt. Appianus. lib. 1. Civil. Plutarch Sertorius mutatur ad crudelitatem.

XVIII. Hoc tempore quum multi subinde ad Metellum transfugerent, mutare priorem mansuetudinem Sertorius præcipiti ad pœnas iracundia cœpit: pluri- Plus credit barbaris quam Romanis.

mis amicorum & secum proscriptorum crimine proditionis interemptis. Unde paulatim odio esse exercitui; & vicissim illum suspectare: neque animi priores militibus; neque duci consilium esse. maxime molestum Romanis erat, quod plus barbaris Sertorius crederet; hos haberet custodes corporis; popularium fide damnata: quamquam illius gratia contra patriam arma ferrent, nec transfugarum si qui essent crimen, in sacramento manentibus aliis recte imputaretur.

Sertorii magnæ virtutes. Appianus. Salluft. incert. 3. 3. Plutarch.

XIX. Sed nihil erat acerbius, quam quod Hispani favore ducis elati, tamquam in perjuros infidosque petulantia dicta jaciebant. In hac ægritudine animorum, tamen non omnino Sertorium deserebant, necessarium sibi ductum ejus judicantes, etiam quum amare amarique desiissent. Erat enim vir bellicarum artium peritissimus, & ad struendas insidias artifex, eoque ab Hispanis Hannibal vocabatur, quo nullum iis locis versatiorem acrioremque Imperatorem fuisse meminerant. Et ipse sic appellari gaudebat, cominus faciem ostentans, aliquot adversis cicatricibus, & effosso oculo deformem, quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur; quod is quoque casus & Pœno duci & Philippo Antigonoque Regibus se adsimilaret: quos ille omnes, quum alium aliis virtutibus vinceret, animi magnitudine, prudentiaque & velocitate consiliorum æquabat.

Pompeium à Pallantia submovet. Jul. Obseq. Front. 1. 1. 4. Appianus.

XX. Tum quoque præter alias caussas, erat exercitus solito segnior, quod scuta equitum parte exteriore, jaculaque & pectora equorum cruenta subito prodigio apparuerant. Sed ille formidinem suorum in audaciam vertit, *sibi portendi victoriam* interpretatus, *quoniam illæ partes solerent hostili sanguine maculari*. Confirmatis igitur copiis continua ei prœlia cum successu fuerunt. Inter quæ Pompeium à Pallantia submovit, adeo rebus obsessorum extremis, ut suffossa mœnia trabibusque suffulta, incensis illis Pompeiani subruerent.

Seditiones in Urbe propter inopiam annonæ. Flor. 3. 21.

XXI. Sertorius instaurato quod ceciderat, rebusque necessariis urbe munita, Caligurim profectus, subito in castra obsidentium impetu, ad tria hominum millia delevit. Pompeius ad Metellum se receperat, qui frequentibus incursionibus socias Sertorii civitates vexando, excisis castellis atque oppidis incolas in Romanæ ditionis loca deportabat. Dum ita inter Romanos duces, illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, alienæ discordiæ pœnas misera dat Hispania, ne Urbanæ quidem res dissensione ac tumultibus caruerunt: annonæ præsertim inopia furorem plebis usque ad summi imperii contemptum, Consulisque periculum exstimulante.

C. Cottæ Consulis Oratio ad Quirites. Salluft. incert. 3. 1.

XXII. Quod quia non aliunde, quam ex oratione C. Cottæ cognosci potest, operæ precium putavimus, quibus eam verbis Sallustius tertio Historiarum libro posuerat, huc transcribi. *Multa mihi pericula domi, militiæ multa adversa fuere, Quirites. quorum alia toleravi, partim repuli deorum auxiliis, & virtute mea: in quibus omnibus, neque animus negotio defuit, neque decretis labor. malæ, secundæque res opes non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. præterea senectus per se gravis, curam duplicat: cui misero, acta jam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet.*

Beneficia populi prædicat.

XXIII. *Nam, si parricida vestri sum, & bis genitus heic deos Penates meos, patriamque, & summum imperium vilia habeo; quis mihi vivo cruciatus satis est; aut quæ pœna mortuo? quum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici? A prima adolescentia in ore vestro, privatus, & in magistratibus egi:*

qui

qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia volvere, usi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciendum exercui: avidissimus privatæ gratiæ, maximas inimicitias pro Republica suscepi. queis victus cum illa simul, quum egens alienæ opis, plura mala exspectarem; vos, Quirites, rursus mihi patriam, deos Penates, cum ingenti dignitate dedistis.

XXIV. *Pro quibus beneficiis, vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim: nam vita & mors jura naturæ sunt: uti sine dedecore cum civibus, fama & fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissima Republica. namque Imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt. & id res cogit quoniam post defectionem sociorum, & Sertorii per montes fugam, neque manu certare possunt, neque utilia parare.* Consulatus sui dura tempora ostendit.

XXV. *Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostium est: nec minus Italiæ maritima: & provinciarum. quum interim vectigalia parva, & bellis incerta, vix partem sumptuum sustinent. Ita classe, qua commeatus vehatur, minore quam antea navigamus. Hæc si dolo aut secordia nostra contracta sunt, agite, & uti lubet, ita supplicium sumite: sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis nobisque & Republica incipitis? Atque ego, cujus ætati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur. neque mors ingenuo corpori honestius, quam pro vestra salute finem vitæ fecerit.* Nec in secordiam esse culpam. [Nec in secordiam culpam esse eorum.]

XXVI. *Adsum en C. Cotta Consul, facio quod sæpe majores asperis bellis fecere; voveo dedoque me pro Republica: quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunæ, & pacis & belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam cæsum; sed volentem pro maximis beneficiis animam dono dedisse.* Tamen offert animam suam pro Rep.

XXVII. *Per vos igitur, Quirites, & gloriam majorum, tolerate adversa, & consulite Reipublicæ. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores: quod nequidquam abnuitis, & pacis opulentiam quæritis: quum omnes provinciæ, Regna, maria terræque, aspera aut fessa bellis sint.* Hæc tum pro concione dicta memorantur. Quo deinde magis hominum animi lenirentur, ejusdem Consulis lege jura quædam Tribunis plebis restituta sunt; ita tamen ut non tam potestas eorum, quam dignitas augeretur: Legis Corneliæ, cæteris manentibus, abrogato capite, quod Tribunitiis aditum ad majores honores præcluserat. Tribunis plebis aditus ad honores redditur. Sallust. Hist. 3. 4. 8. Ascon. in Cornelian.

XXVIII. Ea quoque res contentione non caruit. sed repugnante nobilitate summo populi studio perfecta est. Igitur & Q. Opimius, qui tum Tribunus legem Aureliam suasit, quod contra Q. Hortensii voluntatem dixerat, anno sequente ad C. Verrem Prætorem in judicium adductus, mulctaque ab eo petita est *quod quum esset Tribunus plebis contra legem Corneliam intercessisset*. Sub hoc obtentu potentes & iniqui homines scelestissimi Prætoris abusi ministerio, hominem innocentem bonis atque fortunis omnibus exuerunt. Q. Opimius per eam caussam evertitur. Ascon. in Verrin. Cic. Verrin. 1. 60.

FINIS LIBRI XCII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XCIII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

*P. Servilius Proconsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes, Bithyniæ Rex, moriens, populum Romanum fecit hæredem, regnumque ejus in provinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum Populo Romano intulit. Apparatus deinde Regiarum copiarum pedestrium navaliumque: & occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta Consul ad Chalcedonem prælio a Rege victus est, resque à Pompeio & Metello adversum Sertorium gestas continet, qui omnibus belli militiaque artibus par fuit. quos etiam ab obsidione Calagurii oppidi depulsos, coëgit diversas regiones petere; Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.*

P. Servilius Isauros domuit. Liv. Epitom. Orosius 5. 23. Eutropius. Strab. lib. 12. Val. Maxim. 8. 5. 6. Florus 3. 6. Strabo. Frontin. 3. 7. 1. Orosius. Strab. lib. 14. 12.

ISDEM Consulibus P. Servilius Proconsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot urbes Piratarum expugnavit. Per Tauri quoque montis in Ciliciam vergentia latera, quo nullus adhuc Romanus exercitus penetraverat, in Isauros itum, Lycaoniæ partem: & Isaura, unde genti nomen, obsidione circumdata sunt. His expugnatis P. Servilius *Isaurici* cognomen accepit; non ex nobilitate locorum, sed magnitudine laboris victoriam æstimans. Nam omnia circum Piratæ tenebant: durumque armis genus, situs asperitate propemodum erat inexpugnabile: donec Imperator averso flumine, ex quo hostes aquabantur, oppidum ad deditionem siti coëgit.

Marcell. 14. 25. Cic. Verrin. 5. 26. Ciliciæque vectigal imponit.

II. Hic ei limes itinerum eo bello & expeditionum fuit. P. Servilius Isaura demolitus Ciliciæ Isauriæque vectigal imposuit, confectaque provincia, multis ubique Piratarum, quas ad mare habuerunt, excisis munitionibus, magna gloria decessit. Præcipuum quacumque incedebat hominibus gaudium fuerunt, spectati in vinculis prædonum duces, quorum unus ille plures, quam omnes ante eum Romani ceperant: fruebaturque vulgus tam avide miseria eorum quos timuerat, ut non modo ex his oppidis, per quæ ducebantur, sed etiam ex finitimis, visendi caussa concurreret.

Bithyniæ Rex herede populo Romano moritur. Salluſt. Incert. 3. 8. Plutarch. Lucullo c. p. 11. Eutropius. Cic. Verr. 1. 10.

III. Exercitum tamen in Cilicia retineri placuit, ob suspectam Mithridatis potentiam, & haud dubii jam belli apparatus cum P. Servilius L. Octavio Proconsuli quum tradidisset, Romam ad triumphum decessit. Isque haud dubitanter decretus, & magno spectantium studio celebratus est; quod eum P. Servilius captorum oppidorum spoliis, & divite Piratarum præda satis magnifice instruxerat. Inter hæc Bithyniæ Rex Nicomedes moriens, quamquam

ex Nusa sorore Mithridatis prosem susceperat; sive gratiæ referendæ caussa, sive ut graviorem inimico Regi adversarium relinqueret, populum Romanum fecit hæredem.

Val. Maxim. Claudian. in Eutrop. 1.217. Rufus. Arrian. Bythin. Sallust. Hist. 4. 2.7. Appian. lib. 1. Civil.



IV. Idcirco Prætori Asiæ M. Junio Silano (quod is provincias obtinentium Bithyniæ proximus erat) negotium datum; *ut Regnum Nicomedis in provinciam redigeret.* Sub idem tempus Libyei quoque Regni pars, quæ sub Appione Ptolemæo fuerat, ejusdem testamento Romanis provinciis accessit. Cyrenaicam alterius Appionis judicium dudum ad Romanum populum transtulerat: tum altera pars Libyæ quam vocabant aridam, Paratonio, Cherclaque & Neapoli urbibus Romanam ditionem auxit.

Itemque Libyæ Rex Appio. Plutarch: Cæs. 1. cap. 3. Liv. Epitom. Appianus. Eutropius: Marc. 22.43.

V. Id Ægyptii, quorum ad Regnum haud dubie illa pertinebant, dissimulare coacti sunt ob intestinas discordias, metumque ne Syriacis Regibus ab Senatu Romano Ægyptus adjudicaretur. Erant enim Romæ adolescentuli duo quos ex Selene Ptolemæi filia Grypus Antiochus sustulerat: qui *ad se & matrem suam Regnum Ægypti pertinere* dicerent. Atque illi quidem, obtentu temporum populi Romani, per Senatum agere nihil potuerunt: Libya inter Romanas provincias mansit. Sed Mithridates hoc maxime ad nudanda consilia tempus opportunum judicans, quo transiens ad aliud imperium Bithynia, destituta priore domino, nondum fida aut firma novis nutaret; bellum aperte sumpsit.

Mithridates bellum sumit. Cic. Ver. 4.27.

VI. Et quia Sertorii celebres fama opes erant, ad societatem cum eo jungendam hortantibus aures præbuit. Duo enim Lucii, Magius & Fannius, Fimbrianæ seditionis reliquiæ, qui sedibus Myndi fixis, apud Regem per obsequelam orationis, & maxime odium Sullæ, auctoritate & gratia valebant; *Asiam vicinosque populos, haud dubium auxilii Sertorio ferendi præmium fore* dicentes, impulerunt, ut de fœdere ineundo legatos in Hispaniam mitteret. Eos Fannius & Magius empta dudū a C. Verre navi Milesia per Italiam ad Sertorium deduxerunt.

Legatos ad Sertorium mittit. Liv. Epitome Appianus. Mitrid. Cic. Ver. 1.34. Plutarch. Sertor. cap 38. Sallust. Hist. 2. 1. 16.

VII. Senatus re audita, hostes illos judicavit, inquirendosque mandavit. Sed illi jam in Hispaniam pervenerant. Sertorius introductis in Senatum suum legatis, magnifice de rebus suis loquutus, *quod jam ab Oriente simul & ab Occidente facessere negotium adversariis posset, exponere mandata* jussit. Illi hanc in sententiam cœperunt: *Rex Mithridates multas gravesque injurias olim & nuper perpessus à Romanis, qui in Urbe sunt, iterum ad arma cogitur. Quæ illum caussæ moveant, non modo præclare scitis, nec enim leves aut obscuræ*

Ascon. in Verr. 3. Cic. pro L. Man. cap. 4. pro Muren. c. 15. in Verr. 1. 34. Eorum Oratio.

sunt; sed ab iisdem hominibus similia aut atrociora passi, quam nihil ab his æqui, nihil saltem tolerabile possit impetrari, compertum habetis.

Sertorianum Senatum pro Romano agnoscunt.

VIII. *Sane cum Senatu Populoque Romano fœdus icit Mithridates: sed multoties id ruptum à Sullanis est; ut & ipsi discedere inde citra perjurii notam liceat: cæterum inviolabile sicut hactenus, ita porro quoque & sanctum servare cupit: sed vobiscum Q. Sertori, vosque Patres Conscripti, quem ille veriorem digrioremq; antiqua Populi Romani fama Senatum judicat, quam qui Urbi incubat, non externorum modo Regum nationumque, sed suæ quoque patriæ tyrannus & hostis. Sed non magno negotio commune periculum ab utrorumque cervicibus depelli potest, si hinc Sertorius, inde Mithridates totis viribus insurgant.*

Et cum hoc fœdus servare cupiunt.

IX. *Rex noster, ex quo contra pacem Sullanam est à L. Murena appetitus, superior armis fuit. Eadem audivit de his Romanis, qui Hispanias obtineant: multaque iis locis fama, tu C. Sertori, vosque reliqui duces estis. Igitur mittendam ad vos legationem censuit, ut qui similibus caussis concitentur, similique virtute & fortuna agant, communi fœdere communem salutem tueantur. Utrisque proniora erunt omnia, si juncti consiliis armisque invicem ubi utilitas desideret, juvamus & juvamur, quam si diversi divisique sua quisque negotia seorsim curent.*

Sertorii sententia. Plutarch. Sertor. cap. 19.

X. Postquam è Curia dimissi legati sunt, inter præsentes diu de tantis rebus consultatum est. Plerique *minime dubitandum* censebant, *quin oblata, quibus eum maxime esset opus, acciperentur; nihil è contra nisi quod alienum esset traditu-ri.* Quippe legati *navium & pecuniarum magnam vim polliciti, Asiam & vicina Regna Mithridati concedi* postulaverant. At Sertorius insigni documento maximi spiritus, *siquidem Bithyniam & Cappadociam parere Regibus adsuetas Mithridates subegisset, facile passurum* dixit; *sed Asiam justissimo titulo possessam Romanis, postea receptam à C. Fimbria, tum pace Sullana dimissam ab Rege, non esse concessurum.*

Ad augmentum Reipub. dirigentis omnia.

XI. *Se enim Romanos esse, nec cum patria, sed à quibus oppressa sit, tyrannis, bellum gerere. omnia ergo consilia ad augendam magis ornandamque Rempublicam, quam ad vexandam esse referenda. Optandam plane viro forti victoriam si honestis parari rationibus possit; sed cum turpitudine ne salutem quidem expetendam. Præterea ne utilem quidem eam sententiam fore. Infinitos enim per Italiam & in Urbe cives Romanos agere, qui his partibus occulte faveant; ad omnem Fortunæ nutum animos & consilia monstraturi.*

Sed & privatim sic melius consuli docentis:

XII. *Sed optimum quemq; non aliis caussis moveri, quam quod bonos egregiosq; viros & Reipublicæ studiosos, per vim & injuriam ab adversa factione pulsos arbitrentur. Minime igitur dubitandum, quin si ne odio quidem inimicorum, & tantis commodis suis, ad pactionem populo Romano indignam adduci potuisse intellexerint; major apud omnes existimatio sua sit futura, favorque in partes pronior. Sed nec eo animo aut successu bellum geri, ut desperandum sit, quin sive victis adversariis, sive ad æquas conditiones adactis, patriam cum pristina dignitate sint recepturi. Æquum igitur esse, ut quem locum spe & virtute repetant; eo etiam dignos animos & habeant, & habere demonstrent.*

XIII. Hæc renunciata Mithridatem miraculo rei perculerunt: aiuntque

velut attonitum dixisse ad amicos; *Quid igitur sedens in Romana Curia Sertorius imperaret, qui nunc exul, & ad angulum Europæ submotus, fines Regno meo ponit, & Asiam tentantibus arma minatur?* Accepit tamen quod dabatur, & fœdus jurejurando sancitum in has leges: *Cappadociam & Bithyniam, quibus finibus Ariobarzanes & Nicomedes habuissent, Mithridates Rex haberet: Sertorius Regi ducem certo militum numero; Sertorio talentûm tria millia, & naves quadraginta Rex mitteret.*

Leges fœderis inter Sertorium & Mithridatem. Cic. pro L. Manil. Strab. lib. 3. Biblioth. Hispan. 1. 5. Memnon. Appianus. Mithrid. Plutarch. Lucul. cap. 14. Mithridatis apparatus.

XIV. Nam apud Dianium, quæ Massiliensium colonia inter Carthaginem & Sucronem a Dianæ templo nomen traxerat; stationem navium, arcemque maritimarum expeditionum Sertorius habebat. quia locus munitus excelsusque, ad longissima spatia patente prospectu, multo commodissimus ad excursiones, & latrociniis similiores conatus erat. Utrimque fides pactorum intemerata stetit; & quæ convenerat, in tempore missa. His ita perfectis, Mithridates Romanarum virium haud rudis, nec ullam postea veniam sperans, quamquam simulatione Bosporani belli, maximas classes copiasque dudum confecerat, totus in apparatibus esse: reliquum ejus æstatis & hiemem omnem cædenda materia, fabricandisque navibus, & armis ad Romanum maxime morem impendere: denique nihil ad instruendum immane bellum consilii, laboris, industriæ prætermittere.

XV. Hac cura bis millena millia medimnorum frumenti per maritima horrea distributa sunt: auxilia, præter veterem exercitum, ex Chalybum, Armeniorum, Scytharum, Taurorumque gentibus, & fortissimis omnium Bastarnis, atque Thracibus centum quadraginta millia peditum, sedecim equitum coacta. Hos magnus præterea calonum lixarumque numerus, & ad vias muniendas agrestium sequebatur. Triremes quadringentæ aderant, præter minora navigia: omnia non ad vanam speciem, ut prius, sed ad firmitudinem usumque fabrefacta. currus falcati centum & viginti, rerumque cæterarum respondens tantis conatibus apparatio.

Gentes variæ inter auxilia Mithridatis. Memnon. Plutarch.

XVI. Hæc quia clam esse non poterant, Senatus ambos Consules (L. Licinius L. F. L. N. Lucullus, M. Aurelius Cotta jam inierant) ad id bellum mittendos censuit: ita, ut alter Mithridatem persequeretur, alteri classis daretur ad tuendam Bithyniam. Bellum Lucullo evenit; Cottæ Bithynia. quamquam a principio anni aliæ Consulibus decretæ provinciæ fuerant. Sed Lucullus haud magnam in Cisalpina Gallia materiam gloriæ sperans cupiditate Mithridatici belli flagrabat. Igitur audita morte L. Octavii qui Ciliciæ præfuerat, cum P. Cethego cujus tum ob maximas in Senatu opes patrocinium à plerisque expetebatur; ex acerrimis simultatibus subito in gratiam rediit, ut provinciam Ciliciam adipisceretur. quam ubi nactus est, nemo dubitabat, quin illi committendum bellum Mithridaticum foret.

Urb. cond. an. 679. Ambo Consules ad bellum Mithridaticũ mittuntur. Cic. pro Muren cap. 15. Plutarch. Lucul. cap. 5. Sallust. Hist. 1. 3. 21. Appianus. Sallust. incert. 8. 21. Ascon. Ver. 4. Sidonius Car. 22 259.

XVII. Decretæ sunt illi legiones, quæ jam erant in Asia quatuor; quintam ut in Italia conscriberet, permissum. Contra Piratarum audaciam M. Antonio Prætori M. Cotta Consule & patris M. Antonii memoria suffragante, qui bellum in Cilicia feliciter administraverat, P. Cethegi factio totius oræ maritimæ, qua Romani populi jus esset, curationem cum infinito imperio dedit: quale postea Piratico bello Cn. Pompejus adeptus est. Jam Mithridates primo vere Jovi Belli potenti sacrificium patrio more fecerat; deinde, quo tempore primum nova classis

M. Antonio totius oræ maritimæ imperium datur.

in mare deducta est, Neptuno quadrigas albas immolaverat, corporibus profundo mersis.

Heraclea Mithridatici juris facta.

XVIII. His religionibus cœpto bello, Diophantus purpuratus cum exercitu in Cappadociam erat præmissus, præsidiis firmaturus urbes, & obviam iturus Lucullo, si ad Pontum accederet. Cæteras copias centum & quinquaginta millia peditum, equitum duodecim Rex ipse per Timonitidem (Paphlagoniæ ea regio est) Galatiamque nono die in Bithyniam duxit. Sub id tempus Heraclea his de caussis Mithridatici juris facta est. Classis Regia præternavigans, quum urbe non reciperetur, *forum rerum venalium præberi* postulavit.

Ptolom. 5. 2. Plutarch. Memnon.

Publicani ab Heracleotis luce privantur.

XIX. Ea re impetrata, quum, ut fit ubi nullus hostilis animi metus est, Heracleatæ multi ad naves venissent, præfectus classis Archelaus, Silenum atque Satyrum è primoribus civitatis comprehendit: neque antea dimisit, quam ad redimendos eos naves quinque traderentur. Is eventus quum talis esset, ut potius ex compacto quam casu res gesta videretur; Romani publicanis Heracleam missis, vectigal, ut ex aliis circa urbibus, exigere cœperunt. Id vulgus, & si qui alii propensioribus in Regem animis erant, principium servitutis interpretati, quum legatos iis de rebus ad Senatum mitti præstitisset, audacissimi cujusdam hominis oratione accensi, publicanos ita privarunt luce, ut ne genus quidem mortis quo perierunt sit, cognitum.

M. Varius à Sertorio Proconsule ad Mithridatem mittitur. Plutarch. Lucullo. Appianus. Cic. Ver. 1. 34. Plutarch. Sertor. Velleius. 2. 42.

XX. Sed illud odium Romani nominis, præter licentiam præsidiarii militis, & fœneratorum improbitas, & eorum qui publicum exercebant, injuriæ ita vulgaverant, ut passim venienti Mithridati portæ panderentur. Præsertim quia M. Varius Senator ex proscriptis, missus à Q. Sertorio, cum L. Magio & L. Fannio consilii caussa additis, ex Hispania ad Regem venerat. Vario, quod Proconsulari potestate ab Sertoriano Senatu erat ornatus, fasces securesque præferebantur; eique primas concedente Mithridate, à quibus recipiebantur urbibus, aliis libertatem, aliis immunitatem Sertorii nomine concedebat.

C. Cæsaris adolescentia. Fragm. Capit. Vellejus. Sueton. Cæs. cap. 1. Plutarch.

XXI. Quo tempore C. Cæsar, tanti mox futuri viri specimen memoria dignum edidit, cujus de adolescentia, quando pleramque hujus Historiæ partem paulo post facturus est, quædam cognosci pretium operæ fuerit. Igitur C. Julius C. F. C. N. Cæsar, annos fere duodeviginti natus, quum in matrimonio haberet Cinnæ quater Consulis filiam, nullo modo compelli à Dictatore Sulla potuit, ut eam dimitteret: quum M. Piso Consularis Anniam, quod Cinnæ uxor fuerat, in gratiam victoris repudiaret. Igitur & sacerdotio, & uxoris dote, & gentilitiis hereditatibus mulctatus, ad necem quærebatur. ut dissimulato habitu nocte elapsus Urbe, profectusque in Sabinos, singulas prope noctes, quamquam morbo quartanæ aggravante, latebras mutare cogeretur.

Sullæ judiciũ de Cæsare. Plutarch. Sueton. Cic. in Pison. Vellejus. Auct. de caus. corrupt. Eloq. 34. 8. Pighius Anna. 676. Val. Maxim. 8. 9. 3.

XXII. Sic quoque deprehensus à Cornelio Phagita, Sullæ liberto, vix præmio dato evasit. Postremo per Virgines Vestales, & Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam, propinquos & adfines suos, veniam impetravit: diu quidem repugnante Sulla, & ut erat sagacissimus ingeniorum conjector, *multos ei puero inesse Marios* testante. Post merita deinde sub Thermo & Isaurico stipendia, quum Romam esset reversus, Cornelium Dolabellam Consularem, qui ex Macedonia paulo ante triumphaverat, summo favore populi, tertio & vicesimo ætatis anno postulavit, magnamque ingenii & facundiæ laudem adeptus

est; quamquam Dolabella reus Q. Hortensio C. Cotta defendentibus absolveretur: querente Cæsare, *extorqueri sibi caussam optimam C. Cottæ patrocinio*.

XXIII. Nam hærebat criminibus repetundarum Dolabella, frequentesque civitates Græciæ testimonium in eum dixerant. Ergo declinandæ invidiæ caussa, simul ut clarissimo dicendi magistro daret operam; Rhodum ad Apollonium Molonis profecturus, apud Pharmaculam insulam (hodie *Parmosam* vocant) à Piratis captus est. Inter hos cum uno medico & cubiculariis duobus, per dies ferme quadraginta (reliquos enim comites servosque ad pecunias quibus redimeretur, expediendas dimiserat) heri magis quam captivi animo ac dignatione versatur, ne suspicionem ullam prædonibus daret, si quid ex solito mutasset, calceatus cinctusque noctes, ac dies permansit.

Cæsar à Piratis captus. Cic. Brut. Plutarch. Sueton. Bellonius. Velleius. Val. Maxim. 6. 9. 15.

XXIV. Viginti talenta Piratæ postulaverant. ille deridens, ut ignaros quem tenerent, quinquaginta spopondit daturum. Quæ summa postquam ex publica civitatum pecunia confecta est, expositus in litore, obsidibus quos civitatibus Piratæ dederant redditis, Miletum, quæ proxime aberat, properavit, ibique contracta classe tumultuaria, privatus, post paucas horas quam erat liberatus, stantes adhuc ad eamdem insulam prædones noctu adortus, aliquot naves, mersis aliis & fugata reliqua classe cepit. Deinde festinans ad Proconsulem Asiæ Junium, qui tum erat in Bithynia, rem gestam exposuit, *utque ille auctor supplicii de captivis sumendi fieret*, postulavit. Atque illo *venditurum captivos* respondente; Pergamum, ubi Piratas in custodiam dederat, incredibili celeritate revectus, priusquam ullæ supervenire Proconsulis epistolæ possent; adfecit eo supplicio quod sæpe minatus per jocum fuerat.

Vicissim illos capit. Sueton. Velleius. Polyæn. Strateg. c. 3. lib. 8. Plutarch.

XXV. Sed ne à lenitate naturæ suæ descisceret, & tamen impleret dictorum fidem, *jugulari prius, deinde crucibus suffigi* jussit. Hic igitur Cæsar, quum Mithridate provincias Romanas vastante, res ad defectionem spectaret, ab Rhodo, quo petenderat, in Asiam profectus est. contractisque sociorum auxiliis, & præfecto Regis provincia expulso, dubios ac deliberantes civitatum animos in fide continuit. Idem pari studio, auctoritate majore Lucullus Consul faciebat; qui rebus Urbanis utcumque compositis, interea in provinciam venerat. Nam ob delectum erat moratus & Tribunitia jurgia, quum L. Quinctio, quotidie seditiosas conciones habenti, summa vi resisteret, donec insolentia hominis mitibus remediis, docendo mulcendoque cohibita, cum una legione pervenit in Asiam: adjunctisque legionibus quatuor, peditum Romanorum triginta millia, equites bis mille quingentos ducens, jam in Phrygiam usque processerat: quum adventu ejus cognito, M. Cotta ne cum collega debellati Regis laudem communicaret, ad Chalcedonem cum Mithridate confligere maturavit.

L. Lucullus Consul in Asiam venit. Plutarch. Lucul. cap. 13. Cic. pro Cluent. Sallust. Hist. 3. 4. 11. 4. 2. 14. Appianus. Mithrid.

XXVI. Neque tamen ipse, ut erat bellicorum certaminum rudis, prodire ausus, Nudum præfectum classis cum parte exercitus emisit. Qui licet munitissimam campi partem occupasset, à Mithridate pulsus, per multa transcensu difficilia septa Chalcedonem ægre refugit: multis in ipsa porta, dum conferti perrumpunt, telis barbarorum cadentibus. Metu deinde clausis portis, Nudus & alii ducum funibus subducti sunt: reliquum vulgus, quum hinc ad suos, inde ad hostem supplices manus tenderet, nec apud illos auxilio, nec apud hunc misericordia inventa, trucidatum est. Millia quinque trecentos, & in his L.

Mithridates Cottam vincit pedestri prœlio. Plutarch. Appian. Memnon.

Manlium Senatorem eâ clades absumpsit, de victoribus: Bastarnarum, quorum singularis eo prœlio virtus fuit, triginta, cæterorum ad septingentos ceciderunt.

Atque iterum maritimo. Appian. Memnon. Cic. pro Muren. cap. 15. Plutarch.

XXVII. Mithridates utendum fortuna, donec propitia esset ratus, eodem die classem ad portum Chalcedonis adduxit: perruptaque catena ferrea, quam Consul prætendi jusserat, prælium navale commisit, eo successu, ut hostium octo fere millibus interemptis, quatuor naves injecto igne consumeret; reliquas sexaginta, cum virorum quatuor millibus quingentis captas, remulco traheret ad sua præsidia: neque Nudo ultrà, neque Cotta obsistentibus, qui muris oppidi se incluserant. Hæc duplex terra marique victoria, vehementer & opes Mithridatis & nomen auxit. Eo tempore circa Sangarium amnem castra Lucullus habebat. Is igitur cognita collegæ calamitate perculsum exercitum cohortatus, protinus versus Chalcedonem castra movit.

Lucullus contra aliorum sententiam, Mithridatem quærit. Liv. Epitom. Cic. pro L. Manil. cap. 5. Appianus. lib. 1. Civil. Plutarch. Sertor. c. 34. Cic. pro Fonteio cap. 3. Plutarch. Pompeio, c. 30. Sallust. Hist. 3. 2.

XXVIII. Erat apud eum Archelaus, qui nuper ad Murenam à Mithridate transfugerat, monebatque *ut omisso Rege protinus in Pontum irrumperet: ad conspectum ejus omnia defectura*. In hanc sententiam proni milites erant, *non auctori tantum perniciosam fuisse Cottæ temeritatem* frementes, *sed sibi quoque detrimento fore, si omissa, quam Fortuna patefecisset, tantarum rerum occasione; ad illum obsidione liberandum, eatur*. Igitur pro concione præfatus, *unum se servare civem malle, quam omnibus hostium fortunis potiri*; negavit *se timidiorem venatoribus esse, ut feris omissis, ad earum vacua lustra pergat*. His dictis *pronunciari iter in posterum diem* jussit.

XXIX. Hoc rerum ad Orientem statu; Q. Metellus Cn. Pompejus in Hispania, ubi majoris firmamenti roborisque partes erant, civitates aliquot in potestatem redegerunt. Magna tamen pugna nulla pugnata est, Sertorio vitante, & mora miseriisque omnibus atterente hostem. nam & commeatum præcidebat ei, litora piraticis navigiis, agros populationibus infestando: & ad omnia quantumlibet distantia promptus ac velox, curis, inopia, periculo adversarios macerabat: donec obsidione Calaguritana depulsos, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam, diversos petere coëgit; ne conjuncti rerum necessariarum penuria premerentur. Magnum ea res terrorem Romæ concivit: vulgoque jam venturus in Italiam cum exercitu Sertorius putabatur, maxime postquam Cn. Pompeji adlatæ literæ sunt, in hanc sententiam scriptæ.

Sertorius Metellum & Pompeium macerat.

Pompeii Epistola ad Senatum.

XXX. *Si adversus vos, patriamque, & deos Penates, totiens labores & pericula suscepissem, quotiens à prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi, & vobis salus quæsita est: nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, Patres Conscripti; quem contra ætatem projectum ad bellum sævissimum, cum exercitu optime merito, quantum est in vobis, fame, miserrima omnium morte, confecistis. Hac enim spe populus Romanus liberos suos ad bellum misit? hæc sunt præmia pro vulneribus, & totiens ob Rempublicam fuso sanguine? fessus scribundo, mittendoque legatos, omnes opes & spes privatas meas consumpsi: quum interim à vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. per deos immortales: utrum censetis me vicem ærarii præstare, an exercitum sine frumento & stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum: quippe qui nomine modo imperii à vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi; hostesque in cervicibus jam Italiæ agentes ab*

Alpi-

Alpibus in Hispaniam submovi: per eas iter aliud atque Annibal, nobis opportunius patefeci.

XXXI. *Recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Ilergetes, & primum impetum Sertorii victoris novis quidem militibus, & multo paucioribus sustinui: hiememque in castris inter saevissimos hostes, non per oppida, neque ex ambitione mea, egi. Quid dein praelia, aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valent quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, & praelium apud flumen Durium, & dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia, & exercitu deleti, satis clara vobis sunt. Pro quibus, ô grati Patres, egestatem & famem redditis. Itaque meo & hostium exercitui par conditio est. namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvertatis; neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus: praeter maritimas civitates quae ultro nobis sumptui onerique.* Sua gesta exprobrat. Plutarch. Lucul. cat.

XXXII. *Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit: & nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi. Reliqui vos estis: qui nisi subvenitis, invito & praedicente me, exercitus hic, & cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgredietur.* Haec epistola pervenerat Romam, quum adhuc in Urbe Lucullus Consul ageret. Idcirco negotio propere ad Senatum relato, quum & res cogeret, & Lucullus metu, ne Pompejus ad Urbem veniens Mithridaticum sibi bellum praeriperet, summo studio adniteretur; stipendium ei missum est. Lucullo adnitente stipendium accipit. Sallust. ince. c. 37. Plutarch.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri XCIV. LIVIANI.

L. Annaei Flori Epitome Ejusdem Libri.

LUCULLUS Consul adversus Mithridatem equestribus praeliis feliciter pugnavit & expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites à seditione inhibuit. Dejotarus, Gallograeciae tetrarches, praefectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidit. Praeterea res à Pompejo in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

INTEREA L. Lucullus Consul, quum ad hostem pervenisset, eumq; succinctum tantis copiis videret; proelio congredi minime tutum ratus, intra munimenta se tenebat. Sed lacessente apud Otryas (Phrygiae locus est) M. Vario,

Prœlium inter Lucullum & Mithridaticos prodigio diremptum.

qui missis ab Sertorio copiis præerat; eduxit suos, aciemque ordinavit. Quum in eo essent, ut concurreretur; cœlum absque ullo qui animadverti potuerit eo-natu diruptum, inter duas acies ingentem flammæ molem immisit, colore argenti, forma dolii similem. Sic eo die, territis prodigio utrisque, à pugnando temperatum; Lucullusque ad priora consilia ducendi belli rediit. Quum enim tot hominum millia in conspectu hostis alere, non in longum facile fore Mithridati crederet; quo certius exploraret, quantum ei copiarum esset, captivos aliquot, seorsim unumquemque, jussit adduci. Ex quibus percontatus, *quot quisque contubernales in castris, cum quanto cibariorum modo reliquisset*; ita rationem iniit; ut intra triduum aut quatriduum fame laboraturos existimaret.

Lucullus Mithridatem fame consumere statuit. Liv. Epitom. Plutar. Lucul. cap 18. Strab. lib. 15.

II. Idcirco abundantem annonæ copiam in sua castra convehens, satis habebat, si hostem annona prohiberet. Per hanc occasionem, quum equestria prœlia frequentia fierent, iisque superior Romanus esset; milites avidi pugnæ, *nihilque suæ virtuti invium* jactantes, *in hostem uti ducerentur*, postulabant. Recusante Lucullo, atque *suam occasionem* jubente *exspectari*, prope seditionem ventum; *vel injussu Imperatoris pugnaturos* clamantibus: donec accommodata tempori oratione mitigati quieverunt. Neque multo post imperatorii consilii salubritas apparuit, quum penuria commeatuum movere castra Mithridates cogeretur.

Mithridates ad Cyzicum ponit castra. Appianus. Mithrid. Plutarch.

III. Nam ille, quo Lucullum falleret, cœnatos milites statim abduxit, noctem obscuram atque nimbosam nactus, & Oriente sole in Adrastiæ monte, qui Cyzico urbi est oppositus, consedit. Lucullus composito agmine ita insequutus, ut ne pugnandi necessitas imponi invito posset; circa Thraciam quam vocant Comen, castra communivit. Cognito deinde ex captivis, *Regi circiter trecenta hominum millia, non ante paratis copiis, sed ex quotidiana subvectione maritima, & frumentationibus ali*: futura animo prospiciens, non continuit lætitiam, sed opere castrorum perfecto, advocavit concionem, atque apud circumfusos ita orsus est.

Luculli Concio ad milites.

IV. *Omnium gentium atque populorum institutis, quibus utique consensus à recta ratione numquam discedit, ita videmus observari, ut in re bellica multis hominum millibus unus plerumque imperator præsit. multas enim manus, sed unum consilium res militaris desiderat. quemadmodum & in animantium corporibus compluria membra capitis unius imperio reguntur. Atque hoc non ideo tantum est utile, ne si plurium sit arbitrium; pestilentissima rebus gerundis dissensio nascatur; ut quod deliberatum est, donec agendi tempus advenerit, occultius sit & tectius. Atque hæc illares est, quæ plurimam in imperatore patientiam poscit; ut constanter maneat in recte consultis, neque hostium ludibriis, neque suorum sermonibus inde se patiatur dimoveri.*

Suis consiliis paratam ostendit adesse victoriam.

V. *Nec enim latere me potuit, quæ nuper ex civilibus bellis prava consuetudo, plurimorum etiam ex vobis corruperit mentes, ut quum milites Imperatori operam navare debeant, Imperatores ipsi esse velint, & quid de summa rerum judicandum sit, decernere. Sed hos ego partes meas mihi relinquere, suas curare jubeo: simul autem omnibus lubens lætusque nuncio, nunc venisse tempus intelligendi, quo consilio pugnare volentium sit à me cohibitus impetus. Meis enim consiliis*

eo adactus hostis est, ut hunc in locum se dimiserit, ubi necessum sit eum paulo post, rerum necessariarum penuria copias omnes amittere.

XI. *Dispicite igitur, quanto plus ego; quam vos omnes providerim; quandoque melius consuluerim communibus rebus. Vobis congredi cum hoste collatis signis placuit. quod si esset factum, aut fusi essemus, aut magno cum sudore aequis pugnassemus viribus; aut si faventissimi dii fuissent, multo emptam sanguine obtinuissemus victoriam. At nunc prorsus incruentam reportabimus. idque fide mea spondeo: vos estote promissi memores.* Quum deinde montem magnum supra Regis castra, opportunum ad omnia conspicatus, occupare locum conaretur; neque repellente praesidio, quod hortatu Taxilis aliorumque amicorum Mithridates imposuerat, potiri posset; inopinato Fortunae munere, quod viribus obtinere nequiverat; est consequutus. Appianus. Locum opportunum occupat.

VII. L. Magius Sertorianis rebus diffisus, maxime quod occisum ab amicis ducem acceperat; clam missis ad Lucullum nunciis, *reditum* orabat: *si ejus rei fides data esset, non sibi defore rationem, qua Regi noceret.* Annuente Lucullo, Regi persuadet, *nihil referre, quo loco castra hostis metetur. Fimbrianas legiones, quae essent apud Lucullum, propediem ad se transituras. ita sine praeliis & sanguine victoriam penes Regem fore.* Grata erant quae dicebantur, nec veri specie carebant: nota Fimbriani militis perfidia, & crebris adversum duces seditionibus. Idcirco negligente custodiam locorum Mithridate, Romani angustiis sine incommodo superatis, castra in monte posuerunt. Prodente Mithridatem L. Magio. Pedian. Verrin. 3. Appian. Plutarch. Lucul. c. 13.

VIII. Magna ea & multiplex utilitas Lucullo fuit, ipsi commeatus sine metu subvehebantur; Rex toto prope modum agro, fluminibusque omnibus, & lacu Dascylite exclusus, perquam angusta frumentatione utebatur. Neque discessuro satis patens exitus erat; fossas multis locis objiciente Lucullo: neque Lucullum ob locorum opportunitatem sic poterat depellere. & jam inclinante tempore anni reliquam annonae spem interclusum tempestatibus mare solicitabit. Idcireo duobus Imperatoribus varii animorum habitus erant: Lucullus admonebat amicos *tempus adesse praestandi, quae promiserant*; Mithridates errore, postquam corrigi jam nequibat, intellecto, multa & diversa secum agitabat. Inde fiunt Mithridatis res perquam impeditae. Orosius 6. 2. Appianus.

IX. Tandem licet cum tanta militum multitudine vel per medios hostes erumpi posse videretur; oppugnandae urbis consilium sedit. Fimbrianorum transitionem, cujus facta spes, subito discessu impedire inconsultum putabat. Et quia Chalcedonensi pugna Cyziceni decem naves cum tribus hominum millibus amiserant: tanto facilior erat futura urbis expugnatio. pretium autem operae, si Cyzicus capta esset, ingens ostendebatur. & hac velut janua Asiae perfracta, futurum erat, ut victori tota provincia pateret. Accedebat, quod ita omnia ad urbem clausa itinera erant, ut oppidani, licet in conspectu haberentur Luculli castra, tamen ubi esset, ignorarent. Quas expedire conatur oppugnatione Cyzyci. Plutarch. Cicer pro Muren. c 15. Strab. lib. 12. Appianus. Strab.

X. Quippe Cyziceni in cognomine insula ad Propontidem celebant; & Mithridates milite abundans decem à terra castris oppidum adsidebat: & ad fretum quod continenti dirimitur, utroque latere naves quadringentas admoverat: & barbari Romana castra digito monstrantes, oblectos horribili mendacio terrebant, *Armeniorum Medorumque missas a Tigrane copias ibi consedisse* dictitantes. Non tamen desponderunt animum, quamquam summa contentione omni- Cyziceni terra mariq. clausi: Strab. Appianus.

busque viribus oppugnarentur. Etenim Mithridates capto suburbio, navalia duplici muro obsepserat: & reliqua urbe circumvallata, magnos excitabat aggeres, aliaque opera multa studiose faciebat; turres & testudines, & insignem ante alias machinam, centum cubitorum helepolin, è qua turris alia tollebatur, catapultis instructa, quæ telorum & lapidum quaquaversum velut imbrem spargerent, Niconidæ Thessali opus.

Plutarch. Appian.

XI. Ad portus porro duæ quinqueremes inter se firmiter devinctæ aliam turrim sustinebant, ita fabricatam, ut ubi muro admota esset, pons ex ea demitti subito in mœnia posset. His omnibus paratis, antequam vim tentaret, captivos Cyzicenorum omnes in conspectum suorum adduxit, sperans illorum charitate lachrymisque moveri ad deditionem oppidanos posse. Sed illos multa nequidquam obtestantes, Pisistratus Cyzicenorum Prætor *abstinere nihil profuturis precibus* jussit; *& postquam semel in potestatem hostium venissent, fortiter ferre calamitatem.*

Mithridatis strata[gema]. Fron[t]in. Stratag. 4. 5. 21. Appianus.

Cyziceni strenue se defendunt.

XII. Sic exploso commento Regis, ad seriam dimicationem ventum: quia progressa in navibus turris, ponte mœnibus injecto, quatuor armatos muris imposuerat. Id spectaculum ita perterrefecit obsessos, ut si continuo sequuti plures fuissent, in magno periculo res Cyzicena fuerit. Sed dum etiam in turri trepidatur, propugnatores resumptis animis quatuor illos detrudunt: navesque pice perfusas, & igni appetitas, inhibere retro cogunt, & se discrimini subducere. Sic maritima oppugnatio in irritum cessit. sed à terra triplex eadem die conatus factus, machinæque admotæ, graviter ad defensionem concurrentibus oppidanis, uti quoquo loco necessitas postulabat. arietes aut libramentis saxorum injectis præfringebantur; aut laqueis eorum avertebantur ictus; aut objectis è vimine cratibus lana repletis eludebantur. contra ignita tela aceti & aquarum copia præsto erat. cætera missilia vestibus centonibusque oppansis impetu fracto eadebant irrita: nihil denique, quod humana suggerere aut exsequi industria possit, à Cyzicenis omittebatur.

Proserpina adjuvat Cyzicenos.

XIII. Neque tamen prohiberi potuit, ne pars mœnium succensa, sub vesperam concideret. Sed hostis ne per ruinas irrumperet, ardore incendii vetabatur. idcirco sequenti nocte obsessi alio munimento excitato clauserunt locum. Mithridates vanæ oppugnationis dolore æger, varie se torquebat, non solùm virtitute obsessorum, sed etiam casibus territus, quos plerique ad faventia Cyzicenis numina referebant. Aristagoras enim, qui in summo magistratu populi agebat, *Proserpinam adstitisse sibi insomniis* adserebat, *dicentem: adversus Ponticos tubicines, Africum se tibicinem comparasse.* Mirantibus hanc vocem Cyzicenis, sub primam lucem intumescere mare, ventisque sibilantibus machinæ stridere cœperunt. mox incredibili vehementia coortus Auster turres hostium, inter quas & illam insignem centum cubitorum altitudine momento disjecit: & machinas reliquas ita laceravit, ut inutiles redderentur.

Jul. Obseq. Plutarch. Appianus. Mithrid.

XIV. Iliensium quoque multis apparuisse per quietem Minervæ speciem ferunt, multo sudore manantis, ostensaque pepli parte disrupta, dicentis; *modo se ab ope Cyzicenis ferenda reverti.* Aliud deinde miraculum captas superstitione mentes, pro diversarum partium studiis, spe aut metu replevit. Cyziceni præcipua religione Proserpinam venerabantur; *cui & ab Jove dotis nomine da-*

Minerva. Appianus. Plutarch. Pausan. lib. 4. Jul. Obseq.

tam insulam adferebant. Ei quotannis vacca nigra faciebant: & dies solemnis sacrificii aderat, nec destinata deæ hostia suppetebat; sed cum cætero Cyzicenorum armento trans fretum in pascuis, & in potestate hostium erat.

XV. Idcirco ut humanis ingeniis proclive est, cultus divini magisterium sibi sumere; Messeniorum atque Lacedæmoniorum exemplo, qui centum tripodas statuere jussi, è ligno aut luto fecerant, pastam è farina formarunt in bovis figuram. jamque admovebant aris: quum per mediam urbem cursu fertur vera victima, quæ relicto armento sola per hostium classem de montibus adnataverat; ne claustris quidem quæ ad angustias portus extructa erant, morantibus, & sub aquis emenso, quod illa obtinebant, spatio. Sacrificio summa Cyzicenorum lætitia, ob præsentem ut interpretabantur numinis favorem, peracto; Regem amici *ne cum diis pugnare pergeret*, hortabantur.

Victima Proserpinæ sponte accurrit ad aram.

Strab. lib 12. Appianus. Strab. Plutar.

XVI. Ille nihil territus, à cervice qua Dindymo monti urbs connectitur, aggere ducto, turres imposuit, tutiores à venti impetu futuras: cuniculos quoque egit; alacriter occurrentibus ad omnia obsessis: qui vicissim & ipsi suffodientes humum, aliquando ab ipso Rege in cuniculis suis opprimendo haud multum abfuerunt. Inter hæc etiam comperta Luculli præsentia magis erecti sunt animi: postquam missus ab Archelao Demonax primus id nuncium in urbem intulit; dubitantibusque, puer, qui captivitatem hostium fuga evaserat, interrogatus *ubi castra Romana essent*, digito commonstravit.

Mithridates alibi struit opera.

Sallust. Hist. 3. 3. 7. Sidon. Carm. 22. 168. Oros. 6. 2. Frontin. Strag. 3. 13. 5. Flor. 3. 5. Strab. Plutar.

XVII. Neque prætereunda est via, qua nuncius Luculli obsessam in urbem penetravit. Namque duos maximos utres levi tabulæ subjecerat: utribus insutæ literæ Luculli erant, quo adversus humorem tegerentur. ab inferiori parte duæ regulæ distantes invicem utres continebant. huic machinæ impositus, per trajectum septem millia passuum habentem, pedibus iter adgubernans, inter molem Mithridatis atque insulam, vitabundus hostium classem, ad urbem pervenit: nam procul visentibus non homo, sed marina pistrix esse creditus, nemine curante evaserat.

Miro modo Luculli nuncius in urbem penetrat.

XVIII. Tandem & præsidii immittendi Lucullo reperta est ratio: In Dascylite lacu acatia satis magna commeabant, eorum quod erat capacissimum plaustris deduxit ad mare, militibusque replevit. hi noctu transmisso freto incolumes pervenerunt in urbem, quorum auxilio confirmati Cyziceni, crebris eruptionibus fatigarunt hostem, machinasque ejus incenderunt. Tolerabat tamen obfirmatus animo Mithridates, quamdiu celantibus rem ducibus, famem exercitus ignorabat. Postquam superveniens hiems maritimos commeatus præclusit, & confecti inedia milites ne cadaveribus quidem humanis abstinebant, & è cibis insalubribus morbos mortesque contagio vulgabat; ut se parte copiarum exoneraret, observato tempore, quo profectus ad arcis cujusdam oppugnationem Lucullus, aberat è castris; peditatus inutilem turbam, & omnem ferme equitatum, cum grege jumentorum inopia pabuli languido, & detritis ungulis claudicans, aversis ab hoste itineribus in Bithyniam misit.

Appian. Plutarch. Strab. alii. Hist. 42. 12. Sidon. Car. 2. 313. & 22 26.

Mithridates partem copiarum è castris dimittit.

Salust. Incer. 5. 19. Oros. 6.

XIX. Ea res quum propere nunciata Lucullo esset, noctu rediit ad stativa; & postridie dubia adhuc, nec hiberna tempestate deterritus, cum decem cohortibus delectis & equitatu insequutus est. Nivosa dies erat, & incommoda multa properantibus objiciebantur. Itaque parte militum ob frigoris

Sed Lucullus eum delet.

asperitatem deficiente, cum reliquis ad Rhyndacum adeptus est barbaros, dum in transitu fluminis necessariam moram trahunt. Multa ibi Regiorum cædes facta, vivi quindecim millia capti, cum sex equorum millibus, & jumentorum propemodum incredibili multitudine. tantis copiis ita deletis, ut etiam ex Apollonia fœminæ procurrerent in campos, diriperentque sarcinas, & interfectorum cadavera spoliarent.

Alia Mithridaticorum clades. Orosius. Strab. lib. 13.

XX. Adversa Propontidis & Bythiniæ, sub idem tempus aggravavit aliarum Mithridatis copiarum clades. Fannius enim, & Metrophanes Regius Prætor, à Mamerco victi, cum duobus millibus equitum in Mœsiam profugerunt: atque inde in Mæoniam digressi, quum hostem evasisse putassent: ipsius soli, cui se crediderant, plusquam hostiles insidias sunt experti, feceruntque vulgatæ fabulæ fidem, Animos ibi & fulminari à Jove gigantis cubile ponenti, Delati certe in loca cœco subter terram incendio infamia, saxis quoque & humo quasi fuligine quadam occultum ignem prodentibus, magna cum solicitudine oberrarunt; donec tandem via reperta in castra Regia reversi sunt.

Sertorius declinat. Appian. Liv. Epitom. Orosius.

XXI. Eodem tempore præfectus Regis Eumachus, post egregios successus, necatamque cum uxoribus & liberis civium Romanorum magnam multitudinem, Pisidia, Isaurisque subactis, Cilicia tentata, quum in Phrygia bellum movisset; Dejotarus Gallogræciæ Tetrarcha, vagantem adsequutus, magna clade adfecit. Hoc etiam anno Cn. Pompeius in Hispania prospere bellavit cum Q. Sertorio: qui jam curis & laboribus fessus, & quia se peti videbat eorum insidiis, qui se remoto salvi esse non poterant; ad obeunda ducis munia segnior, in luxum & libidines declinabat. Unde quum frequentius succumberet, quotidie ad iram pronior, multis ob suspicionem doli crudeliter interfectis, cæteros ad maturandam conjurationem acrioribus stimulis incitavit.

Eum etiam odiosum suis reddit Perperna. Plutar. Sertor. cap. 42.

XXII. Erant illi jam antea, simul ex ingenti metu, per virtutem atque felicitatem Sertorii, animos ad spem transtulerant; livore & æmulatione potentiæ infensi: & crebris Perpernæ sermonibus incendebantur, qui sibi deberi summam imperii propter nobilitatem generis existimabat. Idcirco clandestinis opprobriis Sertorium apud credulos onerando, sortem suam cæterorumque invidiose deflebat. *Quis enim*, inquit, *malus genius eo calamitatis nos compulit, ut Sullæ terrarum omnium marisque dominium obtinenti parere dedignati, ubi licuisset domi manentibus, salva dignitate, salvis facultatibus in otio degere; Sertorium sequamur; & voluntariam sub inani libertatis specie servitutem amplexi, dicto exsulis geramus morem? egregio scilicet præmio, quod ridicula omnibus appellatione* Senatus *vocamur; sub decoro nomine, non minus laborum contumeliarumque, ac si Celtiberi aut Lusitani essemus, perferentes.*

Suam & Romæ manentium fortunam comparans.

XXIII. *At qui Romæ remanserunt, cum amplissimis emolumentis Sacerdotia & Magistratus capiunt; provincias sortiuntur; triumphos ducunt: & uno pridem remoto domino, ipsi rerum omnium moderatores sunt & arbitri. At nos contemptum & vile vulgus obscuri hominis imperio premimur: perpetuumque & ipsi Dictatorem, sed deteriore conditione nostra patimur, quam illi Sullam habuerunt. Sulla enim armis sane potentior, ab invitis forsitan, sed tamen jus istud habentibus, Dictaturæ novi generis imperium obtinuit; sed paulo post sponte sua positurus: hic neque bello nos vicit, ut vel hoc jure plus pollere debeat; neque no-*

Perperna Sertorium invisum suis reddit.

ftris suffragiis adeptus potentiam, tenet stringitque, non temporum limites ullos, non rerum aut negociorum circumdari patiens.

XXIV. *Ad hæc Sulla hic crudelior, non inimicos suos tantum, ut ille, proscribit; sed socios omnis fortunæ amicosque trucidat, vitam bis eripiens, sine quorum ope vivere ipse non potuisset. Neque licet aut vacat, de aliorum interitu queri. jam ubi hos sermones aliquo judicio resciverit, hæc libertas nobis ultimo cruciatu luetur.* Atqui his querelis occupatæ hominum mentes, imperia Sertorii contemnebant: aut si qui suscepissent, contra utilitatem & consilium eius bene cogitata in exitium, omittendo præcepta, faciendo vetita, convertebant. destitutusque ministerio Sertorius, quum multa præclare provideret, non alium consiliorum fructum, quam tædium irriti laboris, & duræ indignæque fortis gravem atque inanem conquestionem capiebat.

Hinc multa incommoda Sertorio. Plutar. Sertor. cap. 42.

XXV. Anno sequenti M. Terentius M. F. Varro Lucullus, C. Cassius Varus, Consules facti, legem Terentiam & Cassiam frumentariam tulerunt, ut annonæ Urbis consuleretur. Piratis enim maria diu infestantibus, sublato generis humani commercio non modo negotiatores navigare prohibebantur; sed ne classibus quidem Romanis tutus cursus erat, Igitur plebs penuria commeatuum sæpe tumultuabatur; curamque Patrum incendebat, ut omnia expediundæ annonæ remedia tentarent. Igitur L. Octavio C. Cottæ Consulibus permisit Senatus, ut vini & olei decumas, & frugum minutarum, quas Quæstores in Sicilia vendere consuevissent, Romæ venderent, & mox Q. Hortensius in Ædilitate sesquimodiis in capita divisis, magnam à populo Romano gratiam inivit: quia caritas annonæ faciebat, ut quod re parvum erat, tempore magnum videretur.

Urb. cond. An. 680. Tumultus Romæ propter annonam. Plumbea. Tabul. ap. Pighium. Verrin. 3. 70. Flor. 3. 6. pro L. Manil. cap. 12. Sall. incer. 3. 8. Verr. 3. 7. Cic. pro Planc. Cic. cap. 6. Plutar. cap. 8. Cic. Verr. 3. 70. Cic. Verr. 3. 21

XXVI. Deinde M. Tullius Cicero Quæstor frumenti maximum numerum ex Sicilia misit. Quæ omnia quum tanta populi multitudo facile absorbuisset, nec ideo difficultas annonę cessabat; Consules ex Senatusconsulto tulerunt, ut frumentum à Siciliæ civitatibus emeretur. ad hanc frumenti emptionem ex inopi atque exhausto ærario per triennium prope centies & vicies erogatum est. At hæc modica in præsens auxilia solabantur potius quam tollebant penuriam, neque antea reddita Urbi solita copia commeatuum est, quam Cn. Pompeii virtute Piratæ toto mari arcerentur.

Frumentum ex Sicilia emitur. Cic. Verr. 3. 70.

FINIS LIBRI XCIV.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XCV. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

CURIO proconſul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor & ſeptuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt: & congregata ſervorum ergaſtulorumque multitudine, Crixo & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulcrum legatum, & P. Varenum prætorem prælio vicerunt. L. Lucullus proconſul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit, pulſumque Bithynia regem variis belli ac naufragiorum caſibus fractum, coegit in Pontum profugere.

Curio Dardanos vincit. Liv. Epitom. Eutrop. Marcel. 29. 26. Sext. Ruf. cap. 8. Flor. 3. 4. 7. Iacat. Paneg. cap. 23. Plutarch. Craſſo cap. 12. & 14. Flor. 3. 20.

HOC anno C. Scribonius Curio Dardanis in Thracia victis, bello finem impoſuit; acribus ſuppliciis domita inquietarum gentium ferocia. quum rebellium primores amputatione manuum, cæterorum pleroſque morte mulctaviſſet. Eadem expeditione Mæſi quoque ſubacti: & ad Danubii Daciæque terminos ventum. Ne ulterius procederetur, inſidioſa loca denſique ſaltus impedimento fuerunt. Novum inter hæc bellum contemptis initiis (adeo nullius imperii tuta vel domi potentia eſt) in maximas Italiæ calamitates evaluit. Quatuor & ſeptuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Cn. Lentuli profugerunt, Galli plerique, pertæſi peſſimæ ſortis, ad quam eos non ſuum aliquod ſcelus, ſed iniquitas domini coëgerat. Hi quum verubus atque coquinariis cultris è popina correptis oppido erupiſſent; in plauſtra quædam inciderunt, quibus arma gladiatoria portabantur.

Spartacii belli initia. Flor. Plutarch.

II. Atque illi velut munere deûm oblatis armis alacres in munito quodam colle conſtiterunt; ducibus tribus creatis, inter quos Spartacus eminebat, Thrax gente, & ab ineunte ætate paſtor: ſed animo & viribus ingens, nonnulla quoque belli peritia, quod inter ſtipendiarios militaverat, ferociam originis inſtitutique prudentia & moderatione temperabat. Uxor ei oriunda indidem aderat; quæ Bacchici numinis plenam ſe ferens; quo primum tempore Romam vænalis eſt deductus, conſpecto dracone circa dormientis caput inſtar coronæ convoluto, magnam viro potentiam prædixerat. Cognito hominum conſilio, ſtatim ex oppido venerunt armati, qui eo ex fuga reprehenderent. His fuſis fugatiſque, quum multa arma militaria cepiſſent, abjectis gladiatoriis, quæ oderant, illa læti gratulabundique ſumpſerunt.

Claudius Pulcher male rem gerit adverſus fugitivos. Liv. Epitom. Plutarch. Velleius 2. 30. Flor. 3. 19.

III. Inter hæc Claudius Pulcher legatus, cum tribus millibus armatorum ex Urbe accurrit; & ad Veſuvium montem, quo illi ſe receperant, caſtris poſitis aditum, qui unicus ea parte, atque is difficile tamen & impeditum iter præbebat, obſedit. illi nullas circa ſtationes, qua inacceſſus videbatur, conſpicati,

cati,

cati, per abrupta cavasque fauces cathenis ex vite silvestri confectis se dimiserunt, uno relicto, qui dejectis armis postremo ipse quoque descendit. Spartacus postquam incolumes omnes recepit solerti cum audacia statim ad castra Romanorum duxit, & improvisi periculi consternatione ita terruit Claudium, ut turpi fuga castris desertis aliquot cohortes quatuor & septuaginta gladiatoribus cederent.

IV. Res prosperæ, ut adsolet, statim invenerunt socios; multique pastores, durum & pernix genus, accesserunt ad partes: quorum robustissimum quemque armavit Spartacus; reliquos antecursorum, & velitum numero habuit. servitiis deinde ergastulisque concitatis, quum celeriter ad hominum millia decem coivissent, quod armorum erat inopia, scuta ex vimine dedit, eratque is facilis labor solitis vasa agrestia ex viminibus nectere: & unoquoque se ad eam artem in formam equestris parmæ armante, celeriter confecta res est. mox mactatis pecoribus parmas cooperiebant, quum coria recens detracta, quasi glutino adhærescerent. ferro dein ergastulorum recocto, gladios ac tela fabricabant. His rebus festinare coactus P. Varinius Prætor, cui Senatus negotium extra ordinem dederat, cum justo exercitu, sed tumultuarie conscripto advenit.

Spartacus auget copias. Frontin. Stra: 1. 5. 20. Florus. Plutarch. Liv. Epitom; 5. 7. 4. Sallust. Hist. 3. 4. 7.

V. Sed legatum eius Furium cum duobus millibus militum præmissum à prætore, acie congressi fugitivi fuderunt. qua victoria usi sævius etiam infestiusque totam Campaniam pervagati sunt. nec villarum atque vicorum vastatione contenti Coram, Nuceriam, & quæ Romanis exercitibus tot per annos restiterat Nolam, crudeliter populabantur. nactiq; nonnullos, quibus maxime infensi erant, eorum morti nefandum in modum illudebant, lacera corpora, sed adhuc spirantia, ne cito dolore defungerentur, omittentes. Alii in tecta jacebant ignes, multique ex locis, quæ occupata erant, servi, quos ingenium socios dabat, abdita dominis, aut ipsos trahebant ex occulto; neque sanctum aut nefandum quidquam fuit iræ barbarorum, & servili ingenio; nequiente prohibere Spartaco, quamquam multis precibus oraret.

Successus, & sævitia fugitivorum. Florus. Sallust. Liv. Epitom. Appian. lib. 1. Civil. Plutarch. Sallust. Fragm. ex Biblioth. Regia.

VI. Igitur, ut alio consilio eos ab hac immanitate abduceret, simulque adventus sui celeritate præverteret nuncios; raptim in Lucaniam ductis copiis, Cossinium, qui datus Prætori adjutor fuerat, cum magna militum manu apud Salinas agentem, ita improviso impetu oppressit, ut nihil propius sit factum, quam ut lavantem comprehenderet. Impedimenta certe ejus omnia diripuit, vestigiisque fugientium hærens multos occidit, & castra eorum cepit, ipso ibi Cossinio interfecto. Hinc Lucaniæ magnam partem Thurinum maxime Metapontinumque agrum in potestate Fugitivi habuerunt, ipsis quoque urbibus eodem bello potiti. At Varinius dum hæc aguntur à Fugitivis, ægra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, quum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus, & qui reliqui erant, per summa flagitia detrectantibus militiam; quæstorem suum C. Thoranium, ex quo præsente vera facillime noscerentur, in Urbem miserat: & tamen interim cum volentibus in expeditionem prodiit.

Cossinius à Spartaco interficitur. Plutarch. Florus. Ibi in sylva (an Sila) fuerunt. Sallust. incert: 4. 7. Sallust. Fragm:

VII. Auxiliis deinde contractis, quum quædam non improspere gessisset; contra morem fiducia augeri Romanis & promi lingua cœpit. quo Varinius contra spectatam rem incaute motus; novos incognitosque & aliorum casi-

Fugitivi inter se discordes.

Mithridates à Cyzico discedit.

bus perculsos milites, ducit tamen ad castra Fugitivorum presso gradu; silentes jam, neque tam magnifice sumentes prœlium quam postulaverant. At Fugitivi certamine consilii inter se juxta seditionem erant, Crixo & gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire & ultro offerre pugnam cupientibus. Contra Spartaco dimittere quæ haberent è loco commoda, & quam integro exercitu sperarent, eum periculo victoriam quærere non placebat. Quo deinde ordine ac loco res unaquæque gesta sit, amissis, quæ de hoc bello erant prodita, non habeo dicere.

Spartacus insigni astu elabitur. Plutarch. Appianus. lib. 1. Civil. Florus. 3. 19. Frontin. Strateg. 1. 5. 20. Sallust. Frag.

VIII. Illud certum utique habetur, multis prœliis victum à Spartaco Varinium esse, & adeo ægre elapsum, ut equum illius lictores cum fascibus & insignis magistratus ad Spartacum fugitivi detulerint, quibus etiam postea usus est. Eodem tempore quum forte præclusus à P. Varinio Spartacus fuisset, insigni astu elapsus est. Quum enim operibus hostium in arctum coacti essent Fugitivi, consumptis jam alimentis, nec suppeditantibus ex propinquo, secunda vigilia cuncti egrediuntur, relicto buccinatore in castris, & ad vigiliarum speciem procul visenti cadaveribus, quæ erexerant fulta palis, per modica intervalla ante portam fixis.

Varinius Spartacum insequitur. Sallust. Fragm.

IX. Ea veste atque armis adornata, quum per tenebras, aut dubia adhuc luce satis tegerent fraudem, & per tota castra ignes collucerent, facile deceptus hostis est, ut eodem adhuc loco Fugitivos esse crederet. Multa demum lux aperuit quid actum esset, missique sunt equites, qui vestigia Spartaci scrutarentur, & quantum possent, damni ac moræ facerent. At ille visus equitibus, priusquam eum reliquo exercitu adesset Varinius, propere nanctus idoneos ex callibus duces, Picentinis deinde Eburinis jugis occultus ad Nares Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Popilii Forum ignaris cultoribus.

Spartacus eximius Imperator.

X. Ac statim Fugitivi contra præceptum ducis rapere ad stuprum virgines, matres, & aliis sceleribus operam dare; multum obstante Spartaco, cui præter humilitatem sortis, nihil ad eximii imperatoris tuendum nomen deerat. Neque sapientiæ egebat, qua futura prospiceret. victoque Varinio, quum maiorem esse Romanam potentiam intelligeret, quam ut sperare interitum eius posset, auctor ad Alpes eundi suis erat, ut iis superatis, diversi Thraces Gallique suam quisque patriam repeterent. Sed illi multitudine confisi, & elati successu spernebant salubre consilium; & devastanda Italia, suæ libidini avaritiæque indulgebant.

Mithridates desperat de expugnatione Cyzici. Orosius. 5. 25. Liv. Epitom.

XI. Jam enim circa Consentiam & Metapontum delectibus agendis ita creverant, ut tum quidem Spartacus triginta millia, Crixus decem sub signis habuisse tradatur. nam tertius ducum Oenomaus superiore bello perierat. Interea dum Romana arma domi à servis contemnuntur; in remotis provinciis contra potentissimum Regem Imperatore Lucullo magna cum gloria fulgebant. Omnem jam non commeatum modo Mithridates, sed etiam opes, copias, spem denique expugnandæ Cyzici consumpserat. Igitur Hermæo Varioque traditis peditibus, quorum numerus adhuc triginta millia superabat; ipse maritimo itinere in Regnum cogitabat reverti.

Noctu abnavigat.

XII. Noctu quo falleret obsessos, *conscendi navigia* jussit: Sed ea maioris trepidationis caussa fuit; dum inter tenebras metu reverentiam imperii vincente, certatim & promiscue ad naves ruitur, quædam ita cum his qui in-

scendérant, submersę sunt; aliæ turbatæ atque circumactæ plus adhuc moræ consternationisque fecerunt. Hoc modo ægre solutis anchoris Parium Rex pervenit. Quod ubi postridie a Cyzicenis est cognitum, excurrentes in Pontica castra, reliquam adhuc ægrotam multitudinem conciderunt, ablatis quæ verti in prædam poterant.

XIII. Sub idem tempus Archelaus classis Regiæ præfectus (*Aristonicum* Plutarchus appellat) in potestatem Luculli pervenit. Miserat eum Mithridates, ut negotium facesseret hosti, ne recedentem à Cyzico sequi posset: dederatque decem millia aureorum, ad Fimbrianas corrumpendas legiones. Sed ille fidem à perfidis inepte sperare ausus, quũ tamquam ad accipiendas copias destinato tempore venisset; occisis quos secum adduxerat, comprehenditur. Lucullus audito pedestres Mitridatis copias Lampsacum petere, continuo insequutus, ad Æsepum amnem deprehendit, qui tum anni tempore pluvioso plurimum creverat. Ibi Granicus & Æsepus amnes cruentarunt undas; Regiorumq; partim aquis hausta, partim hostilibus concisa armis, ad millia viginti perierunt. magnus præterea captus est numerus: plusquam undecim millia in prœlio ceciderunt. Lucullus proditarum Regium adsequutus cædit: Plutarch. Lucullo c. 22. Memnon. Appianus. Flor. 4.

XIV. Cæteros quum se munimentis oppidi clausissent; Lucullus obsedit: donec à Mithridate missa classis, & illis & Lampsacenis omnibus exportatis, vacuam urbem victori reliquit. Hic eventus obsidionis Cyzicenæ fuit: qua perisse de Regiis militum lixarumque ad trecenta millia putantur. Cyziceni sua & Luculli virtute incolumes, quo grati erga benemeritum essent, ludos victoriæ solemnes instituerunt, *Lucullea* vocantes: ipsumque, quum ingressus urbem esset, exquisitis honoribus acceperunt. Mithridates interea, quum quinquaginta naves, in quibus decem millia delectorum virorum imposuerat, L. Vario, & Alexandro Paphlagoni & Dionysio Eunucho tradidisset; cum aliquanto ampliore numero Perinthum navigavit, frustraque tentata oppidi capiundi spe, Nicomediam Bithyniæ petiit, postquam apud Parium ex utraque classe multas naves tempestate perdidisset. Clades Mithridatis ad Cyzicum. Plutarch. Orosius. 6. 20. Appianus.

XV. Neque Lucullo tempus per otium transigebatur, quin ex omni Asia navibus ad Hellespontum contractis, classem compararet: tanta fiducia, ut Senatui tria millia talentorum ad eos usus decernenti rescriberet; *summam eam ærario se parcere: neque ideo minus auxilio socialium navium Asiam ab incursu Regiorum esse liberaturum*. Neque promissa ejus magnificentiora, quam facta fuerunt. Classem ita distribuit, ut cum parte navium, ad recipiendas Phrygiæ Urbes Valerium Triarium, cum aliis Voconium Barbam ad distinendum Nicomediæ Mithridatem mitteret: ipse reliquis ad ea quæ occurrerent, usurus. Lucullus decretam ab Senatu pecuniã remittit. Memnon. Sallust. Hist. 4. 2. 12. Plutarch.

XVI. Ab omnibus feliciter res gesta. Triarius Apameam, quæ *Cibotus* cognominabatur, maximum post Ephesinam urbem Asiæ emporium obsedit. Erant magna beneficia Regis penes Apamenos, quod terrę motibus quassatam urbem, centum talentis publice dono datis, refecerat. Igitur acris aliquamdiu defensio, & post expugnationem, cædes eorum etiam qui in templa confugerant, fuit. Dum ad hunc modum Apamea vastatur, Prusa quæ sub Asiatico Olympo, jacet, per Barbam capta & direpta est. Triarius etiam Prusiadem maritimam urbem, quæ olim Cius fuerat, volentibus oppidanis recepit, qui præsidium Regis expulerant; eo merito libertatem ab Romanis adepti. Apamea & aliæ urbes à Romanis capiuntur. Strab. lib. 12. Memnon. Orosius. 6. 2. Appian. Strabo.

Lucullus somnium suum exponit amicis. Plutarch.

XVII. Ea res etiam Nicæam tradidit Romanis, diffugentibus noctu ad Mithridatem, qui tuendæ fuerant impositi: quod animos Nicæensium ad Romanam amicitiam inclinare sensissent. At vero Lucullus, qui ab Hellesponto Troadem petierat, quum in fano Veneris pernoctasset; vocari se a dea ad oberrantem in proximo prædam somniavit. statimque jussis convocari amicis, Græcisque comitibus, *Non potui differre*, inquit, *quin protinus exponam vobis, quod mihi visum obvenit in templo*. somnio deinde narrato, *talis inquam, per quietem obversata mihi species est, sed ita expressa & velut solida comprehensionis, ut ista videre ac audire, totis sensibus, non autem per inanes somni figuras imaginari crederem*.

Lucullus philosophos secum habuit. Cicero. Academ. Quæst. 4. 4.

XVIII. *Sane jam olim sæpius, sed maxime, quum proquæstore missus à Sulla ad Ptolemæum Alexandriæ agerem, de omnibus ejusmodi rebus diligenter audivi differentes doctissimos viros. Erat enim tum etiam hic Antiochus mecum; & antea jam Heraclitus Tyrius agebat Alexandriæ, qui, & Clitomacho multis annis, & Philoni operam dederat. Sed ita mihi hæc intricata, & ab hominis certa cognitione remota videbantur; ut inter disputationes eruditorum, id semper probabile videretur, quod à differente defendebatur. nam etiam qui decreta sua parum confirmarent, plerumque sententiam adversariorum haud inepte refellebant*.

Utrum aliquid certo comprehendi possit disputat.

XIX. *Igitur eo inclinabam, ut incertam omnium opinionem, neque firmiter comprehendi posse quidquam arbitrarer. sed unum ubique occurrebat irrefragabilis veritatis argumentum, ut si dubitandum eße de omnibus putarem, id tamen scire viderer, esse utique de rebus dubitationem, & me esse qui dubitarem. Ab hoc minime obscuro aut fallaci gradu, statim eo adscendebam, ut sine ulla fluctuatione comprehenderem, esse aliquam humana superiorem naturam, quando nec ipse me fecissem, & quoniam essem, ab aliquo certe factus essem. id autem cujus potentia & ego, & quidquid est, nec ab se ipso est, exstitissemus, non aliud intelligere poteram, quam quod video Dei appellatione apud omnes censeri*.

Esse aliquam majorem humana potestatem, certum.

XX. *Nam etiamsi plerasque apud gentes complures dii coluntur; tamen sapientissimus quisque deorum omnium unum Regem patremque credit, à quo descendat quidquid inferioris ordinis est, non potestate cum illo, non natura comparandum. Ut igitur haud inepte dubitari queat, quantum quæ in hoc fano colitur Venus valeat, quantaque sit hujus loci sanctimonia: sic etiam experientia constat, neque rationi refragatur, esse aliquam majorem humana potestatem, quæ de futuris, aut etiam præsentibus ita moveat hominum mentes, ut illo stimulo admonitæ, non inclinent modo ad credendum, sed etiam penitus ita se rem habere pro certo compertoque habeant. Mihi sane ita nunc adfectus est animus, ut de veritate rerum, quæ mihi per quietem sunt ostensæ, minus etiam dubitare possim, quantumcumque inhibere adsensum coner; quam de his quæ nunc videns vigilansque facio*.

Somnii ejus expositio, re demonstrata. Plutarch Lucul. cap. 23. Memnon. Appianus. Mithrid.

XXI. Hæc agenti cum amicis, dum adhuc loquebatur, supervenerunt ab Ilio nuncii. *tredecim conspectas esse Regis quinqueremes, Lemnum, ubi præfecti classis ad anchoras, stabant, petituras*. Igitur propere evectus inter Tenedum & Achæorum stationem prœlio commisso, Isidorum, qui navibus illis præerat, interfecit, naves omnes cepit. Inde mari Ægeo Lemnum profectus ad cæte

classem expugnandam, in deserta insula, ubi Philoctetæ casum æneus serpens, arcusque & fasciis illigatus thorax indicabat, præfectos Regios deprehendit. Nec elici ad pugnam poterant. Subductasque ad litora naves, tabulatis superstantes acriter defendebant.

XXII. Multus ibi labor Romanis fuit, multaque vulnera accepta: quia inhærentes litori naves, a fluctuantibus, tamquam firmata in stabili solo castella, levi & irrito conatu petebantur. Postremò circum missi alia parte milites exscensione facta a tergo circumvenerunt hostem: & occisis nonnullis, alios propellere naves, & in aquas se recipere coëgerunt. Ibi inter duo maxima discrimina deprehensi, & utrum magis vitarent incerti, dum neque altum petere metu hostilium navium audent, & terra ab expositis prohibentur, ad oram oberrantes, utrimque vulnerabantur.

Mithridatis naves ancipiti pugna deprehensæ. Plutarch.

XXIII. Sic velut indagine deprehensi sunt omnes, nisi quos mors obita ferro eripuerat. Duces ejecto in terram navigio speluncam ingressos, male texerunt latebræ. Postera die quum caperentur, Dionysius epoto quod secum habebat veneno, statim exanimatus est. Alexandrum Lucullus ad triumphum servari voluit. L. Varius, quia Senatorem Romanum in triumpho duci fas non erat, post contumelias & ludibria supplicio adfectus est. Quod ne faciliori fortè exitu anteverteret, Lucullus suis, ne quem luscum occiderent (captus enim altero oculo erat Varius) præceperat.

Classis duces cæsi aut capti. Orosius. 6. 2. Cic. pro Arch. cap. 9. Appianus. Orosius. Plutarch.

XXIV. Multi & alii proscriptorum tunc interempti sunt. Duæ & triginta naves Regiæ, cum onerariis compluribus eo tempore demersæ aut captæ fuerunt. Hæc à Lucullo ad Senatum perscripta, magnam in urbe lætitiam excitarunt. Maxime postquam est cognitum, classem hostium, quæ duplici prælio deleta aut capta fuerat, sub acerrimis ducibus Italiam petere voluisse. His confectis, ad expellendum Bithyniæ Regem properabat. hunc enim credebat à Voconio attineri, legato suo, quem ea gratia Imperator præmiserat. Sed ille Samothracen profectus, dum superstitionibus dat operam, diesque cærimoniis & initiando terit, Mithridati præbuerat effugiendi copiam; qui si in tempore adfuisset, clauso maris exitu capi Mithridates Nicomediæ potuisset.

Numerus captarum navium & inde Romæ lætitia. Cic. pro Muren. cap. 15. Cicer. pro l. Manil. cap. 8.

XXV. Nam à terra binis castris obsidebatur. quia M. Cotta, ut acceptum ad Chalcedonem dedecus aboleret; satis impigre Nicomediam perrexerat, castris ad vicesimum fere lapidem ab oppido communitis, ne pugnare contra commodum cogeretur. Eodem & Triarius non invitatus occurrit: & quia Rex intra mœnia suos reduxerat, ab utroque Romanorum exercitu cœpit obsideri. Quod interim mediocriter ferens, postquam gemina navali pugna classem amissam didicit, Lucullo superventuro se ratus imparem, Pontum petere classibus decrevit. In hoc itinere denuò tam fœda tempestate conflictatus est, ut navalis prælii instar esset, duplicique hac clade Mithridates prius ad Parium; & nunc haud procul Heraclea, ad decem hominum millia, & rostratas sexaginta, florem exercitus sui classisque deperderet.

Voconius tempus in Samothracia terit. Liv. Epitom. Appianus. Plutarch.

XXVI. Eam calamitatem ad iram Priapenæ Dianæ superstitiosi homines retulerunt; cujus à Regiis spoliatum templum abreptumque simulachrum fuerat. Amissa magna parte classis, cum plerisque navibus in ostium fluminis Hypii, quod haud procul Heraclea abest, Rex se recepit. Is tum status Heracleæ

Mithridates Nicomediæ obsessus. Memnon.

erat, ut magis aliena à Romanis ob sublatos publicanos quam in potestate Regis esset. Igitur, dum necessario stationem in flumine nondum sedato mari habet, sollicite inquisito, Lamachum in summo magistratu agere comperit: quo nuncio erectus quod veteri amicitia cognitus illi Lamachus erat, missis idoneis hominibus, multa largiendo polliendoque perfecit, ut operam manè Lamachus adhiceret, quo Rex in urbem reciperetur.

Mari fugiens classem amittit.
Liv. Epitom. Fl. 3. 5.
Sallust. Hist. 4. 2. 12.
Appian.
Orosius.
Sallust.
Plutarch.

XXVII. Dicta die, solemne sacrificium Lamachus instituit extra Urbem vocato populo, ne portæ consueto tempore clauderentur. ad Regem interea Myoparo Seleuci archipiratæ mittitur, quem conscenderet; quia navis oneraria, qua erat vectus, ob violentiam tempestatum utilis esse desierat. Dehortabantur maximopere amici, *ne corpus suum hominibus incognitæ fidei crederet.* quorum ille metum tali sermone castigavit. *Ego vero fidem vestram amoremque multis & magnis documentis experta novi, & æstimo. nihilque dici scio à vobis, quam ab optimo animo verissimoque adfectu profectum. Sed interdum hæc ipsa quamlibet omnino sunt præstantissima, bonis consiliis obstrepunt: quoties aliquid in speciem periculosum suscipi res cogit, timor vetat. ideoque in præsentia, quum vestrum animum & probem, & ut eum semper mihi custodiatis, enixe petam, à sententia tamen vestra dissideo: videtis ea nunc esse tempora mea, ut evadere pericula non aliter nisi periculo possim.*

Heracleam properat.
Memnon.
Ptolemæus. 5. 1.

XXVIII. *Nemo, opinor, in hoc toto negotio mihi temeritatem imputabit. paratissimus cum essem ad bellum, tamen iterum iterumque consideravi, restiti, distuli, donec apud omnes constaret, bellum opportunius sumi non potuisse; tamen magnæ me calamitates & discrimina deprehenderunt; iis nempe viis quas cavere, aut occludere nemo mortalium queat. ipsos mihi Deos adversatos esse scitis, quum Rhodios Isis, Cyzicenos Proserpina defenderent. quum Neptunus classes meas tempestatibus persequeretur. Sed erit aliquis irarum modus, & quod à pueritia sæpe mihi contigit, præsens vexatio majore aliquo præmio pensabitur: nec enim frustranea semper erit hæc diligentia colendi deos; qua nemini concedere soleo, perpetuò mecum habens sapientiæ sacrorumque magistros.*

Confidens Læmacho.
Plutarch.
Orosius.
Ejus oratio ad amicos deterrentes.
Orosius. 6. 5.
Causæ melioris spei.
Appianus. Mithrid.

XXIX. *Quod si decretum de me est, hæcque superis sententia sedit, ut oppressum deletumque velint, at saltem dabitur, ut impavidum obruant. Sed absit omen! & bona potius spe, votisque me prosequamini; nam & mihi præsagit animus, hoc mihi non ad securitatem modo iter, sed etiam ad augendas opes aditum fore. Seleuco satis confido; plus etiam Lamacho, neque dispicio quomodo sperare majora ab Romanis proditi mei, quam à me servati præmia possint. Sed & populus Heracleensis ita est alienatus, ut quidlibet potius, quam Romanum Imperium laturus videatur.*

Ingreditur occupatque Heracleam Mithridates.
Strabo. lib. 13.
Memnon.
Appian.

XXX. Ita metu suorum castigato, confidenter ingressus piraticam navem, prius Heracleam introivit, quam obruti vino homines adventum ejus persentiscerent. Postremo demum die, quum essent ad concionem vocati, Regem se habere dicerunt, qui humaniter eos alloquutus, & ad servandam sibi benevolentiam hortatus, quatuor millia militum præsidio cum Præfecto Connacorige imposuit; quo ab Romanis, si fortè signa eo vertissent, defenderentur. Divisa deinde populo, sed præcipuè magistratibus pecunia, Sinopen, & inde Amisum navigavit.

FINIS LIBRI XCV.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XCVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.



Q. ARRIUS prætor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. Cn. Lentulus conſul male adverſus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius conſul, & Q. Arrius prætor acie victi ſunt. Sertorius à Manio Antonio, & M. Perperna & aliis conjuratis in convivio interfectus eſt, octavo ducatus ſui anno: magnus dux, & adverſus duos Imperatores, Pompejum & Metellum, ſæpe par, vel frequentiùs victor: ad ultimum deſertus & proditus. Imperium partium ad Marcum tranſlatum eſt: quem Cn. Pompejus victum captumque interemit, ac recepit Hiſpanias decimo ferè anno, quam cœptum eſt bellum. C. Caſſius proconſul, Cn. Manlius prætor, male adverſus Spartacum pugnaverunt, idque bellum M. Craſſo prætori mandatum eſt.

HÆC eo anno geſta. & quia funeſtas per Italiam clades, ſeneſcens Sertorius, & Luculli res florentes relevabant, minore externorum cura, animi ad Spartaci opprimenda bella verſi: tam validis jam Fugitivorum opibus, ut ad ſeptuaginta armatorum millia eſſent; bini exercitus, totidemque duces Italiam pervagarentur. Igitur quamquam ambobus Conſulibus decretum id bellum cum duobus legionibus eſſet, C. Arrio Prætori etiam datæ copiæ ſunt, *imperium*que *is ſeorſim à Conſulibus habere* juſſus. Conſules tum erant L. Gellius Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus. *Fugitivorum copiæ.*

II. Forte Germanicæ cohortes duce Crixo per ferociam à Spartaco ſe abruperant; & circa Garganum montem cum triginta millibus armatorum prædas Crixus agebat. Idcirco L. Gellius Conſul, cum Prætore Arrio repente incautos adorti, viginti hominum millia cum ipſo duce, acerrime quidem repugnante illo, proſtraverunt. nec ideo minor adverſus Spartacum moles ſupererat: qui cavendi pugnandique egregius artifex, occaſiones & eventus omnes prorſus Imperatorio conſilio ad ſuum commodum trahebat. *Eorum magna pars cum duce Crixo cæditur.*

III. Sed illi per Apenninum ad Alpes tendenti, ut in Galliam evaderet, Lentulus Conſul ſe objecit: eumdem à tergo L. Gellius concluſit. Ille viciſſim cum ambobus conſerta manu, utrumque magnis & pudendis cladibus adfecit, cum duobus Conſulibus comparatus unus gladiator. priorem quidem Lentulum abegit, eumque caſtris & impedimentis omnibus exuit in Apennino: deinde verſus in Gellium, quanquam cum eo ſe C. Arrius conjunxerat; utrumque collatis ſignis vicit. Poſt horum fugam, ut Romanis oſtenderet, eidem ludibrio & ipſos obnoxios eſſe poſſe, per quod aliorum hominum ſanguine tam immaniter abute- *Spartacus ambos Conſules vincit.*

rentur; per caussam placandorum Crixi manium; simul cujusdam matronæ nobilis, quæ à Fugitivis per vim stuprata sibi manus intulerat, trecentos aut quadringentos ex captivis delectos circa rogum jussit armis depugnare.

De Urbe invadenda deliberat. IV. Cæteros ad unum omnes interfecit: impedimenta præter necessaria pauca, subdito igne cremavit; quo esset ad destinata expeditior. nam ne quid indignitatis abesset, de ipsa urbe Roma invadenda deliberabat. Neque leve discrimen erat; quum agmen centum viginti millium traheret: quamquam vulgo repudiare fugitivos solitus, quorum ad ipsum, si reciperentur, maximus numerus transibat. Idcirco duo Consules junctis copiis in agro Piceno ei occurrerunt. Sed ille licet eas magna clade profligasset, ad Urbem ducere non est ausus: quia nondum ei satis suæ vires placebant, nec exercitum adhuc ex sententia sua peramaverat. alii quoque apparatus deerant: quum nullius civitatis populive auxilio, sed tantum corporibus fugitivorum atque convenarum uteretur.

Sertorii exitus. V. Ergo ut arma cæteraque bello opportuna compararet, Thurinos montes stativis locum cepit. oppidum pro horreo rerum omnium habuit: vicina late populando, à mercatoribus injuriam omnem prohibuit, præcipue, qui æs & ferrum vendituri venirent. eas res care mercabatur: *aurum argentumque importari, aut importatum emi à suis*, severo edicto vetuerat. Dum in Italia hunc ad modum certatur, Hispaniam à Sertorio, magis alienum scelus, quam Romanorum vis ac robur vindicavit. Erat ille jam, ut diximus, infensus invisusque plerisque, quod deprehensas aut creditas in se conspirationes, atrociter puniverat.

Ministrorum dolo fit invisus suis. VI. Igitur alienatis semel animis, omnia ducis rectè consulta, ministrorum dolo atque contumacia in contrarium vertebant. Hispanique, propter tributa ac supplicia, quæ velut Sertorii jussu acerbe exigebantur, deficiebant à partibus. ad hos revocandos qui mittebantur, de industria augebant iras, majoremque in modum irritatis barbaris revertebantur. Is dolor à pristinis moribus adeo deduxit Sertorium, ut sæviret in principum liberos, qui Oscæ educabantur, & parte interfecta, cæteros in servitutem venderet.

Caussa maturandarum insidiarum. VII. Dum hæc aguntur Perperna præter cæteros conjuratos in societatem consilii Manlium quemdam ex Sertorianis ducibus adsciverat. Deperibat adolescentis cujusdam turpi amore Manlius: eumque ut magis sibi adjungeret, *missos alios facere amatores* hortatus est; *unique, mox interfecto Sertorio, ad maximas opes perventuro, sedare*. Eum sermonem Aufidio quidam adolescens exposuit, in quem erat benevolentia propensior. Ille non leviter ictus (nam & ipse erat inter conjuratos; sed & Manlium esse nesciebat) dissimulata tamen conscientia, negat *verbis hominis ventosi & levis, adhibendam fidem esse*. at postquam adolescens *Perpernam, Gracinum, aliosque participes secreti* nominavit; non distulit pergere ad Perpernam, & admonere *periculi, nisi mature præverterent. eo rem deductam, ut celari diu nequeat. occupandum Sertorium; aut pereundum insidiatoribus esse*.

Conjuratorum astus: VIII. Non dubitabat Perperna, quin vera prædicerentur. Et nuper quoque submissis decem militibus Sertorium interficere conatus, punitisque partim, partim fuga elapsis insidiatoribus; quamquam nondum erat proditus, ne proderetur, metuebat. Idcirco conjurationis duces, convocatis celeriter præcipuis consciorum, nihil cunctandum rati componunt è vestigio fraudis ordinem: subornaorna-

ornatoque idoneo homine, confictas literas Sertorio tradendas curant, quibus de magna victoria perscriptum erat, quam Sertorii quidam legatus ingenti hostium numero debellato reportasset.

IX. Lætum ob hæc & sacrificantem Sertorium, cum amicis (erant autem ex conjuratorum numero) ad convivium invitat Perperna, multisque precibus vincit, *ut ad gaudium ejus diei celebrandum condiceret*. Igitur discubuere. Sertorius inferior in medio lecto accubuerat: supra eum L. Fabius Hispaniensis Senator ex proscriptis: in summo erat Antonius, & infra eum scriba Sertorii Versius: in imo scriba alter Mæcenas, medius inter Tarquitium, & dominum convivii Perpernam. Erat ea quum Sertorii modestia, tum apud suos auctoritas, ut eo præsente verecunda & honesta omnia essent: nullæ turpes facetiæ, nulli clamores tumultusque audirentur. Perperna Sertorium ad convivium invitat.

X. Sed eo tempore, ut initium rixarum conjurati facerent, inconditis sermonibus gestibusque, per simulationem ebrietatis strepebant. Quum ad hæc ille, sive offensus hac licentia, sive mentem eorum divinans, velut animum non adverteret in lecto jaceret supinus; Perperna merum poposcit, & inter bibendum dimisit è manibus phialam, qui sonus perpetrandæ cædis signum conjuratis erat. ac statim Antonius, qui in summo lecto accumbebat, districto pugione Sertorium sauciavit: deinde convertentis se ad ictum, & surgere conantis manum utramque continuit, dum à reliquis conficeretur. Sertorius interficitur:

XI. Custodes corporis ejus, quos semper circa se habebat, eodem momento à præparatis ad facinus occupati sunt. Ita Sertorius exuit vitam, octavum post annum, quam Hispanis se ducem præbere cœperat; magnus dux, & adversus duos Imperatores, Pompejum & Metellum, sæpe par, vel frequentius victor: ad ultimum detectus & proditus. Imperium partium ad M. Perpernam translatum est, quod homo vanus & ineptus olim conceperat, nihil ei præstiturum, nisi ut quantum ducem, quanto inferior ipse sustulisset, intelligeretur. Imperium defertur ad Perpernam.

XII. Nec tamen illud tam infelix præmium sine contentione retulerat. Exercitus post indignam Sertorii cædem, ira in commiserationem versa, tumultuabatur, virtutem occisi, & sua pericula reputando. *Mille experimentis constitisse, quantumlibet egregium exercitum, amoto duce, velut pulchrum corpus adempto spiritu marcere. Unum his temporibus fuisse C. Sertorium, qui sine opibus, sine pecunia, sola virtute subnixus, terribilem Populi Romani potentiam per tot annos sustinuisset.* Exercitus Sertorii necem ægrè fert.

XIII. *Pauperem, exsulem, desolatum, ex omni tempore, ex omni regione, tamquam miraculo quodam productas de nihilo copias excitare potuisse. Huic tot duces Romanos, tot legiones procubuisse: coactumque Senatum, ut ipsa Reipublicæ firmamenta atque columina mitteret. Neque tamen aut veterem militiæ gloriæque Metellum; aut triumphalem adolescentiam quamquam junctis consiliis ac viribus uni pares esse potuisse. Hoc defendente absentiam à penatibus suis, à propinquis atque amicis, non exsilium, sed militiam putavisse, et bona spe fretos aliquando fore, ut patriæ domesticisque cum lætitia gloriaque restituantur.* Virtutes ejus deprædicat.

XIV. *Nunc autem adeo spem illam omnem defluxisse, ut vix corpora sua libertatemque satis in tuto esse credant. quem enim alium se habere, cui salutem suam committant: aut cui satis firmos humeros fore; ut post Sertorium tantam rerum* Se destitutum queritur.

molem sustineant, ferantque! Sane non deesse qui præcipiti ambitione ad capessenda imperia ruant: Sed brevi appariturum, quanto majora viribus onera susceperint. Non enim majorum imaginibus, aut patrimonii magnitudine; sed solido robore animi, sapientibusque consiliis sustineri ac geri bella posse.

Perpernam contemnunt.

XV. *Igitur commutatis ducum artibus, Fortunæ quoque similem mutationem haud injuria timeri.* Egregiam *scilicet spem in successore ostendi, si Sertorium Perperna excipiat; summum virum ducemque vulgaris.* Hæc Romanæ copiæ fremebant; majoribus & pluribus apud exteras querelis. Lusitani ante omnes, quod eorum præcipua semper opera Sertorius uti consueverat; *optimum Imperatorem, fortissimum commilitonem, virtutis remuneratorem liberalissimum* requirebant.

Perpernæ milites & socios conciliare nititur.

XVI. Ut vero aperto Sertorii testamento, *scriptum ab eo Perpernam heredem fuisse* innotuit; & detestatione tam ingrati facinoris magis exarserunt animi: nihil propius factum, quam ut pœnas ab homicida suis manis sumerent: nisi discurrens per contubernia cum ducibus Perperna, quosdam donis, alios promissis, nonnullos etiam minis pacasset; etiam uno & altero ad terrorem, cæterorum ferro interemptis. Deinde socios populos obeundo, quo illorum odia mitigaret, orsus ab Osca, ubi patrata cædes fuerat, conciones ubique blandas habuit; apertis carceribus, qui erant ab Sertorio vincti, dimisit; obsides civitatibus reddidit.

Multæ civitates ad Metellum Pompejumve deficiunt.

XVII. Sed earum multæ cum exsecratione nefarii hominis, missis ad Metellum Pompejumve legatis, in fidem Romanorum venere. præsertim ubi sumpto Imperio Perperna statim crudelis apparuit, tribus illustribus viris, qui una ex Urbe profugerant, fratrisque filio interfectis. Igitur Metellus adversus talem hostem duobus exercitibus rem non indigere judicans, diversam Hispaniæ partem interim pacaturus, debellandum Pompejo reliquit. Inter hos per aliquot dies levibus certaminibus quum tentatæ utrimque vires animique essent; decima die collatis signis dimicatum. neutri enim diutius rem differri placebat, quod Perpernam Pompejus sperneret; Perperna donec in officio milites essent, eorum utendum opera arbitraretur.

Perperna vincitur.

XVIII. Sed ea pugna temere à Perperna commissa, dignum auctoris imprudentia exitum habuit. Namque Pompejus parte copiarum idoneis locis subsidere jussa, cum decem cohortibus processit: easque velut escam ut objiceret hosti, sparsit per campum suos, & Perpernam spe hujus opprimendæ manus illexit. Ita contracto certamine quasi resistere non posset, hostem deduxit ad locum insidiarum: ubi ab utroque latere prorumpentibus, qui erant occultati, conversus, Sertorianos ad internecionem occidit.

Captusque occiditur.

XIX. Perpernam, quum se non minus suorum quam hostium metu in sentibus abdidisset, quidam equites retraxerunt; probra dirasque cumulantibus qui eum videbant Sertorianis; *quod homo nihili præstantissimum virum dolo, cæteros omnes imperitia & stoliditate perdidisset.* Ac ille nihil aliud, quam *ut salvus ad Imperatorem deduceretur*, postulabat. *habere enim se principum Romanorum literas, quibus Sertorius in Italiam acciretur.* Ibi *prudentissime præsentibus usum esse Pompejum* Roma judicavit, *quod prinsquam in conspectum veniret Perperna, jussit hominem occidi: epistolas neque legit ipse, neque legendas concessit; sed*

continuo crematvit omnes, eoque facto novarum rerum oppressis seminibus, terrore atque solicitudine ingenti Respublica liberata est.

Reliqui etiam conjurati male pereunt.

XX. Neque tamen defuerunt, qui carperent, *quod hominem Siciliæ sine certamine tradenda bene meritum, indemnatum occidisset*. Sed adversus hanc criminationem, istud Pompeji factum, & suæ ætatis & sequentium judicia, frequentibus suffragiis absolverunt. Sic Perperna pœnas occiso per fraudem Sertorio dedit, cæteros conjuratorum partim victor interemit, partim fuga tulit in Africam, ubi Maurorum jaculis confixi sunt. neque præter Aufidium quisquam evasit; si modo evasisse dicendus est, qui contemptus invisusque omnibus in vico quodam barbarico consenuit.

Finis belli Sertoriani.

XXI. Reliquus Pompejo labor recipiendi dedentem se Hispaniam fuit. Osca, Termes, Tutia, Valentia victoris se permiserunt potestati. duas, Uxamam & Calagurim reliquiæ partium validis præsidiis occupatas retinebant: quæ deinde expugnatæ. Hic finis ejus in Hispania belli fuit, quod à fuga Sertorii ortum, decimo ferme anno, cum ipso duce defecit: gravius haud dubie diuturniusque futurum, si longior ei viro vita suppeditasset. De his rebus quum Senatui Pompejus scripsisset, *multosque se virtutis caussa civitate Romana donevisse* diceret; Senatus mandavit Consulibus, *ad populum ferrent: uti cives Romani essent ii, quos Cn. Pompejus Imperator de sententia consilii sigillatim civitatem dedisset.*

Spartacus Manlium & Cassium vincit.

XXII. Consules ad Populum tulerunt; eaque lex accepta est. Cæterum Hispaniensis victoriæ gaudium, ne nimium fieret, Italica clade temperatum est. C. Cassius Proconsul, Cn. Manlius Prætor, male adversus Spartacum pugnarunt. Nec ultrà de C. Manlio comperi. Cassius circumpadanæ Galliæ Proconsul, contendenti ad Alpes Spartaco castra apud Mutinam opposuerat, decem militum millia ducens. Horum quum plerique cecidissent in acie, Proconsul vix fuga evasisset, castra deleta sunt: & cum ingenti præda Fugitivi ad præsidia sua recesserunt.

Senatus vetat Cõsules quidquam pro imperio agere.

XXIII. Senatus ob tot acceptas à contēptissimo hominum genere clades; pudore & metu solicitus & culpam in Consules conferens, vetuit *hos quidquam deinceps pro imperio agere*. Nam qui erat inter duos melior Gellius, tamen imperite gerebat rem, & exercitum in luxum ignaviamque labi patiebatur. Quare infensus ei militiæ Cato, quum propter fratrem Cæpionem, qui tribunus militum erat, nomen sponte dedisset; honores & præmia quæ offerebat Consul accipere noluit: *nihil iis dignum actum esse dictitans*.

Lucullus cum aliis Romanis ducibus de Mithridatico bello consultat.

XXIV. Idcirco tantus ea tempestate terror Urbem occupavit, non levius jam Spartaci arma, quam olim sub Annibale Punica timentis, ut Prætoriis comitiis candidati deessent. Ibi M. Licinius Crassus, nobilitate ac divitiis inter primos, quum ad Præturam petendam prodiisset, summa hominum voluntate factus est. Sub idem tempus L. Lucullus, post fugam Mithridatis Nicomediam profectus, cum M. Cotta cæterisque ducibus Romanis de ratione belli consilio habito, ita partitus erat vires, *ut ipse per Cappadociam & mediterranea provinciarum, cum maxima virium parte Imperii Mithridatici arcem peteret: M. Cotta ad recipiendam Heracleam iret: cum reliqua classe Triarius Mithridaticis navibus ex Hispania & Creta redituris, insidiaretur.*

Mithridatis mandata ad Reges.

XXV. Neque defuerant, qui *interquiescendum* arbitrarentur, *reficiendosque ex nimio & continuo labore milites*: sed Lucullus utiliorem Regi moram averla-

tus, per Bithyniam Galatiamque ad præsidia Mithridatis perrexit. Neque Regi tempus per ignaviam terebatur: quin ab Amiso legatos ad Scytharum Regulos, Parthumque Arsacen, & generum Tigranem mitteret. omnibus eadem mandata erant: *Aliis Regibus atque nationibus, compluribus de caussis, pacem bellumque sæpe mutari: raro ad cujusquam perniciem extendi odia; sed ubi satisfactum injuriis suis victor censeat, arma poni solere. Populo Romano cum reliquo terrarum orbe unum idemque perpetuum bellum esse; quod nisi dominatione aut interitu illius poni nequeat.*

Romanorum astutiam crimanatus.

XXVI. *Illum olim tantum astutia valuisse, ut donec multis subjugatis gentibus in formidabilem potentiam exsurgeret, semper alios ab aliis disjunxerit. ne invicem ope ferenda, imminens omnibus jugum, unius periculo, communi commodo averterent. Ita desertos destitutosque cepisse singulos, ut horum deinceps armis ac sanguine, etiam longius dissitos aggrederentur. Sic Italiam primo redegisse sub suas Leges; mox variis coloribus insulas, deinde Africam, postremò magnis anctibus Macedoniam, Achajam, Asiam accessisse. remque eo deductam esse, ut multi Reges tamquam pro ingenti beneficio, quod non ante supremam diem exuti fuerint opibus suis, hærede Populo Romano decesserint.*

Cui sit obviam eundum communiter.

XXVII. *Tanta potentia auctos Romanos, non jam curare prætextum armorum, & decora nomina; sed satis habere, si quamlibet injuste egisse crediti, appetitis potiantur. Quid enim sibi posse imputari; cujus patientia maximas contumelias simul injuriasque pertulerit: quo insignitior hostium iniquitas fieret. Igitur pro se unumquemque, & quanto quis sit potentior; tanto impensius niti oportere, ut hi communes omnium hostes; orbisque prædones opprimantur. Eoque animo esse debere pro se quemque, ut quod ad hos retundendos auxiliorum suppeditaverit, non Mithridati magis, quam sibi ipsi primum, deinde publicæ generis humani libertati præstitum putet.*

Regum responsa. Memnon. Plutarch.

XXVIII. Hæc ad alios precibus exponenda mandata dedit: at Macharem Bosporo imperantem, jure patris dominique excivit. Ceterum Parthus procul à se periculum esse reputans; neque sapientis præter necessitatem arcessere molestias, auxilia denegavit: Scythica moratus est Diocles, cui ea credita legatio fuerat: namque multo cum auro & præclaris muneribus, quæ ad Regulos mittebantur, in castra Luculli transfugit. Tigranem diu tergiversantem filia Mithridatis expugnavit, ut societatem cum eo novam paciceretur.

Lucullì inopia primum, deinde copiæ. Plutarch. Lucullo 35. Sallust. Hist. 3. f. 12. Plutarch. Appianus.

XXIX. Interea quo Luculli impetum retardaret, præfectorum quosdam cum equitatu misit, qui negotium ei facesserent: sed nihil æque illum, quam fames fatigabat, corruptis laté, jussu Regis, quæ in ejus manus perventura fuerant; & multi commeatus insidiis latronum interierant. Igitur triginta millia Gallogræcorum, singulos frumenti modios humeris portantium, sequi exercitum jussit. donec multis levibus certaminibus Regios submovendo in regiones belli cladibus intactas penetravit. tantaque mox rerum omnium copia adfuit, ut bos denario, mancipium denariis quatuor emeretur. cæteræque prædæ ea vilitas esset, ut, quia distrahi nequibat, à militibus corrumperetur.

Themiscyram oppugnat. Appianus. Plutarch. Sallust. Hist. 4. 1. 4.

XXX. Interea Lucullus Amisum & Eupatoriam obsidere cœperat, simul parte exercitus ad oppugnandam Themiscyram missa, quæ ad Thermodoontem fluvium Amazonis, à qua condita esset, habere nomen dicebatur. Hic operibus cuniculisque tentata omnia sunt, qui tum ampli fodiebantur, ut quandoque

in eis velut subterraneæ pugnæ fierent, eos obsessi superne aperiebant, immissisque ursis, & aliis bestiis, interdum & apum examinibus, eos qui in opere erant omni genere calamitatis vexabant.

XXXI. Circa Amisum segnior obsidio erat, & Mithridates, audito eam sine prœliis adsideri, recepto animo Cabiris subsisterat, alium exercitum colligens. Id Lucullus non ægre patiebatur; reprehendentibusque dicebat, consultò se id agere, ne rebus desperatis ad Tigranem confugiens hostis, majorem belli molem concitaret. Igitur Mithridates contractis quadraginta ferme peditum, octo equitum millibus, Diophantum & Taxilem cum novis copiis ad priores præfectos misit; a quibus Amisum destinata subsidia, & frequentia equestria certamina, sed nullo eximio in alterutram partem momento facta sunt. Amisum obsidet. Memnon.

XXXII. Dum hæc à Mithridate, & Lucullo geruntur, M. Cotta Proconsul Prusiada Bithyniæ venit. inde Pontici maris oram legens ad Heracleam accessit. Ibi quia pacati nihil respondebatur, adducto ad mœnia exercitu, oppugnationem tentare non ausus, per partes Heracleam adsultabat, paucos subinde Romanos milites, sed magnum Bithynorum numerum mœnibus admovens. Sed quum inani incœpto nihil præter vulnera reportaret, testudine effecta, adhibuit arietem, & turrim, quæ adversus vim non diu duratura videbatur, pulsare instituit. Cotta Heracleam oppugnat.

XXXIII. Sed ubi semel iterumque percussa turris non modo præter opinionem restitit, sed etiam arietis perfractum caput est: Heracleotæ bono animo, Proconsul inquiore esse cœperunt. Igitur quum postridie denuo frustra Turrim verberasset, machinas cremari, Architectorum præcidi capita jussit; præsidiisque juxta muros constitutis, cum majore parte copiarum, in campo Lycæo consedit, loco fertili, ad alendum militem copioso. unde quum Heracleoticum agrum omnem evastasset, obsessi penuria fatigati, denuo ad Cherronesi incolas, & Theodosianos, & qui Bosporum accolebant Regulos societatem & annonam petitum miserunt. & legatio quidem satis fuit felix. Heracleotæ penuria fatigantur.

XXXIV. Ceterum oppidanos & hostes foris, & intra viscera crudelius præsidiarii milites angebant. qui eodem quo vulgus agebat victu minime contenti, lautiores cibos ab egenis & famelicis hominibus, vi ac verberibus extorquebant. neque Connacorix præfectus ista cohibebat: quin ille deterrimus omnium gaudebat hac violentia, licentiæque suorum impunitatem addiderat. Præsidiarii militis. insolentia.

XXXV. Hæc fermè his consulibus bello gesta sunt. Res urbanas non tam paucitas earum, quam scriptorum penuria tradi vetat. Cæterum inopia Romæ laboratum piratis maria, pejus omni tempestate præcludentibus: & judicia legesque novæ civitatem inquietam habuerunt. Clodius quidam Tribunus plebis, Sacerdotes Virginesque Vestales tanquam parum castè sacra facerent, ad populum criminabatur, & ad turbas haud exiguas res spectabat. Iudicia novæque leges Romæ. Florus. 3. 6. Plutarch. Catone c. 26.

XXXVI. Catilina quoque reus incesti, quod cum Fabia commisisset, accusabatur. sed Clodium M. Cato, quum ingenium ejus propositumque multis verbis acriter coarguisset, desinere actiones suas coëgit. Catilina favore Catuli, & quia Terentia Ciceronis, soror erat Fabiæ, absolutus est. at Consul Cn. Lentulus, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus remiserat, exigenda promulgavit. verbum quoque in Senatu Cn. Lentu- Catilina absolvitur incesti. Salust. Catil. cap 15. Orosius. 6. 3. Plutarch. Ascon. in Toga Cand. Cic. Catil. 3.

Sallust. Hist. 4. r. r.
Cic. Verrin. 2. 39.

lus, L. Gellius Consules fecerunt, placere statui, si Patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in Provinciis rei fierent. Id Sthenii Thermitani caussa factum, de quo suprà meminimus. Sed impediente Verre patre, negotium omissum est.

De Tribunitia potestate restituenda actum.
Sallust. Incert. 4. 10.
Cic. Brut.
Ascon. Ver. 3.

XXXVII. Eodem anno cum perpetua magnarum urbium pestis, ignota & flagitiosa colluvies Romam inundaret, Tribunorum plebis collegium edixit, non licere quemquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset. De Tribunitia quoque restituenda potestate acriter actum. eamque rem M. Lollius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quam facundus, sed imperitorum auribus aptus, magnis clamoribus, & ad extremum felicibus urfit, ut suo loco memorabimus.

Urb. cond. ann. 682.
Suræ cognomentum unde Lentulus habuerit.
Plutarch. Cic. cap. 22.
Liv. Epitom.

XXXVIII. Sequens annus Cn. Aufidium Orestem, Publ. Cornelium Lentulum Consules vidit. Lentulo cognomentum Suræ à caussa minime honesta accesserat. quia Sullanis temporibus Quæstor magnam pecuniæ publicæ summam prodegerat: postulante deinde rationes Sulla, perfricta fronte dixerat, eas se non posse reddere, sed præbere Suram: qua parte corporis pueri, si fortè dum pila se exercent, peccavissent, ex lege ludi verbera perferebant.

Mummius Crassi legatus.
Plutarch. Crasso cap. 8.
Appianus. lib. 1. Civil.
Orosius. 5. 24.

XXXIX. Non igitur quærendum est, cur hoc Consule, Prætori M. Crasso Servile demandarit bellum Senatus: at collegam ejus Cn. Aufidium quæ caussa removerit, difficilius sit dicere. Credo prælatum illi Crassum ob peritiam rei militaris fuisse, cujus jam ante haud contemnenda documenta dederat. & erat iis temporibus permagna Crassi auctoritas, proficiscentemque multi nobiles in bellum sponte secuti sunt. Legiones in universum habebat octo: quippe priorum Consulum exercitum novi delectus auxerant.

A Spartaco vincitur.
Appiano.

XL. Igitur quia venturus in Picenum Spartacus erat: ut eum præverteret, festinanter copiis ductis, legatum suum Mummium cum viginti cohortibus, ad circumveniendum a tergo hostem, diverso itinere misit, cum mandatis, ut quum perventum esset quo voluisset, Spartacum sequi contentus, a pugnando abstineret. At ille simul aliqua spes bene gerendæ rei cupienti animo adlucere visa, spreto imperio contulit signa: victusque multos amisit milites, plures abjectis armis ad Crassum refugerunt. Ille Mummio acriter increpito, militibus alia dedit arma, sponsoresque exegit: ea non omissuros.

Crassus fugitivos cædit.

XLI. Deinde quingentos, à quibus initium ortum fugæ fuerat, sorte ductos, more majorum fusti percussit. hoc propius fidem est, quam quod, alii totum exercitum, legiones octo decimatas aiunt, militumque ad millia quatuor eo supplicio periisse. nec alio tempore clarioribus documentis apparuit, quam salutaris sit severitas, ubi leniora remedia contemnuntur. Nam post hanc animadversionem, ducis majore quam hostis metu apud suos excitato, decem millia fugitivorum seorsim stativa habentium aggressus, sex millia eorum interfecit, cepitque nongentos. Reliqui cum ad ducem refugissent, Crassus in ipsum quoque intulit signa, prosperumque prœlium fecit.

Orosius.
Plutarch.
Appianus.

Spartacus in Siciliam trajicere conatus.
Flor. 3. 20.
Plutarch.

XLII. Tum Spartacus per Lucaniam ad fretum contendit, in Siciliam transiturus; quæ insula ex bellorum servilium incendio, quo sæpe & nuper erat agitata, multas adhuc scintillas velut sub cineribus alebat, exituras in flammam,

si mediocri motu tamquam flabellis excitarentur. Igitur quum forte prædatoria navigia venissent ad fretum; egit cum Cilicibus, ut certa mercede partem suorum, duo millia erat missurus, in Insula exponerent. Sed deceptus à Cilicibus, proposito excidit: quod illi post accepta munera solutis navigiis taciti abscesserant. Spartacus (postquam ad traiiciendum rates ex cratibus fieri jussit & dolia virgultis connecti: sed in rapidissimo freto fragile machinamentum cito dissolutum est): relicto littore reduxit copias & in Rheginorum peninsula consedit.

Sed circumvallatur à Crasso. Florus. Sallust. Hist. 4. 3. 11. Appian.

XLIII. Neque Crassus cunctanter insequutus, ubi locorum consideravit ingenium, maximo operi admolitus est manum, fossaque pedes quindecim alta, latitudine pari, à mari ad mare per cervicem ducta, murum insuper excelsum firmissimumque adstruxit. ingentem laborem, quippe circa Bruttium angulum millibus quinque & triginta Italia patet: brevi tamen tempore severitas & industria ducis perfecit. Eos conatus à principio Spartacus riserat, sed ubi consumpta proximorum locorum præda, ne aliunde petere commeatum posset, interclusum se obsessumque conspexit. bis conatus erumpere, ut Samnium peteret, magna cum clade est repulsus. sub primam lucem, sex amisit millia, totidem ferre noctis initio; quum adeo facilis esset Romanis loco adiutis pugna, ut septem tantum gemino eo prælio vulnerati, tres interempti tradantur.

Et tamen erumpit. Plutarch. Pomp. cap. 31. idem Crasso. Appianus.

XLIV. Nam virtute par, aut forte superior Spartaci miles fuerat. adeo nullius quam pugnæ memor, ut è duodecim millibus trecentis cæsorum, negent plusquam in duobus aversa reperiri vulnera potuisse. Idcirco non ausus ultra vim universam experiri, diversis partibus eruptionem minitando subitis & continuis velitationibus vexabat Romanos, fascibusque in fossam injectis, immittebat ignem, quo difficilior munientibus labor fieret. Deinde ut suorum animos metu supplicii ad pervicaciam firmaret; è captivis Romanis unum medio inter duo castra spatio adfixit cruci, *ejusmodi supplicium neminem vitaturum esse prædicans, nisi qui è præsenti periculo virtute se explicassent.* Tandem omnibus tentatis, noctem nivosam ventisque streperam nactus, partem fossæ cæsis captivorum pecorumque corporibus, materiaque iniecta, & terra superadgestâ complevit. partemque fere tertiam exercitus statim; deinde hujus præsidio reliquas copias transduxit.

FINIS LIBRI XCVI.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XCVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

M. Crassus Prætor primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit; cæsis hostium triginta quinque millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellavit; cæsis cum ipso millibus quadraginta. M. Antonius Prætor bellum adversus Cretenses parum prospere susceptum, morte sua finivit: M. Lucullus Proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit; cæsis hostium amplius quam sexaginta millibus. M. Crassus & Cn. Pompeius Consules facti (Pompeius, antequam quæsturam gereret, ex Equite Romano) tribunitiam potestatem restituerunt. Judicia quoque per L. Aurelium Cottam Prætorem ad Equites Romanos translata sunt. Mithridates desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniæ Regem confugit.

Crassus partem fugitivorum fundit. Cic. pro L. Manil. 11. Plutarch. in vita Crassi.

ERUPTIONE Spartaci recruduit in Urbe consternatio, quam M. Crassi res prosperæ, & præclusi muro fossaque fugitivi, paulisper consopiverant. Et quoniam ipse quoque Crassus, ne Romam properaret hostis, metuebat, *& ad hoc incendium exstinguendum, Cn. Pompeium ex Hispania, M. Lucullum ex Thracia evocari oportere*, Senatui scripserat: minime dubium est, quin utrumque cum Imperatorem publicis litteris acciri oporteret. Interim M. Crassus discordia fugitivorum confirmatus, quod Gallicæ Germanicæque copiæ, ne Crixi quidem interitu colere Spartacum doctæ, ab ipso discesserant; subito has adortus fuit fugavitque à lacu quodam, ubi locum castris ceperant. is lacus alternante natura, quandoque salsas, aliis temporibus potabiles habere aquas dicitur.

Sed Spartacus subvenit victis.

II. Sed superveniens summa contentione Spartacus, turbatum exercitum, ne magna aliqua strage plecteretur, vincenti Crasso eripuit. In summa tamen potior ad pereundum ferocia dissentientium, quam ad servandum diligentia Spartaci fuit. Ne recenti quidem beneficio moti, castra seorsim habere perseverant, Spartacum contemnunt; Granico & Casto ducibus confidunt. Igitur Crassus abruptas à duce copias deleri posse facile ratus, his insidiabatur. Spartacus, quamquam suorum contumacia doleret, tamen ob commune periculum ita agebat, ut quando eodem vallo eos continere non poterat, haud longius inde; quam locorum commoditas ferre, castra metaretur.

Liv. Epitom. Plutarch.

Tamen iterum insidiatur illis Crassus. Frontin. 2. 4. 7. 34. Orosius. 5. 24.

III. Igitur illis in agro Crotoniensi castra habentibus, ipse haud magno inde intervallo consedit. Crassus divisis & ipse copiis, castris hostium bina castra opposuerat, ita partitus, ut majorem numerum contra Spartacum haberet.

Con-

Contra Castrum, & Granicum multitudine ac virtute inferiores collocaret. Sed ubi tempus opportunum venisse putavit, quo minores illi duces opprimi possent, noctu commutavit copias, relicto tamen in majoribus castris Praetorio, ut ibi esse Imperatorem cum validiore parte exercitus Spartacus crederet. C. deinde Pomptinum, & C. Marcium Rufum legatos, cum cohortibus quingenariis duodecim, post montem circummittit. L. Quintium cum parte equitatus ludificare Spartacum jubet. cum alia parte Gallos Germanosque ad pugnam elicere, mox cedendo ad radices montis ducere, ubi ipse cum legionibus instructis erat opperiturus.

Plutarch.

IV. Rectum ducis consilium industria legatorum & temeritas hostium propositi compos fecit. Refugientes ex composito equites incomposito agmine sequentem hostem, quum ad dictum locum pertraxissent, in latera discesserunt, sublatoque clamore Romana acies excepit barbaros, neque potuisset opportunius res cadere, magno in periculo futuris, qui cum Pomptino Rufoque erant, si nunciari adventus eorum nondum occupatis hostibus potuisset. namq; in eo cum summa spei consistere videretur, ut euntes quo mittebantur, deinde prorūpentes fallerent hostem, ea quidem caussa galeas frondibus contexissent; forte conspecti à duabus Gallicis mulierculis erant, quę lumine etiam tum incerto conventum vitantes ad menstrua pro exercitus salute vota solvenda montem adscenderunt.

Et adjuvante fortuna.
Plutarch.
Sallust. Hist. 4.
3. 4.
Front. 2. 4. 7.

V. Sed pugnâ jam coeptâ in tempore decurrentes, tantum fugitivorum exercitui terroris intulerunt, ut cędes inde potius, quam pugna esset. Triginta quinque millia armatorum, cum ipsis ducibus eo praelio interfecta; receptae quinque Aquilae Romanae, signa sex & viginti, multa praeterea spolia, inter quae quinque fasces cum securibus; quum per se magna victoria esset, viam patefecit ad maiorem, neque diu post cum Spartaco debellatum. Crassus enim poenitens consilii, quod alios advocari duces jussisset, post tantas hostium copias deletas plenus alacritatis ac spei, summa vi instabat reliquis, ut priusquam Pompeius venisset, caetera belli conficeretur.

Multa hostium millia delet.
Liv. Epitom.
Orosius.
Front. 2. 5. 37.
Liv. Epitom.
Plutarch. 32.

VI. Res enim Hispaniae interim in eum statum venerant, ut omnibus fermè compositis, paucissimae hostium reliquiae essent. Duae praesertim urbes, Uxama & Calaguri resistebant: sed Uxamam Pompeius evertit; Calaguritani diu ab Afranio circumsessi, non ante capi potuerunt, quam ad extremam necessariorum inopiam compellerentur. Nam eo feritatis redegit fames, ut nullo jam alio in urbe animali reliquo, uxorum, liberorumque corporibus vescerentur; & parte consumpta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus salirent. Haec scelera nihilominus perituri patrare, quam victoris experiri clementiam maluerunt. Idcirco tandem expugnata urbe interfecti omnes, oppidum ipsum incensum atque deletum.

Calaguritanorum pertinacia.
Plutarch.
Pompeio c. 32.
Orosius.
Jul. Exuperantius.
Flor. 3. 22.
Val. Maxim. 7. 6. 3.
Sallust. Hist. 3. 1. 4.

VII. Interim deducto reliquo exercitu Pompeius, quum ad montes Pyreneos pervenisset, oppidum de suo nomine condidit (Pompelonem obtinuit vocari, hodie Pamplona est, Regni Navarrae caput) & tropaea excitavit, quibus *oppida octoginta septuaginta sex: ab Alpibus ad fines ulterioris Hispaniae in ditionem redegisse inscripsit.* Sertorii nomine dissimulato, quod de Romano Tropaeum erigi incivile iudicabat, quamquam in eo victo plus gloriae, quam in tot receptis oppidis esset. Transgressus in Italiam Pompeius, summa populi laetitia exce-

Pompejus exercitum deducit ex Hispania.
Orosius.
Jul. Exuperant. ibid. 9. 2.
Bibliotheca Hisp. 1. 4.
Plin. 7. 26. 3.

ptus est: non ob illustrem modo victoriam, bellumque civile, quod omnia externa conciebat, penitus sublatum; sed quia Tribunitiæ potestatis, quam restitui flagrantissime cupiebant, futurus auctor existimabatur; eaque res jam olim dilata in adventum ejus fuerat.

Sallust. Hist. 3. 4. 23.

Crassus festinat ne Pompejus accederet gloriæ particeps. Appianus. lib. 1. Civil. Plutarch. Crasso cap. 10.

VIII. Quo majore studio populus, ut dignitatem eius augeret, *proficisci eum in expeditionem adversus Spartacum* jussit. Strepebant quotidianis concionibus Tribuni plebis, *hunc unum optimum Imperatorem, quocumque se vertisset, certam victoriam trahere, simulatque conspectus à fugitivis esset, debellatum fore*. Eo diligentior Crassus instare Spartaco, festinare, ne penes alium confecti belli gloria foret. neque minus apud fugitivos properabatur. Forte Spartacus post sociorum cladem, quum ad Petellinos montes se reciperet, insequutos L. Quintium & Tremellium Scrofam Crassi Quæstorem fuderat.

Spartacus conditiones tentat negante Crasso.

IX. Ab hac victoria spiritus adeo creverunt fugitivorum, ut progressum in Calabriam ducem, convertere agmen, & incedenti per Lucaniam Crasso occurrere cogerent. Neque prorsus carebat ratione consilium, quia instante jam Pompeio, cunctantibus nulla spes effugii, pugnæ quoque sors durior ostendebatur. Sed Spartacus conditionibus tentatis, & aspernante Crasso, Brundisium petebat, quum suorum clamoribus victus, in Lucaniam referri signa jussit & ad caput Silari amnis castra metatus est.

Orosius. Spartaci extrema pugna: Appianus. Plutarch.

X. Nam ad Brundusium contendentem fama appulsi è Thracia Luculli perculerat. Idcirco Crassus cognito hostis adventu nihil moratus, castra castris contulit, & quo magis ad pugnam irritaret feroces animos, circumvallare hostem ortus est. Ita prohibentibus opus fugitivis, quum inter paucos orto certamine, vicissitudo victoriæ plures subinde alliceret; Spartacus universo exercitu educto, & equitatu, qui nuper ad eum accesserat, in cornibus locato, ipse inter pedites stetit. acieque structa equum admotum sua manu confodit *si quidem victus esset, non amplius usurum* eo dicens; *Victorem multos habiturum & bonos*.

Ejusque mors & fugitivorum clades. Athen. 6. 21. Appianus. Liv. Epitom. Orosius. Sallust. Hist. 3. 1. 2. Plutarch. Pompejo c. 31.

XI. Pugna fuit vehementer anceps, donec Spartacus superfuit. qua forte Romanum Imperatorem agere conspexerat, viam ferro muniens. Sed postea quam duobus centurionibus qui pro Crasso propugnabant, impigre cæsis, penetrare ad illum nequivit, sauciumque femur submisso genu fulciens, concursu hostium est interfectus: Fugitivorum turbatis metu ordinibus, nihil postea nisi cædes fuit. Quadraginta millia eo prælio cæsa sunt. Victores circiter mille ceciderunt. pro his tria civium Romanorum millia, qui in vinculis apud Spartacum fuerant, recepta. cadaver Spartaci non potuit reperiri.

Fugitivi per globos sparsi, circumveniuntur.

XII. At qui supererant prælio fugitivi, diversa, uti solet rebus perditis, capessunt. namque alii fiducia gnaritatis locorum occultam fugam sparsi, alii globis eruptionem tentavere. Sic agmina fermè quadraginta facta, quo & Crassus aliique duces veluti feras in montibus & sylvis indagando, plerosque omnes aut interemerunt, aut abripuerunt vinctos. Unus in agro Lucano consisterat, gnarus loci, nomine Publipor. ad hunc magna manus fugitivorum se aggregaverat, ut quinque circiter hominum millia essent.

Quosdam & Pompejus concidit.

XIII. Sed hos Pompeius obtrivit, forte cum exercitu superveniens, scripsitque Senatui, *fusos à Crasso fugitivos, à se radices excisas esse belli*. Ita tan-

dem illud formidabile belli servilis incendium, multo utrimque sanguine restrinctum est. sexaginta millia fugitivorum cum Spartaco, & post illum cæsa sunt, capta sex millia; quos victores tota via quæ Romam à Capua ducit, dispositis crucibus adfixerunt. Crassus sextum intra mensem Italia tantis cladibus metuque liberata, iam se non imparem Pompeii gloriæ ferebat, ex Prætura, sicuti per legem Corneliam licebat, consulatum petiturus, competitore Pompeio: quamquam hic nullum antè magistratum gesserat; neque legitimam ætatem habebat, sed magnitudine rerum gestarum, & favore populi, ob hoc quoque flagrantiore, quod haud obscurè se auctorem restituendæ Tribunitiæ potestatis, profitebatur. Nec ille civium expectationi defuit, quin statim eo de negotio verba faceret, quum primam concionem ad Urbem Consul designatus habuit.

M. Antonius Cretensibus bellum infert. Liv. Epitom. Ascon. in Verrin. 4. Plutarch. Antonio, c. 5. Florus 3. 7. Appian. apud Fulv. Ursin. Sallust. Hist. 3. 5. 7.

XIV. Sed huic destinationi complures, interque eos homo sapientissimus atque amplissimus C. Catulus adversabantur. Inter hæc de M. Antonio tristes nuncii venerunt, qui post Siciliam Græcosque Asiaticos, studio donandi rapiendique, in utroque immodicus, despoliatos, Cretensibus bellum intulerat. Favisse Mithridati videbantur; permisso ut bellum Romanis facienti juventus sua militaret. Piratas etiam Mithridaticarum partium genus, quum persequeretur eos Antonius, aperte defenderant: dimissis cum superbo responso legatis, quos ea de re questum Antonius miserat. Is Antonius, filius M. Antonii oratoris erat, Clarissimi viri, sed neutiquam patri similis, quumque fratres etiam duos haudquaquam probatæ vitæ haberet, ipse omnium erat corruptissimus, ut perdundæ pecuniæ genitus videretur.

Sed victus ægritudine animi moritur. Florus. Diod. apud Fulvium Ursin. Liv. Epitom. Cic. Ver. 3. 29.

XV. Idem vacuus curis, nisi instantibus, tam contemptim adortus Cretam fuerat, ut plures in navibus catenas, quam arma portaret. Quam væcordiam celerrima pœna consequuta est. pleræque enim naves à Cretensibus captæ sunt, remulcoque in portus tractæ quum velut imitatione quadam triumphi captiva corpora velis & funibus suspensa eminus visentibus spectaculo essent. Infelix prælium, & pudor mox injussu Senatus populique tactæ pacis ægritudine animi ad corporis quoque subruendam valetudinem Antonio causam præbuit. hominemque multa contra sociorum salutem & contra provinciarum utilitatem & facientem & cogitantem, in mediis ejus injuriis, & cupiditatibus mors oppressit. Tamen Cretici cognomentum ab hac expeditione retulit; non victoriæ argumentum, sed belli temere suscepti.

Plutarch. Appianus.

M. Luculli gesta in Thracia. Cic. Verrin. a. 8. Orosius. 6. 3. 52 Sallust. in cert. 8. 10 Sex. Rufus c. 9. Marcellinus 27 8. Eutrop. Strab. lib. 7.

XVI. At à duobus Lucullis honestius laudabiliusque gesta Respublica est; quorum Marcus Macedoniam provinciam; Lucius Mithridaticum bellum obtinebant. M. Lucullus qui Curioni successerat, maioribus per Thraciam rebus quam ullus ante eum imperator gesserat, justissimum Triumphum meruit. Quippe Getis qui & Mysi vocabantur, superatis, Besos, nationem ferocissimam primus Romanorum ducum bello petiit, eosque in Hæmo monte ingenti prælio fregit. Sic receptis in deditionem Hæmimontanis, Eumolpiadem, quæ postea Philippopolis dicta est; mox Uscudamam, quæ Hadrianopolis est appellata, eodem quo agressus erat die expugnavit. Progressus deinde Calybem, quam Philippus Amyntæ filius, pessimis ibi collocatis hominibus, Poneropolin vocaverat: illa quoque capta, usque ad terminum gentium Thraciearum Tanaim, paludemque Mæotin penetravit.

Flor. 3. 4. Illyric. Eutropius. Sex. Rufus. Appian. lib. 5. Civil.

XVII. Inde multas supra Pontum positas insulas, in jus ditionemque populi Romani redegit. Calatim, Phihinopolim, Parthenopolim, Tomos, Istrum, Buziam omnem cepit: evertit Apolloniam: arma Romana Scythis monstravit; belloque confecto sub tempus victi à Crasso Spartaci Romam regressus de Bessis triumphavit; & præter alia ornamenta, Colossum Apollinis, quem ex Apolloniatarum insula transvexerat, in Capitolio posuit.

Lucullus contra Mithridatem movet. Appianus. Mithrid. Plutarch. Lucullo c. 48. Phlegon. ap. Photium. Appianus. Memnon.

XVIII. Sed L. Luculli, qui frater huius fuit, nescio an maiores eodem tempore, clariores certè, scriptorumque beneficio notiores res fuerunt; de quibus deinceps dicemus. Vere eius anni quo Cn. Orestes, P. Lentulus Consules fuerunt; Lucullus, Murena cum duabus legionibus ad obsidionem Amisi relicto, cum tribus aliis per montana versus Cabira movit, ubi Mithridates hiberna habuerat, & tum quoque iisdem in locis erat, eo consilio, ut Romanis advenientibus resisteret. Stationes tamen disposuerat in montibus, quæ & opponerent sese transitum molientibus, & ignibus excitatis adventum hostium significarent.

Pomponii generosum dictum. Plutarch. Memnon. Appianus.

XIX. His Phœnicem quemdam Regii generis virum præfecerat. qui signum quidem factis ignibus Mithridati dedit, sed ipse cum iis, quas secum habebat, copiis transfugit ad hostem. Mithridates impigrè motus, amne Lyco superato, in campis patentibus pugnandi copiam fecit. commisso equestri prælio superiores Regii fuerunt, rejectusque Lucullus, retro se ad montes recepit. Præfectus ejus equitum Pomponius, quum ad Mithridatem saucius adduceretur, roganti Regi *ecquid amicus ipsi futurus esset, si eum conservasset? Amicus*, inquit, *si quidem Amicus populo Romano fueris, sin vero hostis*. Volentibus eum post hanc vocem interficere barbaris, laudabili voce Mithridates occurrit, *in virtutem à fortuna destitutam sæviendum* negans.

Lucullo viam monstrant venatores. Appianus. Plutarch.

XX. Post hæc per continuos aliquot dies instructam aciem Mithridates ostentare; Romanus retinere suos, & equitatu inferior, campis nolle credere. donec ancipiti malo circumventum (quia per patentia non audebat ducere; circumitus per montes longus ac tædii plenus erat) forte reperti venatores recrearũt; calle ostenso, per quem copias suas supra caput Regis in locum ita comparatum duxit, ut pugnare volenti spatium non deesset, prælium detrectans cogi nequiret.

Præsentia boni imperatoris plurimum pollet.

XXI. Quum neuter alterum adoriri decrevisset, casu contractum certamen est; quia persequentibus forte cervum Regiis, Romani quidam occurrerant; pluribus deinde, ut fit, hinc inde adgregatis, loco pulsi Romani sunt. Hæc ignominia ex superiore loco conspecta iram movit militibus, signumque pugnæ continuò poposcerunt. Lucullus quiescere jussis, ut doceret, quantum in præsentia boni Imperatoris esset, cum paucis descendit, primisque fugientium ut consisterent occlamavit.

Luculli periculum ab insidiis.

XXII. Quum illi paruissent, & proximi quique ad idem imperium exemplumque firmarent pedem: globo facto disjecit hostes, victorque ad suos rediit. deinde pro concione increpitos qui fugerant, in conspectu totius exercitus fossam duodecim pedum discinctos fodere coëgit. sed longe majus occultiusque periculum, sub eosdem dies, quod virtute amoveri nequiebat, casu idem Lucullus effugit. Olthacus quidam, ex Dardariorum Mæotica gente, quum apud Mithridatem de gloria & præmiis virtutis sæpe cum aliis regulis disceptasset, ut se omnibus ostenderet superiorem, Luculli capite Regi promisso, specie transfugæ in Romana castra pervenerat.

XXIII. Is deinde quum frequentibus excursionibus promptam enixamque operam exhibuisset, postremo quoque equestri prœlio servasset multos; in propiorem admissionem receptus, mensæ consiliisque admoveri cœperat. Igitur observato tempore, quo missis principiis vacuum magis incustoditumque Prætorium erat; brevi pugione accinctus ex more ad Lucullum introibat. Sed illum forte fatigatum longis vigiliis corpus meridiari coëgerat. & Menedemus Cubicularius ad ostium stans negabat *intromitti quemquam mortalium posse*. Cubicularis fides. Front. Strateg. 4. 5. 30. Appian. Plutarch.

XXIV. *Ille subitum esse ac necessarium quod afferret* dictitans, nihilominus conabatur irrumpere; quum accensus ira Menedemus, *nihil salute Imperatoris magis esse necessarium* regerens, ambabus manibus repulit hominem. Quare ne suspectus haberetur, veritus Scytha, equis quos ante portam castrorum paratos stare jusserat, ad Mithridatem refugit, aliumque Scytham, nomine Sobadacum transfugere ad Lucullum conari detulit, qui statim jussu Regis comprehensus est. Insidiator fugit. Frontinus. Plutarch. Appianus. Memnon. Salluft. Hist. 4. a. 13.

XXV. Dum his aliisque rebus bellum trahitur, longè lateque omnibus circum evastatis, inopia utrumque exercitum incessit. Idcirco Lucullus, quo re annonaria commodiore uteretur, in planum degressus, quia patentibus locis equitatum Regis timebat, ita metatus est castra, ut munimenti vicem uliginosum paludibus solum hosti objiceret, & Regnum Ariobarzanis intactum bello, à tergo haberet, unde commeatus subveherentur. Crebra inter hæc equestria prælia fiebant. Semel etiam cum suos fugientes obviam egressus è Castris Mithridates acerbè corripuisset: iis animis in pugnam redierunt, ut Romani fusi fugatique, etiam reversis à persequendo hostibus, suum quisque contubernalem pro victore metuentes, vix aliquando facerent fugæ finem, tantus eos pavor occupaverat. Mithridates equestri prœlio victor. Memnon. Appian. Salluft. Hist. 4. a. 13.

XXVI. Hanc victoriam, missis ad vicinos Reges nationesque nunciis, magnificentius quam verius Mithridates extollebat, promptumque Romani exercitus exitium augurabatur. Sed eventus contra dedit. Quum enim haudquaquam reprehendendo consilio hoc ageret, ut Lucullum commeatibus exclusum ad eas redigeret angustias, in quibus ipse ad Cyzicum fuisset, negotium equitibus suis dedit, ut frumentatores è Cappadocia redeuntes (nec enim aliunde Romanus alebatur) exciperent. Lucullum inopia premere nititur.

XXVII. Neque desidia Regiorum res corrumpebat; sed nimius pugnandi ardor non sinebat à suis locis aliena discernere. igitur primo Sornatius cum una legione ex Cappadocia redux, præfectum Regis Menandrum alacritate majori quam consilio congressum, cum magna hostium cæde, in fugam egit. Fabius deinde Adrianus quum ex eadem Cappadocia magnum annonæ modum adveheret, à Menemacho & Myrone, quos Taxiles & Diophantus, cum quatuor peditum, duobus Equitum millibus immiserunt, lacessitus est. Sed suorum nimia ferocia spe excidit. Plutarch. Lucul. c. 33. Memnon.

XXVIII. Et si donec in æqua loca descensum esset, exspectare Regii potuissent, fortassis in periculo & cohortes Romanæ, & quam adducebant, annona fuerat. in ipsis adhuc angustiis invadente hoste, & suum sibi equitatum efficiente inutilem, haud ægre restiterunt, donec auxilium Lucullus submitteret. Tum vero ertuia fuga Mithridaticorum versus eum locum, ubi Taxiles & Diophantus tendebant, eodem etiam Victorem deduxit. & post acre sed minime obstinatum Mithridatici fugiunt. Appianus. Memnon. Phlegon. apud Phot.

certamen, dissipata Barbarorum acies, diversa fuga disparuit: pauci cum ipsis ducibus ad Mithridatem pervenerunt.

Mithridatis & amicorum consternatio. Appianus. Eutropius. Plutarch.

XXIX. Magna eo die cædes Regiorum fuit. & à quinque Romanorum millibus, triginta millia totius exercitus Regii robur fusa referuntur. Mithridates hac accepta clade veritus, ne destitutum equitatu quamprimum Lucullus circumveniret, statim convocatis amicis aperuit, *sibi in animo esse discedere, priusquam itinera ab hoste clauderentur*. Illi suarum rerum anxii, non exspectata luce, pecunias suas supellectilemque emittebant è castris: & quum hoc à multis & divitibus fieret, brevi angustiæ circa portam erant, & rixæ agasonum uno quolibet ante alios exire properante audiebantur.

Et totius exercitus fuga. Appianus. Plutarch. Strabo. lib. 12. Memnon.

XXX. Exercitus, re cognita, visisque ducum sarcinis, metu & indignatione commotus, prodique se vociferans, vallo proruto, qua cuique proximum erat, sine duce, sine imperio evadebat. Inter eum tumultum, direptæ multorum præfectorum sarcinæ sunt, custodibus interemptis; Dorylaus quoque magni nominis ductor, nihil præter purpuram qua erat amictus habens, propter illam interfectus est. Hermæus Aruspex, qui & ipse exercitum duxerat, in porta Castrorum, pedibus hominum jumentorumque obtritus: Rex ipse extremis proximus, inter turbam pedes profugit. nec enim quisquam ministrorum apud eum remanserat, donec impulsu turbæ humi stratum Ptolemæus Eunuchus conspexit, equumque, desiliens ipse, præbuit.

Mithridates effugit. Plutarch. Cic. pro L. Manil. cap. 9. Appian.

XXXI. Ne sic quidem expedita fuga erat; Gallogræcis equitibus, qui Lucullo militabant, terga prementibus: sed forte an consilio Mithridatis objectus mulus, ex iis qui aurum & argentum Regium portabant, avaritiam persequentium prædæ dulcedine distinuit, tempusque evadendi dedit; cæteri plerique cæsi sunt. nam Lucullus cognita suorum victoria è vestigio equitatum ad persequendos hostes miserat, legiones circumdederat castris, ut ibi fugientes, hic resistentes internecione delerentur. Amplius sexaginta Ponticorum millia his cladibus extincta creduntur.

Romanorum militum avaritia adjutus. Liv. Epitom. Plutarch. Eutropius.

XXXII. Præter ereptum triumpho Mithridatis corpus confectique belli gloriam extortam, aliud quoque non leve incommodum Lucullo militum avaritia attulit. Callistratum qui Regi à secretis fuerat, comprehensum in Castra ducere jussi, cum aureis quingentis succinctum sensissent, interemerunt. Castra tamen regis diripi, prædamque militis esse passus est, quo insolentiam illorum molliret, nuper etiam in Amisena obsidione invidiose querentium, *quod nullam civitatem vi caperet, conditionibus omnes acciperet in deditionem, ne militi pro labore tanto periculisque fructus ullus usquam esset*.

Pompeius atque Crassus exercitum dimittere nolunt. Appianus. lib. 1. Civil.

XXXIII. Sane vix ulli imperatorum justior victoria flagitio militari de manibus excidit: meritumque virtute decus ingratus impiusque exercitus, variè vexato, & ad postremum relicto Lucullo, intercepit. Dum hæc diversissimis locis aguntur, Romæ haud exiguum metum Pompejus atque Crassus faciebant exercitus retinendo. nam ille *se Metellum exspectare* dictitabat *ad triumphum venientem*: Crassus *æquum esse* dicebat *priorem Pompeji exercitum dimitti*. Sed Pompejus eam quidem dubitationem sustulit, *statim à triumpho missos facturum milites pollicitus*. Igitur quum ex Hispania Metellus advenisset, multi sub finem anni hujus triumphi fuerunt.

XXXIV. Sub idem enim tempus & ex Macedonia C. Curio, & ex Isauria P. Servilius, & ex Macedonia M. Lucullus triumpharunt. Ex Hispania Q. Metellus & Cn. Pompejus, hoc nomine quoque gloriosius, quod iterum Eques Romanus triumphabat. Crassus de fugitivis triumphum petere pudore prohibitus, ovans iniit urbem, hoc novo honore magna ambitione impetrato, ut pro Myrtea corona, qualem ovantes sumere consueverant, Laurea uteretur. Consules deinde M. Crassus, Cn. Pompejus magnus facti. Eo tempore Pompejus quod per militiæ tempora Senatus habendi consulendique rationem ignorabat; M. Varronem familiarem suum rogavit, *Uti Commentarium faceret Isagogicum, ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, quum Senatum consuleret.*

Multi simul triumphi. Eutropius. Cic. in Pison. cap. 19. 24. Velleius. 2. 30. 1. Plutarch. Crasso c. 12. Agel. 5. 6. 24. 7. Plin. 15. 29. 9. M. Varronis Commentarius Isagogicus.

XXXV. Consul enim fiebat ex Equite Romano, priusquam Quæsturam gessisset, tanta hujus adolescentis gratia & virtus erat, ut quibuslibet legibus facile solveretur. Latum ex Senatus Consulto ad populum est, *ut Cn. Pompejum Consulem fieri liceret, quum Curulem Magistratum nullum per leges capere potuisset.* Nec illud tamen plus adjicere magnitudini videbatur; quam quod M. Crassus, contemptor omnium, & divitiis facundiaque inter primores excellens, non erat ausus Consulatum petere, priusquam Pompejum rogavisset, & Pompejus olim cupidus demerendi hominem potentissimum, adeo enixe gratiam suam interposuerat, ut non pro Crasso minus quam pro semetipso laborare testaretur.

Pompeius legibus solutus. Liv. Epitom. Plutarch. Pompeio c. 33. Velleius. 2. 44. Plutarch. Crasso.

XXXVI. Discors tamen Magistratus fuit, nec quidquam magnopere ab iis domi forisve memorabile gestum est. nisi quod Crassus Herculi decimas solvens, decem mensarum millibus Epulum populo præbuit, ac frumentum gratuitum in trimestre dimensus est. Pompejum illa dies magno honore illustravit, qua militiæ vacationem à Censoribus postulavit. Quod expletis stipendiis Equites Romani facere consueverant. sedebant pro Tribunali L. Gellius, Cn. Lentulus Censores, ad hos Pompejus descendit in forum equum manu ducens, cæterum insignibus nitens magistratus sui.

Crassus Herculi decimas solvit. Vellei. 2. 44. Plutarch. Crasso. Plutarch. Pompeio. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 35.

XXXVII. Ubi stitit equum ad tribunal, major natu Censor, *quæro ex te, inquit, Pompei magne, ecquid omnia stipendia expleveris?* Cui Pompejus alta voce, *explevi*, inquit, *& quidem me Imperatore*. Tum vero mixtus lætitia & admiratione clamor populi ortus, vix sedari potuit, donec surgentes de Tribunali Censores, ut populo applaudenti gratulantique gratum facerent, Pompejum Consulem domum deduxerunt. Magnus enim ejus apud Populum favor erat, quum plus in Senatu Crassus polleret. & erat in invidia Pompejus, quod plebi potius quam Senatui gratificatus, Tribunitiam potestatem restituerat adsentiente quidem Crasso, quia prohibere nequibat, sed Pompejus solus pertenderat, nec sibi glorioso, nec in Rempublicam utili facinore, quæ iterum ab eo principio Tribuniciis seditionibus periculose vexata est; donec hac quoque non ultima impellente caussa concideret.

Pompeius militiæ vacationem Censoribus impetrat. Plutarch. Pompeio. Ascon. Ver. 2. Sal ult. Catil. cap. 38. Liv. Epitom. Cic. de legib. 3. 9.

XXXVIII. Tribunitia potestas restituta, traxit & judiciorum ordinem, quod eorum levitas flagitandæ potestatis ejus permagnum desiderium fecerat. Igitur L. Aurelius Cotta Prætor, favente ac adnitente Pompejo, judicia ad Equites transtulit, non ut penitus excluderentur Senatores, sed ut major esset Equitum potentia, communicatis inter tres ordines judiciis, Senatum, Equites, & Tribunos Ærarios, qui fermè erant ex Equitibus. Iisdem Consulibus P. Virgi-

Judiciaria lex L. Cottæ. Cic. divin. c. 3. & in Act. 3. c. 16. Liv. Epitom. Plutarch. Cic. pro Cluent. c. 47. Ascon. in

Cornelian. & Isoniana Ant. August. de Legib. Phlegon apud Photium. Sallust. Hist. 4. 1.5.

lius Maro natus perhibetur Idibus Octobris; ut publicorum actuum monumentis natalis ejus insereretur, ingenii operumque præstantia meritus. Interea Lucullus Cabirorum Castellum, cum aliis multis, custodias Thesaurorum vinctorumque in deditionem accepit; passim ad Victorem præfectis Regiis deficientibus, quorum ex numero Strabonis, ejus qui Geographiæ pulcherrimum opus edidit, avus maternus, quindecim Castella fide accepta tradiderat.

Mithridates uxores sororesque interfici jubet. Strab. lib. 11. Plutarch. Lucullo c. 33. Memnon. Liv. Epitom. Appianus. Mithrid.

XXXIX. Magnæ in iis opes, tetri quoque carceres reperti, quibus Græci Barbarique multi olim desperata salute attinebantur. Inter hos & Nysa liberata est, Soror Regis, eademque ob Nicomedem, cui nupta fuerat, hostis. Hanc igitur nihil nisi extrema expectantem, inopinata salus respexit. at alias mulieres Regias, quum procul omni metu abesse viderentur, triste fatum comprehendit. Mithridates enim, desperatione rerum suarum Ponto profugus, quum venisset in Armeniam, nec admitti se in conspectum Tigranis videret; immani tristitia & mœrore perculsus Bacchidem Eunuchum misit, ut sorores uxoresque, & concubinas Regias tolleret, quæ Pharnaciæ servabantur, quod oppidum haud procul Trapezunte aberat.

Monimes & Berenices fata. Stephanus. Plutarch.

XL. Multæ erant, sed præ cæteris insignes Roxane & Statira, quæ circiter annos quadraginta in virginitate exegerant. conjugesque duæ Jonici ambæ generis Berenice Chia, & Monime Milesia, cujus præcipua iter Græcos fama erat. Hanc ubi Bacchides arbitrium mortis dedisset; detractum capiti Diadema obvolvisse collo ferunt, ut inde suspenderet corpus, abruptoque, exclamasse, *ô exsecrabilis fascia, ne ad hoc quidem usui eris*! consputum deinde abjecisse, jugulumque præbuisse percussori. Berenice veneno temperato, partem præsenti rogantique matri dederat. Ergo remissior & divisa vis potionis, quum in senili corpore viam lethi haud difficulter invenisset, juvenculam diu cum anima luctantem, Bacchides strangulavit.

Roxanes querela de fratre.

XLI. Sororum Regis longe dispar ut animus, ita sermo extremus fuisse traditur. Roxane cum venenum miscuisset. *Hoc igitur*, inquit, *extremum à fratre munus teneo, invisum certe, nisi esset odiosior, qui misit. Hoc igitur erat; cur me felicem prædicarent homines, tantis majoribus, in hac fortuna genitam, sororem magni Mithridatis! Ergo igitur, si quoslibet de vulgo parentes, quemlibet fratrem sors dedisset, viverem. quia Regibus orta sum, & hunc consanguineum habeo, moriendum est. At illum tanta, ut ajebant, potentia, tanta virtute præditum, tutela omnium, etiam minimorum fore credideram; ne dum ut sororum suarum proditor, sororum interfector esset.*

Consilii ejus temeritatem arguit.

XLII. *Sane jam tum satis esset miser, si ex tanta fiducia tantum in metum venisset; sed fac metuere, quam procul adhuc absunt Romani? cur non servamur in spem melioris fortunæ, nunquam defuturo veneno, si sequius consuli necessum sit; cur non in Bosporum, aut Colchos mittimur, quo Populi Romani non arma, sed etiam nomen vix penetravit? cur hostis & carnificis officium ipse occupat? quid facerent Romani crudelius? sed aliud nimirum expectare sorores non oportuit, ab isto quidem qui matrem venenum coëgit bibere! sed age age, bibamus soror, si nihil aliud, hoc certe consequuturæ; ut postea nihil in nos tali Tyranno liceat. at tu pessime omnium & perfidissime parricida, in hoc per annos quadraginta virgines asservasti, ut ubi tu summam rerum ad desperationem adduxisses, veneno moreremur!*

remur! Tibi vero scelerum ultores dii eandem aliquando necessitatem moriendi imponant, facultatem negent.

XLIV. Hæc dicentem Statira consolabatur fratrem simul excusans. *Summæ fortunæ, sicuti singularem honorem, potentiam, gloriam, ita nec vulgares molestias adjacere. Deorum imperium in Reges, quemadmodum in cæteros homines potestatem Regum esse. nullum tanta sapientia aut prudentia unquam extitisse, ut destinatum sibi à potentiore exitum vitare quiverit. Idcirco minime imputandum Mithridati; sive quod vinci debuerit omnibus frustra tentatis; sive quod victus, ultima cura providerit, ut quod suorum servari non posset, honeste saltem, & in libertate moreretur.* Statira defendit fratrem.

XLIV. *Sibi quoque, minime lætam mortem esse, verumtamen hanc malle, quam quæ timenda essent in potestatem hostium venientibus; in bello nemini parci, multos adeo intervenire casus, quibus vilissimum quidem calonem coercere, ne suus quidem Imperator possit. Sæpe & alias & hoc bello audivisse, quanta in captis urbibus esse licentia militis, quanta cum crudelitate libido soleat.* Qui providerit ne hostiũ in potestatem inciderent.

XLV. *Sibi quidem vel millies mori satius esse, quam ut hanc non dicere sortem, sed vel periculum subeat. non igitur maledicendum esse fratri, qui sanguinem suum, per longissimam temporum seriem deductum à Regibus contaminari aut servire nolit: Sed gratias potius agendas curanti, ut quatenus omnibus molestiis liberari nequirent, maximis certè & gravissimis eriperentur. Magnum in eo fraterni amoris curæque specimen inesse, sed & vere Regii animi, quod inter suos casus laboresque, de sororum periculo, deque domus suæ dignitate cogitasset; neque dubium esse, quin aliud nihil viderit pro his melius: nam eadem mandata dedisse ad uxores quas utique non odisset.* Post hæc & talia verba, sumpto veneno, exanimatæ sunt. Insigne fraterni amoris specimen in esse.

XLVI. Hæc audita mœrore adfecerunt Lucullum, clementem virum, & plurimæ humanitatis: præfectos autem Mithridatis velut signo dato, ad tradenda quibus præerant præsidia, paucis exceptis, incitavit, ultimæ necessitatis id facinus esse reputantes. Lucullus Mithridatem usque ad Talaura (castelli nomen est) insequutus, ubi quatriduo ante illum in Regnum Tigranis perfugisse intellexit, Chaldæis, qui & Chalybes vocantur, Tibarenisque subactis, receptaque minore Armenia, quæ in ditione Mithridatis fuerat, ad obsidionem Amisi reversus est. Amisenis conditiones respuentibus, Callimachus enim præerat, machinarum mirus artifex, consilioque & audacia promptus; ad Eupatoriam se contulit. quam haud procul Amiso Regiam Mithridates struxerat, & ex suo cognomento voluerat appellari. Luculli acta post fugam Mithridatis. Plutarch. Lucullo c. 37. Appianus. Mithridatis. Strabo. lib. 12. Eutropius. Memnon. Appianus.

XLVII. Quum & hic impigre resisteretur, Lucullus per aliquot dies languidiori oppugnatione usus, propugnatorum negligentiam felici consilio aluit. quum enim stata quasi diei hora soleret abducere ab oppugnatione suos, ubi opportunum visum est, eodem tempore *corripere scalas & mœnia eniti* jussit: infrequentes defensores aderant, plerique jam de more per hospitia dilapsis. Statim igitur capta Eupatoria, statimque deleta est. neque multo post Amisus, eodem ferme modo, in potestatem venit, parique fato incensa est. Callimacho injiciente ignem, ut interea facilius abnavigare posset, an quia prædam Romanis invidebat. Eupatoria & Amisus captæ ardent. Memnon. Plutarch.

Invito & miserante Lucullo.

XLVIII. Nec eripere oppidum, licet summa ope adniteretur, Lucullus poterat; jussique ignem restinguere milites, minaci cum clamore arma quatiebant, donec exercitui se prædam concedere edixit, modo ab incendio ædificia protegerentur. sed intentus rapinis miles auxit, magis quam extinxit ignem, quum multi quoslibet angulos cum facibus perscrutando ultro succenderent ædes. Ingentemque in Urbe paulo ante frequentissima vastitatem facerent. idcirco postridie ingressus Urbem Lucullus, non tenuit lacrumas, dixitque amicis, *sæpe sibi fortunam Sullæ admirabilem visam, eo maxime quod Athenas servare, quum vellet potuerit: se parem gloriam magno studio expetentem, ad L. Mummii sortem detrudi, ut eversor potius magnarum urbium, quam servator prædicetur.*

Amisi conditores. Memnon. Plutarch. Appianus. Meursius de fortuna Attic. cap. 6.

XLIX. Bona tamen pars Urbis erepta flammis est pluviæ miseratione, quæ opportune velut ex machina prorupit. Et Lucullus priusquam inde discederet, operam dedit, ut pleraque corrupta restituerentur. edictoque collegit Amisenos, qui è patria profugerant, novisque colonis Græcis, quibus ibi habitare placebat auctos, agro quindecim millium passuum Urbi adjecto locupleravit; Alexandrum imitari studens, qui eamdem Urbem, quum Persicis Regibus parentem invenisset, liberaverat. Amisum Athenienses condiderant. Quo tempore classibus validi, non proxima tantum, sed & jam longius sita maria pervagabantur. eoque nuper multi ut tyrannidem Aristionis fugerant, velut in aliam patriam eo concesserant. ignari eodem quoque quam metuebant belli perventuram tempestatem esse.

Tyrannio celebris Grammaticus. Suidas. Strab. lib. 12. Plutarch.

L. Sed illos Lucullus honeste vestitos, ducenis distributis denariis in patriam remisit. Tunc etiam inter captivos Tyrannio fuit, celeberrimi nominis Grammaticus. eum Lucullus gentili suo Murenæ, præcipuo legatorum rogatus concessit. ille magnanimi doctissimique, & ob hoc doctorum studiosi Imperatoris munere perquam illiberaliter usus, manumitit hominem, ut ab eo commoda, quæ patronis liberti præstant, adipisceretur. alia quoque similia multa idem Murena designavit, bello non spernendus, vita moribusque multum ab Imperatoris sui nobilitate discrepans. Rebus Amisi ex præsenti copia constitutis, Lucullus in Asiam hibernatum abiit, ut civitatibus illis, sub æris alieni pondere gravissime anhelantibus succurreret. Interea misit ad Tigranem, Mithridatem sibi dedi postulans. Eam legationem App. Claudius obiit, qui uxori Imperatoris frater, & liberis ejus avunculus erat.

Memnon. Plutarch. Sallust. Hist. 5. 3. 5. 4. 6.

FINIS LIBRI XCVII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri XCVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

MACHARES filius Mithridatis, Bospori Rex, ab L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus, & C. Gellius Censores asperam censuram egerunt, quatuor & sexaginta Senatu motis: A quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. L. Metellus Prætor in Sicilia adversum piratas prospere rem gessit. Templum Jovis in Capitolio quod incendio consumptum ac refectum erat, ab Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus, in Armenia Mithridatem & Tigranem, & immensas utriusque Regis copias, pluribus prœliis fudit. Q. Metellus Proconsul, bello sibi adversum Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. L. Triarius legatus Luculli adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem, ac Tigranem, summamque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi nolebant: id est legiones Valerianæ, impleta ab se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

OPPRESSAM ære alieno Asiam, & quo recreata est, Luculli consilium traditurus, cohibere animum nequeo, quin præsentibus temporibus ingemiscat, Germaniam intuens nullo miserante deterius propemodum ab hac peste, quam subtricennalis belli nefandis cladibus pereuntem. Quum enim ad omnes prorsus homines, quibus aliquantum rei est, aut fuit, malum istud pertineat, à plurimis annis, fine cura, fine lege, ut cuique potentia aut debilitas aderat, extorquebantur à debitoribus nummi, aut negabantur. Ita dum alii partem sortis offerendo, tam diu usurpatæ pecuniæ alieni mercedem postulant; alii quamquam præter suam culpam fortunis exuti etiam usuras repræsentare coguntur. Justitia & concordia, quæ in medio esse debuerant, miserandum in modum lacerabantur: donec prorsus Alexandrino more nodum hunc secari placuit. utinam durabili ad pacem remedio. Sed his quoque calamitatibus nostris finem aliquem viderit DEUS! — Deploratio status Germaniæ.

II. Asiæ acerba ob impotentiam fœneratorum conditio erat. quod Imperatam à Sulla pecuniam viginti millia talentorum, civitates à publicanis maxime sub gravibus usuris acceperant. Erat illa potentissima factio, & plerumque Magistratus Romanos opibus & gratia sic habebant obnoxios, ut illorum auctoritate ad quodvis desiderium suum abuti possent. Ergo servilem in modum vexati provinciales, quo excedentem omnia voraginem interdum placarent, privatim liberos suos, virgines, puerosque formosos; publice, quidquid ornamentorum in civitatibus erat, vendere cogebantur, quæ omnia quum usu- — Asia usuris oppressa. Plutarch.

tiabile fœnus hausisset, nec ideo expungi debita possent. ad extremum ipsi creditoribus in servitutem addicebantur.

Luculli æquitate & prudentia liberatur.

III. Adversus hæc, Lucullus primo constituit, ne majores centesimis usuræ ducerentur. deinde usuras quæ sortem excesserant, amputavit. non ad invidiosum illud & inverecundum alteri tanti commentum, quod nuper ex orco revocato, & interpretatione aucto, perfidiosissimi sæculi turpitudo ad extinguendas fidei & justitiæ tenues reliquias erudiri gaudet. Sed quia rem suam creditoribus salvam præstabat, jamque providerat, ut expensam pecuniam brevi recuperarent, tam gravibus usuris ulterius aggravari Provinciam non patiebatur. Quippe quod longe utilissimum apparuit, creditorem in bona obærati hactenus, mittit, ut quartam redituum partem perciperet; ita neque debitor egebat, & & fœnerator haud longo tempore, quod erat ab ipso profectum, cum usuris ad præscriptum à Lucullo modum recuperabat.

Ea re fœneratores irritantur.

IV. Quod si quis usuras applicuisset sorti, & sortem & usuras amittebat. Hac æquitate rem paulo ante desperatissimam confecit, ut intra quadriennium, omni debito liberaretur Asia, & possessiones obligatione solutæ ad eos, qui antea tenuerant, reverterentur. Hoc pacto duplum ejus quod dederant, paucis annis ad sequuti fœneratores, non ideo quiescebant, nam ut ipsi subduxerant calculum, non quadraginta ipsis, sed centum viginti talentorum millia debebantur. Cæterum in provincia novare nihil poterant. Romam scripserunt ad suos, Tribunosque plebis commodum pristinam omnia turbandi licentiam adeptos, mercati sunt, ut actis desideriisque Luculli obstreperent.

Legatio ad Tigranem. Appian. Claud.

V. At ille magna non solum apud suam modo Provinciam, sed universos gloria (justos enim magistratus rebus ipsis cogentibus unaquæque civitas laudat) Ephesi residens Asiam constituebat legibus, cumulabat fide pacis, bonis spectaculis etiam, ludisque triumphalibus leque & illam recreabat. vicissim in honorem ejus Asiatici instituerunt Lucullea, celebraruntque. dedit deinde App. Claudio operam de legatione sua referenti. cum Regii viarum duces, longo circumitu & sinuosis itinerum amfractibus detinuerant, donec à servo doctus, quem natione Syrum secum habebat, illis valere jussis, paucis diebus ad Euphratem, & amne superato, Antiochiam pervenit.

Regulos & civitates quasdam à Tigrane alienat. Appius. Josephus 25. 24. c. 13. Plutarch. Lucullo. 42. Strab. lib. 16.

VI. Aberat Tigranes, & Ptolemaide capta, cui se Regina Syriæ Cleopatra incluserat, reliquas Phœnices urbes obibat. Idcirco Appius dum illum opperitur, nonnullos regulorum haudquaquam æquo animo Tigranis opes intueri cernens, illorum animos Romanis conciliabat. quorum & Zarbienus fuit, Gordyenorum rex, quam gentem Gordys condidisse traditur, Triptolemi filius. Civitates etiam multas nuper à Tigrane domitas, cum ad ipsum clam misissent legatos, in præsentia quiescere jussit, ut advenienti Lucullo se reservarent. Græcarum enim urbium spiritus Armenium jugum haudquaquam animo æquo patiebantur. Et super omnia invisa erat intolerabilis superbia Tigranis, qui fortuna inflatus, neque cupiditatis suæ finem, neque magnitudinis modum reperiebat.

Tigranis incrementa. Eutropius. Plutarch.

VII. Nam à mediocribus initiis profectus, annis viginti quinque multas gentes domuerat. Mesopotamiam, Syriam, Phœnicen occupaverat. Parthos gravius quam quisquam ante eum alius vexaverat: infinita prope millia Græ-

corum è Cilicia Cappadociaque abactorum in Mesopotamia collocarat. Scenitis etiam Arabum, transferre sedes in loca sibi placentia coactis. His rebus ita erat elatus; ut multos in quotidiano ministerio Reges haberet. quorum quatuor si equo veheretur, juxta incedebant pedites: si responsa legatis gentium redderet, consertis pectinatim manibus adstabant taciti.

VIII. Nihil hac scena perturbatus Appius, cum ad edenda mandata in conspectu venisset: *L. Lucullus*, inquit, *Populi Romani Imperator, Mithridatem ob multas & graves injurias, justo pioque bello petitum Regno suo expulit*, Rex Tigranes; *quum igitur nobis hostem sua improbitas, servum victoria & virtus nostra fecit, eum, quoquo fuga se proripuit, jure gentium reposcimus. Non arbitramur te ut hominem, donec opibus & fortuna floruit, omnibus iniquum ac gravem tuearis, eum victo & exule communia habere fata velle. nec enim ignoras, eandem caussam esse eorum qui fugiunt heros, & qui fugitivos recipiunt. Etiam si te præ multis regibus potentia valere scio, non tamen opinor tam levi de causa facturum esse quidquam, quo de illa dimicare cogaris. Quanto plura possides, tanto gravius perielitabere.* Appii Mithridatem à Tigrane reposcentis oratio.

IX. *Quid arma Romana valeant, si magnus nuper Antiochus, & magna Carthago parum grandia aut recentia documenta sunt; Mithridates docere potuit qui & ipse vulgo jam cœperat magnus usurpari. & tamen ille in ea tempora incidit, quibus arma civilia, aut socialia, aut servilia, denique vires Imperii nostri divisas, atque districtas tenebant: nunc intestina bella penitus quieverunt, nullus usquam Sertorius est, nullus Spartacus, qui adferre impedimentum queant, ne quod Senatui populoque Romano visum fuerit, paribus animis viribusque exsequamur.* Libera & minax.

X. *Notarunt qui adstiterant, hac juvenis audacia tactum hominem, qui tot ab annis liberam vocem nullam audiverat, non tenuisse vultus, quem induerat, æquabilitatem; sed quamquam serenum placidumque fingeret, commotionem animi prodidisse. Respondit sibi quoque non ignotam Mithridatis pravitatem esse, sed necessitudinem revereri, & commune apud omnes homines opprobrium, si socerum suum ad exitium dedidisset.* In eandem sententiam & litteras ad Lucullum dedit, in quibus Imperatoris obmissa appellatione, hanc caussam homo væcors attulit: quod se quoque Regem Regum appellare Romanus neglexisset. Plutarch. Tigranis ad eam commotio. Memnon. Plutarch.

XI. Misit tamen multa & splendida dona Appio, & illo recusante, plura etiam & pulchriora adjecit. è quibus Appius, ne quasi professis odiis superbum & potentem Regem irritaret, una phiala accepta, cætera remisit, celerique cursu ad Imperatorem suum est revectus. Toto illo tempore cum Heracleotis negotium M. Cottæ fuerat. isque iterum tentata improspere oppugnatione, Triarium advocavit, ad prohibendos commeatus, qui obsessis mari subvehebantur. Triarius cum suis tribus, & viginti triremibus, viginti Rhodiis, quum Cottæ nunciandum curavisset, qua die esset adfuturus; in idem tempus suum exercitum paravit Cotta, accciditque ut simul terra Romani, simul navibus ad Heracleam accederent. Heracleotæ re inexpectata perterriti, tamen triginta naves semiplenas deducunt, cæteri ad pellendum mœnibus hostem accinguntur. Heracleotæ anguntur ab Romanis. Memnon.

XII. In agmine Romano primæ Rhodiæ naves ibant; in quas illati Hera- Prœlio navali vincuntur.

Heraclea capta & direpta.

cleotæ statim depresserunt tres hostiles; ipsi vicissim quinque perdiderunt. Superveniente deinde Triario, quum aliquamdiu restitissent, in majorem portum coacti sunt refugere, navibus amissis quatuordecim; idcirco licet irritus tum quoque conatus Cottæ fuisset, inopia tamen rerum necessariarum, quod Triarius quotidie cum triremibus oberrans subvectionem commeatuum impediebat, brevi in maximas calamitates obsessi inciderunt. donec chœnix frumenti, octoginta drachmis Atticis veniret. tandem ut solet ex fame, pestilentia accessit, quæ, & Lamachum omnium malorum patriæ authorem, præ cæteris longius & acerbius excruciatum absumpsit. & in præsidiarios præcipuè læviens, de tribus millibus qui tum adhuc superfuerant, trientem demessuit.

Famem patiuntur & pestilentiam.

XIII. At Romani, quibus aura liberior & annona sufficiens erat, intacti ab his suppliciis manserunt. Inde Connacorigi tempus visum de deditione agendi, quo suæ saluti vel per interitum Heracleæ consuleret. Igitur adsumpto in societatem consilii Damophele, qui partium Lamachi cum fuisset, etiam in præfecturam ejus successerat, Cottæ ingenium ut ferox & infidum aversati, cum Triario agere cœperunt.

A præsidio deseruntur.

XIV. Ea re per Epistolam quamdam interceptam prodita, magno cum tumultu in theatrum populus concurrit, cunctisque metu trepidantibus, Brithagoras è primoribus civium oravit Connacorigam, *si quidem deditio cordi esset, at saltem ne ignaris oppidanis res tanta agitaretur, seque in illud negotium legatum offerebat; quum negaret Connacorix deditionem sibi placere; esse meliorem salutis viam, sibique ex litteris amicorum compertum, à Tigrane Mithr datem exceptum honestissimè, neque diu emansura auxilia.* Sic decepto populo Connacorix intempesta nocte, milites suos cum sarcinis (id enim Triarius permittebat) imposuit triremibus simulque cum iis abnavigavit.

A suis proditi capiuntur. Appian. Mithridat. Memnon.

XV. Sub idem tempus Damophele apertis portis Triarium accepit: nonnulli milites sive tædio moræ, sive quo vi capta civitas videretur, per muros transcendere maluerunt. Sic occupata Heraclea, crudeliter in oppidanos sævitum. Romanique memores quæ longam inter obsidionem fastidia, quos labores tolerassent, vel ab aris & simulacris abstractos jugulabant. quo metu magna pars per mœnia desiliens, per universam regionem, ut quisque latebras speraverat, dissipata est, aut ad Cottæ castra pertugit. Ille hactenus ignarus rei, quum captam urbem direptamque ex his didicisset, ira femens excivit exercitum, potiusque contendit ad urbem, pœnam sumpturus a Triario, à quo esset & Heracleæ capiendæ gloria, & manubiarum utilitate spoliatus, concursumque civilibus armis foret, nisi Triarius, Cotta exercituque multis lenibusque verbis placato, prædam communem omnibus fore spondidisset.

Cotta crudeliter & avarè se gerit Heracleæ. Justin. 16. 3. 4. Memnon.

XVI. Sic redintegrata amicitia, quum Tion & Amastrin ab Connacorige teneri didicissent, Triarius in istam expeditionem profectus, utrumque oppidum, pacto securum abitum Connacorige, nullo negotio recepit. Inter hæc Cotta captivos Heracleotarum, & qui eorum ad se perfugerant, retinens crudeliter & avare præsentibus utebatur; omnibus abreptis templorum donariis, simulachrisque numinum, ut nec Herculi parceretur, cui Sacram Urbem suam, & in illius honorem oraculi jussu conditam Heracleenses ferebant. Ejus effigiem antiquitus talem polierant, ut nihil ad summam magnificentiam pretiumque

ac pulchritudinem reliquum videretur. Clavam addiderant auro obrizo solidam; & ex eodem Metallo Leoninam ingentem finxerant, plenamque sagittis Pharetram.

XVII. Hæc & alia quum ad naves deportasset; iniici tectis ignem iussit, quo pleræque urbis regiones conflagrarunt. Hic fuit Heracleensis obsidionis exitus, alterum in annum protractæ. Cotta missis ad Lucullum, qui iterum in Pontum movebat, cohortibus aliisque Romanis, permissoque sociis, ut suam quisque in patriam reverterentur, cum classe Romam instituit iter; sed pars navium onere gravata quum haud procul litore processisset, subsedit: alias flantes forte Aquilones in brevia compulerunt, ut facere jacturam cogerentur.

Romam proficiscens tempestates patitur.

XVIII. Quum ita quotidie in deterius res Mithridatis ruerent, motus iterum ex Asia Lucullus, validius eas impulit, ira quoque instigante, ob superbas Tigranis literas; idcirco postquam iterum in Pontum irrupisset Sinopen obsedit, clarissimam Ponticarum urbium, quam caput regni Mithridates, natus in ea, & educatus effecerat. Leucippus & Cleochares Spado urbi præerant; eratque Seleucus, à quo vectus Heracleam Rex fuerat, pari auctoritate additus, horum Leucippum, die ad populum dicta proditionis collegæ reum egerant; & quum nihil accusando profecissent, noctu interfecerant per insidias.

Lucullus Sinopen obsidet. Plutarch. Lucul. cap. 17. Memnon. Strab. lib. 12. Orosius. 6. 3.

XIX. Hinc irritatis magnopere Sinopensibus, unam effugendæ vindictæ viam creditam, tyrannidem invaserunt. Quum in eo res essent, annonam à Bosporo ad castra Luculli vehentes apparuerunt. quas cum triremibus quindecim præfectus classis Censorinus deducebat. Igitur Seleucus cum Cilicibus suis & Sinopensium navibus longis provectus, superatis Romanis onerarias aliquot abstraxit. Hæc fortuna magis adhuc inflavit, asperioresque fecit tyrannorum animos, multique ab iis oppidanorum indicta plerumque caussa jugulati. Sed & inter ipsos parum conveniebat, Cleochare resistendum Romanis contendente, Seleuco, trucidandos Sinopenses, acceptisque ingentibus præmiis tradendam Lucullo urbem. quum neuter cederet, re in medio relicta, opes suas onerariis navibus impositas ad Macharem miserunt, Mithridates filium, qui tum apud Colchos agebat.

Sinopensium præfectorum discordia. Plutarch. Memnon.

XX. Circum hæc occupatis Lucullus supervenit. castrisque ad Sinopen positis obsidionem cœpit. venerunt mox à Machare legati, societatem & amicitiam petentes, quos ille comiter receptos omnia sparare à se & Pop. Romano jussit. dum ne commeatu Rex eorum Sinopenses, aut ulla re alia juvaret. Machares responso Luculli cognito, fecisse imperata non contentus, ut se bene & graviter destinasse probaret amiciciam Romanam colere, quidquid in usum Mithridaticarum partium paraverat, ultro in castra Luculli misit.

Macharis legatio ad Lucullum.

XXI. Ea res non solum obsessoribus fecit animos, sed & tyrannos penitus adegit ad desperationem. Igitur nocte quadam per milites urbe jussa diripi, levioribusque navigiis delectis, cum magnis divitiis ad interiora Ponti, ubi Sanni Lazique accolunt, profugerunt, ignibus antea reliquas in naves injectis. Lucullum ortus in Urbe clamor (multam enim cædem inter diripiendum Cilices ediderant) simul flamma visa admonuit; ut ad Urbem duceret, cuius jam etiam partes aliqua ignis comprehenderat. scalis admotis facile transcensum: & Cilices quos præda tardaverat, passim uccisi. ne oppidanis quidem parci

Sinope à Lucullo occupatur. Appianus. Mithridat. Memnon. Plin. 6. 4. Plutarch. Orosius.

inter tumultum potuit. donec octo fermè hominum interfectus millibus, cædibus abstineri Imperator jussit.

Luculli Somnium de Autolyco. Plutarch. Memnon. Appianus.

XXII. Deinde consolatus Sinopenses, privatim sua cuique reddidit, publicè dedit libertatem: præter ingenium beneficum ac mite somnio quoque motus. Proxima ante capiendam urbem quiete, videre visum est habitus ignotioris hominem, paulisper jubentem progredi, ut Autolyco occurreret. id somnium inter tantarum rerum occupationes quum effluxisset animo, forte dum Cilicas ad mare fugientes persequitur, obvolutam pannis statuam vidit. hanc ubi solvi eximique jussit, statim agnovit speciem, quæ obversata noctu fuerat, simul præsentium aliquis Autolycum esse Sthenidis opus, confirmavit.

Somniorum vanitas captiosa. Plutarch. Strab. lib. 12. Appianus.

XXIII. Heroem Autolycum Sinopenses colebant, quod sive Jasonis in expeditione Colchica, sive Herculis adversus Amazonas profecti socius, quum forte naufragium iis locis fecisset, Sinopen cum suis pervenerat, eamque urbem prioribus incolis, à Syro, quem Apolline & Asopi filia Sinope genitum ferebant, ibi collocatis ademptam obtinuerat. Ea res admonuit Lucullum commentariorum, quos ei Sulla inscripserat, inserveratque monitum *ut per quietem oblata præcipuæ firmitudinis existimare meminisset. Quæ fatua & puerilis hominum credulitas, quid aliud quam theatrum est, in quo fabulas suas deceptores genii pro lubitu instruant, erroresque omnes, in quos demergere miseram mortalitatem student, nullo negotio stabiliant?*

Machares socius amicusque populi Romani appellatur. Strabo. Memnon. Appianus. Liv. Epitom. Plutarch.

XXIV. Hanc igitur statuam Lucullus abstulit, una cum Billari Sphæra, ceteris ornamentis oppidi abstinuit injuriam. Sinope recepta, nihil jam iis regionibus hostile præter Amasiam supererat. Sed ipsa quoque paulo post in ditionem populi Romani concessit. Hæc agenti Lucullo legati à Rege Bosporano advenerunt, coronam auream dono afferentes, quibus ille benigne exceptis, Macharen illorum Regem socium amicumque Populi Romani appellavit. His rebus patratis, cum finem imposuisse Pontico bello videretur, Rege fugato, nemine præterea morante victorem; Sornatium cum sex millibus militum præsidio reliquit Provinciæ. ipse cum reliquis duodecim millibus peditum, equitum haud totis tribus millibus Tigrani bellum illaturus, castra movit.

Tigranes Mithridatem accessit. Memnon. Appianus. Plutarch.

XXV. Tigranes enim, postquam per annum integrum, octoque præterea menses in regno suo versari Mithridatem passus non admisisset in conspectum, sed custodia corporis attributa in remotissimis locis, magis captivi quam Regis modo habuisset; sive misericordia ductus, sive metu Romanorum, & legatione irritatus Appii, per quam honorifice acciverat. Triduum inter se arcanis sermonibus transduxerunt, conciliataque plenissime gratia, quod ex factis deprehendi potuit, priorum offensiuncularum caussas in amicos rejecerunt. Ex quibus statim interfectus est à Mithridate Metrodorus Scepsius, vir facundia & eruditione clarus, quem in eum amicitiæ gradum Mithridates receperat, ut Regis patrem appellari pateretur.

Unde Metrodoro exitium. Memnon. Plutarch.

XXVI. Sed Tigranes exposuerat Mithridati, *quemadmodum ad se missus ille, cum mandata Regis sui de belli adversus Romanos societate edidisset, interrogatus à Tigrane, quid igitur ipse suaderet? in hæc verba responderit: ut legatus suadeo; ut consilium rogatus alia omnia.* Nec oderat Metrodorum Tigranes

idcirco

idcirco suam per culpam interfectum dolens magnifico extulit funere, & suprema ei magnis sumptibus persolvit. Splendidis dein epulis omnique comitate socerum quum excepisset, attributis decem millibus equitum dimisit, in Ponto res novaturum.

XXVII. Hæc, ut solet, in maius distulerat fama; Regesque junctis viribus jam jam in Lycaoniam Ciliciamque irrupturi ferebantur: quum miratus Armenium Lucullus, quod non stantem potius Mithridatem sustinuisset, quam ut erecturus prostratum idem ipse discrimen adiret; occupare eius adventum proposuit, & ultrò in Armeniam procedere. Gravabantur milites, alioqui plus æquo turbulenti, in regionem hostilem gentesque bellicosas, & innumerabili equitatu instructas, terramque vastis amnibus & nivosis montibus septam sequi. Romæ quoque a Tribunis plebis consilium Imperatoris carpebatur: *hominem imperii & opum cupidum bella serere ex bellis, ut publico periculo privatis libidinibus satisfaceret*, invidiose querentibus.

Lucullus Regibus obviam ire statuit. Memnon. Plutarch.

XXVIII. Sed ille placatis utcumque militibus, in Cappadociam duxit, ut ibi Ariobarzanis opibus amicitiaque apparandis, quæ usus belli poscebant, instructior, ubi primum tempus anni pateretur, Euphratem transcenderet. Hoc anno tristem in urbe censuram L. Gellius Poplicola, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus egerunt; quatuor & sexaginta Senatu motis. In his & C. Antonius fuit, Marci Oratoris filius. cui caussas subscripserunt Censores, quod socios diripuerit; quod judicium, apud M. Lucullum Prætorem accusatus, recusarit turpi allegatione, *se cum Græcis hominibus in urbe non posse æquo jure contendere; quod propter æris alieni magnitudinem prædia mancipārit, bonaque sua in potestate non haberet*. Etiam P. Lentulus Sura, qui nuper Consul fuerat, Senatu motus est, & Q. Curius notissimus aleator, cæterique mox ad Catilinariæ coniurationis scelus non tam hac censoria nota, quam caussis aliis impulsi.

Tristis Censura. Ascon. in Toga Cand. Liv. Epitom. Plutarch. Cæsar. cap. 5.

XXIX. Lustrum deinde conditum est. civium amplior quam ante numerus, receptis in idem ius sociorum populis fuit. capita nongenta quinquagin a millia censa. Principem Senatus Q. Lutatium Catulum legerunt. Per idem tempus L. Metellus Siciliæ Prætor, rem adversus Piratas prospere gessit. Nam inter fœdissimam C. Verris Præturam Pyrganio Archipirata Syracusanum portum, pulsa classe Romana obtinuerat, insulamque inde cædibus rapinisque misere vexabat. Hunc igitur Metellus terrestri navalique prælio victum profugere ex Sicilia coëgit, pacemque Provinciæ reddidit.

Census actus. Plutarch. in Cic. cap. 22. Diod lib. 27. Sallust. Catil. 23 1. Liv. Epitom. Lipsius admirand. 1. 7. Lipsius Elector 1. 27.

XXX. Finem hujus anni lætum urbi reditu suo in gratiam duo potentissimi viri Pompeius Crassusque Consules fecere. Illi hactenus retinuerant exercitus suos, neque populum extrema quæque inter discordes & prævalidos metuentem, quum eos rogaret, ut reconciliari paterentur, audiverant. Sed postquam alio tempore sedentibus pro tribunal, Caius quidam Aurelius equestri loco natus, sed qui vitam procul negotiis egerat, ad eos ascendit, *Jovemque sibi per quietem imperasse* dixit, *moneret Consules, uti in gratiam redirent, populusque gemebundus & supplex eadem precari* cœpit. Pompeius restitit tacens: at Crassus prior dextram, *nihil*, inquit, *me indignum aut vile facere reor; si huic Pompeio aliquid defero, quem vos imberbem adhuc appellare Magnum sustinuistis; quem triumphare jussistis, priusquam in Senatum legeretur*.

Diod lib. 26. Orosius. Pompeius & Crassus in gratiam redeunt. Plutarch. Pompeio c. 35. Appianus. lib 2. Civil. Plutarch. Appian. Plutarch. Crasso cap. 23. Plutarch. Pompeio.

Exercitus dimittunt. Appian. Plutarch. Pompeio. Liv. Epitom. Dionys. Halic. 4. 69. Cassiod. Chron. Cic. Verrin. 4. 31. Plin. 7. 43. Tacit. Hist. 3. 72. 6.

XXXI. Tunc & Pompeius occurrit Crasso, junctisque dextris fecerunt redintegratæ gratiæ fidem: ergo populus in lætas acclamationes votaque & preces effusus, non ante destitit, quam dies ab utroque mittendis exercitibus diceretur. Id ubi est factum, magistratu Consules abiverunt. C. deinde Hortensio, Q. Cæcilio Metello, qui postea Creticus appellatus est, Consulibus, templum Jovis in Capitolio, quod ex Sullanorum temporum iniuria super iisdem fundamentis refectum erat, a C. Catulo dedicatum est. quem solum honorem felicitati suæ defuisse confessum questumque L. Sullam ferunt. In ea dedicatione, quum vehemens æstus esset, Q. Catulus velis expansis umbram fieri populo jussit, quod deinceps in theatris est frequentatum.

Lucullus ad Euphratem movet. Plutarch. Poplicola c. 13. Plin. 19. 1. Plutarch. Lucul. cap. 51 Sallust. Hist. 4. 3. 3.

XXXII. His Consulibus Romanæ copiæ Imperatore Lucullo, maximis itineribus per regnum Ariobarzanis contenderunt ad Euphratem, qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur: & quamquam ad id naves codicariæ occulto per hiemem fabrefactæ aderant; tamen hibernis aquis tumidus amnis transeundi metum faciebat: sed mira felicitate circa vesperam ejus diei subsidere flumen cœpit, & fluctus intra alveum coercere. Igitur accolæ cum reddita luce non inflatior solito Euphrates parvas in mediis aquis insulas ostenderet, adoraverunt Lucullum, amicum Deo imperatorem rati, cuius honoris caussa præter solitum tam cito amnis detumuisset.

Ei sacrificaturo ultro se sistit hostia.

XXXIII. Alia deinde haud minus insolita res oblata trangresso, opinionem hominum firmavit. Pascebat in ea Regione Persicæ Dianæ sacrum armentum, peculiari nota insigne, & humanis usibus exemptum, ex eo ubi tempus sacrificii venisset, plerumque non sine magno labore victima capiebatur. Sed tum ultro ad petram, quæ sacra deæ habetur, insigni specie bos concedens, eo loco constitit, demissoque capite, tamquam reste traheretur, hostiam se præbuit Lucullo. Ille & hoc peragit sacrum, & propter facilem transitum taurum immolavit Euphrati.

Appianus. Mithrid. Plutarch.

Tigranis vecordia. Phlegon apud Plutarch. Appian.

XXXIV. His eodem die perfectis, postero sequentibusque per Sophenen iter fecit, pacato agmine, quod incolas pacificis animis imperata facientes nulla re violari voluerat, sed & militibus Castellum quoddam, ubi magnos esse Thesauros audierant, capere volentibus, ostenso procul monte Tauro; *istud potius*, inquit, *exscindendum nobis præsidium est. nam hæc quidem victoribus servantur*. Magnis deinde itineribus ad Tigrin, & hoc quoque superato, in Armeniam processit. Nec quisquam ibat obviam, ignaro omnium Tigrane, cui nunciare Luculli adventum audebat nemo, quod qui primus id fecerat, tamquam civitatibus turbandis nuncium fingeret, capitali supplicio erat adfectus. & adulatores blanditiis & laudibus vanos spiritus inflabant. *egregium fore ducem Lucullum* dictitantes, *si vel Ephesi expectet regis regum impetum, nec ad primum conspectum innumerabilium copiarum diffugiat*.

Qui Mithrobarzanem cum stolidis mandatis emittit.

XXXV. Tandem unus amicorum Mithrobarzanes verum indicare ausus, e vestigio adsumptis tribus equitum millibus, & ingenti peditum numero, Romanos obterere jussus est, solum ducem vivum adducere. Forte castra metari primum suorum agmen Lucullus jusserat, donec reliqua pars exercitus, quæ adhuc erat in itinere, succesisset; quum adesse illi hostes nunciatur. idcirco ne distractas copias Armenii opprimerent, ipse ad castra permunienda subsistit. Sexti-

lium legatum cum mille sexcentis equitibus, militumque & velitum haud multo majore numero præmisit; mandato, *ut quum appropinquasset hostis, citra pugnæ periculum distineret eum, donec munita esse castra didicisset*.

XXXVI. Imperium ducis cum servare Sextilius vellet, impetu ferociter invehentium se hostium dimicare est coactus; pugna prospera Romanis fuit. Mithrobarzanes in prælio cecidit; barbari plerique fugientes cæsi pauci ad Regem redierunt incolumnes. Is hoc nuncio territus, neque minus nunc ad timorem præceps, quam paulo ante superbia tumidus fuerat, Tigranocerta Mancæi fidei committit. ipse ad Taurum montem se confert, omnes Imperii vires eo contracturus, Mithridate quoque revocato. Lucullus interea urbem, in qua concubinas Regis adservari audiverat, obsidebat. Sextilio ad Tigranocerta claudenda, aliis quoque ducibus circum insigniora castella dimissis.

Sed is à Romanis caeditur.
Appianus. Mithrid.
Plutarch. Lucullo c. 33.
Memnon.

XXXVII. Mancæus Sextilium arcere instituerat. sed repulsus intra mœnia suburbanam regiam diripi, seque & urbem circumvallari, adduci machinas, effodi cuniculos tulit. Interea sex equitum millia jussu Tigranis ad concubinas eripiendas profecta, per medias Romanorum copias, quum imbre sagittarum clausissent iis exitum, eduxerunt mulieres, præmiseruntque per noctem. sed orta luce, Romanisque & Thracum auxiliis acerrime prœliantibus, magna multitudo Armeniorum cæsa captaque: præmissum tamen agmen, quia jam aliquantum viæ præceperat, in loca tuta pervenit.

Tigranes concubinas suas eripiendas periculo curat.
Memnon.
Appianus.

XXXVIII. At Lucullus ne spatium Regi per otium contrahendarum virium concederet, Murenam ad carpendos qui ad illum accelerabant misit. ipse cum Tigranocerta venisset, Sextilium occurrere Arabum exercitui jussit, qui coniungere se Tigrani cupiebat. Et horum plerique oppressi sunt à Sextilio, quum forte castra ponentibus supervenisset. Murena in arcta quadam & confragosa valle Tigranem nactus, loco audaciam dante, conseruit manus, neque spernenda victoria potitus, impedimentis omnibus Regem exuit. Sed Lucullus ut ad pugnam eum eliceret, acriter Tigranocerta premebat; non sine periculo militum, in quos obsessi præter solita defendendis urbibus, ignes omnia comburentes nec restingui faciles ejaculabantur.

Lucullus Tigranocertam oppugnat.
Xiphilinus.
Plutarch.

XXXIX. Naphtam vocant bituminis genus, adeo cognatum ignibus, ut eminus rapiat flammas, & momento vel in longa spatia diffusum inardescat. similis natura Malthæ, cuius in Commagenes urbe Samosatis stagnum est. qua etiam oppugnante Lucullo, muros defendisse oppidum traduntur. Urgebat tamen inceptum Lucullus, haud dubitans, succursurum ei urbi Tigranem, quam tantæ curæ semper habuisset, totque ac tantis nobilitasset ornamentis. Namque Tigranes ut hanc omnium efficeret opulentissimam, proceribus suis, *ut ibi haberent domicilia* præceperat, *mulcta quoque imposita, ut quidquid pretiosarum rerum in eam urbem non transtulissent, publicaretur*.

Ejus urbis opulentia.
Sallust. Hist. 4. 3. 11.
Plin. 2. 105. 2. 104.
Plutarch. Alex. cap. 34.
Plutarch. Lucullo.
Appianus.

XL. Hac coactis Græcorum, Adiabenorum, Assyriorum, Gordienorum, èque Cappadocia & Cilicia multis millibus, quorum patrias non aliam fermè ob caussam exciderat, murum curaverat exædificandum cubitorum quinquaginta altitudine, in cuius ambitu stabula equorum erant disposita. Regiam quoque hortosque in suburbiis, ferarumque & piscium vivaria, itemque arcem validam juxta struxerat. neque Mithridates aliud quam quod in expectatione Luculli

Mithridates Tigranem dehortatur à pugna.
Plutarch. in
Diodorus. lib. 15.
Appianus.
Plutarch.

fulgentibus incidere video. hoc ad pugnam euntes faciunt, in itinere coriaceis tegumentis arma condere soliti. Vix finierat, cum prima Aquila flectentis agmen Luculli, versus Tigranem ire visa est, manipulatimque cohortes sequi. tum vero, tamquam ex profunda ebrietate reversus ad se Tigranes, bis terve exclamato, *itane in nos illi? propere suos instrui jubet*.

XLVI. Mediam aciem regendam sibi sumit; lævum cornu Adiabeno Regi permittit; dextrum, ubi plerique cataphracti primis in ordinibus stabant, Medo. Hoc in cornu primum invectus Lucullus, reperit victoriæ viam. Tumulum enim quemdam, sub quo cataphracti collocati erant, conspicatus, hoc situ, ut in vertice planus & patens, aditu haud valde aspero passuum non ferme quingentorum adscendi posset: Thracum Gallogræcorumque alas ex obliquo in cataphractorum ordines incurrere jubet, ensibusque contos, in quibus omnis illorum vis est, detorquere. Interim ipse conspicuis armis indutus, exserto gladio ante prima signa in tumulum enititur; locoque capto, *vicimus*, exclamat, *vicimus milites*! simul ruit in cataphractos, *omissis pilis enses stringi, petique crura & femora, quæ sola patebant vulneribus*, præcipiens. Pugnæ initia & progressus. Memnon. Appianus. Plutarch. Front. Strat. 2. 2. 4.

XLVII. Sed hostes non expectato congressu, fœdam prorsus fugam præcipitant: ipsique & equi armis graves intolerabili pondere incumbunt suorum ordinibus. Omnia statim tumultu & terrore complentur; alios aliis turbantibus; neque fugæ locus est, conferta constipataque acies à paucis impune cæditur. Multum ibi sanguinis fusum est, quia Lucullus spoliari corpora, nisi post consumatam victoriam, severo proposito edicto vetuerat. Igitur per quindecim millia passuum, armillas torquesque aureos calcando insequuti hostem sunt: sub noctem demum reversi, Lucullo jam permittente, legerunt spolia. Armenorum fuga. Memnon. Appianus. Plutarch.

XLVIII. Peditum ad millia centum interfecta traduntur; equites valde pauci effugisse, quum victores omnino quinque cecidissent; centum essent vulnerati: ut ipsos propemodum puderet victoriæ suæ, qui cum talibus mancipiis quasi cum viris signa contulissent, tam levi momento dejectus conculcatusque potentissimi Regis, ejusdemque superbissimi fastus fuit: atque ipse inter primos fugiens, vix centum quinquaginta equitibus comitatus, quum filium in eadem fortuna conspiceret, diadema capiti detractum porrexit lacrumans, jussitque alia qua videretur via salutem quærere. Adolescens imponere sibi Tiaram non ausus, servandum uni ex fidissimis dedit. atque eo capto diadema quoque cum dependentibus vittis pervenit in potestatem victoris. Ipsiusque Tigranis. Plutarch. Orosius. 6. 3. Memnon.

XLIX. Pugnatum est pridie nonas Octobres, quamvis illa dies, ob cladem Cæpionis Cimbricam inter atras haberetur. Sed Lucullus id submonenti cuipiam, *ex atra facturum* respondit *candidam*; idque cum ingenti sua gloria præstitit. Numquam tanto inferiores numero Romani pugnaverant. nec enim vicesimam hostium partem Luculli exercitus adæquabat. Sed apud peritos belli hoc summi ducis argumentum habebatur, quod duabus diversissimis artibus, celeberrimos duos ætatis ejus Reges, Mithridatem fregisset mora, Tigranem celeritate obtrivisset. Pugnæ dies, & de ea dictum Luculli. Xiphilin. Plutarch.

L. Atque res tam improvisa etiam Mithridatem fefellerat. qui Lucullum priore belli gerendi ratione usurum ratus, non maturaverat ad Tigranem accedere. tendenti ad illum occurrerunt in itinere pauci primum, deinde plures pro- Mithridates Tigranem consolatur. Memnon. Plutarch.

Appian. Mithrid.

fugorum ex prœlio. unde cognito Tigranis casu, requisivit eum diligenter, neque reddidit contumelias, sed ex equo desiliens, vestem ei Regiam, haud inferiorem quam gestare erat solitus, suique comitatus partem dedit. bonoque animo esse jussum, ad parandas alias copias, bellumque resumendum confirmavit.

Discordia Mancæi cum Græcis, Tigranocerta aperit Lucullo.

LI. Inter hæc reverso ad Tigranocerta Lucullo, Mancæus Græcis militibus mercenariis, quod suspectos haberet, arma ademit. Unde illi acerbiora veriti, dies noctesque congregati permanebant, fustibus armorum loco arreptis. ideirco Mancæus cum armatis in eos impetum fecit, eventu prorsus inopinato. Namque brachia veste obvoluta clypeorum vicem objicientes, fustibus haud impigre se defenderunt. occisorumque barbarorum armis celeriter inter se divisis, mœniorum partem occuparunt. Cum iis magna quoque pars Græcorum urbem incolentium sentiebat. Ea discordia Romanis urbem aperit, thesaurosque Regis, & aliorum amplissimas opes tradidit. Octo millia talentum signatæ pecuniæ inventa sunt. urbs diripienda militibus data, & insuper distributi in singulos denarii octingenti. Multi scenici artifices capti erant, quos ad dedicandum theatrum Tigranes contraxerat. iis Lucullus ad ludos victoriæ suæ usus est.

Diod. lib. 35. Memnon. Plutarch.

Tigranes summam rerum permittit Mithridati. Appianus. Plutarch. Strab. lib. 11. Memnon. Diodorus.

LII. Convenas deinde variarum gentium, quibus Tigranes urbem suam frequentaverat, in suam quosque patriam dimisit. Græcis etiam viatico dato; ita cujus urbis incrementum multarum aliarum ruina fuerat, ejusdem interitus vicissim illas magna ex parte recreavit. Interea Reges magna cura nationes obeundo novum exercitum colligebant. Summam rerum permissu Tigranis in se recipiente Mithridate, quod animo ac prudentia præstare, & belli contra Romanos gerendi per adversa ac prospera peritior habebatur.

Ad Phraatem Tigranis legatio. Phlegon. apud Photium. Appianus. Diodorus. Memnon. Sallust. Hist. 4. 2.

LIII. Misit etiam Tigranes ad Phraatem, qui Deus cognominatus nuper Sinatruci successerat. *cum patre suo quas gessisset inimicitias, ipsius morte expirasse, adversus novum Regem integra sibi omnia; quoque magis fida inter utrumque sit amicitia, & adversus communes Regum hostes Romanos societas, Mesopotamia, se & Adiabene, & regione quam Convalles Magnas vocant, cedere.* Mithridates quoque literas addidit, quarum sententia in Sallustii Crispi fragmentis, ita est exposita.

Ad eumdem literæ Mithridatis.

LIV. *Omnes qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere: dein quod quæritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni, & scelestissimi; egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. neque petere audeam societatem: & frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem: atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, & meæ res parum prosperæ, si vera æstimare voles, maxime hortabuntur. Ille enim obnoxius qualem tu voles societatem accipiet: mihi fortuna multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi; & quod florentibus optabile est, ego non validissimus præbeo exemplum quo rectius tua componas. namque Romanis cum nationibus, populis, Regibus cunctis una & ea vetus causa bellandi est, cupido profunda imperii & divitiarum: qua primum cum Rege Macedonum Philippo bellum sumpsere, dum à Carthaginiensibus premeabantur, amicitiam simulantes. ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere: ac mox à Philippo, Antiochus, omni cis Taurum agro, & quindecim millibus talentorum spoliatus est.*

LV. *Persen deinde Philippi filium, post multa & varia certamina, apud Samothracas deos acceptum in fidem, calldi, & repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, in somnio occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post Attalum custodem agri captivi sumptibus & contumeliis ex Rege miserrimum servorum effecere: simulatoque impio testamento, filium Eumenis Aristonicum; quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxer; Asia ab ipsis obsessa est. Postremo Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere; quum filius Nusæ quam Reginam appellaverant, genitus haud dubie esset.* Reges à Romanis eversos commemorantis.

LVI. *Nam quid ego me appellem? quem disjunctum undique Regnis & Tetrarchiis ab Imperio eorum, quia fama erat divitem, neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud ignarum, & ea quæ accidere testatum antea. Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, & Regem Ptolemæum. Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli; Asiamque spolium Regis Antiochi recepi, & Græcia dempsi grave servitium. Incœpta mea postremus servorum Archelaus, exercitu prodito, impedivit; illique, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas pœnas solvunt: Ptolemæus pretio in dies bellum prolatans; Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio habituri.* Et sua cum illis certamina.

LVII. *Equidem quum mihi ob ipsorum interna mala dilata prælia magis, quam pacem datam intelligerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis; rursus tamen bellum cepi: Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente: simul hiems mari prohibebat. ita sine vi hostium regredi coactus in Patrium Regnum, naufragiis apud Parium & Heracleam, militum optimos cum classibus amisi.* Ite atoque sumptum bellum.

LVIII. *Restituto deinde apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullum præliis, inopia rursus ambos incessit: Illi suberat Regnum Ariobarzanis bello intactum: ego vastatis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: sequutique Romani non me, sed morem suum omnia Regna subvertendi, quia multitudinem arctis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. Nunc quæso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum & auri esse; & ea re à nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris: cæterum consilium est, Tigranis Regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum conficere: quando neque vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus.* Ex his Phraatem capere jubet.

LIX. *An ignoras Romanos, postquam ad Occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quidquam à principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, Imperium? convenas olim sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum? quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul juxtaque sitos, inopes potentesque trahant, excidantque; omniaque non serva, & maxime regna, hostilia ducant. Namque pauci libertatem; pars magna justos dominos volunt: nos suspecti sumus, æmuli, & in tem-* Romanos ovium esse hostes inculcat.

pore vindices adfuturi. Tu vero, cui Seleucia maxima urbium regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, & postea bellum exspectas?

Sed illos tamē vinci posse.

LX. *Romani in omnes arma habent: acerrima in eos, quibus victis spolia maxima sunt. Audendo, & fallendo, & bella ex bellis serendo magni facti, per hunc morem extinguent omnia, aut occident. quod difficile non est si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna, aut nostris vitiis adbuc incolumem. teque illa fama sequetur auxilio profectum magnis Regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo hortorque, neu malis pernicie nostra unum Imperium prolatare, quam societate victor fieri.*

Lucullo invident Senatores Romani. Diodor. lib. 35. Plutarch. Lucul.

LXI. Romæ his rebus auditis, haudquaquam pro merito Luculli gratia fuit. quin *elapsum Tigranem* imputabant, *& imperii certe dulcedine hoc agi, ut perpetua iis locis bella essent*. Igitur tum quidem *Prætores sortiri* jusserunt *Asiam*; deinde decreverunt, *ut alter sequentis anni Consulum succederet*: quamquam sine ulla ærarii molestia, bello semet alente, tot amplissimæ provinciæ populo Romano quærebantur. Sed invidia, quæ plerumque bonum publicum vincit, tum quidem potior ad minuendam summi Imperatoris dignitatem, quam ad augendam virtus fuit.

M. Cotta Romam reversus. Memnon.

LXII. Alienis quoque vitiis miscebatur; *Ponticos Imperatores sibi prospicere posse, Rempublicam post privata commoda ducere*, clamantibus multis; quod M. Cotta nuper cum invidiosis opibus redierat. Et quamquam minuendi rumoris caussa, magnam pecuniam in ærarium intulerat; manebat opinio, *de multis cum pauca populo Romano dedisse. Neque aliam veriorem caussam fuisse* volebant, *cur Quæstorem à se P. Oppium dimisisset*. Atqui Oppius quum ob pecunias male captas, & cibaria militum fraudata à Proconsule ablegaretur, etiam insidiatus illi fuerat, deprehensusque, dum tectum veste pugionem conatur expedire.

Accusatur. Diodor. Val. Maxim. 5. 4. 4. Memnon.

LXIII. Sed apud iratos etiam quæ sublevare hominem debuerant, ultro in crimen vocabantur. Idcirco propter illius offensam, Heracleotis æquiores, *dimitti captivos illorum, libertatique restitui* jusserunt. Quorum Thrasymedes, quum ei concionem inimicus Cottæ Carbo præbuisset; Heracleensium defleta calamitate, *innocentiam illorum, sævitiamque & aviditatem Cottæ* exposuit. Simul captivorum multitudo, promiscuus sexus ætasque protensis supplicum ramis, velut publica comploratione populum movebant. Cotta deinde pauca pro se loquuto, & ad *populi jussum* vocante, surgens Carbo, *capi*, inquit, *Heracleam, non exscindi jussimus*.

Luculli justitia & humanitas. Plutarch. Xiphilinus.

LXIV. Aliis quoque Cottam incusantibus, præcipuo Carbonis studio damnatus est. Exilio tamen remisso, Senatoriis insignibus caruit: Heracleotis ager portusque & quod in mari juris habuerant, redditum: *civitasque libera esse & suis uti legibus* jussa est. At Lucullus, Imperator rebus gerendis intentus, non armis modo, sed justitiæ & humanitatis blandissima vi barbaros subigebat. Tigranocertis multas nobiles feminas captas honestissime habuerat, per has mariti earum adducti sunt in fidem; quos inter Antiochus Commagenæ Rex fuit, & Regulus Arabum Alchaudonius. Armeniæ quoque multæ partes se dediderunt; Sophenorum tota natio, & Regis sui casum acerbe ferentes Gordyeni.

Zar-

LXV. Zarbienus is fuerat, jam ut prędiximus, per App. Claudium adjunctus Lucullo; & hoc crimine, postquam res prodita, ab Tigrane interemptus est. Huic insignes exsequias Lucullus fecit, *amicum sociumque populi Romani* appellans, monumentumque locavit splendidissimum. Nam in thesauris ejus auri argentique magnam vim repererat; præterea conditi in horreis frumenti medimnorum tricies centena millia. Cognitis deinde Regum ad Phrahatem legationibus, ipse quoque sociorum nonnullos ad eum misit, ut amicitiam ei Romanam utiliorem bello fore ostenderent. Zarbieno facit exsequias. Diodor.

LXVI. Parthus utrisque spe societatis clam facta, legatos dimisit. Deinde quum missus à Lucullo Sextilius venisset, virum militarem ad speculandum regionis viriumque habitum accessisse suspicatus; neque promissa Romanis auxilia, neque contra eos Regibus misit: quod illis inter sese bellantibus, sibi certissimum cum securitate emolumentum pollicebatur. Neque impunita ei astutia maneret, ni Luculli animum ignavia & seditio militaris destituisset. Quum enim ille ad Sornatium cæterosque legatos ac tribunos suos scripsisset, *adduci* jubens, *quas reliquerat in Ponto copias*, quod per Gordyenem in Parthos irrumpere cogitabat, dilatis interim Tigrane & Mithridate Regibus: milites *neque ad Lucullum ituros* responderunt; *neque diutius futuros in præsidiis*. Parthos petiturus à militie destituitur. Memnon. Diodor. Appianus. Mithridat. Plutarch. Eutropius.

LXVII. Quod ubi in castris Luculli est cognitum, eadem contumacia in præsentem exercitum pervasit. omnes mirari ac laudare *Ponticorum militum animos*: *hos vere liberos, hos vivos* dicere. *at se tamquam vilia mancipia, quocumque inquieti domini cupiditates jussissent, sub alium pæne solem, ignotas in terras trahi, etiamsi impervia ferro membra haberent, senio & itinerum labore defecturos*. Ita Lucullo quiescendum aliquamdiu contra animi sententiam fuit. Interea Romæ iisdem Consulibus M. Pupius Piso ex Hispania triumphavit, non admodum magnis gestis rebus. Sequens annus unum tantummodo Consulem habuit, C. Marcium Regem, quia L. Metellus collega ejus principio anni obiverat, & post eum alius, qui fuerat in locum Metelli subrogatus; eaque ex re, postmodum sufficii quemquam, religio incesserat. Militum seditiosę voces. Asconius & Cic. in Pison. cap. 36. Urb. cond. an. 685. Consuli suffecto morienti alium sufficı religio est.

LXVIII. Interea Mithridates, armorum officinis per oppida institutis, omnique fere Armeniorum juventute contracta, delectus agebat; unde retentis quorum alacritas & robur eminebat, septuaginta millibus peditum, triginta quinque equitum, cæteram multitudinem dimisit. Eas copias in cohortes alasque proxime Romanum morem tributas, per homines Ponticos, gnaros ejus militiæ, exercebat. Spatium ei dabant Romanorum militum vitia, jam velut precario parentium. Hæc verior caussa dilatæ expeditionis Lucullo fuit; quam frigora, quæ obtendebantur. Mithridates novum exercitum cogit. Appianus. Phlegon. ap. Photium. Diod. lib. 35.

LXIX. Igitur non ante mediam æstatem motis castris, quum persequendi Tigranis caussa Taurum transcendisset, licet opinione sua fallus, in plana deduxit exercitum. Quam enim ille messem ob anni tempus jam maturam adepturum existimaverat; adhuc in herba erat, propter cœli asperitatem tardius ibi canescente segete. Quapropter ut ad prœlium eliceret hostem, vastare partem regionis cœpit: & nihilominus cunctantibus Armeniis, ad illorum castra contendit. Erant illa in colle quodam sita, ubi peditatum omnem cum parte equitatus Mithridates continebat: cum reliquis equitibus Tigranes frumentatoribus insidiatus, Lucullus Taurum transcendit. Plutarch. Lucullo. Appian. Plutarch. Diodor.

bis terve repulsus à Romanis est; levi cum jactura hominum, quia Romano superior barbarus equitatus, simul accedere pedites senserat, vertebat terga, fugamque inibat hostibus damnosiorem, emittendis à tergo sagittis, multosque aut interficiebant statim, aut gravissimis adficiebant vulneribus.

Descriptio sagittarum aculeos in corpore relinquentium.

LXX. Duplices enim aculeos illorum sagittæ habebant, sic aptatos, ut si arundinem velleres, una tantum ferri particula sequeretur, altera, quod prehendi trahique non posset, cæca peste corpus ad perniciem ureret. Neque pœnitet, quo clarius intelligatur ejus ingenii ratio, rem ex usu remotam, præterea perquam obscure traditam, pluribus verbis & manifestioribus exposuisse. Præfixum arundini ferrum non erat solidum, sed duabus ex laminis ita compositum, ut altera fibulam haberet qua ligno adnecteretur, altera huic sic jungeretur, ut coiret in unius aculei speciem; cæterum leviter tantum esset alligata, quo emitti quidem arcu posset, & simul penetraret in vulnus; sed tracta evulsaque sagitta, hamulis suis retentum facile se vinculo educeret.

Lucullus Artaxata petit. Plutarch. Diodorus.

LXXI. Cæterum illæ, quamquam modicæ victoriæ, submovebant tamen hostem, vicosque liberius populandi copiam Lucullo faciebant. Atque ille intercepto, qui Regibus apportabatur, commeatu, quam timuerat inopiam, in eam hostes redegit. Reges tamen nulla re ad universum certamen eliciebantur, quum nihil intentatum Lucullus reliquisset; etiam castra circumvallare orsus. Igitur annona jam deficiente, quum præterea milites, qui inter levia certamina sagittis vulnerabantur, aut inter curandum morerentur, aut mutilarentur membris: Artaxata versus instituit iter, ubi Regia Tigranis, & cum parvis liberis uxores erant.

Prœlium committit cū Tigrane.

LXXII. Igitur quod quæsitum à Lucullo fuerat, Tigranes obviam progressus, quarto die ad Arsaniam fluvium ostendit se Romanis, qui transeundus erat Artaxata petentibus. Quum prœlium instaret, Lucullus egregie litato, tamquam certus de victoria, duodecim cohortes in fronte statuit: reliquos ne circumveniretur à multitudine hostium, collocavit in subsidiis. Nam multum lectumque equitatum in adversa acie conspiciebat: sagittarii erant equites Mardi, & hastati Iberi, cujus generis auxiliis Tigranes plurimum confidebat. Nullam tamen insignem ediderunt pugnam: sed cum equitatu Romano paulisper velitati, simul succedere peditem viderunt, in fugam dissipati sunt.

Et egregie vincit. Diodor. Plutarch.

LXXIII. Ostenderunt se deinde Armenii, proprius Tigranis miles; egregia specie armorum virorumque. Idcirco Lucullus jussis acciri equitibus, qui primo prœlio pulsos insequebantur; ipse adjuncto promptissimo quoque oppositos sibi Atrapatenos invasit, eo terrore, ut priusquam ad manus veniretur, hostes solutis ordinibus fugerent. De tribus Regibus, qui ei pugnæ adfuerant, turpissime fugit Ponticus Mithridates (nam & Medo Mithridatis erat nomen) quum ne clamorem quidem hostium sustinuisset.

Sed victoriæ fructum tempus anni negat. Phlegon. apud Phot. Plutarch.

LXXIV. Reliqua parte diei, totaque deinceps nocte, cæsi captique fugientes sunt; maximaque relata spolia, donec fatigatus persequendo miles conquievit. Plures priore prœlio hostes, hoc insigniores, morte aut captivitate desiderati sunt. Præter ignobile vulgus, de robore exercitus quinque millia occiderunt; capti aliquanto plures sunt. Attamen victoriæ fructum Lucullo, quum speraret amplissimum, tempus anni & natura locorum inviderunt. Sub æquino-

ctium frequentes nives gelu jam adstringebant flumina: ea præcipuè equis infesta res erat, quibus & insalubris rigore potus fiebat, & inter transeundum rupta glacie crura convulnerabantur.

LXXV. Neque exercitui faciles aut dies iter facienti erant, aut noctes in humenti solo sylvosisque locis stativa habenti. aliquot tamen dies militum patientia tenuit: inde per tribunos Imperatorem deprecati, quum nihil proficerent, tumultuosius egerunt; frustra obtestante Lucullo, *hunc saltem extremum laborem sumerent, donec infensissimi hostis monumentum, velut alteram Carthaginem evertissent*. Et miles laborem gravatur.

LXXVI. Nam Artaxata condendi auctor Annibal Pœnus fuerat, quum ad Artaxiam Armeniorum Regem profugus patria se contulisset. Igitur per alia juga quam venerat reducto cis Taurum exercitu, imminente hyeme Mygdoniam intravit, fertili amœnitate, Nisibique urbe (*Antiochiam Mygdoniæ* Græci vocant) nobilem. Lucullus in Mygdoniam intrat. Orosius, 6. 3. Diodor.

LXXVII. Eam Parthis quum ademisset Tigranes, thesaurorum suorum, aliarumque rerum quas diligenter adservari oportebat, custodiam fecerat, Gura fratre præposito. Eodem nuper Callimachus venerat, diu defensi contra Lucullum Amiso notior. Oppugnabat urbem acriter Lucullus: sed munita duplici muro lateritio non vulgari crassitie, fossaque altissima, quæ & machinarum vim omnem, & cuniculorum dolos à muro defenderet, expugnari nequibat. donec, quæ rerum humanarum est fragilitas, hyems superveniens, exploratam prope spem salutis in pestem & exitium Nisibenorum vertit. Nisiben oppugnat. Plutarch. Diodor.

LXXVIII. Obsessi enim, nihil credentes certius, quam propter anni tempus paulo post abituros Romanos esse, negligentius agebant excubias: quum Lucullus observata nocte illuni, quam insuper pluviæ & tonitrua exsurdaverant, ad m . um aggressus est. Oppidani quidlibet potius præstolari, paucis admodum in exteriore muro & ad fossam quæ post illum erat, relictis, in urbem concesserant. Igitur per aggeres, quos ante murum jecerat, deinde scalis adhibitis in mœnia enisus, custodibus facile oppressis, *fossæ partem* (pontes enim barbari removerant) *ingesta terra compleri* jubet. Capitque:

LXXIX. Quod ubi majori cum labore quam periculo perfectum est, quia neque sagittas neque ignes jacere barbari pluvia utrumque impediente poterant; alter quoque murus, qui priori haudquaquam firmitudine comparandus erat, superatus est. Urbe sic capta, Guras qui in arcem confugerat, cum cæteris fide accepta in potestatem venit; comiterque est ab Imperatore habitus. Diversa Callimachi sors fuit, quem licet maximos thesauros absconditos indicaturum promitteret, compedibus vinciri jussit, pœnas daturum, quod desperata Amisi defensione fugiens, oppidum incendisset. Arx à fratre Tigranis deditur. Eutropius. Diodorus. Plutarch.

LXXX. Tanta felicitate capta Nisibis, non solum magnis opibus ditavit Imperatorem, sed etiam fatigatis labore & frigore copiis abundantissima hyberna præbuit. Dum in Armenia L. Lucullus Mithridatem & Tigranem & immensas utriusque Regis copias pluribus prœliis fundit; L. Cæcilius Metellus Proconsul cum tribus legionibus in Cretam est provectus. Cretenses victo Antonio legatos Romam miserant, magna spe fore, ut non antiquis modo legibus amicitia redintegrari posset, sed etiam ultro aliquod beneficium adjiceretur, ob servatum L. Metellus Cretensibus bellum infert. Diodor. Liv. Epitom. Phlegon. ap. Photium. Eusebius. Dodor. Fulvium. Ursin.

Cretenses adacti ad arma.

comiter Quæstorem militesque Romanos, qui in potestatem illorum pervenerant.

Legatio Cretensium Romam. Diod. apud Fulv. Ursin.

LXXXI. Atqui apud Romanos plus irarum erat, quod Cretenses non essent dediti, quam gratiæ, quod deditis pepercissent. Nihilo tamen secius legati (triginta ex senioribus missi principes erant) obeundo sigillatim Senatorum domos, blandisque sermonibus utendo, partem Patrum in sententiam suam traxerunt. In Curiam deinceps introducti, quum aptè refutatis criminibus, quam enixe omnibus bellis populi Romani Imperatores adjuvissent, exponerent; motus est Senatus, ut *populi Romani socios amicosque Cretenses appellandos esse* censeret.

Duræ conditiones propositæ Cretensibus. Diodor. Appianus.

LXXXII. Ei Senatusconsulto P. Lentulus Spinther intercessit, adnitentibusque aliis inclementius Senatusconsultum factum est: *captivi omnes, transfugæque* repetiti: *pecuniæ talenta quatuor millia, naviumque majorum usque ad quatuor scalmos, & treceenti insuper obsides* postulati: *Lasthenesque & Panaris* imperata *deditio*. Nec expectatum donec suorum sententiam legati exquirerent, alterique Consulum ea decreta provincia est, ut jussa recusantes vi ad obsequium cogeret.

Deliberatio Cretensium. Ascon. in Cornelian. Appianus. Diodor.

LXXXIII. Simul quia non obscurum erat, legatos operam daturos, ut intercessores pretio pararent, Senatusconsultum factum est, *ne quis Cretensibus pecuniam crederet*. Histam duris imperiis in insulam perlatis, anxia erat & sollicita deliberatio. Seniores *vim Romanam* veriti, *quam ne maximi quidem Reges potuissent sustinere*, omnia quam bellum malebant: Lasthenes ejusque factio, quibus præcipuè auctoribus bellatum cum Antonio fuerat, timentes ne dederentur, populum commovebant; *ab omni memoria retentam libertatem prodi* vociferantes. *præterea absurdum indignumque esse, si quod rebus integris nunquam facturi fuissent, id bello superiores post insignem victoriam facere sustinerent*.

Et bello placente delectus. Vellei. 2.34. Cic. Ver. 2.31. Xiphilinus. Cic. divin. cap. 8. Phlegon. ap. Photium. Cic. pro Muren. c. 38.

LXXXIV. Facile persuaso vulgo delectus habiti, & ad viginti quatuor millia coacta egregiæ juventutis, & tam pernicitate corporum, quam laborum patientia, sagittarumque usu, præstantissimæ. Ita conflatum bellum Creticum fuit, culpa haud minima C. Hortensii, qui tum designatus provinciam eam sibi destinabat. Sed idem postea Consul, quum sortitus Cretam esset, amore Urbis & judiciorum, in quibus regnabat, Metello exercitum provinciamque transdidit. Metellus quum fecisse exscensionem, accurrentem sibi eum copiis in Cydoniatarum agro Lasthenem primo adventu fudit: & ex eo prœlio *Imperator* appellatus, incolas intra Cydonia mœnia compulsos obsidione clausit. Ei tum oppido Panares præerat, quod elapsus fuga Lasthene Cnossum petivisset.

Tigranes & Mithridates multa recuperant. Liv. Epitom. Diod. lib. 35.

LXXXV. Inter hæc Lucullo ad Nisibin, neque magis in vincendis hostibus, quam continendis suis occupato, magna pars Armeniæ, Pontique à Regibus abstracta est. Etenim Tigranes, quod munimentis Nisibis confideret, in alia verterat impetum, pullumque L. Fannium, receptis quæ ille tenuerat plerisque, in munito quodam loco circumsedit. Sed ille quidem Luculli auxilio exemptus est. Mithridates cum quatuor millibus suorum militum, totidemque submissis à Tigrane, minorem Armeniam, vicinasque ei regiones obiens, multos Romanorum necopinantibus superveniens interficiebat; permultis oppidis castellisque magna celeritate recuperatis.

Appianus. Mithridat. Diodor.

Fabius Adrianus vincitur à Mithridate.

LXXXVI. Nam hominum animos ei non adsuetudo tantum parendi, & morum originesque communio conciliabat; sed etiam hostium vitia. quippe relicti à

Lucullo, ut victas provincias & jam Romanas tuerentur, negligenter & avare se gerebant. perniciosum id M. Fabio Adriano fuit, locis illis præsidii caussa cum parte copiarum relicto. Ille speculatum præmiserat Thracas, qui prius apud Mithridatem meruerant stipendia, atque iterum in partes illius inclinabant. Igitur quum nihil sani renunciassent, Fabium cum militibus longius progressum, Mithridates ex improviso est adortus: & Thraces inter prœlium mutata fide Romanam aciem exterruerunt: amissisque circiter quingentis militibus, Fabius in castra sua se recepit. Eutrop. Diodorus. Appianus.

LXXXVII. Postridie data servis, quotquot aderant, libertate, denuo eduxit copias; totumque fere diem dubio Marte certavit: donec servi ad Regis partes, qui & ipse promittebat libertatem, transeundo, extremum in periculum adduxerunt rem, deletæque Romanæ copiæ forent, nisi Mithridates, dum inter primos pugnat, licet septuagenario maior, lapide in genu, sagitta sub oculo saucius, curam suis iniecisset. Idcirco his inter trepidationem cessantibus, Fabius cum reliquis militum evasit; neque prius desiit fugere, quam munimenta Cabirorum attigisset. Mithridates vulneratur. Diodorus. Appianus.

LXXXVIII. Mithridates ob sua suorumque vulnera multis diebus quiete transmissis, donec ab Agaris Scythica gente, qui serpentum virus curationi vulnerum adhibent, persanaretur; adducto ad Cabiram exercitu M. Fabium cœpit obsidere. Sed illum improvisa sors ita servavit, ut vicissim depulsis ab hoc calamitatibus implicaret servatorem. C. Triarius ex Asia, ubi nuper direptam ab Athenodoro Delon muro cinxerat, ad Lucullum proficiscebatur. Is audito Fabium obsideri, contractis undique quantas potuerat copiis, ad eum obsidione liberandum properans, terruit Mithridatem, ut priusquam veniret in conspectum (justum enim exercitum Romanum adduci putabat) omissa obsidione discederet. C. Triarius Fabium obsidione liberat. Appianus. Phlegon. ap. Photium. Cic. pro L. Manil. cap. 8.

LXXXIX. Neque pulso contentus Rege Triarius, recedentem longius in Commagenos usque persequutus, acie vicit. Quum enim, ut fessis ex itinere hostibus occurreret; flumine quod in medio erat, cum parte copiarum transito, cæteris *ut per alium pontem subsidio sibi venirent*, Mithridates præcepisset; pugna commissa dubioque eventu tracta, exspectatum Regi subsidium procella, quantam vix vidisse quisquam meminerat, intercepit. Per hanc in utrisque castris disjecta sunt tentoria, jumenta in transversum acta, militum etiam quidam rapti præcipitatique. Et Mithridatem acie vincit. Appianus.

XC. Eadem pontem sub mole transeuntis exercitus laborantem abrupit, exterritumque Regem excedere prœlio coëgit. Sed eadem tempestas, quæ fugæ caussa fuerat prohibitis sequi Romanis, tutum Regi abitum præstitit. Jam hyems aderat. igitur nulla præterea re tentata, in hyberna discessum est. Vere demum reddito, quum M. Acilius Glabrio, C. Calpurnius Piso Consulatum gererent, Mithridates ad Gazivra, veterem Ponti Regiam, castris Triario oppositis, Romanos pugnam detrectantes, tum aliis rebus, tum in conspectu eorum exercendo suos, provocabat: quo priusquam Lucullus adventaret, his, uti sperabat, superatis, recipere Regnum atque constituere posset. Gravis tempestas. Strab. lib. 12. Diodorus. Urb. cond. Ann. 686. Mithridates iterum lacessit Triarium.

Mithr. victor Triarii vulneratur.

Et tandem ad pugnam allicit. Strab. lib. 12. p. 370. Appianus. Plutarch. Lucul. cap. 72. Hirtius de B. Alexandri. cap 72.

XCI. Quietis ad hæc Romanis, partem copiarum ad oppugnanda Dadasa misit, quo in castello impedimenta exercitus sciebat adservari. Hæc ei ratio processit, invitumque ducem coëgerunt milites expedire, *ni faceret, injussu ejus ad sua defendenda ituros* minati. Alii, *quo ante Lucullum cum Rege confligeret, gloriamque reportaret victoriæ, festinasse Triarium tradiderunt*. Quo tamen falleret hostem, per tenebras profectus, jamque castello adpropinquans, in excubias Regis incidit, paulo longius millibus passuum tribus ab oppido Ziela, quod antiquitus Persicorum deorum cultu celebre, ab illa clade Triarii, magnam deinceps in illis partibus nobilitatem habuit.

Vincitque. Strabo. Plin. Appian. Diodorus.

XCII. Cum his contractum ante lucem certamen, quum totam Mithridaticarum virium molem attraxisset; multitudine barbarorum, & initium victoriæ faciente Rege, circumventa Romanorum acies est, multique in loco interfecti, multos quum in campos se recepissent, ignari fluminis partem (Iris per ea loca labitur) in eos derivatam esse, compulsos in cœnosam fossam, quia repugnare lapsantibus vestigiis nequibant, impune cecîdit hostis. Nec effugisset quisquam; nisi persequentem equites Mithridatem centurio Romanus atroci vulnere in femur adacto stitisset.

Sed ipse per insidias atrociter vulneratus. Diodorus. Appianus.

XCIII. Transfugæ Romani apud Regem multi erant. ex eo genere hunc etiam esse juxta equum suum diu currentem conspicatus crediderat: deinde se præbuerat tamquam dicere aliquid cupienti. Percussor è vestigio concisus est à proximis. Regem in extremum agmen amici receperunt, signumque dederunt receptui. Milites subita re perturbati, postquam vulneratum esse Regem audierunt, interfectum rati; statim in campo circumdederunt lecticam.

Alios insidiatores bello stratagemate deprehendit. Plutarch. Appianus. Diodorus.

XCIV. Igitur ut spirantem cognoscerent, Timotheus Medicus jam cohibito sanguine refocillatum, de superiore loco ostendit. Rex simul ad se rediit, signum receptui datum tulit graviter, eademque adhuc die ad castra Romana duxit. Sed illa quoque fugâ jam deserta erant. *Quum spoliarentur mortui, tribunorum quatuor & viginti, centurionum centum quinquaginta* dicuntur *agnita cadavera; militum quoque Romanorum plus septem millia cecidisse*. At Mithridates percurato vulnere, plures hoc genus insidiatores in castris suis agere suspicatus, convocatos milites *subito in contubernia* jussit *discedere*; quod quum esset factum, & Romani quo se reciperent non haberent, deprehensi, supplicioque adfecti sunt.

Aliæ itidem adversus eum insidiæ deteguntur. Appian. Diodorus.

XCV. Inde regressus in minorem Armeniam, quo adventanti Lucullo inopiam commeatuum faceret, absportata quanta poterat annona, quod erat reliquum corrumpebat. Tum detectæ sunt aliæ adversus Regem insidiæ, ab Attilio paratæ, Romano Senatore ex proscriptis. Eum Rex pristinæ dignitatis reverentia torqueri non passus, simplici morte; cæteros qui cum eo conspiraverant, excruciatos necavit: libertos homines dimisit illæsos, *debuisse illos patrono morem gerere* præfatus.

Luculli milites succensent Imperatori. Diodorus. Plutarch.

XCVI. Castris deinde circa Talum aspero & mutuoso situ positis Lucullum exspectabat. Neque defuit ille accedere, castra coniungere castris, modisque omnibus ad pugnam barbaros elicere. Contra Mithridates suos intra munimenta continebat, Tigranem opperiens Et per eosdem dies alius Mithridates Mediæ Rex palantibus forte Romanis ex improviso superfusus, multos intere-

mit. Hæc omnia semel exacerbatis militum animis, augebant iras; seditionesque alias super alias excitabant. Erant jam ab initio male erga Lucullum affecti milites, quod per duas continuas hyemes, ad Cyzicum prius, deinde ad Amisum, sub pellibus eos attinuerat. Sed & cæteram militiam sic exegerant, ut aut inter hostes esset hybernandum, aut sub dio tendendum apud socios. nam in oppidum Græcum & pacatum numquam hyemandi caussa intulerant pedem.

XCVII. Ad hæc ipsius Luculli inter maximas viri virtutes desiderabatur comitas; adeo non parata vulgo, ut nec pari quidem dignitate viris exhiberetur, quos despiciebat præ se atque contemnebat. Nec erat omnino ab imperii & pecuniæ cupiditate immunis. Hæc etiam in Urbe à Tribunis plebis, & L. Quintio Prætore, qui & ipse in tribunatu adversatus Lucullo fuerat, taxabantur. A. Gabinius ad augendam invidiam, villam Luculli pictam explicabat in concionibus; ipse mox ædificaturus longe pulchriorem: nec ante desierunt, quam *imperii diuturnitati modum statuendum esse* populo persuasissent: eiusque scito *Valerianæ legiones, quod jam completis stipendiis essent, dimitti* juberentur, sed nihil æque milites adversus Imperatorem animavit, quam P. Clodii sermones, jam in Nisibenis hybernis. Nonnulla ipsius culpa. Cic. pro Sext. cap. 43. Plutarch. Diodorus.

XCVIII. Is uxoris Luculli frater erat, perditus adolescens, & præter cætera flagitia incestu sororum infamis. Idcirco aliis se postponi sentiens, quum esset primi loci cupidissimus, milites, præsertim Fimbrianos illos, seditiosis vocibus instigabat; illorum fortuna, cum his, qui sub Pompeio militassent, conferens. *eos Luculli stipare camelos & plaustra auratis gemmatisque onusta poculis; contra Pompeianos domi cum uxoribus, & liberis copiosam tranquillamque vitam agere, fertili agro donatos: quamquam illi neque Mithridatem, neque Tigranem in solitudines invias exegissent; sed in Hispania cum exsulibus, in Italia cum mancipiis habuissent negotium.* Sed magis P. Clodii malitia. Diodorus. Plutarch.

XCIX. *Quod si igitur nulla sit umquam speranda missio, at illi potius Imperatori quod reliquum esset vigoris fervent, qui summum suum ornamentum esse existimat militum divitias.* Hoc genus susurris ita corruptus exercitus est, ut nec in Tigranem cupientem ducere Lucullum, nec in Mithridatem sequeretur. Hyemem caussati, tempus in Gordyena trahebant, successorem Luculli opperientes. Ad famam deinde cladis Triarianæ, cujus ne nuncius quidem penetrare potuerat, pudore moti sunt, ut signa sequerentur. Postea Triarium, quum à militibus ad necem quæreretur, clam eripuit Lucullus. Ejusque seditiosi susurri. Cicero. Plutarch.

C. Hæc res iterum offendit contumaces animos: auditoque *venire successorem Lucullo Consulem Acilium, cui lege Gabinia Bithynia & Pontus data erant, missasque Valerianas legiones esse*; Lucullum pro privato habere cœperunt contemptui. Nam & ipse Acilius vulgari per populos jusserat, *Populum Romanum Lucullo finisse imperium: discedere jussisse milites, pœna quoque addita, ut manentium bona publicarentur.* Has inter augustias, & quia audito *Q. Marcium Regem Proconsule per Lyconiam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere*, cohortium aliquem numerum frustra ab illo petierat, Tigrani qui *cum maximis copiis juncturus se Mithridati* ferebatur, statuit occurrere: ea potissimum spe, ut si fatigatum itinere nec opinantem vicisset, reperturum se aliquam ad placandos militum animos viam confideret. Successor Lucullo venit Acilius Glabrio. Diodorus. Sallust. Hist. 5. 51. Appianus. Mithrid.

Lucullus suppliciter rogat exercitum. Epitom. Liv. Plutarch.

CI. Sed milites aliquousque sequuti, postquam in Cappadociam iri viderunt, ne voce quidem ulla emissa, retro verterunt agmen: & Valerianæ legiones, *impleta à se stipendia dicentes*, Lucullum relinquerunt. Hic ille nihil non indignitatis subiit, prehendendo singulos, rogando universos, tentoria cum squalore & lachrimis obeundo, ut contumaciam eorum flecteret. At illi manus tendentis preces aversati, vacuas ostentabant zonas, *solum* jubentes *dimicare cum hostibus, ex quibus solus sciret ditescere*: donec reliquo jam exercitu iungente preces, hactenus expugnati sunt, ut *ea adhuc æstate mansuros* promitterent: *quod si nulli interea comparuissent hostes, discessuros à signis* prædicerent.

Glabrio interim cunctatur: Cic. pro 1. Manil. c. 2. & 5 Diodorus.

CII. His oportebat adquiescere Lucullum, qui alias facile mederi acceptis incommodis potuisset; & interea vastari à Tigrane Cappadociam, recipi à Mithridate Pontum pati: quod tamen dedecus ita dissimulabat, ut *propinquo jam Glabrione nullas in eo suas partes esse* diceret. quum vicissim Glabrio, cognitis Luculli rebus, ex magna festinatione cunctantor factus, in Bithynia desideret. Quintus etiam Marcius, nullis ad Lucullum missis militibus, quod *eos ad illum nolle proficisci* diceret, quum in Ciliciam venisset, Menemachum quemdam à Tigrane deficientem recepit: & Clodium Lucullo deserto ad se venientem præfecit classi; nam alteram Clodii sororem in matrimonio Marcius habebat.

Clodius captura piratis. Strab. lib 14. Appianus. lib 2 Civil. Diodorus. Diod. lib. 38.

CIII. Sed Clodius captus à piratis, ad Ptolemæum Cypri Regem misit, *pretium redemptionis* petens. Allatum est; sed adeo parcum & illiberale (talenta duo erant) ut piratas accipere puderet. Igitur remissa ad Regem pecunia, Clodium sine pretio, Pompeii, ut creditur, metu, dimiserunt: quæ res postmodum exitiosa Ptolemæo fuit, Clodio suam, ut putabat, injuriam in Tribunatu crudeliter vindicante. Sed is quidem liberatus à prædonibus, quum quiescere turbulentus & audax animus nequiret; Antiochiam Syriæ pervenit; tamquam adversus Arabum Regem Aretam bellum gerentibus auxilio futurus: atque ibi etiam quum seditiose ageret, propemodum interfectus est.

Diod. lib. 35.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri XCIX. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



. Metellus Proconsul Gnosson, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas civitates expugnavit. L. Roscius Tribunus plebis legem tulit, ut Equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. Cn. Pompeius lege ad populum lata, persequi piratas jussus,

qui

qui commercium annonæ interclusera nt; intra quadragesimum diem toto mari eos expulit, belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros & urbes dedit. Præterea res gestas à Q. Metello adversus Cretenses continet: & epistolas Metelli & Cn. Pompeii invicem missas: Queritur Metellus gloriam rerum ab se gestarum à Pompeio sublatam præteriri, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius rationem reddit, hoc se facere debuisse.

INTERIM in Creta Q. Metellus Proconsul prosperis rebus usus, multas in potestatem civitates redegit. Cydonia Cretæ metropolis, quæ hodie sub Caneæ nomine Turcarum imperium, erepta Venetis patitur, post obsidionem aliquamdiu toleratam à Panaxe est dedita, impunitatem veniamque delictorum pacto. Inde transductus Gnossum exercitus, ubi domicilium Lasthenes habebat. Sed ille sedibus cum omni supellectile concrematis, ex oppido profugit. Illo deinde similiter dedito, Lyctus; & hac recepta, pleræque aliæ civitates, & castella in fidem venerunt. Sed in Asiam Pontumque missi a Senatu populoque Romano decem legati (quia *debellatum cum Mithridate* Lucullus scripserat) postquam in castra venerunt, res repererunt turbatas, & Imperatorem præ militum insolentia ne sui quidem potentem.

Cretensis victoria Q. Metelli. Liv. Epitom. Appian. apud Fulvium Ursin. Florus. Plutarch. Lucullo c.71. Diod. lib. 36.

II. Nam illi, postquam æstas, in quam promiserant operas, transiit; sumptis armis, strictisque gladiis egressi provocarunt hostem. & postquam comparebat nemo, diu enim ante ille se receperat, *impletam* testati *fidem quam Lucullo dedissent*, præter exiguum aliquem numerum, castra reliquerunt. Lucullus, quod aliter se facere non posse videbat, Valerianas legiones dimisit; cæterorum militum quod erat turbulentius, Glabrioni tradidit; alios, quibus nihil erat domi, quod neglecto plebiscito adimeretur, aliquanto æquiores sub signis continuit.

Lucullus militum plerosque dimittere cogitur. Appian. Mithrid.

III. Eodem anno Romæ L. Roscius Otho Tribunus plebis legem tulit, *ut Equitibus Romanis in Theatro quatuordecim ab orchestra citimi gradus adsignarentur. excepto tamen, siquis artem ludicram exercuisset, aut suo fortunave vitio decoxisset, ut minorem quadringentis rem haberet*. Fuit illa lex gratissima plerisque Equitum, cuius ordinis dignitatem adaugebat; populo graviter ferente discrimen sedis, quum antea promiscue plebs Equitesque spectassent. A. Gabinii Tribuni plebis lex *de Piratico bello*, quemadmodum majorum rerum habebat molimina, solicitum Senatum habuit.

Lex Roscia Theatralis. Vellejus. 2.32 Liv. Epitom. Diodorus. Quintil. Cic. Philip. 2. 17. Cic. pro Murena cap. 19.

IV. Sane non erant exiguæ caussæ, cur ad bellum istud summis viribus capessendum properari oporteret. Ita enim Piratarum invaluerat quasi quædam Respublica, ut jam multi magnis opibus & claro genere viri, ad hoc prudentiæ laude celebres, nomina societati darent. Igitur classes prædatoriæ per maria oberrabant, non solum multitudine & robore sociorum navalium, & gubernatorum arte terribiles; sed etiam magnifica ornamentorum specie plus prope, quam doloris onerentes intuentibus. aureis columellis, purpureis cortinis adornatæ naves, inargentatis remis movebantur: tibiæ cantuque & compotationes circum litora erant, & inter hæc principum virorum, interdum matronarum quoque ac virginum captivitates, urbium oppressarum redemptiones, insignia imperii Romani probratrequentabantur.

Piratarum potentia. Cic. pro red. in Senat. cap. 5. & pro L. Manilio c. 17 Plutarch. Pompejo. cap. 37.

Et maleficia: Cic. pro L. Manil. cap. 19. Plutarch. Æmil. cap. 39. Pausan. lib. 2. Arnob. lib. 6.

V. Usque ad mille naves numerabant: oppida plus minus quadringenta ceperant. Tum & ab omni antiquitate sanctæ inviolatæque ædes & oracula profanata ac direpta sunt: Colophone capta, Clarium; Didymæum apud Milesios, & in Samothrace Castorum, & juxta Hermionem in Peloponneso Chthoniæ Cereris fanum, & Æsculapii templum ad Epidaurum, tria quoque Neptuni, Isthmicum, Tænarium, & quod erat in Calauria: duo Apollinis, alterum Actii, alterum Leucade: tria Junonis, Samium, ipsa quoque urbe capta, Argivum, Lacinium.

Etiam in Italiæ ora. Cic. Plutarch. Appianus Mithrid.

VI. Nam non longinqua modo, sed etiam Italiæ intuta ora erat & sæpe exscensione facta, militares viæ latrociniis infestabantur; adsitæque divitum villæ direptioni & prædæ erant. Tantusque jam erat metus, ut etiam exercitus Romani Brundisii numquam nisi summa hyeme transmitterent; legati populi Romani pecunia redimerentur; duodecim secures, cum Prætoribus Sextilio & Bellieno, in prædonum potestatem pervenirent; portus Caietæ celeberrimus atque plenissimus navium, inspectante Prætore, diriperetur; ad Ostiam classis ea cui, Consul populi Romani præpositus esset, opprimeretur; ex Miseno abriperetur M. Antonii filia, eius ipsius, qui cum prædonibus antea bellum gesserat, rus forte exspatiata.

Eorumdem ludibria in cives Romanos. Appianus. Plutarch.

VII. Et acerbiora malis ludibria erant. quippe ubi quis exceptus *Romanum se civem esse* testabatur, femur feriebant, tamquam timore perciti, genibusque ejus accidentes, orabant *errori veniam*. mox aderant qui calceos inducerent homini, togamque darent, ne videlicet ignotus ultra civis Romanus esset. Ubi tandem ludibriorum eos satietas cœpit, scalis ab ora navis in mare dimissis *abire* jubebant *incolumem*: cunctatum, & resistentem præcipitabant. Ob hæc pericula quotidie res frumentaria in Urbe fiebat deterior, & ingens erat in tanta hominum turba famis & inopiæ metus.

Gabinii lex de Piratico bello. Appianus. Plutarch. Diod. lib. 36.

VIII. Nec erat facile bellum in homines subito magnis navigantes classibus, eosdemque ubi voluissent, tamquam momento disparentes, & in latebras non inaccessas modo, sed etiam incognitas aliis dilapsos. Neque Murena igitur coërcere licet victos potuerat; neque majori deinceps mole per aliquot continuos annos incumbens Isauricus. Igitur magno plebis applausu legem Gabinius promulgavit, *ut ex omni Consularium numero unus deligeretur, cui imperium in triennium esset: idemque legatos quotquot ex usu fore putaret, adscisceret.*

Ad Pompeii potentiam augendam pertinens. Plutarch. Velleius 2. 31. Diodorus.

IX. Idne Pompeii voluntate Gabinius, an ultro fecerit, ut tanti viri aucuparetur gratiam, incertum est: illud certissimum, non esse inductum amore Reipublicæ, quam homo pessimus in nullo numero ducebat. Licet autem nominatus in lege Pompeius non erat; dubitari tamen nequibat, quin ante omnes illum electurus populus esset. idque simul atque recitata lex erat, apparebat futurum esse; cunctis statim ad Pompeium respicientibus. sed Patres, quamquam in M. Antonio similem ante potestatem tulerant, partim æmulatione, plures metu correpti, ne acceptum semel imperium Cn. Pompeius quamdiu vellet retineret; ita resistebant, ut potius omnia piratici furoris incommoda, quam istam legem passuri viderentur.

Cui repugnant Patres; Velleius. Appianus.

X. Quippe totius pæne terrarum orbis imperium uni viro deferebatur, quod adscriptum legi erat, *uti toto mari, & ad quinquagesimum à mari mil-*

Pompeio confertur immensum imperium.

liarium. Proconsularem potestatem haberet: Reges nationesque omnes auxilia petenti mitterent: pecuniæ quantum vellet ex ærario & à publicanis sumeret: militum sociorumque navalium delectus suo arbitratu haberet. Igitur tanta contentione pugnatum est, ut parum abfuerit, quin Gabinius in ipsa Curia discerperetur. Quod ubi forensis turba comperit, impetu in Senatum facto, cæteris salutem fuga tutantibus, C. Pisonem Consulem corripuit, qui forte in altercatione Pompeio dixerat, *Romuli sequentem vestigia, non effugiturum illius exitum esse.*

Plutarch.

XI. Territi periculo Patres, nam Consulem exsilio proximum vix servare Gabinius potuerat, abstinuere contentionibus: cæterum sæpe usurpato remedio contra vim Tribunitiam ex collegio intercessores cœperunt quærere. Duo tantum reperti, cæteris metu deterritis, L. Trebellius, L. Roscius. die comitiorum Pompeius imperandi cupiditatem ficta modestia tegens, quum appetitam potestatem invidiosam fore, tamquam recusanti ingestam honestissimam cerneret; huiusmodi orationem orsus est.

Pompejus ficta modestia.

XII. *Gratias equidem pro benevolentia vestra vobis ago, semperque agam, Quirites, quorum in me ornando perpetuo indefessa studia fuerunt. Cæterum & vobis in tribuendis honoribus imperiisque, & mihi in accipiendis modus aliquis esse debet. Quæ populi Romani principes omni ævo vix post longam ætatem consequuti sunt, ea in me prope puerum, certe adolescentem congessistis. Quibus annis tirocinium esse aliorum solet, Imperatorem agere coactus, vix umquam postea interquievi, quum cæteras continuas expeditiones, gravissimum & diuturnum cum Sertorio bellum excepisset. Neque annos meos computaveritis: stipendia potius numerate; & quem longissimæ vitæ spatio fructum ex homine sperare potuissetis, jam ex me captum esse reputate.*

Provinciam eam deprecatur.

XIII. *Non potest à mortalium conditione postulari, ut si ante annos robur aliquid ostenderunt maturitatis, idem ad ulteriora vitæ tempora perferant. Etiam fructus paulo præcociores minime durabiles sunt. & animalia quorum magnitudo viresque velox incrementum habent, citius consenescunt. Quod si forte robur animi corporisque nondum ita consumptum esset, ut periculis laboribusque belli huius impar existimari deberet; invidiosum tamen erat inter tot egregios viros ad me potissimum populum Romanum respicere. Magnum est & intolerabile æmulationis onus, cui se quum potest subducere, humeros nemo prudens subiecerit.*

Anteactos labores, & invidiam obtundens.

XIV. *Igitur jampridem haud minus honorum laborumque, quam invidiæ satur, Consul, uti meministis, iuravi,* nullam in provinciam ex eo magistratu iturum: *idque servavi. Nunc exsolutis, ut spero, quæ patriæ debebantur, rem me non arduam nec iniquam à vobis puto me petere, ut aliquando bellicis laboribus vacuum, mihi meisque sinatis vivere. Neque Rempublicam prætexueritis, non ita oderunt negliguntque Romam dii, ut non habeat multos, quibus eadem sit peritia rei militaris, idemque in patriam amor. quorum ego nominibus abstineo, & quia vos non possunt fallere, & quia nolo dicta mea sic accipi, tamquam potius in gratiam singulorum, quam ob utilitatem publicam essem loquutus.*

Et esse alios his negotiis pares. Vellejus. 2.31. Diodorus. lib. 36.

XV. Tacentem post ista Pompeium, A. Gabinius Tribunus plebis sic excepit. *Rem plane dignam moribus suis Pompeius facit, imperium quod offertur recusando. Nec enim boni viri est, omnes promiscue honores appetere; nec prudentis, nisi re prius considerata, tantæ molis suscipere negotium. Igitur hunc ego quidem minime reprehendo, Quirites: vos hortor, ut potius ad ea quæ publice sunt utilia,*

A. Gabinius Pompeio respondet.

quam quæ gratiora Pompeio sunt, respiciatis. Sane indulsit tibi patria Cn. Pompei, ut confecto Hispaniensi bello quietum Consulatum ageres; deinde jam tertium in annum, non invidendo post tot labores otio reficereris.

Illum satis quievisse dicit.

XVI. *Sed tuæ vicissim virtutis, tuæque æquitatis est, ut tam benignam atque indulgentem patriam iterum audias, non ad translatitii cujusdam belli labores, quibus & alii multi pares esse possunt, revocantem; sed ad liberandum fame populum, ad exsoluendum ignominia Imperium, ad generis humani continendam confirmandamq; societatem, quæ Piratarum audacia propemodum convulsa his annis & interrupta est. Neque labores, fractumque iis animum corpusque obieceris. magna illa gloria, ad quam genitus, quamque præstantissimis factis adeptus es, neque quæri sine labore, neque conservari potest. igitur exprobrare quæ feceris populo Romano noli: ne sit ei commemorare opus, quot & quanta ab eo acceperis.*

Negotiis iterum excitandam virtutem esse.

XVII. *Neque persuaseris cuiquam ea ætate, qua vulgo homines animis corporibusque maxime valere consueverunt, te singularem ad omnia virum marcescere. quod si tamen unus ita fortasse sentis, otio debes, quod illa pristina tua virtus languet: quam quia deperdere summa calamitas & tibi videretur, & omnibus; excitanda tibi negotiis est, facile pristinum recuperatura vigorem, ubi digna se negotia senserit. Sed alii quoq; sunt, quibus ista recte cōmittantur: imprimū à te peto. Pompei, ut de te tuisque laudibus populo potius Romano permittas judicium, quam tibi sumas. quid in unoquoque spei habere debeat Respublica, omnium quam singulorum æstimationem esse æquius est.*

Illi populum omnia tribuere debere; illum accipere quæ tribuantur.

XVIII. *An oblitos existimas, quid prima adolescentia Cinnano bello, quid deinde in Sicilia Africaque rerum gesseris? Nam Sertorium hostem quum omnes nostri duces reformidarent, propemodum ipsa tibi necessitas dedit: eoque experimento populus Romanus didicit, non esse certius minusque fallax indicium, te unum præfici negotiis oportere, quam ubi tanta eorum difficultas esse cœpit, ut à nemine uno sustineri posse videantur. Tibi vero, Pompei, pro cæteris moribus tuis, proq; hac mutua tua populiq; Romani benevolentia, nihil recusandū est oneris, quod ob necessitatem publicam, à civibus tuis clarissimis simul amantissimisq; imponitur.*

Invidiam non esse extimescendam.

XIX. *Operam, opes, labores, spiritum denique, si sit opus, impendenda patriæ utilitatibus esse, præclari illi viri, quorum tu ita sequeris vestigia, ut propemodum antevertas, constanti professione statuerunt. Invidiam autem ne expaveris. opprimi à virtute potius illa potest, quam virtutem opprimere. neque ejus est, qui amore Patriæ cætera terribilia omnia contemnat, ad livoris terriculamentum expallescere. Ego optimum quemq; eo esse animo puto, ut potius virtute sit tecum certaturus, quam ut ea vilitate animi gloriam tuam illustret, suam miseriam augeat. Quod si tamen aliqui tam perversi sunt moribus, an ideo te imperatore carebit Respublica? quin tu vel ideo promtius oblata suscipis, ut ægre facias pessimis hominibus, inimicorumque oculos adspectu fascium tuorum atque laurearum maceres!*

Trebellii Gabinio repugnantis periculum. Ascon. in Cornelian.

XX. Contra hæc L. Trebellius quum cœpisset differere, nec silencium fieret, tribus *in suffragia mitti* vetuit. Tum vero Gabinius, omisso in præsens Pompeii negotio *de L. Trebellio* rogare populum cœpit. Jamque tribus septemdecim *Tribunatum ei abrogaverant*, & in eo erat, ut etiam duodevicesima suffragium ferret, plebiscitum factura; quum vix dimoveri à proposito passus Trebellius, tamen incitatæ concionis fluctibus cessit.

Iemque Roscii.

XXI. Deinde Roscius loqui orsus, quum animum nemo adverteret, digitis

sublatis *duos esse designandos* significavit: ut vel sic potentiæ Pompeji terminum figeret. Ad ejus conspectum tantus indignantis populi sublatus clamor est, ut forte prætervolans corvus, tamquam fulmine ictus esset, ex alto rueret. Ita quiescente Roscio Gabinius Q. Catulum excitavit, ut diceret. Sperabat enim Tribunorum periculo territum nihil præter quam volentia plebi dicturum; & quia Princeps ille Senatus erat, cæteros haud gravatim auctoritatem ejus sequuturos. Plutarch. Pompejo cap. 41. Diod. lib. 36.

XXII. At ille dignitatis suæ memor, attento ob reverentiam viri populo, in hunc modum verba fecit: *Siquidem tantarum rerum potestatem ad aliquem deferendam existimarem, Quirites, neminem certe Pompejo eram prælaturus. Quem enim aut peritia rei militaris ei viro conferam, quem adhuc pæne puerum Imperatores hostium timuerunt, nostri ornarunt, externi omnes admirationi habuerunt? Aut in quo lubentius conspiciam novorum honorum imperiorumque insignia, quam in qui à L. Sulla victore Magnus est appellatus: qui vestro jussu quum adhuc Eques Romanus esset, semel iterumque triumphavit: qui quum alium magistratum neque gessisset, neque ferme per ætatem potuisset gerere, Consul factus est?* Q. Catuli Oratio.

XXIII. *Præterea tanta est Cn. Pompeji modestia, ut si cuiquam tuto concedi immoderata potentia posset, huic rectissime credi videatur. Quam lubenter ille vobis petentibus dimisit exercitum? quam facile cum M. Crasso rediit in gratiam? quam prudenter à se cupitæ provinciæ invidiam, jurejurando interposito in nullam ex Consulatu iturum, amolitus est? Verum enim vero negotium mihi potius, quam homo displicet: neque Pompejo hoc adimendum esse imperium, sed nemini mortalium concedendum existimo. Jamprimum majores nostri, sapientissimi mortales, quum ante omnia viderent habendam esse libertatis curam, quam qui amisissent, cæterorum nihil essent in potestate habituri, diligentissime providerunt, ne nimia potestas uni homini, aut certe, ut locis temporibusque constricta daretur.* Negat. nulli credendam esse tantam potentiam. Velleius 2. 32.

XXIV. *Summum in Republica nostra Dictatoris imperium fuit, sed illud cohiberi intra Italiæ terminos, finiri sex mensium angustia placuit. sic quoque centum viginti annis est intermissum, quum illud L. Sulla Dictator ita accepit perpetuum, ut magis in perpetuum aboleret. Nec enim ipse diu sustinuit invidiam, nec tanta laboraturos insania posteros nostros crediderim, ut donec Sullanorum temporum exstabit memoria, creare Dictatorem concupiscant. Marii quoque paucos intra annos multiplicati Consulatus, quid aliud quam continuæ potestatis amorem, & per hunc acerbissimas Reipublicæ calamitates pepererunt? Prætereo jam, quod ejusmodi leges statum convellunt civitatis. nam si æqua libertate fruimur, laborum certe præmiorumque neminem haberi exsortem convenit.* Ab hac causa Dictaturam varie apud majores fuisse limitatam. Diod. lib. 36.

XXV. *At non est præterea, qui negotiis sufficiat? Dura profecto vox, & adversus tot excellentes viros injuriose procax. Sed demus esse paucos. jam etiam pauciores effeceritis, si ad res gerendas nemini præter unum aliquem relinquetur aditus: nemo enim Imperator nascitur: magno labore, multis periculis, longo etiam tempore tentando, experiundo, facultas ea comparanda est. Quod si adversus Sertorium dux nobis defuit (quamquam non pœnitet Q. Metelli) minus equidem mirum est; quia tum divisa intestinis bellis civitate, multi suorum armis interierant. nec adversus Sertorium duce habuissemus opus, si retinere Sertorium Respublica potuisset.* Alios etiam esse duces idoneos.

Magistratum ad injuriam pertinere extraordinaria imposita.

XXVI. *Tamen etiam tum fuissent haud dubie plures, nisi superioribus annis tradita paucis hominibus Republica, cæterorum virtus in otio, tamquam sub cineribus flamma obtorpuisset. Quorsum autem magistratus creatis annuos, si nullam ad rem insignem eorum opera estis usuri? majoremne vobis illi gratiam habebunt ob beneficium, quod honore dignos habuistis, an succensebunt ob injuriam, quasi in hoc eos creaveritis, ut majori dedecore homini privato postponerentur? Sed hæ quidem civitatis leges atque instituta sunt, quæ fortasse, si omnino volueritis, moveri poterunt: at naturæ leges qui mutabitis, cujus providentia sic sunt res ordinatæ, ut id negotium, cui vos unum præficitis, multos postulet.*

Sed nec ab uno tantum negotii geri posse. Sallust. Hist. 5. 1. 4. Cic. pro L. Man. l. c. 20. Velleius 2. 32. Plutarch. Pompeio. cap. 41.

XXVII. *Diffusum per omnia maria, per omnes prope terras bellum, ab uno regi omnibus locis poterit? idem Italiæ litora tutabitur? defendet Græciam? in Syria quum postularit usus, in Hispania, in insulis erit? idem eodem tempore geret in Cilicia bellum? At habebit legatos præfectosque: cur autem ille potius, quam populus Romanus habeat? cur tot clari viri unum potius respiciant, quam Rempublicam? Siquidem eò redeundum est, & multorum ingeniis manibusque res administranda, quippe ni jam ab initio plures creentur, qui nullius alterius imperio obnoxii, quum pro cujusque merito propriam sibi gloriam ignominiamque futuram esse reputabunt, omnia diligentius cordatiusque gerent: quando natura ita comparatum est, ut lubentius pro suis commmodis homines, quam pro alienis, laborem ac pericula capessant.*

Iudicium populi Romani de Q. Catulo. Plutarch. Velleius. L. Gabinia perfertur. Cic. pro L. Manil. c. 17.

XXVIII. *Quæ omnia si minus apud vos habebunt ponderis, quam habere debebant, at ipsi tandem Pompejo consulite, cujus paulo ante orationem audivistis. Tot profecto laboribus meruit, ut aliquando tempori ejus salutique parcatis. Nam certe iisdem, quibus cæteri homines legibus vivit: nec invulnerabile ferro corpus, nec inexpugnabilem morbis valetudinem gerit. Huic porro si quid humani evenerit, in quo deinde spem estis habituri?* Hæc dicente Catulo universa concio succlamavit, *in te Q. Catule*. Quo ille tam honorifico testimonio delinitus, simul obstinatos hominum animos flecti posse desperans, è concione discessit.

Appianus. Mithrid. Plutarch.

XXIX. Multa quoque Q. Hortensius in Senatu contra Gabinium, multa pro rostris contra legem, pro summa sua facultate, graviter ornateque dixerat: sed vana omnis adversus populi favorem contentio fuit. Qua die suffragia laturæ tribus erant, Pompejus clam in prædium aliquod suum est profectus. Audito deinde perlatam jussamque rogationem esse, noctu introiit Urbem, ut gratulantium cœtus, & ex ea re invidiam declinaret. Prima deinde luce progressus in forum sacrificavit: & concione præbita sic egit cum populo, ut lege datis multa adjicerentur, geminareturque propemodum apparatus. nam pro ducentis navibus quingentæ sunt concessæ: centum viginti millia peditum, equites quinque millia, pro legatis quindecim legit ex omni Senatu quinque & viginti, Quæstores duos, pecuniæ præsentis accepit millies quingenties.

Pompeius in tredecim fortes distribuit maria. Plutarch. Florus. 3. 6. Velleius. Appianus.

XXX. Ejus tanti apparatus fama quum minime latere potuisset, jam tum ita terruit Piratas ut parcius excurrentes mercatoribus liberiorem navigandi copiam facerent. Unde subito decrescentia rerum venalium pretia magnam Pompejo claritudinem circumdederunt, tanquam solo nominis sui terrore belli partem profligasset. Sed ille postulatis manibus, admirabili protsus industria negotium complexus, quum suis & Rhodiorum socialibus navibus abundaret; in

Pompejus Piratas ubique persequitur.

trodecim sortes distribuit maria, singulisque legatos præfecit; attributis navibus, peditibus, equitatu, & Prætorum insignibus: ut unusquisque in parte sibi credita imperium haberet; ipse tamquam Rex Regum præesset omnibus, & summam rerum consilio præceptoque moderaretur.

Legatorum eius nomina & sortes. Appianus. Plin. 3. 11.

XXXI. *Hispaniam & quod circa Gades est mare*, Tiberius Nero; *Balearicum*, Manlius Torquatus sortiti sunt. M. Pomponius *Gallicum*; *Libycum* Lentulus Marcellinus, P. Atilius *Ligusticum sinum*, & mare quod *Sardiniam* alluit & *Corsicam*: L. Gellius, Cn. Lentulus circa Italiam excubare jussi. *Siciliam Joniumque pelagus* ad *Acarnaniam* usque Plotius Varus, M. Terentius Varro custodiebant. *Achajæ Macedoniæque* L. Sisenna præsidebat. *Insulas Ægæi maris*, omnemque ejus ambitum cum *Hellesponto* L. Tubero obtinebat. *Bithyniam, Thraciam, Propontidem, & ipsum os Ponti*, P. Piso. *Lyciam, Pamphyliam, Cyprum, & Phœnicen* Metellus Nepos. Cæterorum in obscuro res sunt; M. Varroni tamquam homini doctissimo, hoc tribuerunt literæ, ut gestorum ejus meritorumque nonnullam servarent memoriam. Intervallum ab Italia Apolloniam versus, ubi tantum quinquaginta millibus passuum dirimuntur, ponte conjungere instituit; sed aliis curis quominus destinata perficeret, est impeditus. Per idem tempus, quum Corcyræ esset exercitus, ac classis & omnes domus repletæ essent ægrotis ac funeribus, immisso fenestris novis Aquilone, & obstructis pestilentibus, januaque permutata, cæteraque ejus generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit.

Varro de re Rust. 1. 4.

XXXII. Insignis etiam virtutis documentum corona navalis est, quam ex illo bello Cn. Pompejus ei dedit: quod pauciffimis omni ævo contigit decus. Sed Pompejus rebus ita ordinatis, quum velut indagine cinxisset maria, brevi tempore Piratarum perplurimas naves cepit: & intra dies omnino quadraginta mare Tuscum, Libycum, Sardoum, Corsicum, Siculum, totumque tractum Occidentis ita repurgavit, ut nulla præterea prædonum navis usquam compareret. Inde Romam recurrit, ubi Consul Piso per invidiam & iram apparatus ejus impediebat; acceptusque est summa gratulatione populi, tamquam ex diuturna peregrinatione revertisset, jam enim pacato longe lateque mari annona laxaverat.

Varro coronam navalem meretur. Festus in naval. corona. Plin. 7. 30. 16. 6. Florus. Plutarch. Liv. Epitom. Appianus. Diod. lib. 36.

XXXIII. Id enim præcipuæ curæ habuerat Pompejus, ut Siciliam, Africam, Sardiniam tria frumentaria Urbis subsidia confirmaret. & nondum tempestivo ad navigandum mari omnes illas provincias ipse adiverat: magnaque vi frumenti in naves imposita, quum ob tempestatem ortam gubernatores cunctarentur, primus conscendit, *anchoramque velli* jussit, nobili voce edita, *navigare necessum esse; vivere non necessum*. Tanto major eo merito gratia apud populum fuit: eoque adversatus ei Consul graviorem expertus est indignationem omnium. nihilque propius factum, quam ut magistratu dejiceretur, eamque in rem conscriptam jam rogationem Gabinius habebat. Sed deprecante Pompejo res omissa: ipsi quidquid voluerat, liberalissime, jam etiam ab Senatu quoque decretum est; postquam frustra & cum periculo, fortunæ gratiæque Pompeji se obniti sentiebat.

Præclara vox Pompeii. Plutarch. Diodorus. Cic. pro L. Manil. cap. 12. Plutarch. Apoph. Rom. cap. 37. Plutarch. Pompeio.

XXXIV. Neque tamen retinendi conscriptas in Ciliciam legiones prætextu Consul carebat, quia coloniæ Latinæ, quas bello Marsico Cn. Pompejus Magni pater trans Padum duxerat, instigante C. Cæsare consilia de petenda civitate

Pompeius Ciliciam brevi tempore subigit.

Sueton. Cæsare 8. 5. Ascon. in Pisonianam. Plutarch. Strabo. lib. 13. Florus. Cicer. Appianus.

Romana agitantes suspicionem rerum novarum exciverant. Pompejus haud diutius quam necessum erat Romæ moratus, Brundisium, ubi classem opperiri jusserat; & inde versus Orientem profectus est. At Rhodi, quamquam properaret, differenti tamen Posidonio dedit operam. deinde in Ciliciam profectus, fontem caputque belli, undequinquagesimo die quam Brundisio solverat, universam redegit in potestatem. Id adeo præter omnium & ipsius quoque opinionem factum est, ut potius gravissimum ibi bellum cum exercitatissimis mari hominibus, & arcibus munitissimis futurum videretur. ideoque navibus ex omni numero delectis sexaginta, magnoque armorum atque machinarum apparatu erat profectus.

Piratas ad Coracesium vincit. Appian. Plutarch. Strab. lib. 14. Florus.

XXXV. Sed duæ potissimum res maturum bello finem dederunt: altera, terror ex magnitudine famaque Imperatoris. altera, spes propter lenitudinem, quam erga captos deditosque ostenderat. Igitur ab omni parte, vitata legatorum severitate, ad Pompejum veniebant oratores, & ille receptis in fidem deditiis, horum indicio latebras pessimorum discebat, qui conscientia scelerum salutem desperantes, conjugibus liberisque in castella montis Tauri sepositis, prope Coracesium Ciliciæ castellum ad anchoras stabant. Sed haud ultra primum congressum duravit his animus. statim pari undique plausu signum ediderunt deditionis, simulque tela ac remos abjecerunt. Castella deinde maxima duo, Cragum & Anticragum vocant, tradentibus qui tenebant, recepta sunt; deinde cæteræ per asperam Ciliciam arces.

Deditos in mediterraneis locis collocat. Plutarch. Vellei. 2. 32. Florus. Appianus.

XXXVI. In his armorum naviumque inchoatorum effectorumque magna vis inventa est: ærisque & ferri funiumque & linteorum & omnigenæ materiæ incredibilis apparatus. Captivi quoque plurimi, quos partim ut se redimerent pecunia, partim operis faciundi caussa vinctos Piratæ habuerant; ad suos remissi sunt: eorumque haud pauci erecta interim domi, tamquam defunctis monumenta repererunt. Piratarum viginti circiter millia in potestate victoris erant: eos quum interficere crudele, dimittere periculosum videretur; optimo consilio usus, (quamquam ab obtrectatoribus reprehensum est) procul à conspectu maris in mediterraneis agris collocavit: futurum ratus, ut necessitate & occasione, duobus nequissimis consultoribus, remota, quieti deinde pacatique viverent. Simul solitudini multorum oppidorum consulebatur: & inter cætera Mallus & Adana & Epiphanea, his cultoribus frequentata sunt.

Numerus navium captarum, oppidorum que receptorum. Plutarch. Pompeio. lib. 34. Strabo. Cicer. de Offic. 3. 11. Plutarch. Servius in Virg. Georg. 4. Appianus. Florus.

XXXVII. In Solorum etiam urbem, quam Tigranes nuper adflixerat, instauratam introduxit ex eo genere honestissimum quemque, deque suo nomine vocari *Pompejopolin* jussit, immunitate concessa. Nonnullos etiam Dymen misit, quod Achajæ oppidum, quum agrum latum & optimum haberet, habitatoribus infrequens erat: alios in Calabria, attributis ad colendum agris collocavit. Hic fuit belli tam formidabilis exitus quo *naves expugnatæ duæ & septuaginta, deditæ trecentæ sex* narrantur, *quo in numero rostratæ nonaginta fuerunt*: *oppida castellaque recepta centum viginti*: *prædonum repugnantium cæsa decem millia.* qua tanta opera trimestri spatio confecta sunt, ea felicitate, ut ne una quidem navis Romana desideraretur; ea quoque perpetuitate victoriæ, ut postea longissima ætate Piratam circum ea maria nemo viderit.

XXXVIII. Tam prosper externis rebus annus, totus ferme tumultibus & dissidiis

scordiis in Urbe transactus est. Inter alias caussas turbarum ambitus erat; permultis proxima Censura Senatu motis, & ordinem quolibet modo recuperare properantibus. Idcirco C. Cornelius Tribunus plebis iratus Senatui, quod relationem ejus, *ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret*, Senatus repudiaverat; de ambitu ferebat legem, cum acerbissimis in delinquentes pœnis. Placebat ea res populo; sed Patres *terribiliorem specie, quam effectu robustiorem legem* caussati, *Consulem ferre* jusserunt *legem, uti condemnati ambitus neque magistratus gererent, & Senatu moverentur; mulctam quoque pecuniariam eo nomine penderent*. Interea dum comitiorum dies exspectatur, nihilominus ambitus fervebat, tam impudentibus quorumdam studiis, ut etiam homicidio non abstineretur. In Urbe discordiæ. Diodor. Ascon. in Cornelian. Cic. pro Muren. c. 23.

XXXIX. Factum igitur Senatusconsultum est, *de his etiam quæri placere; Consulique præsidium dari*. Namque Q. Piso quum propter multitudinem adversariorum ejectus foro esset, extremi difficillimique temporis vocem miserat, *ut qui Rempublicam salvam esse vellent, ad legem accipiendam adessent*. Deinde majori manu stipatus legis perferendæ caussa progressus in concionem, negotium perfecit. Neque sponte legem eam tulisse Consul juxta quosdam auctores putatur, ipse crimine eodem nocens, & vix gratia paucorum ne caussam diceret ereptus: sed acerbiora timens Senatus præceperat. C. Pisonis lex de ambitu. Asconius Cic. pro Cornelio.

XL. Ut tamen ea de Consulis infamia minus credam, cætera ejus gravitas & constantia facit; tempore Comitiorum memorabili voce factoque testata. M. Palicanus homo sordidus & seditiosus Consulatum petere ausus, miro stolidæ plebeculæ favore sublevabatur. Sed & Tribuni plebis ei aderant, ab hoc exemplo suæ ambitioni paraturi faciliorem viam. His Patres, & ante cæteros Consul Piso resistebant. Igitur Tribuni modo non manibus suis sublatum pro rostris statuerunt; & utrimque circumfusi interrogarunt, *essetne Palicanum renunciaturus Consulem, siquidem factus à populo foret?* Palicanus Consulatus candidatus. Val. Maxim. 3.8.3.

XLI. Ille *non existimare futurum* respondit, *ut eo indignitatis veniretur*. At urgentibus illis, dicentibusque, *quid igitur, si ventum fuerit, renunciabis? Non renunciabo*, inquit. Atque vocis hujus præcisa severitas Palicanum à summa spe impetrandi honoris removit. His occasionibus dissidiorum arreptis C. Cornelius, ut Senatus minueret auctoritatem, promulgavit legem, *ne quis nisi per populum legibus solveretur*. Id antiquitus quoque cautum, & in omnibus Senatusconsultis, quoties legibus aliquis solveretur, adjectum erat, *ut ea de re ad populum ferretur*. Constantia Pisonis absterretur. Diodor. Ascon.

XLII. Sed paulatim fieri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in Senatusconsultis, de rogatione ad populum ferenda. eaque ipsa Senatusconsulta per paucos admodum fiebant. Igitur eam Cornelii rogationem indigne tulerunt potentissimi quique, & quorum in Senatu gratia magnopere minuebatur. His satagentibus Publius Servilius Globulus Tribunus plebis inventus est, qui Cajo Cornelio obsisteret. Is ubi legis ferendæ dies venit, & præco subjiciente scriba verba legis recitare populo cœpit; & scribam subjicere, & præconem pronunciare passus non est. Seditio Tribunitia.

XLIII. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Quod quum *improbe fieri* Q. Piso Consul vehementer quereretur, *Tribunitiamque intercessionem* diceret subla- Per quæ Consulis fasces franguntur.

Diodor. Asconius. Cicer in Vatinium cap... Asconius.

tam, gravi convicio à populo exceptus est. Et quum *illos* Consul, *qui sibi intendebant manum, prehendi à lictore* jussisset, fracti ejus fasces cuncti, lapidesque etiam ex ultima concione in Consulem jacti. quo tumultu Cornelius perturbatus, concilium dimisit. Actum deinde ea de re in Senatu est magnis contentionibus, quum Cornelius ita ferre rursus cœpit, *ne quis in Senatu legibus solveretur; nisi ducenti adfuissent, neve quis quum solutus esset, intercederet, quum ea de re ad populum ferretur*.

Prætores ex edictis perpetuis jus dicere jussi. Diodor. Asconius.

XLIV. Hæc sine tumultu acta res est, nemo enim negare poterat pro auctoritate Senatus eam legem esse, quam populus habere ratam cogeretur; sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui paucis gratificari solebant. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multorum tamen offensa tulit, *ut Prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent*, quæ res gratiam ambitiosis Prætoribus, qui varie jus dicere solebant, sustulit. Sic enim eodem omnibus modo jus reddere cogebantur; alias insigni nefandoque scelere, prout favebant succensebantve litigantibus, aliter atque aliter pronunciare soliti.

Repetundarum leges severe exercitæ. Diodor. Asconius.

XLV. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerique collegæ intercesserunt, per quas contentiones totus Tribunatus ejus peractus est. Ambitus judicio provisum erat, ne vulgo magistratus male caperentur: ea res excitavit attentionem hominum, ut etiam ne male gererentur, exigerent. ideo sub id tempus adeo severe sunt exercitæ repetundarum leges, ut præter noxiorum pœnas, etiam accusatoribus præmia decernerentur. Carbo equidem, M. Cotta damnato, quemadmodum exponere per occasionem occupavimus, licet adhuc Tribunitius esset, Consularibus insigniis est decoratus.

L. Luculli Prætoris integritas. Val. Maxim. 5. 4. 4. Diodorus.

XLVI. At idem postea quum eamdem obtinuisset Bithyniam, ex qua Cottam damnaverat, ab eius filio, quo is die sumpta virili toga de Capitolio descenderat, judicio adflictus est. Igitur L. Lucullus, quum ex Urbana Prætura Sardiniam esset sortitus, ire in provinciam noluit, propterea quod *participem se* negabat *futurum infamiæ, qua tum ob avaritiam & rapinas plerique rectores provinciarum laborabant*. Erat enim vir justitiæ amans, & constantis ingenii, cujus in Prætura sua clarum documentum ediderat. Quum enim *sellam ejus confringi* Consul Acilius jussisset, cui forte prætereunti non adsurrexerat, nihil commotus est; & deinde stans jus dixit: idemque cæteri Prætores ut facerent, honori eius tribuerunt.

Metellus Cretenses domat.

XLVII. Inter hæc in Creta Q. Metellus cum Cretensibus simul Piratisque dimicabat: qui oppresserant partem insulæ, alteramque ex ea post Ciliciam latrociniorum arcem fecerant, pluribus ea caussa castellis per insulam extructis. Ea quum Romanus expugnaret, ita severe in captivos animadverterat, ut reliqui partim veneno se conjicerent, plerique prius omnia mallent experiri, quàm ut illi se traderent. Tantaque Cretensium eo bello pervicacia traditur, ut obsessi quum siti fatigarentur, suam jumentorumque suorum urinam biberent; donec à Pompejo acciperent responsum; ad quem audita viri mansuetudine, miserant oratores, in Pamphylia tum agentem.

Pompejum illos recipientem sperabit.

XLVIII. Ille obsidibus imperatis, unum ex legatis L. Octavium misit, qui eos in deditionem acciperet; scripsitque ad civitates, *ne dicto audientes Metello essent*. Hoc infestior Metellus non alios tantum, sed etiam quibus cum antea fuerat

pactus, ut priusquàm venire Pompejus posset, exigeret ab iis pœnas contumeliæ suæ, persequutus est. Nec Octavius obsistebat, inermis, & non ad bellandum missus: & Cornelius Sisenna, quem Pompejus Achajæ præfecerat, venerat is quidem in Cretam, & cum Metello *ut populi Romani dedititiis parceret*, egerat: sed præter inefficacia verba, nihil erat ab eo tentatum. Strab. lib. 10. Val. Maxim. 7.4.1. Appian. apud Fulv. Ursin.

XLIX. Interim & Metellus Eleutheram urbem proditorum opera cepit, qui firmissimam ex lateribus turrim, ut facilius arieti cederet, continuis aliquot noctibus aceto perfuderant. Pecunia hic imperata, Lappan petiit, ubi se L. Octavius incluserat. Metellus, cum nihil moratus, vi expugnavit locum, Octavioque non sine probris dimisso, quos secum habuerat Cilicas ad unum omnes interfecit. Hoc ægerrime ferens Octavius adsumptis Sisennæ copiis, nam ille morbo decesserat, auxilium quibusdam Cretensium tulit. revocatis deinde illis, Aristioni se conjunxit, Hieropydna munitum oppidum tenenti, quod Cydonia decedens, victo qui se objecerat L. Basso, nuper ceperat. Eleutheram & Lappan cepit. Cic. pro L. Manil. cap. 12. Plutarch Pompeio c. 48. Florus. Diodor. Appianus. Plutarch.

L. Sed ubi Metellus advenit, relictis munimentis ambo se conjecerunt in naves. ibi in altum evectos atrox tempestas impegit litoribus, multique navalium sociorum naufragio desiderati sunt. De his rebus aculeatis invicem epistolis Imperatores duo scripserunt. *Metellus datum à Senatu populoque Romano imperium, gloriamque rerum gerendarum eripi sibi à Pompejo, gestarumque pretium* querebatur; *qui ad accipiendas urbium deditiones legatum in alienam provinciam misisset*. Pompejus *id à se rite atque ordine factum* adserebat: *universam enim insulam, quum nulla pars ejus præfinitum Gabinia lege modum excedat, ad suam curam pertinere*: *nec officio se defuturum*. Sed hæc utcumque speciose dicta, non tegebant penitus insitam animo ambitionem, ut neque amicissimis ejus probarentur; nedum ut ab instituto revocare Metellum possent. Metelli & Pompeii odiosæ epistolæ. Liv. Epitom. Plutarch.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri C. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

C. Manilius Tribunus plebis, magna indignatione nobilitatis, legem tulit, ut Pompejo Mithridaticum bellum mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus, perdomitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges dedit. Cneus Pompejus ad regendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum Rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit, equestri prælio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem Parthorum Regem, & Tigranem Armeniorum, ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet.

Pompeium in Cretam transmissurum avertit alia expeditio. Vrb. cond. an. 687. Compitalia. Ascon. in Cornelian. Dionys. Halic.

POSTQUAM eo contentionis ventum inter viros amplissimos, civile bellum in exspectatione erat: quia Pompejus se parabat ut in Cretam transmitteret, Metellus ei neutiquam cessurus videbatur; quum improvisa res à proposito Pompejum ad aliam uberioris gloriæ expeditionem avertit. C. Manlius Tribunatu plebis nuper inito, pridie Kalendas Januarias, quibus M. Æmilius Lepidus, L. Volcatius Tullus Consulatum inchoarunt, inclinanti die legem Sulpiciam *de libertinorum suffragiis* retulerat, *uti pari cum patronis suis jure ferrent*. Abusus ad hoc propositum erat Compitalium solemni, quod forte per eos dies celebratum, ex veteri consuetudine pro liberis agere finens servos, occasionem præbebat, ut multi ejus generis ingenuæ plebi permixti jubere rogationem possent. eique actioni faviffe quoque C. Cornelius putabatur.

Per adulationem C. Manilii comparata. Ascon. in Milonianam & in Cornel. Diodorus. Cic. pro L. Manil. c. 12. Velleius. Appianus. Mithridat.

II. Quum res per tumultum ageretur, & factio Tribuni Clivum Capitolinum obsideret, L. Domitius Ahenobarbus Quæstor perrupit ac disjecit agmen; multisque Manilianorum interfectis, plebi metum, Patribus animum addiderat. Igitur Senatus postridie statim, quam Consules inierunt, lege damnata, Tribuno tantum incussit metum, ut primo *legis auctorem M. Crassum fuisse* diceret, & postquam id credebat nemo, ipse quoque abjiceret legem. Sed quo firmiorem sibi compararet patronum, adulari Pompejum etiam invitum ac ignorantem cœpit; quum in magna apud eum gratia Gabinium esse cerneret, cujus rogatione maritimum imperium fuerat adeptus.

Qui legem de Imperio Pompeji tulit. Cic. pro L. Manil. c. 19. Appian. Mithrid. Liv. Epitom.

III. Nam illum simul abiverat Tribunatu, Pompejus *ut sibi legaretur* postularat. Idcirco legem C. Manilius, venalis alienæ potentiæ minister, *de imperio Pompeji* tulit, *ut manentibus quæ Gabinia lex dedisset, Cilicia & Bithynia provinciæ, bellumque contra Tigranem atque Mithridatem Reges adjicerentur: utique imperium in omnes populi Romani exercitus extra Italiam haberet: utique jus ei ac potestas esset, hostes sociosve populi Romani exercitus judicandi, sicut è Republica & sua fide esse censuisset*. Maximam ea rogatio nobilitatis indignationem excitavit. quæ Gabiniam quoque legem ægerrime passa, quod supra cæterorum æqualitatem nimium efferri Pompeium videbat, nunc plane dominatum imponi cervicibus suis existimabat.

Patres resistunt legi. Plutarch. Lucullo cap. 74. Diodorus.

IV. Hoc maxime stimulo, quamquam & Luculli injuria, & Glabrionis Regisque, quibus ante tempus adimebantur provinciæ, commoti Patres, mutuo se cohortabantur, *ut huic rogationi resisterent*. Sed ubi comitiorum dies adfuit, & incitata populi voluntas constantiam excusserat; præter Q. Catulum & Q. Hortensium, qui Gabiniam quoque legem dissuaserant, ora omnes tenuerunt. Q. Catulus multa loquutus quum moveret neminem, sæpe exclamavit ad Patres conversus, *quærendam esse arcem tuendæ libertati in tanta desperatione rerum omnium, quemadmodum majores olim bello Gallico, deserti à populo in Capitolium confugissent*.

Sed populus Cæsare & Cicerone auctoribus sciscit. Liv. Epitom. Plutarch. Diodorus.

V. Sed scivit legem populus, & ipsius Manilii egregia concione inductus, & Cæsaris atque Ciceronis impulsus auctoritate, qui eam suaserant: Cicero quidem ea oratione, quam hodieq; mirantes legunt. Cæsar etiam Gabiniam legem adjuverat; non quod Pompeio cuperet, sed ut populum, cujus tum erat potentior Patribus factio, haberet propitium, eumdemque ad sciscenda nimia & inusitata, sibi mox eadem pollicitus, adsuefaceret. Cicero præ se optimatium

amorem semper tulerat, eoque aedilitatem petierat, omisso Tribunatu, ne populi studiosior videretur.

VI. Tum autem sive gratiam Pompeii adfectans, sive ut in se momentum esse quibus accessisset, partibus ostenderet, plebi se applicuit. Erat autem tum praeter eloquentiae vim, magistratus etiam amplitudine potentior; praeturam enim gerebat, secundo populi rumore, maxime postquam in judicio Q. Licinii Macri magnam integritatem constantiamque ostenderat. Vir ille Praetorius, quum repetundarum esset postulatus, tantam in suis opibus gentilisque sui M. Crassi amicitia fiduciam reposuerat, ut judicibus in suffragium missis, conferret se domum tamquam certus victor, tonsaque coma, & habitu priore, quem reus mutaverat, resumpto in forum reverteretur.

Ciceronis Praetoris integritas & constantia.

Cic. pro L. Manil. cap. 24. Plutarch. Cic. cap. 11. Cic. ad Attic 1. 3. Val. Maxim 9. 12. 7.

VII. Sed Crasso *damnari eum* renunciante, quum è Moeniano praetextam ponere praetorem, dum sententiae dirigerentur, conspexisset; misit ad eum qui diceret, *se ante damnationem perisse, nec bona sua hastae subiici posse*. protinusque correpto sudario, quod forte habebat in manibus, in os inserto interclusit spiritui viam. Cicero re cognita, nihil de eo pronunciavit. Ita patrimonium filio (Calvus is fuit praecipui mox nominis orator) inusitati exempli mors patris conservavit. Manilia lege perlata, Senatus in illum inflammata sunt odia: sed sacrosancta majestate tutum nihil interim potuerunt laedere. exacto Tribunatus tempore accusator comparatus, ad Ciceronis Tribunal eum forte postulavit.

Licinii Macri mors inusitati exempli. Val. Maxim Diodorus. Plutarch.

VIII. Iniquius cum reo egisse Cicero videbatur: praesertim quod enixe *tempus ad defensionem* postulanti, *unam tantum modo diem* concesserat. Ob eam rem raptus ad Rostra à Tribunis, & invidiose ad populum traductus, postulata audientia, *semper se aequum ac benignum miseris, quatenus per leges liceret, fuisse* ostendit. *eamdem benevolentiam C. Manilio praestare voluisse, ut ante eam diem, quae sola ei Praeturae superesset, judicium ageretur. neque enim faventis esse, ad alius potius Praetoris arbitrium quaestionem rejicere*.

Manilius apud Ciceronem postulatur. Diodorus. Plutarch.

IX. Haec audita mirifice opinionem vulgi mutaverunt: faustisque acclamationibus exceptus Cicero, & rogatus est, *ut Manilii complecteretur causam*. Atque ille populi studiis laetus, simul uti Pompeium demereretur, de integro concione habita; acriter *in paucorum potentiam, Pompeiique aemulos* invectus est. Sed Manilianum judicium subito tumultu turbatum est, solicita civitate ob conjurationem P. Poeti & P. Syllae opera conflatam, qui designati Consules, deinde damnati ambitus fuerant, ut paulo post memorabimus, quum expositis quae interim bello gesta sunt, ad res Urbanas revertemur.

Sed judicium turbatur subito tumultu.

X. Q. Metellus nullo jam impediente, quod ad alia conversae erant aemuli curae, redactis in potestatem, quae restiterant, Cretensi bello finem imposuit; iisdemque conditionibus recepto in fidem Lasthene, quibus & Panares antea se dediderat. Hic finis fuit libertati Cretensium, ad istud aevi illibatae. Etiam instituta majorum mutare coacti, novas leges praescribente Metello acceperunt. Metellus constitutis in Creta rebus, *Cretici* cognomento accepto, justius illi quidem, quam ante illum M. Antonius id gesserat, ad triumphum decessit.

Cretenses à Metello subacti libertatem amittunt. Appian. apud Fulvium. Ursin. Liv. Epitom. Strab. lib. 10. Appianus. Vellei. 2. 1. 4. Diodorus.

XI. Dilatus tamen invidia Pompeii in tertium annum triumphus est; qui per addictos sibi Tribunos subinde aliquid impedimenti obiiciebat, ne trium-

Pompeii livor & ambitio.

Plutarch. Pompeio. cap. 49.

phare Metellus posset. Ita quidquid aliorum gloriæ accessisset, detrimentum esse putabat suæ, neque gestis rebus maximis, neque gerendis poterat exsatiari: quum interim cupiditatem quietis, & mirum imperii fastidium præferret. Nam, acceptis de Manilia lege literis, femur feriens, *hem*, inquit *adversariorum astutias, qui ut aliquando, me evertant, omnibus exponunt laboribus, omnibus periculis objiciunt! ecquando erit, ut privatus otiosusque possim in dulcissimorum pignorum conspectu atque comitatu rusticari.*

Pompeius acta Luculli rescindit. Diodor. us. Lucul. cap. 74.

XII. Hæc adeo inepte fingebantur, ut familiarissimis stomachum facerent; neque diu fuit exspectandum, ut factis ipsis proderetur. Nam præter insitam ambitionem, æmulatio Luculli, ut gratissimum ei negotium esset, effecerat. Idcirco penitus abjecta Cretensium rerum cura, toto animo Ponticum bellum complexus, præmissis edictis avocabat à Lucullo milites, *Regesque & principes civitatum sibi* jubebat *occurrere*. Mox provinciam ingressus, acta Luculli rescindere cœpit; pœnas, præmia, ab illo, etiam de sententia decem legatorum decreta, auferre: denique summo studio hoc agere, ut præ se nullius momenti esse Luculli auctoritatem admiratoribus illius ostenderet.

Cum eo colloquitur. Strab. lib. 12. Plutarch. Lucul.

XIII. Tandem quum ille per amicos esset questus, convenire ad colloquium placuit, Danalis, quod Galatarum Trocmorum castellum erat. Res ibi levis in omen versa est: ex iis quæ jam tum fiebant minime difficili conjectura. Laureati fasces utriusque Imperatoris erant: sed ut Lucullus ex amœniore venerat regione; illius erat Laurus recentior. Igitur lictores ejus, Pompeianis parte concessa, dederunt ansam quibusdam, ut *victoriarum Luculli ornamenta in Pompeium cessura* dicerent. Congressus Imperatorum come & benignum principium habuit; gratulantibus & res ab utroque gestas invicem extollentibus.

Eorum querelæ & iurgia. Plutarch. Pompeio. Velleius 2. 33. Diod. lib. 35.

XIV. Sed cito mutatus ad verum animi habitum sermo, gravibus querelis atque etiam conviciis inhorruit. Lucullus erat ætatis & Consulatus tempore prior: Pompeii potior ex duobus triumphis, & imperii amplitudine auctoritas. Neque deerat quod obiiceretur. Lucullus avaritiæ nomine male audiebat, & *quum patrare bellum posset, quo diutius opulentissimas provincias obtineret, Tigrani Mithridatique præbuisse effugium* existimabatur. Hæc exagitanti Pompeio, Lucullus *infinitam imperii cupiditatem* exprobrabat: *debellatumque esse* dicens *cum Regibus, neque novâ expeditione opus*. post acre jurgium vix ab amicis dirempti sunt.

Pompeius gesta Luculli contemnit.

XV. Exinde Lucullus in Galatia resistens captos ex hostibus agros arbitratu suo distribuebat: interque nobile castellum Tomisa, quod Sophenæ Regi, cujus regno adjacebat, centum talentis fuerat emptum, Ariobarzani restitutum est: contra Pompeius *judiciorum ejus haberi rationem* vetabat; nudabatque illum copiis, mille tantum & sexcentis ad triumphum relictis militibus, quos ex omni numero ferocissimos, Lucullo que infensissimos esse compererat. Neque his contentus, operum ejus æstimationem verbis obterebat. *cum umbra Regum & tragico quodam apparatu dimicasse Lucullum* dictitans; *nunc verum instare certamen, postquam illi omissis ineptiis ad arma, virorumque robur se contulissent*.

Diod. lib. 37. Plutarch. Lucullo.

Et vicissim Pompeiana Lucullus.

XVI. Adversus hæc Lucullus, *non bellum Pompeio, sed imaginem belli umbramque relictam esse* jactabat, *idque oppido gratum esse homini, fœda ali-*

Pompeius in Mithritem movet.

tis instar ab aliis prostrata corpora, & reliquias præliorum sequi consueto. Sic in Sertoriani belli, sic in Lepidani, postremo Spartacii titulos irrepsisse: quum primum à Metello Pio, esset, alterum à Q. Catulo, tertium M. Crassi virtute confectum. Neque mirum esse si Ponticorum Armeniorumque bellorum adfectaret nomina, qui nihil non fecerit, ut in triumphum de Fugitivis quovis modo se intruderet.

Julianus Cæsaribus. Plutarch: Diodotus.

XVII. Post hæc profectus est ex provincia Lucullus: Pompeiusque, præmisso qui Mithridatem ad pacem petendam hortaretur Metrophane, quum classibus à Phœnicia ad Bosporum usque distributis, totum in potestate mare haberet; contra Regem magna celeritate contendit. Ducebat secum etiam Valerianas legiones, quæ missionem tantopere expeditam, postquam impetrassent, in Pompeii gratiam spreverant, adeo ille ad animos militum alliciendos tenendosque aut aptior Lucullo, aut felicior Imperator fuit. Mithridates initio spe Parthicæ societatis Pompeium spreverat: sed audito postea *Phrabaten renovata cum Romanis amicitia in Regnum Tigranis irrupisse*, territus, legatos ad Romanum de pace misit.

Pompeius contra Mithridatem proficiscitur. Diodotus. Plutarch. lib. 35. Suidas. ὅρως. Liv. Epitom.

XVIII. Sed ille ante omnia transfugas reposcebat. Quod ubi in castris Regiis est cognitum, & à transfugis ne dederentur, & à barbaris, ne spoliarentur horum auxilio (multi enim & manu prompti erant) tumultuatum est acriter, non sine periculo Regis: donec progressus in medium juravit *sibi propter avaritiam Romanorum inexpiabile cum illis bellum esse: neque traditurum eis quemquam: neque omnino facturum, nisi quod ex utilitate omnium esset. Neque vero missos à se oratores pacis petendæ fuisse; sed ut sub habitu legatorum castra Romana specularentur*. Interim quæ Pompeio usui futura crediderat, vastabat urebatque, ut commeatuum inopia vim ejus impetumque frustraretur.

Mithridates jurat inexpiabile bellum sibi cum Romanis esse. Appianus. Mithrid. Diodorus.

XIX. Sed ubi Pompeius in Armeniam minorem convertit agmen, metuens ei per absentiam suam Mithridates, eodem cum phalange triginta millium, & tribus millibus equitum movit. Veteranus hic erat, & ex omni Regno cum cura lectus exercitus: quem tum in montem quemdam arduum munitumque subduxit, Dastira vocabant, in Acisilena situm. Ibi castris positis hostem atterere mora sedendoque conabatur. Nam quod in amica regione consederat, promptius ipsi commeatus sub vehebantur.

Mithridatis consilium inopia subigendi hostem. Orosius. 6. Plutarch. Appianus. Strab. lib. 12. Diodorus.

XX. Interea per equites, qua parte virium præstabat, planiciem subjectam incursando, subinde excipiebat quosdam: multisque quoque ad illum ea de caussa transfugientibus. Mutata deinde cum loco fortuna est, postquam omissum à Mithridate jugum Pompeius castris occupavit. Propter aquæ penuriam Mithridates reliquerat locum: sed Pompeius ex fruticum proventu, situsque indole, quod res erat conjectatus, *puteos* fodi jussit. tantaque mox aquæ adfluentia fuit, ut tamdiu hoc ignorasse Mithridatem mirarentur. Accedebat aliud ex ingenio locorum commodum, quod obsita virgultis & arboribus regio tegebat Romanos, ne equitum & sagittariorum Regiorum excursibus paterent. Eadem res admonuit Pompeium, ut insidias equitatui hostium, natis ad eam fraudem vallibus, strueret.

Vanum fit ipsius culpa. Plutarch. Diodorus. Front. 2. 5.

XXI. Igitur noctu tribus leviter armatorum millibus, cum equitibus quin-

Pompejus insidias struit Mithridaticis.

Diodorus. Appianus. Frontinus.

gentis inter duo castra occultatis prima luce paucos misit ad vallum Regis equites, ita doctos, *ut operam darent quo universus equitatus hostilis eliceretur: eo facto, servatis ordinibus se subducerent, donec insidias fecissent erumpendi opportunitatem*. Omnia obedienter industrieque facta. Successus etiam exspectationi par adfuit. Regii novo unde minime putaverant hoste, emicante, conversis etiam quorum paulo ante terga viderant, territi, quum utrimque cederentur, & pedes etiam cominus suggressus equos confoderet; multis fortibusque viris amissis, ad castra refugerunt.

Mithridatis coercetur. Appianus. Frontin. Diodorus.

XXII. Sequuti sunt victores, irrumpebantque cum fugientibus, nisi Mithridates re provisa peditum phalangem opposuisset. Hoc prœlium detracta Regi, quam habebat in equestribus copiis, fiducia, magnis commodis victorem exercitum auxit. brevique liberior ipsis, angustior hosti frumentatio, abundantiam Romanis castris, inopiam & pæne desperationem Regiis attulit. Nam in regionibus paulo ante per Lucullum vastatis exiguæ copiæ erant; neque acciri longius, equitatu magna ex parte amisso, poterant.

Eius castra circumvallare instituit Pompeius. Front. I. 17. Appianus.

XXIII. Igitur crebra fiebant ad Pompeium transfugia, quibus efferatus Mithridates, quos eadem molitos cognoverat, acerbissimis suppliciis adficiebat. Inde pauciores jam, ob magnitudinem pœnæ deterritis plerisque transfugiebant: sed non ideo cessabat penuria, quæ tandem etiam invitum ad interiora Regni sui Mithridatem retrusit. Una spes erat, futurum ut in locis omni clade belli vexatis non diu durare Romanus posset. eam irritam Pompeii providentia fecit, qui dimissis ad longinqua frumentatoribus, maximam annonæ vim à tergo subvehi jusserat. Cum esset adeptus hostem ad Orientalem Regni plagam redactum, circumvallare pugnam detrectantis castra cœpit; vallo viginti ferme milliarium, crebrisque in circumitu castellis exædificatis.

Mithridates fugam meditatur. Plutarch. Pompeio c. 32. Diodorus. Frontin. Appianus.

XXIV. Id opus Mithridates, sive prœlium vitans, sive per imprudentiam, quæ ferme præcedere calamitatem solet, non impedivit. Fame mox urgente, quidquid in castris jumentorum erat, consumpsit: ne sic quidem ultra quinque & quadraginta dies sufficiente victu. Præterea multos ad Pompeium Romanos milites venire quotidie, totumque Marcii Regis exercitum didicerat. Igitur fugam meditans, quo consilium suum occultum foret, solito latius, & usque ad valles ante Pompeii castra sitas pabulatus, colloquia quoque cum pluribus, avertendæ suspicionis caussa in posteram diem constituit.

Tigranis res malæ. Appian. Plutarch. Diod. l. 37. Liv. Epitom.

XXV. Ignibus deinde frequentioribus per tota castra fieri jussis: secunda vigilia, nihil tale suspicante Pompeio, præter vallum eius eduxit validam copiarum partem: quum antea quod inutile & ægrum in castris fuerat occidisset. Ad Tigranem habebat iter, ut illius opibus protegeretur. sed haud multo meliore in statu res Tigranis erant, Gordyenen repetente Partho, & postquam non dabatur, armis vexante Armeniam. quodque omni externo bello erat gravius, Tigranes adolescens arma contra patrem ceperat. Tres omnino filios è Cleopatra Mithridatis filia Tigranes sustulerat: quorum duo à patre ante interfecti: Sariaster in prœlio, quum inita conspiratione cum amicis, haustoque dextrarum sanguine, vim parasset; alter in venatione, quod equi lapsu præcipitem patrem neque sublevarat, & jacentis adhuc diadema capiti suo imposuerat.

Ter-

Tertius Tigranis filius corona donatus à patre.

XXVI. Tertius Tigranes, quod patris casus indoluerat, corona ab eo donatus est. Sed idem postea, deducentibus quibusdam principibus Armeniorum, qui senis imperio gravabantur, ad Phrahatem confugerat, eiusque ducta filia, præcipuus invadendæ Armeniæ auctor exstiterat. Igitur Phrahates deficientibus ad eum aut vi subactis, quotquot ad Artaxata usque colebant (quia pater Tigranes metu Parthorum in montes refugerat) urbem obsidione cinxit. ea quum diuturnior futura videretur, ipse Regni sui negotiis avocatus, partem copiarum genero reliquit. At Rex Tigranes, discessu Phrahatis cognito, relictum ad Artaxata filium egregie vicit. Juvenis ad avum Mithridatem prius intendit fugam: deinde cognito ipsum potius egere auxilii, quam auxiliari cuiquam posse, in Pompeii castra venit.

Bellum cum filio & Parthis. Diodorus. Plutarch.

XXVII. Inter hæc reversus in Urbem Lucullus, fratrem Marcum reperit a C. Memmio Gemello Tribuno plebis, propter ea quæ Sullæ jussu Quæstor gesserat, accusari. Multi enim tum in judicium ob illorum temporum delicta vocabantur. Sed ille quidem absolutus est. at facto in Lucium impetu Memmius, cum Populo cœpit agere *ut triumphum ei negaret, multa illum intervertisse & bellum quum finire posset, ultro duxisse* arguens. Contra Lucullus ratione gestorum reddita, contra invidiam meritis pugnabat: neque eo minus Pompeii potentia tanta fuit, ut per venales homines, tanti viri justissimus triumphus in totum triennium differretur.

Luculli triumphus invidia Pompeii dilatus. Plutarch. Lucullo. cap. 77. Ascon. ad Oration. in toga candid. Plutarch. Nicol. Damasc. apud Athenæum Sallust. Catil.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

CN. Pompeius Mithridatem nocturno prælio victum coëgit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique ademptis Syria, Phœnice, Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Conjuratio eorum, qui in petitione Consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis Consulibus, oppressa est. Cn. Pompeius quum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit: Iberos Albanosque, qui transitum non dabant, prælio vicit præterea, fugam Mithridatis per Colchos, Heniochosque, & res ab eo in Bosporo gestas, continet.

MITHRIDATES interea Pompeium fugiens ita profectionem instituebat ut noctibus progrederetur, interdiu requiesceret. Neque multum itineris præceperat, & postridie statim quam castra movisset, Roma-

Mithridatem cedentem Pompeius sequitur.

Diodorus. Appianus.

ni erant extremum agmen consequuti: nec dubitabant amici Regis, quin pugnandum esset; ipse alia omnia praeferens, satis habebat equitibus emissis antecursores Pompeii repellere. Ita cedendo Mithridates, insequendo Romani, ad fines Tigranis usque processerunt. Neque enim cupido pugnandi Pompeio, aut dies opportuni erant, quod castris Mithridates eum se continebat; aut noctes, quod in locis ignotis temerarium videbatur inter tenebras confligere. Sed ubi ventum ad Euphratem est, quem si transmittere Mithridates occupasset, effugerat; non diutius contandum ratus Imperator, ita se exercitumque paravit, ut proxima nocte dimicaret. Armenia minor erat, per quam ibatur: neque longe distabat amnis, terminus hujus & alterius Armeniæ, cui Tigranes imperabat.

Plutarch. Pompeio.c.32.

Et assequutus aggreditur. Eutropius. Ptolemæus Diodorus. Front. 2.7. 2. 3.12.

II. Igitur quiescentibus sub meridiem barbaris, Romanus silentio castris egressus antevertit hostem, & in via, qua transeundum Regiis erat, locum editiorem occupavit, ut maiori impetu in subjectos decurreret. Nocte cœpta barbari ex priore instituto capessunt iter: adeo jam soluti cura, quod ad loca tuta perventum credebant, ut nulli speculatores praecederent agmen. Idcirco prius subjectam Pompeii castris vallem ingressi, quam hostem adesse putarent, ad subitam dimicationem sunt coacti. Magnus & multiplex is terror fuit, & astu Pompeii de industria auctus. Primum enim omnes simul tubicines classicum canere jussi: eum clangorem militum lixarumque acerrimus clamor excepit: hastarumque sonitus ad clypeos allisarum, & quem inermis turba saxis ærea vasa pulsans, haud minus terribilem auribus ciebat. eaque omnia montium repercussu in maius augebantur.

Prælium vehemens & iniquum Ponticis. Liv. Epitom. Diodorus.

III. Hoc repentino tumultu propemodum debellatos hostes omni ex parte Romanus invasit, lapides sagittasque & pila, quamvis per densas tenebras, haud vanis ictibus ut in tantam multitudinem jaculati. Barbari longo & mixto agmine, quod aliter non ad prælium erant egressi, mutuo se impediebant: inter angustias locorum equis camelisque & vehiculis, quæ mulieres portabant, armatos turbantibus. Consumptis deinde missilibus, cominus congressus miles cędebat primos, turbabat sequentes: & cito fiebat ferro via, quod inermes plerique Ponticorum uno vulnere sternebantur. Inter hæc emicans forte nubibus Luna recreavit barbaros, ut si nihil aliud, visuros saltem hostem sperarent, & minore pugnaturos periculo, si quale illud, & unde maxime timendum esset, agnovissent.

Mithridatis clades. Frontinus. Florus. 3.5.2.3. Orosius. Diodorus. Plutarch. Eutropius.

IV. Sed Luna etiam fallax & perniciosus eis splendor fuit, quum adversos ipsorum perstringeret oculos, conspicuumque hosti agmen efficeret. Summa tamen noxæ in eo fuit, quod umbra, quæ a Romanis corporibus per longum intervallum ad suos ordines pertingebat, decepti, tamquam in propinquum hostem tela miserunt. Eo Romani animadverso cum clamore sugressi sunt, Ponticosque tot malis circumventos pepulerunt. *Ad millia decem eo prælio cecidisse* traduntur, *neque pauciores esse capti*. Romani milites viginti cum duobus centurionibus interfecti sunt; vulnerati mille. Sunt qui Regiorum capta cæsaque scriberent quadraginta millia: quod vix existumem in eo Mithridatis exercitu fuisse. præsertim quum multos etiam effugisse sit proditum: inter quos & Mithridates fuit.

V. Is jam ab initio pugnæ cum equitibus octingentis per Romanam aciem se eripuerat. deinde diffugientibus metu cæteris, relictus ab omnibus, tres omnino comites retinuit, quo in numero pellex ejus fuit, Hypsicratea, masculi animi roborisque mulier, quam ideo Hypsicratem nominare Rex consueverat. Ea tum virilem vestem Persicam induta, equo vehebatur: neque longinquitate fugæ, nec curando interim corpore & equo Regis fatigata: quum eo ventum miseriarum esset, ut ipse plerumque per invia manu traheret equum, donec in globum equitum mercenariorum, & peditum tria ferme millia incidit, a quibus deductus est in castellum Synoria; sic appellata, quod ibi utriusque Armeniæ confinia coibant: quo loco Mithridates magnam pecuniæ vim habebat repositam.

Et fuga comite Hypsicratea. Plutarch. Cic. pro Muren cap. 16. Suidas. Appianus. Strab. lib. 12.

VI. Inde sumptis preciosis vestibus, & inter præsentes distributis stipendium annuum militi, donativo insuper adjecto, numeravit. Venenum etiam, quod in iisdem thesauris habuerat, dispertit amicis, ne cui necessum esset in manus hostium invito incidere. Sex deinde talentorum portans millia, quum ad Tigranem properaret, cognoscit *legatos à se præmissos in vinculis, suum in caput centum à Tigrane pronunciata talenta esse, quod cum filio defectionis auctorem fugisse Tigranes autumabat.* Igitur flectit ad fontes Euphratis iter; præteritis illis Colchidem petiturus, quarto die contentissimo cursu pervenit ad fontes. triduumque moratus, nam interea veteres, & quæ postea accesserant, copias recensebat, armabatque, Cothenen, majoris Armeniæ præfecturam ingressus est.

Tigranem inimicum experitur. Appianus. Plutarch. Diodor.

VII. Prohibebant aditum Cotheni, Iberis etiam quibusdam adjunctis Sed hos glandibus ac missilibus pugnantes Mithridates submovit; penetravitque ad flumen Absarum. Deinde pacato per aliquot gentes itinere, Dioscuriada venit, *quam in Colchis condidisse Castorum aurigæ Amphistratus & Rhecas ferebantur.* Interim Pompeius, qui ad persequendum Mithridatem partem equitum & levis armaturæ miserat, quum effugisse illum Phasi transmisso comperisset, in loco prœlii novam urbem condidit. Hic quod ætate morbisve fessum in castris erat, lixasque volentes collocavit: & accessit sponte finitimorum barbarorum multitudo. *Nicopolis* ab argumento vocata est: inter duo flumina Euphratem Araxemque jacet, quæ ab eodem monte diversis tamen specubus prosiliunt, non amplius sex millium intervallo. Cursus non idem utrique: nam Araxes ad Orientem deflectens, in mare Caspium effunditur.

Pompeius Nicopolin condit. Plin. 6. 4. Strab. lib. 12. Diodorus. Orosius. 6. 3. Appianus. Plutarch. Vellejus 2. 37.

VIII. Hæc agentem Tigranes juvenis accessit, ex prœlio, sicut supra dictum est, profugus: ducemque se paternum Regnum invadendi præbuit. Multis itaque populis metu Pompeii, partim etiam Regii juvenis favore deficientibus, Rex lenitatem Romanam quam vim experiri maluit: missoque caduceatore legatos transdidit Mithridatis.

Regnum Tigranis invadit.

IX. Sed obsistente filio, quum æqui nihil impetrasset, & *Araxe transmisso venire Pompeium* audiret, quamquam evocatis amicis, cognatisque Artaxata præsidio muniverat; Romano se statuit dedere. Sextodecimo inde milliario castra Pompeius locaverat, auditoque Tigranis adventu, tribunos præfectosque honoris caussa miserat obviam. Eos amici comitesque Regis conspicati,

Tigranes ad Pompejum venit.

Plutarch. Liv. Epitom. Eutrop. Appian. Diodorus.

in metu adducti sunt, quia Tigranes nemine præmisso, neque potestate ea impetrata, veniebat, ne hostiliter exciperentur. Sed Tigranes diffugientibus cæteris, nihilosecius institutum iter peregit. Quum vallum intraret eques, duo Pompeii lictores *descendere jusserunt; quod ita ingredi castra Romana non liceret.*

Eumque humiliter veneratur. Curtius 3.3.17 Diodor. Eutropius. Velleius.

X. Idcirco pedibus perrexit ad Pompeii tribunal. E tanto fastu Rex modò regum ad pudendam humilitatem animo delapsus: habitu inter pristinam pompam & præsentem fortunam temperato. Imitatione Persicorum Regum tunicam albo colore distinctam, aliamque vestem purpuream totam (*Candys* hæc, illa *Sarapis* vocabantur) gestare consueverat: eas tum omisit, tiaram cum diademate retinuit. Sed progressus ubi Pompeius erat, detractum capiti ad pedes illius deponere, ipse procumbens adorare Imperatorem cœpit, *hoc uni se Pompeio dare* præfatus: *neque cuiusquam alterius aut Romani aut barbari fidei se permissurum fuisse, neque turpe sibi existimare, ei viro subiici, quem Fortuna supra omnes extulisset.*

Et à Pompeio benigne suscipitur. Plutarch. Diodorus. Val. Maxim. 5. 1. 9. Cic pro Sex. cap 27. Velleius. Liv. Epitom.

XI. Pompeius manu sublevatum, neque procidere ad genua passus, diadema suis manibus capiti ejus imposuit, *Regem*que appellavit, & *considere* jussit. Ipse inter patrem filiumque medius, benigna oratione compellavit: *neque excidisse ipsos Armenia, & insuper amicitia Romana auctos esse* confirmabat. *Se porro nihil ademturum eorum, quæ ad eam diem tenuissent: sed neque reddere dudum amissa posse. L. Lucullo imputandum; quod carere oporteat Syria, Phœnicia, Cilicia, Galatia, Sophene: sibi, quod cætera relinquantur. Ea se, ut antea, patris imperio regenda permittere: Sophenen tamen filio proprium Regnum dare. At quando bellum populo Romano sine causa commoverit Tigranes, ideo se ei mulctam sex millia talentorum dicere.*

Tigranis adolescentis irreventia in Pompeio. Plutarch. Eutropius. Suidas. Velleius. Strabo. Appian.

XII. Omnem eam pecuniam, sicuti Pompeio moris erat, Quæstores acceptam in publicas tabulas retulerunt. Neque enim Tigranes quidquam recusabat, quin impetratis conditionibus, *quinquagenas drachmas in milites Romanos, millenas in centuriones, decuplum ejus in tribunos, hospitale munus* pronunciavit. Sed hæc ut seni, tali quidem in sorte, prospera lætaque; ita adolescenti indigna, acerba, intoleranda videbantur. Is neque venienti patri adsurrexerat, neque ullum aliud reverentiæ, aut etiam translatitiæ humanitatis ediderat signum.

Et contumacia in Pompeium. Diodorus. Plutarch. Appianus.

XIII. Vocatus deinde ad cœnam, quam patri Pompeius dabat, neque adfuit; & dixisse dictus est, *Pompeio se honoris hujus gratiam facere; neque sibi alium Romanum Imperatorem defore, per quem cupita consequatur.* Pompeius his nondum auditis, aut dissimulata injuria; postridie inter patrem filiumq; controversiarum arbiter sedit. *Senior Tigranes patrium Regnum retinere jussus, ea lege ut filio utique hærede decederet; Sophene Gordyeneque juveni* sunt attributæ. Sed is thesauros etiam, nam ibi adservabantur, retinere cupiverat. frustratus autem, nec enim aliunde promissa Romanis pecunia poterat exsolvi, tantum indignationis concepit animo, ut de fuga, atque etiam insidiis patri struendis deliberaret: incitantibus maxime proceribus, qui Rege, dum ad Pompeium proficiscitur, deserto, pœnam metuebant.

Ob eam in vincula conjicitur. Plutarch. Diodor. Appianus.

XIV. Vanum id consilium fuit; quia Pompeius indicio ad se delato juvenem libera custodia attinebat; missis interea circum castella, qui *pecunias à custodibus patri Tigrani tradi* juberent. Atque his *jussa junioris exspectare*

obtendentibus, *cujus in ditione Regnum Sophene esset*, adductus ad castella juvenis, quum clausa reperisset, *aperiri* quamquam invitus imperabat. sed illi sic quoque recusare: *nam coacti, non volentis, id imperium esse*. Idcirco Pompejus ira commotus in vincula conjecit hominem. ita demum patris in potestatem thesauri sunt traditi.

XV. Atque ille liberaliter his usus ita devinxit Pompejum, ut mox *socium amicumque populi Romani* appellaret; & gravem senectuti ejus discordemque filium interim haberet in vinculis, decedens secum ad triumphum abduceret. Id ne fieret, socer juvenis Phrahates, missis ad Pompeium legatis, impedire studuerat; *ad se remitti* petens. *simul terminum Parthici Romanique Imperii Euphraten esse* postulabat. De Tigrane responsum, *in patris potius potestate filium, quam in potestate soceri generum censeri aequum esse: terminum Imperiorum eum fore, quem jus & fas statuissent*. Armeniorum calamitas Ariobarzani commodo fuit, cui tum Cappadociae Regnum est redditum. & adjecta Sophene Gordyeneque Tigranis filio ante datae: quae ex eo tempore Cappadociae partes sunt habitae, & dum Regnum Cappadocum stetit, & postea quum Romanorum est facta provincia. *Et frustrare petitur à socero Phrahate. Diodor. Plutarch. Appianus. Liv. Epitome.*

XVI. Eidem & civitatem Ciliciae Cabala, cum nonnullis aliis dedit. Meruerat hoc constanti adversus populum Romanum fide, ob quam longissimo tempore aspera multa toleraverat, per Tigranem, per Mithridatem aliquoties Regno pulsus. Igitur casuum socium, & filium videndi Regem cupidus, rerum regimen in illum superstes adhuc transtulit, memorabili exemplo. Forte à Pompeio in tribunal invitatus sella curuli sedebat; quum filium in cornu scribae adsidentem non ferens, descendit, eique diadema imposuit. Orto inde certamine, quum pari pietate senex offerret Regni insignia, juvenis repelleret, auctoritas Pompeii finem dedit, confirmato patris judicio, honoribusque novo Regi exhibitis. Pompeius his in Armenia gestis, relictoque ad tutelam pacatorum Afranio, persequi Mithridatem conatus, per gentes feras ignotasque Caucasum accolentes exercitum circumduxit. Frequentes ille tractus populos, sed praecipuae potentiae Albanos & Iberos habuit. illi ad Orientem & mare Caspium porrigebantur; Albani ad Pontum & Moschicos montes pertinebant. *Ariobarzanis adversa & prospera.*

XVII. Haec ingressus loca Pompejus, quia periti fidique duces deerant; tamquam in mari, astris sequebantur viam. Satis pacatum ab initio iter fuit *transitum* petente Pompeio, his concedentibus. donec in Tanaiticam regionem perventum. ibi propter rigoris asperitatem hyberna tribus locis sunt posita. Tum Oroeses Albanorum Rex, partim amicitia Tigranis adolescentis motus, caeterum sibi timens, ne aliorum Regum exemplo ab his hospitibus opprimeretur; sub ipsa Saturnalia ad quadraginta hominum millia Cyrum fluvium transduxit. magna spe, fore, ut incautos per hiemem Romanos, & diviso exercitu, aggredientibus opportunos, simul omnibus locis adortus, ne subvenire invicem possent, aliqua certe parte operae pretium faceret. *Oroeses Albanus Romanos tribus locis adortus. Plutarch. Diodor.*

XVIII. Non fefellit barbari dolus Pompeium: igitur licet prohibere trajicientem posset, exspectare dum veniret in manus maluit: nunciisque in caetera hyberna missis, *ut intenti paratique omnes essent*, monuit. Oroeses ita partitus erat copias & negotia, ut ad eripiendum Tigranem quem in custodia Metel- *Et ubique profligatus. Plutarch. Diodor.*

Albani devicti à Pompeio.

lus Celer habebat, ipse proficisceretur: alios adversus Pompeii castra, reliquum exercitum ad opprimendos qui cum L. Flacco erant, mitteret. Nusquam spei respondit eventus. ipse profligatus à Metello, ne ducibus quidem suis melius cessisse cœpta triste nuncium accepit. Flaccus majorem castrorum ambitum defensu difficilem ratus, interius munimentum struxerat: deinde simulato metu attractos intra prius vallum hostes, subita eruptione ceciderat, multis in prœlio, neque paucioribus in fuga interemptis.

Veniam pacemque petit. Justin. 42. 3. 4. Appianus. Mithrid.

XIX. Pompejus adversum se venientes obviam egressus, eo ipso exterruit: & qui nec opinantem opprimi posse speraverant, in hoc incommodum ipsi inciderunt. At ille post hanc victoriam nihil moratus Orœsen petebat, sed Barbarus jam præverterat. magna tamen Albanorum multitudo in transitu Cyrni occupata atque interfecta est. Orœses legatis ad Imperatorem missis, veniam pacemque petiit, neque enim fas esse, fratres invicem agitare hostilia. *Hercules* enim *quũ boves Geryonis per Italiam ageret, ab Albano monte majores eorum in ea loca transduxisse* credebatur. Quemadmodum *& Iberos ab Hispania*, quam *Iberiam* Græci vocant, quantumvis ineptis fabulis læti, nullo nisi nominis argumento, *venisse* tradiderunt. Dedit tamen Albanis veniam Pompeius, non tam cognationis caussa, quam quia per tempus anni parum bello commodum, exercitum quiete refici convenientius judicabat.

Conjuratio Romæ erumpit. Diodor. Florus. 4. 1. 1. Liv. 9. tom. Cic. in toga candid. & ibi. Asconius.

XX. Iisdem temporibus dum ad Orientem arma Romana peregrinantur, periculosa domi conjuratio erupit, ab ambitu Consularium Comitiorum profecta. Namque L. Catilina, quum ex Prætura Africam obtinuisset, ad petitionem decesserat. Sed quia graviter vexaverat provinciam, Afri legati jam tum de absente erant questi, multæque graves in Senatu de eo sententiæ dictæ. Post illitus deinde à P. Clodio, non minus fœdo homine, contra testimonium Q. Metelli Pii, prævaricatione, ut putatur, accusatoris, est absolutus ab Equitibus & Tribunis ærariis, quum Senatorum urna damnavisset.

Ejus caussa & occasio. Sallust. Catil. 18. 2. Asconius. Diodor.

XXI. Dolebat tamen quod ea res, quum intra legitimos dies profiteri non posset, petituro Consulatum impedimento fuerat. *rationem* enim *ejus haberi non posse*, referente ad consilium L. Volcatio Tullo Consule, qui comitia habebat, erat judicatum. Forte acciderat ut paulo ante designati Consules P. Antronius Pœtus, P. Cornelius, Servio Sulla Dictatoris fratre genitus, lege Calpurnia postularentur. hisque damnatis, L. Cottæ, L. Torquato, Consulatus destinaretur: nam Cotta Antronium, Torquatus Sullam reos peregerant.

Socii & consilia. Cic. de fin. 2. 19. Sueton. Cæsare 9. Cic. pro Cornelio. Suetonius. Sallust.

XXII. Hi igitur sociatis cum Catilina consiliis, paucos præterea participes adhibuerunt. De Cn. Pisone, nobili & audaci juvene, non dubitatur, quocum circiter nonas Decembres rem Catilina & Antronius communicarunt. Sed M. Crassus Consularis, & designatus Ædilis C. Cæsar, venerunt in suspicionem: multis, tamquam rem haud dubiam, non tantum credentibus, sed etiam posterorum prodentibus memoriæ. Ii *convenisse* dicunt, *ut principio anni Senatum adorirentur: & trucidatis quos placitum esset, Consulibus ante omnes, Dictaturam Crassus invaderet, Cæsar ab eo Magister Equitum diceretur: constitutaque ad arbitrium Republica, Sullæ & Antronio Consulatus restitueretur.*

Proditio.

XXIII. Sed emanavit indicium rei, Senatumque perpulit, ut Consulibus magistratum inituris præsidium decernerent. Factum etiam contra conjuratos

Senatusconsultum erat: sed ei, tamquam re *nondum satis cognita*, Tribunus quidam plebis intercessit. Kalendis Januariis, quum L. Aurelius M. F. Cotta, L. Manlius L. F. Torquatus in Capitolium adscendissent; quo die locoque patraturi cædem conjurati fuerant; conspectum præsidium audaciam emovit mentibus, Crassusque pœnitentia an metu incertum destituit socios: eoque nec Cæsar quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedit.

Urb. cond. an. 688.
Et impedimenta.
Diodor.
Sallust.

XXIV. *Convenisse* autem C. Curio pater in orationibus scriptum reliquit, *ut togam de humero dejiceret*. Idcirco rursus in Nonas Februarias consilium cædis transtulerunt; jam non Consulibus modo, sed plerisque Senatoribus exitio destinatis. Erant autem Nonis ex more Patres in Senatu adfuturi. Sed tum etiam cessatum est à conjuratis, quia Catilina, quum nondum frequentes armati convenissent, signum præmature dederat. Neque tamen ideo spiritus scceleratorum conciderunt: præcipua Pisonis ferocia, prioribus consiliis non ita dissimulanter instantis, ut paulo diligentiores fallere posset.

Sueton.
Aliusconatus itidem vanus.
Sallust.
Asconius.
Diodor.
Cicer. pro Muren. c. 20.
Antonius August. pag. 139.

XXV. Igitur quum M. Cicero ex Prætura in provinciam ire nollet, Crasso adnitente, Piso in Hispaniam Quæstor pro Prætore missus est: nec invito Senatu, qui pestiferum civem procul Urbe tenere cupiebat; & quia Pompeii potentia multis erat formidini, hunc ejus inimicum cupidius ornabant. *Tum quoque cum eo conspirasse Cæsarem* auctores habeo, *ut foris Piso, Cæsar Romæ ad res novas consurgerent*. Sed id consilium inopinata mors Pisonis dissipavit: quem in itinere Hispani quidam equites peremerunt. Ea de re diversus in civitate rumor exstitit: plerique *propter injurias proprias id facinus ausos Hispanos* putabant. alii *equites illos è veteribus fidisque clientibus Pompeii fuisse* arguebant; *neque tale facinus umquam antea patratum apud eam gentem, sæva & injusta imperia multa perpessam*.

Nova conspiratio Cæsaris & Pisonis.
Cic. pro Murena.
Sallust. incert. l. ipf. 6. 5. 7.
Anton. Aug. pag. 1139.
Diod.
Sallust.
Sueton.
Asconius.

XXVI. Inter has solicitudines anxiam civitatem religiones etiam, & haruspicum gravia responsa terruerunt. Tactum fulmine Capitolium fuerat; complures turres percussæ, lupa gemellos lactans icta, signumque Jovis cum columna, & statua vetus Pinarii Nattæ dejectæ, & legum æra liquefacta. de his consulti haruspices, quum ex tota Etruria convenissent; *incendia templorum, interitum legum & Imperii appropinquare* dixerunt: *idque periculum à civibus, iisque sub lissirpe prognatis imminere*. Itaque ludi per dies decem, aliaque placandis numinibus facta. Signum quoque Jovis majus faciendum, & in excelso collocandum, ita ut ad Orientem spectans (nam prius contra fuerat) Foro & Curiæ obverteretur, Consules locaverunt. *Sic enim fore, ut consilia contra salutem Urbis & Imperii clam inita, Senatui Populoque Romano conspicua fierent*, iidem haruspices docuerant.

Prodigia, & eorum interpretationes.
Cic. de divin. 1. 12.
Cic. in Catil. 3. 13.
Jul. Obseq.

XXVII. Interea Cn. Pompeius quamquam Regnum Ponti possederat, nihil actum credens, donec Rex viveret, suique juris animum ac corpus retineret; Mithridatem persequebatur; & obsistentes in itinere Reges nationesque debellabat. Cum Albanis & Iberis maximum negotium fuerat: sed illi nuper victi quiescebant; Iberos antiquæ libertatis fiducia (neque enim Medis Persisque, neque postea Alexandro servierant) & Artocis Regis infelix astutia, in belli calamitatem egit.

Pompejus Mithridatem sequitur.
Cic. pro Murena cap. 16.
Liv. Epitom.
Diod.
Plutarch. Pompeio, cap. 37.

XXVIII. Nam is post impetratam per legatos amicitiam, incautiores ideo

Iberos lacessiens invadit.

Artoces Iberus à Pompeio victus.

Romanos adoriri statuerat. Sed Pompeius re cognita prius occupandum existimans, quam se ex suo commodo paravisset; ut cito agmine difficillimos gentis aditus præriperet, urbem Acropolin (sic vocabant) ignaro adhuc expeditionis hujus Artoce, circumsedit, claustrum gentis, ad Caucasi fauces obstruendas conditum. Hæc fama Regem ita exterruit, ut Cyro amne superato pontem exureret, eoque facilius potiri urbe Romani, præsidio imposito, transitus in potestate habuerunt: atque inde progressi, totam cis fluvium regionem subegerunt.

Semelque & iterum victos.

XXIX. Jam & Cyrum transcendere Pompejus parabat, quum legati ab Artoce adfuerunt, *pacem* orantes *pontem*que *ad transeundum, & alia necessaria* pollicebantur. His cum fide præstitis Artoces, simul Pompeium transisse comperit, denuo timens, ad Pelorum amnem (is quoque per Iberos volvitur) se recepit. Pompeius inconsultam hominis pravitatem admiratus, qui quos arcere transitu potuerat, & tamquam amicos recepisset, & tamquam hostes vitaret; citatis itineribus cis flumen eum deprehendit. celeriterque invectus, quum arcubus utendi, quo genere pugnæ plurimum Iberi valebant, spatium abstulisset, acie victum Artocen trans Pelorum fugere coëgit.

Pacem petere cogit. Diod. Appianus. Mithrid. Plutarch.

XXX. Magna tamen multitudo pugnando, aut dum flumen vado transmeare tentant, interiit. alii pro more gentium istarum densis nemoribus occultati, quum ab arboribus prægaltis jacularentur, excisis illis adflicti elisique sunt. Ad novem millia hominum interfecta, supra decem capta esse, traditum. Ea clades subegit Artocen, ut denuo legatos cum muneribus mitteret, serio jam pacis cupidus. Neque Pompejus ab ea abhorrebat ad alia festinans; sed fidem barbari semel iterumque deceptus, idoneis pignoribus cupiebat obligare.

In Bosporum transire cogitat. Florus 3.5.28. Diod.

XXXI. Donis igitur acceptis, ne spem fœderum abrumperet, *conventurum* negavit, *ni liberos Artoces obsidum loco mitteret*. Ille rem anxia deliberatione traxit, donec Pelorum quoque vado per æstatem reperto Romani transierunt. tum demum abjecta cunctatione tradidit qui postulabantur obsides, pacemque impetravit. Pompeius *Phasin haud procul abesse* cognito, in Bosporum, ubi Mithridates agebat, transiturus, per Colchos finitimosque populos, partim voluntate eorum; partim vi pulsis qui obstiterant Colchis, invenit viam.

Sed regreditur in Albanos. Strab. lib. 11. Plutarch. Diod.

XXXII. Cæterum animo reputans reliquum iter neque terra per multas bellicosasq; nationes facile, mari etiam ob importuosa litora & feritatem accolentium periculosius fore; Servilio qui classi præerat, negotium, *Mithridatem observandi, neque sinendi aut enavigare ipsum, aut quidquam ad eum portari*. Motis deinde castris, ut Albanos, qui interim defecerant, coërceret, non proximo itinere Cyrum petiit, quod barbari palis in flumine defixis impediverant; sed in Armeniam regressus, ubi minore adhuc aquarum copia vadari per æstatem poterat, aditum moliebatur.

Cyrum vado transit. Plin. 6.9. 3.6. 29 11. Plutarch. Appian. Diod.

XXXIII. Cyrus enim (quem nonnulli *Cyrnum* vocant corrupte forsitan, quum & in propinquo fuerit Cambyses amnis) Coraxicis montibus ortus, ab Iberis & Albanis Armeniam dividit: acceptoque (ut plures existimant) Araxe, duodecim ostiis in mare Caspium decurrit. Difficilis tamen sic quoque transitus fuit. quamquam repertum & vadum, & ab hoste otium erat, ob vim & rapiditatem fluminis. Idcirco Pompejus ita ordinavit agmen, ut equites supra, inferius jumenta sarcinaria, in imo milites transmitterent. Sic exceptus fractusque

que

que ab equitibus cursus aquarum, molliorem pediti transitum dabat; & si quod jumentum vi fluctuum corriperetur, excipi statim ac sublevari à peditatu poterat.

XXXIV. Hinc ad Cambysen amnem perventum, quieto ab hostibus itinere, sed ob æstum sitimque infesto; quamquam ad hæc incommoda vitanda, noctu plerumque proficiscebantur, duces enim, quum ex captis essent, de industria per difficilia loca circumducebant agmen. Ipsum quoque flumen, quod frigidissimas aquas veheret, damno majori quam solatio sitientibus fuit. & multi quum affatim se ingurgitassent, in morbos inciderunt. Inde quum adhuc hostile nihil appareret, per Cambysenam ad Abanta fluvium processum. nihil præter aquam deferente secum exercitu, quæ decem utrium millibus portabatur; nam arida illa & aquarum inops regio est. cætera benigne præbebantur ab incolis, eoque vicissim omnis ab iis injuria abstinebatur. Hoc flumen transgressis *Orœses cum ingenti exercitu adesse* nunciatur. Mox Cambysen, frigidissimum flumen. Plutarch. Strabo. Front. Strat. 2. 3. 14. Diodor.

XXXV. *Sexaginta millia peditum duodecim equitum fuisse* referuntur *Albani Iberique: male plerumque armati, nec nisi ferarum tecti tergoribus*. Igitur Pompeius longa magis itinera, & difficilem persequutionem, quam aciem hostium timens, ut ad pugnam eos eliceret, equites in æquum locum præmittit: post illos juxta callem in angustiis locatum militem *galeas, ne illarum fulgore proderentur, scuto tegere, & in genua se dimittere* jubet. Orœses solis equitibus conspectis, quo genere armorum prævalebat, contemptim invectus, post levem pugnam (sic enim præceptum fuerat) refugientes strenue persequitur. at illi quum ad peditatum suum pervenissent, in latera discurrentes, spatium legionibus aperuerunt. ab iis inopinato prœlio excepti hostes, ab equitibus utrimque circumventi magnam suorum multitudinem amiserunt. Albanos iterum vincit. Diodorus. Strabo. Plutarch.

XXXVI. Reliqui quum in sylvas se recepissent, Pompeius exercitu circumdato *ignes admoveri jussit*: pars pleraque incendio, qui erumpere tentaverant, excepti ab armatis perierunt. & gaudebat cædibus miles, ob tentatas nuper insidias infestus, quarum memoria continenter inclamabant ferientes, hem Saturnalia! nam sub eos dies opprimere Romanos Albani cogitaverant. Sed eo in prœlio non tantum Imperatoris, verumetiam militis Pompeius explevit munia; fratre Regis prostrato, *Cosin* vocabant: qui jaculo Pompeium petens, quum loricæ commissuram percussisset, hasta Romani transfixus cecidit. Regis fratrē sua manu prosternit. Appian. Plutarch. Zonaras.

XXXVII. Dum spolia leguntur, *peltas cothurnosque repertos esse* ferunt, *qualibus Amazones usæ creduntur, corpus tamen muliebre nullum repertum*: alii fabulam augent, *inter obsides captivosque multos generis ejus fuisse, honestis inter pugnandum acceptis vulneribus*. adeo familiare hominibus est, per vaniloquentiam à veris ad mira & incredibilia desciscere. Cæterum Orœses hac clade, & quæ illam excepit, vastatione Regni domitus, missa legatione pacem petiit. deditque Pompeius jusso *à montibus* (nam sub ipso Caucaso castra posuerat) *in plana descendere*. Fabula de Amazonibus. Appianus. Diodorus. Florus. 3. 5. Orosius. 6. 4. Zonaras. Velleius. 2.

XXXVIII. Atque ille non paruit modo, sed ultro etiam cum epistolis munera misit, lectulum, mensam, solium, omnia aurea. quæ pro more suo Pompejus Quæstori referenda in tabulas dedit: Regemque aliis quibusdam donis est remuneratus. Miserunt & reliqui plerique Caucasum inde ad Caspium usque mare accolentes populi de pace legatos: quam haud gravate concessit, quia jam ex- Albanorum Rex, & alii ad Caucasum pacem impetrant. Orosius. 6. 4. Velleius. 2. Florus.

peditionem hanc finire, & ad componendas quas recens confecerat provincias, itemque Parthorum consilia speculanda, præverti statuerat.

Appianus. Plutarch.

XXXIX. Post pugnam enim cupiditas invaserat animum ejus ad mare Caspium penetrandi, quo termino Romanum Imperium ab Oriente finiret; sicut ad Meridiem Oceano, ad Occidentem Atlantico, rebus in Africa & Hispania gerendis terminaverat. Nec amplius tridui itinere aberat; sed multitudine & exitiali veneno anguium deterritus, in Armeniam regressus est: ne Mithridatem quidem ultra persequens, *cui se acriorem hostem relinquere, famem*, dictitabat. Edixerat enim, *ne quis negotiator commeatum ad ea loca deportaret: qui fecisset, eum se pro hoste habiturum.* & ne contemni posset, classis disposita erat, exceptura, qui contra ejus edictum navigassent.

Mithridates per Scythicas gentes in Bosporum tendit. Appianus. Liv. Epitom. Strab. lib. 7. Sallust. incert. 5. 34. Marcellin. 22. 25.

XL. Dum his curis Pompejus distringitur, Mithridates à Colchis, ubi hybernaverat, per Scythicas gentes, quarum multitudinem atque pugnacitatem vix florentibus rebus esset aggredi ausus, Bosporum petebat. Et Heniochi quidem transitum haud inviti dederunt: per Achæos vi & manu parandus fuit, qui super insitam feritatem, paucos ante annos bello appetiti iras retinebant. Græcorum id genus esse traditum est; ab Achæis qui Phthiotæ vocati sunt, oriundum. Inde vel ab Jasonis exercitu, vel à bello Trojano reliquiæ, quum navibus ad redeundum destituerentur, quæ tempestate ad ea litora ejectæ perierant; inter feras gentes humanitatem omnem exuerunt, ad latrocinia, etiamsi propositum abfuisset, locorum egestate coacti. quippe cunctis circum hostilibus, in verticibus asperorum & nivosorum montium sedes figere necessum habuerant.

Filius Mithridatis Bospori legatos ad patrem mittit. Appianus. Diodorus.

XLI. At Mithridates transducto per fines horum exercitu, quum Mæoticas gentes attigisset; à Regulis passim, ob famam virtutis & potentiæ, & vires tum quoque non contemnendas, hospitaliter exceptus deductusque, acceptis datisque muneribus societatem belli cum iis pepigit, multa & ingentia animo volutans. & quo firmior esset amicitia, filias (habebat enim multas ex diversis mulieribus) potentissimis eorum despondit. Hæc quum filius Mithridatis Machares, qui tum in Bosporo regnabat, cognovisset, *tam brevi tempore tot indomitas gentes, & celebrata sermonibus Scythiæ claustra perrupta, suoque jam Regno proximum patrem esse*; mittit ad eum legatos, *necessitatem excusans, quæ omnia alia cupientem Romanas sequi partes adegisset: ipse patris conspectum, implacabilem ejus iram sciens, vitabat.*

Mos desperata salute semetipsum interficit. Appianus. Diodor.

XLII. Quoque tutior ab illius odio foret, plerisque concrematis, ut sequendi facultatem adimeret, cum cæteris navibus in Cherronnesum concessit. At Mithridates aliis repertis, misit certos, qui promissa *impunitate præmiisque*, Macharis amicos *ad tollendum herum* incitarent. Quibus ille rebus cognitis, desperataque salute, sibi ipse conscivit necem. Mithridates amicorum eos, quos ipse addiderat filio, tamquam proditores adfecit suppliciis: quos postea Machares sibi paraverat, iis pepercit, *nihil contra se deliquisse* dicens, *cui nullo obstricti beneficio fuissent.*

FINIS LIBRI CI.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CII. LIVIANI.
L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.

CN. Pompejus in provinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regiam, quum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, à milite Gallo, nomine Bitæto, à quo, ut adjuvaret se, petierat, interfectus est. Cn. Pompejus Judæos subegit: fanum eorum Hierosolymæ, inviolatum ante id tempus, cepit. L. Catilina bis repulsam in petitione Consulatus passus, cum Lentulo Prætore & Cethego, & pluribus aliis, conjuravit de cæde Consulum & Senatus, incendiis urbis, & opprimenda republica: exercitu quoque in Etruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis supplicium sumptum est.

INTEREA Pompejus in minorem Armeniam reversus, obvios Elymæorum Medorumque legatos habuit, amicitiam petentium: quibus ille respondit comiter, literasque plenas humanitatis ad Reges dedit. Phrahates etiam Pompeji gesta fortunamque veritus (cujus & legati per absentiam Imperatoris quidquid in Armenia Pontoque fuerat reliquum, subegerant; & Gabinius Euphrate transito jam ad Tigrin pervenerat) *de renovanda societate & amicitia* legationem mittit. Nihil impetratum. quia fidens sibi Pompeius superbe legatis responderat, etiam *Gordyene* repetita, de qua cum Tigrane Phrahates dimicabat. Illis nihil ad hoc regerentibus, nec enim mandatum acceperant; literas dedit ad Phrahatem; nec exspectato responso, cum exercitu Afranium misit. Parthorum legatio ad Pompejum. Plutarch. Pompeio. cap. 59. Diodorus.

II. Hic nullo negotio repulit Parthos, & jussu Pompeii Gordyenen Armenio restituit. Quum deinde fugientes per Mesopotamiam ad Arbelitin usque præfecturam insequeretur; ignorantia locorum aberravit à via, multaque per inopiam & hyberna frigora passus, haud procul abfuit exitio, nisi Carrheni, colonia Macedonum, excepissent eum atque deduxissent. Afranius Parthos Gordyene expellit. Plutarch. Diodor.

III. Phrahates *contra pacta Romanos in suæ ditionis loca irrupisse* caussatus, gravem instituit per legatos querimoniam: illud etiam inter offensas numerans, *quod se Regem Regum appellari solitum, Pompejus in epistolis tantummodo Regem nominaret*. Eadem hyeme firmissimum castellum (*Symphorium* vocabant) in quo thesauri Mithridatis erant, Romani tradente Stratonice receperunt. Ea in matrimonium Regis ex humili fortuna venerat; quum psallens in convivio placuisset. Stratonice Mithridatis uxor. Plutarch. Diodor.

IV. Castoris enim senis & pauperculi erat filia: sed repente in cubile Re-

Patre paupercula nata. Diodor. Appianus. Frontin.

gis recepta, patrem quoque divitiis cumulavit. Nondum satis certa luce ministri Regii vestes preciosas, vasa aurea & argentea, cum alia supellectile plurima domum ejus attulerunt. Quibus conspectis senex, & sua esse audiens, ludibrio se ratus haberi, proripere se per ostium voluit: donec retinentibus docentibusque *divitis cujusdam hæreditatem beneficio Regis donari*, *atque hæc initia tantum esse honoris & opum*, *quas mox esset habiturus*. vix tandem credidit; tanto perfusus gaudio, ut propemodum de potestate exiret.

Quem Mithridates ditando infatuavit. Appianus. Plutarch. Diodor. Plutarch.

V. Sane purpuram indutus, prosequente copiosa familia per urbē obequitabat, clamitans; *hæc omnia mea sunt*. & ridentibus obviis, *id mirum esse* negabat; *sed quod occurrentes sibi præ nimia voluptate lapidibus non incesseret*. Hoc sunt & possunt divitiæ, hisque interdum modis illuduntur & illudunt. Illa ergo Stratonice, relictam se & quasi neglectam à Rege dolens, *salutem Xipharis* pacta, quem Mithridati pepererat, *si forte venisset in potestatem Romanorum*, castellum thesaurosque Pompeio tradidit. multis à se adjectis muneribus.

Stratonice castellum munitum Pompeio tradit. Orosius. 6. 4. Liv. Epitom. Eutropius. Cic. Philip...

VI. Validum in arce præsidium Mithridates reliquerat: sed mulier composito dolo maximam ejus partem per caussam advehendi commeatus emisit; deinde Romanis haud procul inde latitantibus aperuit portas. Pompeius ablata pecunia, quæ subterraneo in specu vasis æneis ferro vinctis ignota vulgo servabatur; & ex muneribus quod ornatui templorum aut triumphi accommodatum videbatur, cætera habere Stratonicen jussit. Sed nec illam, nec quamvis aliam Regiarum mulierum, quum captæ deditæque plurimæ essent, adtigit; verum remisit eas ad parentes propinquosve.

Pompeius Amisi conventum celeberrimum agit. Appian. Strab. lib. 12. Hirt. de B. Alex. cap. 66.

VII. Regulorum enim & ducum pleræque filiæ aut uxores erant. Exinde profectus Amisum in hyberna, justa quadam ultione in eamdem reprehensionem incidit, qua criminatus Lucullum fuerat, ut manente bello (nam in Bosporo Mithridates haud exiguo instructus exercitu regnabat) res ordinaret, honoresque & præmia distribueret. Maximo ibi concursu principum Asiæ & Orientis, Reges quoque barbari duodecim adfuerunt. In hoc tam celebri conventu Armeniam, Colchos, Cappadociam & Syriam composuit: Pontum in provinciæ formam redegit: Armeniam minorem Dejotaro Galatæ, cujus maximis auxiliis erat usus, quemque ex animo amicum, vereque benevolum populo Romano judicabat, dono dedit.

Præmia sociis distribuit. Plutarch. Diod. Suet. Cæsare cap. 10.

VIII. Paphlagoniam Attalo & Pylæmeni reddidit, unde Mithridates eos expulerat: Colchis Aristarchum Regem dedit. Comanis Ponticis Sacerdotem præfecit Archelaum, Archelai quem Sulla vicerat filium; quod Sacerdotium Regias pene opes ac dignitatem habebat. Bellona hic & Cappadociæ Comanis colebatur: paribus utrobique legibus, & antistitum opulentia. Pompejus Archelao præter agrum antiquitus sacrum, duos adjecit in orbem schœnos, id est passuum septem millia trecentos. His confectis per Cappadociam in Syriam movit, quum domitis per Afranium Arabibus Amani accolis viam sibi patefecisset.

C. Cæsaris magnifica ædilitas. Diodor. Sueton.

IX. In itinere quum præter Zelam duceret, ubi reliquiæ Triarianæ cladis insepultæ jacebant, tumulum iis struxit, & persolvit extrema magnifice. quod neglectum à Lucullo, sauciis antea militum animis, haud mediocris ad pristina odia cumulus accesserat. Dum eum ad modum Pompeius incrementa gloriæ

potentiæque bello quærit, C. Cæsar civilibus artibus ad opes vastissimo animo concupiscendas struens aditum, splendida Ædilitate fungebatur. Nam Romanis Megalensibusque ludis, præter Comitium ac Forum Basilicasque, etiam Capitolium temporariis Porticibus ornaverat, in quibus, abundante rerum copia, pars apparatus spectanda proponeretur. Plutarch. Cæsare c. 10.

X. Venationes autem ludosque & cum collega M. Bibulo, & separatim edidit: quo factum, ut communium quoque nomen & gratia penes eum solum esset: ut *evenisse sibi* Bibulus, *quod Polluci*, diceret: *ut enim Geminis in Foro ædes posita, tantum Castoris diceretur; ita suam Cæsarisque munificentiam, unius Cæsaris dici.* Bibuli de ea dictum. Plutarch. Diodorus. Sueton.

XI. Adjecit insuper & gladiatorium munus Cæsar, patris memoriam celebrans; paribus trecentis, & viginti datis, quum aliquanto plura destinasset. Sub idem enim tempus Senatusconsulto de numero gladiatorum cautum est, quo ne maiorem cuiquam habere Romæ liceret. quia Cæsar multis lanistarum comparatis familiis, inimicos quasi ad vim his usurus, exterruerat. Gladiatorio muneri & epulum adjecit. Ob has largitiones, & quia dudum curator Appiæ viæ creatus, multum de suo impenderat; maximum sibi favorem populi conciliavit. Sed & illud lætum vulgo fuit, quod monumentum C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris, quæ Sulla disjecerat, à Cæsare est restitutum. Cæsaris munus gladiatorium. Diodorus. Plutarch. Cæsare cap. 6. Suetonius. Plutarch. Sueton.

XII. Is statuas Marii & trophæa clam fabricata noctu in Capitolio posuit. Postridie quum auri splendor & artificis industria oculos hominum adverteret, momento per urbem diditus rumor, ingentem ad id spectaculum concursum excitavit. Ad audaciam juvenis (neque enim quemquam fallebat ejus rei auctor) inter diversos laudantium reprehendentiumq; motus universi stupebant. Idem Marii trophæum restituit. Propert. 3. 9. 46 Plutarch.

XIII. At inimici magnis clamoribus, id videlicet ambitione munerum quæsitum esse testabantur, ut hoc palpo mansuefactus populus, instar ferocis equi frænum sibi injici pateretur. Nam ista profecto tentantis potentiam hominum, & viam ad Regnum molientis esse. Hæc Cæsaris acta variè accepta.

XIV. Contra Marianarum partium homines, ingens multitudo plausu complebat Capitolium, profusisque ad conspectum statuarum præ gaudio lachrumis, Cæsarem faustis vocibus ominibusque prosequebantur, unum omnium adfinitate C. Marii dignum prædicantes. Coacto hanc ob rem Senatu Q. Catulus accusans Cæsarem, inter alia multa nobilem illam vocem misit; nec enim jam cuniculis Cæsar, sed machinis petit Rempublicam. Quum autem Cæsar ita respondisset, ut Senatui probaret caussam; faventium adeo sunt erecti animi, ut nemini se submittere juberent, ad omnia magna natum, & populi studiis consequuturum quilibet. Laudant Mariani, defendit Cæsar in Senatu.

XV. Eodem anno C. Cornelius Majestatis reus, apud Q. Gallum Prætorem, à Cicerone longissima oratione defensus est: quamquam Q. Hortensius, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M. Lepidus testimonium in eum infense dixerant, negantes eo salvo stare Rempublicam posse. præterea Q. Catulus, cujus eo anno Censura, collega M. Licinio Crasso, parum concors aut utilis Reipublicæ fuit. C. Cornelius majestatis reus à Cicerone defensus. Ascon. in Cornelian. L. actant 6. 2.

XVI. Nulla enim re gesta (quippe neque Senatus aut Eques ab his recensitus, neque populi census actus est) magistratu se abdicarunt. Caussa dissidii penes Crassum fuisse creditur, nota Catuli lenitate & modestia. Quidam de civi- Catuli & Crassi censura discors & inutilis. Plutarch. Crasso cap. 24.

Val. Max. 8. 5. Plutarch. Diodo. Ascon. in Toga Candid.

tate Transpadanis danda discordes habuisse sententias ferunt: quos Cæsar & hujus plerumque consiliis innexus Crassus fovebant. Apud alios restitisse Catulum collegæ reperio, vectigalem facere Ægyptum molienti.

Catonis in Catulum asperitas. Plutarch. de Vitioso pudore cap 18 & in præceptis Reip ger. c. 30. Plutarch. Catone. Cic. de Offic. 3. 11.

XVII. Cum hoc tanto & tam egregio viro per eadem tempora Catoni nata est dissensio. Is enim deprecanti mulctam clientis Catulo mira severitate inexorabilem se præbuit: eousque, ut molestius instanti diceret, turpe est Q. Catule, te quum sis Censor, à meis ministris hinc abripi discedere nolentem. Catulus ad hæc labra movens, nec reperto quid responderet, prohibente pudore vocem, quam ira impellebat, tacitus se proripuit. Tam multiplices inter discordias potentium C. Papius Tribunus plebis haud vano metu multitudinem ignotorum hominum suspectam habens, peregrinos, exceptis qui sedes haberent in Italia, & uno nominatim Glaucippo, Urbe submovit, lege in id lata.

C. Cæsar, quæstionem de Sicariis exercet in Sullanos. Sueton. Diodorus. Plutarch. Catone c. 23.

XVIII. Jam L. Julius Cæsar, C. Marcius Figulus Consules erant; quum C. Cæsar ut se experiretur, & inimicis ægre faceret, eorumque diminueret auctoritatem, in exercenda de Sicariis quæstione, eos quoque Sicariorum numero habuit, qui proscriptione Sullana ob relata civium Romanorum capita, præmium acceperant, quamquam excepti Corneliis legibus erant. Eorum hominum caussam Catonum Quæstor præiudicio premebat, quod ab iis acceptam ob cædes pecuniam, turpitudinem facti simul vehementer exprobrans, exegerat. Sic deinde trahebantur ad judices, & velut à Catone prædamnati, tristes sententias auferebant. Damnati sunt L. Luscius notus centurio Sullanus, & tam dives ex victoria factus, ut amplius centies rem haberet: itemque L. Bellienus avunculus Catilinæ, qui Sullæ jussu Lucretium in foro confoderat: mirantibus, quibus improvisa res acciderat, ut quos formidabiles prius omnibus vidissent, eosdem reos, humiles, sordidos, postremo sanctionibus pœnisque obnoxios cernerent.

Absolvitur tamen Catilina. Asconius. Diodorus.

XIX. Post paucos deinde menses à dissimili caussa par admiratio fuit: quod his damnatis, quorum alter inficiatus erat factum, alter imperio Dictatoris paruerat, Catilina est absolutus; quem post repulsam in petitione Consulatus, L. Lucullus, qui postea quoque eumdem honorem petiit, lege de sicariis postulaverat.

Mithridates suum à Stratonice filium coram ea necat. Orosius. 6. 5. Diodorus. Appianus. Mithridat.

XX. Inter hæc Mithridates Cerealia in Bosporo celebrans, repentino terræmotu est turbatus, quo violentioris non exstabat memoria: clades inde plurima fuit, oppidorum quoque haud pauca graviter sunt adflicta. Sed ille Panticapæo recepta, quod ad ostium Ponti Europææ partis emporium est, quum trans fretum agere Stratonicen comperisset, communem filium, cujus illa salutem pacta à Pompeio fuerat, in conspectu mulieris interfecit, abjiciq; insepultum jussit: bonum patrem exuens, ut malum maritum ageret. Legatos deinde ad Pompeium misit, paternum sibi Regnum concedi postulans, vectigali stipendiarioque populi Romani futuro. Pompeius adhuc vivere Mithridatem miratus ad se venire jussit, Tigranis exemplo. Quod ubi est relatum; facerem, inquit, nisi essem Mithridates. aliquot tamen filios & amicorum principes mittam. Nec ideo segnius delectum habebat, ingenuos servosq; promiscue sacramento adigens. Arma item telaque & machinas intente parabat: neque arboribus frugiferis parcens, neque bobus aratorum, qui ob nervos, quorum copia opus ad machinas erat, frequentes occidebantur.

Mithridatis apparatus novi.

XXI. Ob hæc, & quia tenuissimis etiam tributum erat impositum, invisum

esse vulgo Mithridatis imperium cœpit, & ministrorum culpa crescebant offensæ, quod latente propter morbum Rege, per superbiam, & avaritiam in populares multa delinquebant. Mithridates enim ulcerosam abscondens faciem, à nemine patiebatur adspici, extra spadones, qui & medicabantur. Quum percuratus esset, jam sexaginta cohortes sexcenariæ sub signis erant, lecta juventus, præter inconditam multitudinem: naves etiam, & loca opportuna interim à ducibus præoccupata præsto erant. Orosius. Appianus.

XXII. Hoc animosior ad cætera, partem copiarum Phanagoream trajecit ex adverso Panticapæi situm emporium, duobus his claustris os Ponti in potestate habiturus. Sed non diu perstiterunt in fide Phanagorenses, Castore quodam rebellionis auctore, qui tortus aliquando à Tryphone, Regio eunucho ingressum Phanagoream hominem occidit, populumque ad vindicandam armis libertatem excitavit. Regiam liberi Mithridatis obtinebant. eos Castor congesta circum arcem incensaque materia compulit ad deditionem. Defectio Phanagorensium. Plutarch.

XXIII. In his Artaphernes ferme quadragenarius erat: Xerxes, Oxathres, & Eupatra in ætatis flore. Sed altera filiarum Mithridatis Cleopatra quum perire mallet, quam se dedere; tam generoso proposito fortius stimulavit patrem, ut quidlibet pro ejus salute conaretur. Itaque submissis ab eo plurimis dicrotis erepta, & Panticapæum revecta est. Cęteros Phanagorenses ad pręsidia Romana transmiserunt. Subinde Castoris successu & aliæ civitates animatæ à Rege defecerunt: Chersonesus, Theodosia, Nymphæum, cum aliis circa Pontum opportunis bello gerendo oppidis. Et aliorum populorum. Sueton. Diodorus. Plutarch. Caton cap. 23.

XXIV. Idcirco Mithridates crebris defectionibus territus, quum exercitui qui magnam partem ex invitis constabat, parum fideret; filias Scythicis Regulis desponsas, quingentorum militum addito præsidio, misit, ut eos quam maturrime cum auxiliaribus copiis ad se pertraheret. Sed milites accisis in itinere spadonibus, quod genus apud Regem prævalidum & potentia sæpe abusum infestissime oderant, puellas seque Pompeio tradiderunt. Inter has calamitates adeo non deficiebant Mithridatis spiritus, ut potius augerentur; quum enim esset septuagenario maior fractum laboribus corpus, animi vigore sublevando consilia vasta, inaudita, incredibilia agitabat. Mithridates animo fortunam sustentat. Orosius. Appianus.

XXV. Namque per Colchos & Mæoticas gentes ad Istrum penetrare statuerat. Inde sive per Gallicas gentes, quarum amicitiam diu ante paraverat, tritamque Cimbris viam tractis secum qua transiret auxiliis, superare Alpes; sive Thracia, Macedoniaque & Græcia raptim transitis, in Italiam irrumpere. Quod si efficere potuisset, non dubitabat, quin in ipsa Italia contra Romanos arma & viros esset inventurus; quod & Annibali successerat; & nuper Spartacus homo nullius dignitatis non caruerat adversus Romanos fautoribus. maxime autem socialis belli reliquias, & velut sub cinere latentes igniculos sperabat adventu suo excitari posse, quum haberet apud se generis ejus plurimos: & paucos ante annos ultro inde legationes venissent in Italiam eum vocantium. Ejus vasta consilia. Orosius. Appianus.

XXVI. Sed exercitus à mentione tam longinquæ & duræ militiæ abhorrebat: neque enim se pares futuros Romanis in Italia sperabant, quos domi substinere nequivissent, & regem desperatione ad audendum propelli rebantur, ut exactam ætatem Regia potius morte clauderet, quam brevem lucis usuram Sed exercitus animo Regis non respondet. Diod. lib. 37. Appianus.

Syria in provinciæ formam redacta

perpetua ignominiâ mercaretur. Durabant tamen adhuc, & imperium patiebantur, reverentia Regis, cujus tanta erat apud omnes gloria, ut ne quidem inter adversa contemptui facilis videretur.

Pompejus in Syriam descendit. Diodorus. Florus. 3.5.25. Appian.

XXVII. Jam in Syria Pompeius erat, quum hæc omnia circa Bosporum gerebantur. Is enim obiter superatis Antiocho Commagenæ, Dario Mediæ Regibus, quinquagesima quam ex Ponto profectus erat die, Ecbatana pervenerat. Duplicia fuerunt Ecbatana dispari nobilitate. nam altera Persarum, deinde Parthorum Regum æstivis notissima sunt: Syriaca præter mediocritatem opum, nomen quoque mutatum obscuravit: postquam à monte, in quo situm erat oppidum, *Carmelum* appellare cœperunt.

Parthica bella declinat.

XXVIII. Ad hanc igitur Syriæ urbem venisse Pompeium, non ad Medicam arbitror: quamquam aliter est ab Orosio traditum. Nec ideo quia cum Medorum Rege bellum habuit, ad Ecbatana pervenisse credendus est: nam illum auxilium Antiocho ferentem coëgit fugere; neque vero Parthus quievisset accedente Romano ad Regni sui caput, quemadmodum ab eodem Orosio nominatur. Preterea notum est Parthica bella declinasse Pompeium, Syriæ partes omnes percurrisse, ut sub imperium cogeret. *Quidquid* enim *sub Tigrane fuisset, illo debellato populi Romani factum esse* autumabat: hocque factitabat lubentius, ut acta Luculli convellerentur.

Antiochum Regno Syriæ exuit. Diodorus. Appian.

XXIX. Nam Lucullus victo Tigrane reversum in Syriam, receptumque à suis, Antiochum Cyziceni filium avito Regno frui passus, *Regem* appellaverat. Sed ademit præsenti videntique Regnum Pompeius, quamquam nunquam de populo Romano male meruisset, quum hostem ejus Tigranem regnare pateretur. Nec speciosa dicta deerant. *recusare Syros hominem, à quo tot per annos deserti, alienigenæ Regis jugum tulissent: neque vero æquum esse, quum sua tueri nequivisset, alieni laboris eum habere præmia. Paci quoque Syriæ consulendum, ne rursus Judæorum Arabumque latrociniis fiat opportuna.*

Tigranis & Phrahatis bellum. lib. 5. 19.

XXX. Sic velut justo Rege vacans, in provinciæ formam Syria redacta est; Seleucidarumque imperium finem accepit: præter modicum Commagenæ Regnum, quod illi Antiocho non modo reliquit Pompeius, sed etiam auxit, adjecta Mesopotamiæ parte quam raptim subegerat, castelloque Seleucia; in quo adservatam aliquamdiu Cleopatram cognomento *Selenen*, Syriæ Reginam Tigranes nuper interfecerat. Hoc modo constituenti Syriam Pompeio legati Phrahatis Tigranisque Regum adfuerunt. Recruduerat inter eos bellum, victusque primo prœlio Parthus, sequenti Armenios pepulerat.

Et pax. Orosius. 6.4. Velleius. 2.40. Appianus. Diodorus. Justin. 40. 2.3.

XXXI. Igitur Tigranes Pompeium è Syria arcessebat: Parthus accusabat Romanos varie, ut sentire Pompeius posset, si bellum coeptaret, cum potente & parato hoste certamen fore. Quapropter incostantiam Fortunæ reputans, nulla Tigrani auxilia misit, neque contra Parthos quidquam fecit hostiliter, negans *injussu Senatus populique Romani bellum suscipi fas esse*. Legatis autem respondit, *esse Phrahati non cum Romanis, sed Tigrane de finibus controversiam: missurum igitur tres viros, qui dissidentes componerent*. Neque Reges recusarunt, quin illos pro justis disceptatoribus admitterent: quamquam inter ipsos jam odio metuque Romanorum convenerat.

Comitiorum

XXXII. Tigranes negatis suppetiis iratus; Phrahates sibi metuens, si Tigranes peris-

perisset; ambo satis certum putantes, ad utrum eum excidio alterius victoria venisset, illum hostes Romanos, & minus ad repellendum virium habiturum, in gratiam haud difficulter redierunt. Quum inter has res Comitiorum dies adessent, magnam in Urbe novorum Consulum exspectationem, multitudo competitorum, & suspecta quorumdam consilia moverunt. septem in eum annum candidati petebant: patricii duo, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina; totidem plebeii nobiles, C. Antonius, L. Cassius: praeterea Q. Cornificius, C. Licinius Sacerdos, qui tamen non primi ex familiis suis magistratum gesserant. Consularium magna exspectatio. Appianus. Syriac.

XXXIII. Solus competitorum M. Tullius Cicero Equestri loco natus, nullas ostentare imagines poterat. Sed hic eloquentiae praesidio, & integritate morum in id fastigium erat enisus, ut meliori spe quam caeterum quisquam peteret. Quapropter Antonius & Catilina, pessimi omnium turpissimique coitionem fecerunt, ut Ciceronem Consulatu dejicerent, adjutoribus usi firmissimis M. Crasso, C. Caesare; qui civilem Ciceronis potentiam rationibus suis adversam fore judicabant. Horum opera & factionibus ita palam fervere ambitus coeperat, ut paucis adhuc Comitiorum diebus reliquis, Senatus *legem ambitus*, *aucta etiam tum poena ferri* juberet. Intercessit Tribunus plebis Q. Mucius Orestinus. Cicero Consulatum petit. Appian. Mithrid. Plutarch. Pompeio. cap. 63. Vellei. 2. 37.

XXXIV. Id quum graviter ferrent Patres, surgens Cicero loco sententiae orationem habuit in toga candida, contra Catilinam & Antonium: ceteris competitoribus, qui modeste se gerebant, abstinens. Galba enim sine fuco & fallaciis prensabat, more majorum: neque Q. Cornificium reprehenderes. Cassius tum adhuc iners potius ac stolidus esse, quam improbus videbatur. Orationi Ciceronis & Catilina & Antonius contumeliose responderunt, quod unum poterant invecti *in novitatem ejus*. Adversus competitores dicit. Strab. lib. 16. Appianus.

XXXV. Id telum erat ingens apud accensos invidia nobiles, qui velut pollui Consulatum rebantur, si ad hominem novum, quantumlibet egregium, pervenisset. Et Manilianis actionibus, tamquam ad popularem factionem deficiens, optimates offenderat. Sed cito mutati sunt, postquam industria vigilantiaque viri opus esse periclitanti Reipublicae viderunt. Quippe Catilina circiter Kalendas Junias cum multis nobilibus aliisque pessimis & audacissimis hominibus, conjurationem fecerat, ut Consulibus trucidatis, Senatuque deleto, incensa pluribus locis Urbe, aerarium diriperent, Rempublicam constituerent arbitratu suo. in hoc fidem mutuo obligaverant homine mactato, ejusque gustato sanguine, tantus furor mentes incesserat. Plerosque sequuta luxuriam egestas ad ultimi furoris consilia praecipitabat: erant & qui spe dominationis improbis coeptis occulte faverent. Catilinae conjuratio. Diodorus. Appianus. Plutarch. Diodorus.

XXXVI. Mulieres quoque luxu ac libidine perditas, aut maritorum necem optantes adsciverant, per quas servitia concitarent, aut viros illarum interficerent. Harum nec paucae erant corruptis civitatis moribus, & primariorum virorum conjuges, ex quibus Semproniam D. Bruti uxorem Sallustius nominat. Sed in eadem caussa fuisse non immerito existimemus, quae paulo ante aut postea sunt à viris repudiatae, Clodia & Servilia Luculli, Mucia Pompeii, Catonis Atilia, Caesaris Pompeia, Antonii Antonia; & M. Luculli quacumque gente fuit, uxor. Juventus etiam ple- In qua & mulieres. Ascon. in Toga cand. Plutarch. Cicer. cap. 11.

Cicero Consul renunciatus.

raque, præcipue nobilium, licet nomen conspirationi non dederat, tamen audiens hujusmodi quædam agitari gaudebat, imbecillitate ætatis, & quia corruptis olim moribus, ut quæque erant flagitiosissima, ita maxime probabantur.

P. Sitii fortuna. Cic. ad Attic. a. 3. Asconius. Sallust. Cat. cap. 21. Cic. de petit. Consula.

XXXVII. Multum etiam ad perficienda cœpta in Pisone spei Catilina posuerat, qui tum, nondum audito ejus casu, Hispaniam citeriorem obtinere credebatur: itemque P. Sitio Nucerino. Nam is publico judicio postulatus, adsciscit in itinere pessimo quovis & levissimo eadem metuentium, aliisque quos fors offerebat; per Italiam ac Hispaniam ad fretum transgressus, in Africam ductor exercitus sui transjecerat: ibique Regulis inter se bellantibus auxilia ferendo, quum quibus ille accessisset, superiores fierent, ad famam brevi pervenerat. Sed maxime sperabat Consulem se, collega C. Antonio fore; *tum nullis domi provisis, Pompeio bellum in ultimis gerente terris, in destitutam Rempublicam impetum rectissime fieri posse*. Hæc ita occulte parari non poterant, quin sequibusdam, sed obscurioribus indiciis proderent. cæca tamen res erat, donec per Fulviam est patefacta, nobilem mulierem, quæ ex amatore suo Q. Curio perditæ luxuriæ juvene comperiam, tacito auctoris nomine compluribus enarravit.

Cicero designatus Consul. Plutarch. Cicer. cap. 13. Sallust. Catil. cap. 17.

XXXVIII. Id potissimum caussæ fuit comitiis, cur consensu omnium, neque per tabellam, sed una voce populi, Tullius renunciaretur prior: ei collega C. Antonius additur, quum ob patris memoriam, paulo speciosiore manu suffragante, pauculis centuriis Catilinam superasset. Conjurati licet hoc eventu perculsi, tamen arma parare, pecunias cogere, plures in societatem consilii adducere non omittebant. contra Cicero, gnarus quod negotium suscepisset, omnes nervos intenderat, ne quid ad summam diligentiam, exactissimasque pro Republica vigilias, reliqui faceret. Hic etiam annus Censores habuit, quod proximis Censoribus nulla pars populi censa, neque lustrum conditum erat. Sed horum etiam adeo opera nulla extant, ut nomina vix eruantur.

Rulli lex Agraria. Flor. 4. 1. Liv. Epitom. Plutarch. Appianus. lib. 2. Civil.

XXXIX. Utrum enim Q. Metellus, an P. Isauricus Censuram tum gesserint, ambigitur: eadem de L. Cotta dubitatio foret, nisi Ciceronis joco fuisset notatus. Nam is quum inter petitionem Consulatus prensans de more homines, sitique correptus, circumstantibus & tegentibus amicis biberet in foro, ubi L. Cotta Censor consederat; *jure*, inquit, *timebatis*, *ne succenseret mihi Censor*, *quod aquam bibo*. Erat enim Cotta vinosior, & eo nomine vulgo male audiebat. Huic igitur Cottæ, & collegæ, quisquis ille fuerit, Senatum legere cupientibus, Tribuni plebis restiterunt, ne ipsi quoque Senatu moverentur veriti, ob fœdas & seditiosas actiones, quibus convellebant Reipublicæ statum. Multæ enim tunc rogationes promulgabantur: inter cetera P. Servilius Rullus ferebat Agrariam: *uti decemviri colonis deducendis*, *agros qui ubivis publici essent*, *maxime Campanos*, *quemadmodum ex usu esse viderent*, *distribuerent*. eadem lege ad emendos, ubi opus foret, agros, omnis propemodum publica pecunia, & quæ cogi undecumque posset, decemvirorum subjiciebatur potestati. Dabatur & exercitus conscribendi potestas, quanto res indigeret.

Cui favet C. Antonius. A. V. C. 690. sed Ciceronis eloquentia abolettur. Sallust.

XL. Et favebat legi C. Antonius, unum se fore sperans in decem. Igitur M. Cicero Kalendis Januariis, qua die Consulatum iniit, ea de re verba fecit in Curia, Senatusque confirmandi valida fundamenta jecit: neque deinceps destitit, donec pro rostris etiam caussa exposita, Rempublicam maximarum largitionum

metu liberaret: tanta vi eloquentiæ mentibus admota, ut legem Agrariam, hoc est alimenta sua, vocatæ in suffragium tribus abrogarent; Tribuni vero plebis ita consternarentur, ut alias quoque nonnullas actiones abjicerent. Erant omnino ea tempora, ut & hoc Consule Respublica, & hoc ingenio Consul, haberent opus: quum nihil abesse videretur, quod timere boni, soperare improbi possent. Tribuni plebis varie miscebant civitatem, favente in plerisque Antonio, facili inter prava ingenia ad deterius consensu. Alius enixe rem urgente Cæsare, proscriptorum liberis jus petendi magistratus reddere moliebatur, alius idem dabat P. Antronio & P. Sullæ de ambitu damnatis. neque deerat, qui novas tabulas meditaretur.

Plutarch. Cic in toga candid. & ibi Asconius. Appian.

XLI. Quibus præcipua Ciceronis industria vigilantiaque occursum est. is consilia omnium magna solertia indagavit, pari constantia excepit, denique incomparabili eloquentia, tamquam fulmine, dejecit. Tantum enim dicendi copia & gravitate valuit, ut etiam homines ad ea probanda, quæ paulo ante insigniter odissent, posset adducere. Nam illo suadente etiā Rosciā Theatralem legem plebs æquo animo tulit, magnopere prius irata L. Othoni auctori legis, quod discrimine sedis constituto, indignam quæ cum Equitibus sederet, habuisset. Forte acciderat, ut Othonem tum Prætorem legis ejus dolore populus in Theatro exsibilaret; Equites contra plausu exciperent. deinde iterum inde sibilis, hinc plausu instaurato, maledictis atque cōvitiis inter se committerentur ordines, & res ad seditionē spectaret.

Idem Rosciā Theatralem suadet. Sallust. Florus.

Sallust. Asconius.

XLII. Id ubi Cicero Consul comperit, accurrit propere, vocataque in æde Bellonæ concione plebem objurgans, ita mutavit animos, ut reversa in Theatrum, non minorem Othoni plausum ipsa, quam Equites darent. Majorem deinde dimicationem pro C. Rabirio subiit, cui subornatus a C. Cæsare Tribunus plebis T. Labienus perduellionis diem dixerat, *quod ante sex & triginta annos L. Saturninum Tribunum plebis occidisset*. Negabat factum Rabirius, sed non tam ille, quam Senatus auctoritas petebatur, nihil deinceps valitura, ubi quod ipsius jussu esset factum, post tot annos in disquisitionem vocari, pœnaque & supplicio vindicari posse constitisset.

C. Rabirium defendit. Cic. de L. Agraria a. a. Asconius.

Asconius. Sallust.

XLIII. Quum summa ope restitisset melior pars Senatus, ne judicium ea de re fieret; Tribuni plebis, factione Cæsaris adjuti, vicerunt. ita duumviri non more antiquo, à populo perduellionem judicarent, sed à Prætore dati, sic ducta sorte, ut res suspiciosissima, Lucius & Cajus Julii Cæsares fierent. à Cajo certe tam cupide condemnatus est, ut more majorum ad populum provocanti, nihil æque ac judicis acerbitas profuerit. Pro hoc reo Ciceronis exstat oratio, quæ ipso indice, quarta habitarum in Consulatu fuit. Periclitabatur tamen reus, tanta vis adversæ factionis erat; quum Q. Metelli Celeris, qui Prætor & Augur erat, facto est liberatus. Centuriatis comitiis de perduellione populus judicabat. illa quum intra pomœrium fieri nefas esset, antiquitus erat statutum, ut occupato in suffragiis ferendis populo, exercitus præsidii caussa imperaretur. ita fiebat, ut cum armis exirent; nec simul universi cives: sed per partes ferentens suffragia, quo semper idonea manus ad tutelam ceterorum & Urbis in Janiculo excubaret.

Q. Metelli factum animosum. Pighius. Plutarch. Cicero. cap. 36.

Diod. lib. 37. Cic. contra Rullum.

XLIV. Nam inter initia metu ab accolis, tenui adhuc re Romana, desiderabat cautionem: is deinde mos, ut solet, quantumvis mutato rerum statu, pro lege servabatur. Vexillum igitur fixum erat in Janiculo, quamdiu comitia

De proscriptorum liberis contentio. Plutarch. Cicer. Agel. 13. 23.

habebantur: eo dimoto, præsidium discedebat, neque deinceps agi cum populo poterat. Metellus igitur, quum frustra docere conatus esset, *contra majorum instituta judicium eo tempore perduellionis fieri*; omissa concione, priusquam suffragia ferrentur, in Janiculum contendit, vexilloque revulso necessitatem solvendi comitia fecit. Neque ultra institit Labienus, quamquam alia die repetere reum potuisset. Supererat de proscriptorum liberis contentio, ideo tractatu asperior, quod adolescentes boni & fortes, nulla sua culpa, petitione magistratuum arcebantur: eratque hæc quum numero, tum opibus minime spernenda manus.

Facundia Ciceronis tollitur... Cic. Epist. famil. 1. 9. & ad Attic. 2. 1. Plin. 7. 30. Plutarchus.

XLV. Sed ita tum rei acerbitatem oratione mollivit Consul, & *legibus Corneliis sic cohærere statum civitatis* docuit, ut ipsos quoque honores petere puderet. L. autem Cæcilium Tribunum plebis, P. Sullæ fratrem, eoque de mitiganda pœna ambitus ferentem, ut fratri reditus ad petendos honores esset, ita immutavit, ut & abjiceret rogationem, & *Agrariæ legis se fore intercessorem*, profiteretur. Legationes quoque liberas, quamquam ad commodum Senatus pertinere videbantur, frequentissimo Senatu adsentiente sustulisset, nisi fuisset à Tribunis intercessum. tempus tamen minuit, & quod infinitum fuerat, annuum fecit. Et quia proviso quod imminebat bello Rempublicam pecunia opus habituram putabat, misso Puteolos P. Vatinio Quæstore, *aurum & argentum vetuit exportari.*

Cic. de lege Agraria 1. 4. Diodorus.

Cicero collegam patientia & obsequio mitigat. Velleius. 2. 4. 34. Diodorus.

XLVI. Hæc atque talia Consuli eo facilius procedebant, quod turbaturum alias eunct... collegam, ne contra Rempublicam sentiret, patientia & obsequio mitigatum, postremo commutatione provinciæ perpulerat. Quippe Cicero Macedoniam sortitus, quum eam placere collegæ videret, cum Gallia commutavit; quæ C. Antonio evenerat. Inter hæc P. Lentulus Spinther Ædilis Curulis tanta magnificentia ludos edidit, ut superiores omnes novo invento vinceret, argentatis choragiis scenam adornans. Idem & dibapha Tyria primus est usus, quod tum improbatum, mox vulgare fuit.

Salutis augurium celebratur. Cic. ad Attic. Plutarch.

XLVII. Hic ferme status Urbanarum rerum erat, quum audito fine Mithridatis grates diis actæ sunt, & ad omnia pulvinaria supplicatum. quum referente Cicerone Consule, quantum alias numquam, *in duodecim dies supplicationem* Senatus decrevisset. Tribunis plebis T. Labienus, T. Ampius privilegium tulerunt, *ut Pompejus ludis Circensibus corona aurea, toga picta, cultu triumphantium uteretur; scenicis prætexta, coronaque laurea*. Salutis etiam augurium, confectis bellis maritimis & terrestribus omnibus celebrari posse creditum est. Id veteri more genus quoddam divinationis erat; quo maximus Prætor explorabat, *salutemne dii populo Romano annuerent*. neque fas erat alio die agi, quam qui ab omni negotio militari vacuus: eaque de re diu intermissum inter continua bella, civilesque discordias fuerat, nullum idoneum tempus ad pacificas cærimonias invenientibus.

Sueton. Cæsar. cap. 12. Cic. in Pison. cap. 2.

Mithridatis exitus. Diodorus. Cicer. Pro Rabirio. Sueton.

XLVIII. Porro Mithridatis exitum operæ precium est penitus exequi. Calamitatibus, & quæ calamitatem amat sequi, perfidia suorum irritatus, quum multos ob culpam, alios per suspicionem interficeret, omnium à se animos tædio & metu abalienavit. Etiam Pharnaces filiorum ad eam diem honoratissimus, & sæpe declaratus Regni successor, sive fratrum occisorum dolore, sive sibi timens, insidias struere seni cœpit, priusquam destinatam in Italos expeditionem inchoasset. Nam

id ubi esset factum, omnem ab Romanis præcidi spem veniæ existimabat; neque ad se ex opibus paternis quidquam esse perventurum.

XLIX. Non deerant qui hæc referrent ad Regem: multos enim filio apertos clandestinosque custodes apposuerat. Comprehensi igitur consciorum nonnulli, tortique sunt; nec dubitabat Rex insidiatorem tollere, nisi Menophanes ostensis *incommodis, quæ sub tempus tam longinquæ expeditionis occisum filium essent sequutura*, perpulisset, *ut veniam offerret*. Sed ille longius progressum existimans, quam ut tutus inde receptus esset, ad hoc animos militum à suscepta expeditione abhorrere gnarus, noctu ad primarios Romanorum transfugarum, qui proximè Regem tendebant, ingreditur: *casum suum* miseratur: *laborem improbum, pericula, miserias, quæ per tanta marium terrarumque spatia, omnibus ubique infestis Italiam petituros manerent*, exaggerat: *spem à se maximam, honoresque & opes in promptu* ostendit, *si Regno ipse potiatur*.

Pharnaces sollicitat Romanos transfugas. Livius l. 26. Sueton. Cic. ad Attic. Diodorus. Rosinus antiq. Rom. 6. 9. Lælius Felix apud Agell. 15. 27.

L. Facile persuadetur omnia tristissima, si perducti in Italiam forent, metuentibus. mittuntur eadem nocte certi homines ad alia vicina castra solicitanda: nec mora, simul cum luce transfugarum exoritur clamor; eum exceptum alii sequuntur, transmittuntque. sic brevissimo tempore totum ubique exercitum, atque etiam nauticam turbam seditio percurrit. Nam & ab ignaris antea simul cognitum probatumque Pharnacis consilium est. lætis ad res novas plerisque; aliis, quod in defectione omnium soli frustra & cum exitio renisuri videbantur. Sic ad urbem pergitur, nam Panticapæi Mithridates tum agebat.

Deinde totũ patris exercitum. Cic. ad Attic. & in Pison. Plutarch. Cic. cap. 15.

LI. Rex tumultu audito, partem eorum quos secum habebat, obviam mittit; cum cæteris ipse sequuturus. Sed & illi defecerunt ad Pharnacem, & urbs, non invitis oppidanis, ab eodem occupata est: Mithridates in Regiam confugit. Inde quum misisset ad milites, quæsitum *quid ergo sibi vellent*? aperte *Pharnacem* postularunt *Regem, juvenem pro sene eunuchorum mancipio, filiorum amicorumque carnifice*. His auditis Mithridates, ut spem ultimam tentaret, ipse alloquuturus eos prodiit. Tum intenti in illum digitis transfugæ, *en*, inquiunt, *qui transire ad nos satagitis, ubi prius fidem faciatis animi propositique vestri*.

Mithridatis periculum. Quintil. 11. 1. & lib. 7. 30. Cic. de Leg. 3. 6.

LII. Ad hanc vocem prosilientes complures, equum fugientis confoderunt; *Pharnacem Regem* sublatis vocibus acclamantes & ne dubitari amplius posset, raptam aliquis ex templo papyrum, instar diadematis capiti Pharnacis circumposuit. Hæc ex altissimo muro miserabilis senex conspicatus, multis precibus oravit filium, *ut tutam sibi fugam concederet*; alios super alios ea de caussa missitando. Postquam nemo revertebatur, atque ultimam adesse necessitatem sentiebat, exclamasse fertur: *Quoniam Pharnaces mori jubet, vos, si estis, dii patrii, precor, ut quandoque & ipse hanc vocem à liberis suis audiat*.

Eius preces ad filium. Cic. in Vatinium c. 5. Sallust. Catil. cap. 26. Diodor.

LIII. Collaudatos deinde satellites & amicos, qui pauci apud eum perstiterant, *fide ad extremum præstita, sua incolumitati consulere, & ire ad victorem* jubet. statimque descendens ad reliquas conjuges liberosq; suos, venenum quod semper cum gladio gestare consueverat, miscet. Erant ibi duæ filiæ virgines duobus Ptolemæis, Ægypti Cyprique Regibus desponsæ, Mithridatis & Nyssa. Hæ enixe rogarunt patrem, *ut ipso superstite morerentur*. Igitur his primum venenatam potionem, deinde reliquis dedit: ipse hausit novissimus.

Venenum dat suis: & ipse sumit. Cic. in Pison. et pro Sulla cap. 22. et pro Muren. c. 3.

LIV. Reliqui cito exstincti sunt: Mithridates quamquam vehementissimi

Mithridates haurit venenum.

Etiam gladiũ admovet: utcumvis fru-ſtra. Diod. lib. 37.

veneni magnum modum ebiberat, & vim potionis ambulando cuperet accendere; tamen defendentibus vitalia quæ ſæpe ſumpſerat remediis, metuere cœpit, ne in filii, & deinde Romanorum poteſtatem incideret: gladioque admoto, ne ſic quidem invenit exitum, quia ſenecta maliſque circumſtantibus, ad hoc veneno debilitata manus aliquanto leviorem plagam fecerat. Igitur conſpecto forte Bituito Gallo, qui muro jam ſuperato cum aliis in Regiam penetraverat, *Multum*, inquit, *dextræ tuæ, quum utiles meus eſſes, debui: plus debiturus, ſi extremum mihi officium præſtiteris, ne hac ætate hiſque rebus geſtis ducis Romani triumphalem currum Mithridates antecedam. Expelle ſis hunc ſpiritum, quem fruſtra ſollicitavit mea manus, quemque adverſus venenum ſtultus ego medicamentis munii.*

Cicer. de Offic. 2. 16. Val. Maxim. 2. 4. 6. Plin. 9. 39.

Poſtremo à Bituito Gallo occiditur: Appian. Mithrid. Diodor. Cic. de prio. Conſulatu c. 21.

LV. Ita Bituitus, quum & Pharnaci rem gratam facturus videretur, jugulum ultro præbentis hauſit: ſimul accurrentes alii gladiis ac lanceis accelerarunt ei mortem. ſic interiit ultimus tum ſui juris Regum, præter Parthicos, poſt multas &, illatas aliis & acceptas aliunde calamitates, fortunæque miras viciſſitudines, ne ſimplici quidem morte ſublatus. Ætatis annos (nam dubitatur) paulo plus minuſve ſeptuaginta, Regni quinquaginta ſeptem exegerat.



Judæi fratres litigant coram Pompejo. Velleius. 2. 40. Cic. ad. Attic. 2. 15.

LVI. Eo tempore Pompejus obibat Cœlen Syriam, legatos & munera gentium excipiens, quæ ex tota Syria Ægyptoque mittebantur. Nam & Ægyptus inquieta ſeditionibus erat, adque eas comprimendas Pompejum Rex advocabat: dona pecuniaſque ipſi, & exercitui veſtem mittens. Venit & ab Hyrcano Antipater, & Nicodemus ab Hyrcani fratre Ariſtobulo, de Regno Hieroſolymitano certantibus. *Ipſi occurrere juſſi ad diſceptandum Reguli:* quum Ariſtobuli legatus, *data ab eo prius Gabinio trecenta talenta, deinde Scauro quadringenta* arguens, ſupra cæteras inimicitias, horum etiam odia comparaſſet.

Pompeius latrones & tyrannos punit. Diod. lib. 37. Eutropius. Appian. Oroſius. 6. 6. Diodor. Liv. Epitom.

LVII. Interea quum ver apparuiſſet, contracto ex hybernis exercitu Pompejus in Damaſcenos fines fecit expeditionem, multis in via exciſis latronum caſtellis, ſupplicioque adfectis tyrannis, qui paſſim per civitates extiterant. Primum in Apameno agro capta ex itinere & diruta arx eſt, quam Antiochus Cyzicenus ſtruxerat. Deinde in Ituræos tranſitum, qui ſub Ptolemæi Mennæi ditione Libani partem habitabant, latrociniis dediti. Muniſſima horum caſtella, Sinnam & Boræma in monte ſita, & inferius Botryn, & Gigartum, & ſpeluncas juxta mare, & caſtellum in jugo quod appellabant *Theu-proſopon*, Pompejus evertit: tyrannus, Tripolitano Dionyſio, qui paulo ante ſecuri percuſſus fuerat,

nihilo innocentior, mille talentis redemit supplicium, quibus ad stipendia militum usus Imperator, Lysiada deinde ad lacum Apamenum cœpit, munitam urbem, quam Judæus quidam tyrannus nomine Silas obtinebat.

XVIII. Liberavit & Byblum, veterem Cinyræ Regiam, quum & hujus urbis tyrannum securi percussisset. Heliopolin deinde & Chalcidem, Mennæi urbes, transiens, per Syriæ partem quæ Libano & Antilibano montibus inclusa proprie *Cœva* dicitur, Pellam, & hinc Damascum venit. Damascus inter Seleucidarum calamitates, Aretam vocaverat Arabum Nabatæorum Regem, eique se & omnem incirca regionem tradiderat. Sed illam nuper, victo Arabe, Metellus atque Lollius receperant, quum ad Syriam pro sua defendenda Pompeius exercitum misisset. Mox eodem venit ex Armenia, ubi tum Tigranem bello Pompejus urgebat, ejusdem missu M. Scaurus, Aretamque Hierosolymas obsidentem, acceptis ab Aristobulo pecuniis deterruit, inde Damascum reversus.

Damasci varia fata. Orosius. Appianus. Suidas. Liv. Epitom.

LIX. Has caussas gerendi cum Arabibus belli adeptus Pompejus, Hyrcanum & Aristobulum, qui Damascum accesserant, mitti responso dimisit; *in præsentia prævertendum sibi ad Nabatæorum castigandam insolentiam: inde iturum in Judæam, ut litem fratrum componat. interea mutuis injuriis abstineant.* Sed Aristobulus, qui se Regem ferebat, velut herilium jussorum impatiens, insalutato Pompeio digressus, ita offendit virum, præcipue Hyrcani, & Antipatri, cujus postea filius Herodes in Judæa regnavit, obtestationibus augentibus iram; ut dilato bello Arabico in Judæam converteret signa, & per Pellam Scythopolinque & Coreas Alexandrium duceret, in finibus Judææ situm, ubi se Aristobulus incluserat, dubius animi, & vicissim de salute ac dignitate anxius.

Aristobolus Pompejum irritat. Plutarch. Pompeio c. 66. Diodor.

LV. Omnibus tamen à bello dehortantibus, descendit in castra Pompeii, multaque de jure suo loquutus, concedente illo in castellum est regressus. Hoc iterum atque tertio quum fecisset inter spem metumque ambiguus, se ita temperare cupiens, ut neque prodere dignitatem videretur, neque Pompeium offenderet; neutrum satis adsequutus, jussu Romani scripsit ad præsidiorum præfectos, *ut castella quædam traderent*. Deinde bellum indignanti animo volvens, discessit Hierosolyma. Neque Pompejus distulit sequi: castrisque ad Hierichunta positis, palmarum balsamique proventu nobilem, extra vallum equitando exercebatur: quum citi accurrerunt equites, lætum, ut ex laureatis hastarum cuspidibus intelligi poterat, nuncium adferentes.

Eumque discedens Hierosolyma adtrahit. Appian. Liv. Epitom. Diodor. eclog. 2.40. Eutropius.

LXI. Concursu igitur exercitus precibusque coactus statim legit epistolas, & suggestu, non cespitibus ut mos erat, sed per festinationem militum comportatis jumentorum sarcinariorum clitellis effecto, *Mithridatem vixisse* pronunciavit. Inde læti omnes ad sacrificandum epulandumque se converterunt; in uno corpore bellum extinctum, infinitosque populi Romani hostes deletos rati. Pompejus etiam minore quam credidisset labore suo debellatum gaudens, & in patriam, ut primum posset, rediturus, statim orta luce Hierosolyma progressus, Aristobulum terruit, ut descendens pecuniis promissis, urbem & omnia in potestatem ejus dederet.

Et advenienti urbem dedit. Joseph. antiq. 10. 56. Plutarch. Appian. Joseph. de bello Judaico 1. 5.

LXII. Pompejus venia vicissim data Gabinium ad accipiendam pecuniam misit. Sed Aristobuli factione claudente portas, ille datus in custodiam est, urbs obsessa. quam ubi Hyrcani partibus dediti aperuerunt, Piso legatus Pompeji Re-

Templum oppugnatur. Plutarch. Orosius. 5. 6. Strab. lib 16.

gia occupata, præsidium ibi posuit; domusque & alia templo, quod rebelles occupaverant, vicina communivit. Deinde templum, qua respiciebat Aquilonem, infirmius ea parte quam cætero ambitu videns oppugnare cœpit. Erat tamen ibi quoque præceps & abrupta vallis, & pontem, qui templum urbi jungebat, obsessi revulserant. Murus etiam firmissimus, turresque præaltæ tantumnon inaccessibilem efficiebant locum.

Sabbato Judæi non impediunt opera hostium. Strabo. Ioseph. antiq. 14. 4. et de bello Iudaico.

LXIII. Sed Pompejus abundanti multitudine, nam & à Damasco cæteraque Syria copias auxiliares adduxerat, *voraginem comportata undique materia* jussit *expleri*. Quum multi inter hæc Judæorum telis vulnerarentur, tardius procedebat opus, vix ad optatum finem perducendum; nisi septima die cessantes à jaculando obsessi, impune Romanos quod placuisset moliri paterentur. Quemadmodum enim ea gens ita cum deo suo velut dividere partes imperandi parendique consuevit, ut mandatis ejus ad suæ interpretationis modum obtemperent; tum solummodo quum peteretur corpus repugnare licitum putabant, alia hostilia agentibus per Sabbathum obniti nefas.

Diod. lib. 37. Ioseph. antiq. 14. 4.

Templum captum. Ioseph. de bello Iudaico. Appianus.

LXIV. Igitur per eos dies Romani neque petebant hostem, neque petebantur: tantummodo fossis complendis, struendoque aggeri strenue admovebant manus. Machinæ deinde Tyro advectæ, quum continuo saxorum jactu propugnatoribus mœnia nudassent, spatium Romanis unam suffodiendi turrim præbuerunt. Per hujus ruinas tertio obsidionis mense captum est templum ipso die jejunii, quod tum incidit in Quintilem. Faustus Sulla Dictatoris filius, primus adscendit murum: sequutique statim Furius & Fabius centuriones cum suis manipularibus.

Ioseph. de bello Iudaico.

Sacerdotum in obeundis sacris perseverantia. Appianus. Iosephus. Plutarch. Pompeio c. 66.

LXV. Interea nihilominus sacerdotes munia sua, tamquam in altissima pace obeuntes, neque strictos in se gladios, neque accepta vulnera pavescebant: multique inter ipsa sacra sunt interfecti. cæterorum quoq; varium exitium fuit: multi ab hoste, multi à civibus discordibus cæsi, magna pars semetipsos præcipitarunt in abrupta. quidam etiam furentes calamitate conjuncta templo ædificia cremarunt, seque ipsos injecerunt ignibus. Ad millia duodecim periisse dicuntur: de Romanis oppido pauci: complures tamen sunt vulnerati. In ea calamitate Judæis nihil acerbius fuit, quam quod inviolata ad eam diem fani arcana, solique principi Sacerdotum, nec nisi semel quotannis adspicienda, profanis hominibus patuerunt.

Nullum simulachrum in templo Iudæorum. Iosephus. Plutarch. Cic. pro Murena cap. 16. Hegesippus 1. 16. Orosius 6. 6. Diod. lib. 37.

LXVI. Sed præcipue Romanis admirationi fuit nulla intus deorum effigie vacua sedes: quum simulachrum aliquod, rem gentibus omnibus velut consensu receptam quærerent. Inde multiplex de Judaicis religionibus opinionum error apud gentes inolevit, tam pertinaciter, ut etiam vulgatis per Christianorum incrementa Judæorum sacris, Plutarchus tam diligens abstrusorum inquisitor, in clarissima luce cæcutiret, *Liberum Patrem à Judæis coli* multis argumentis ineptissime disputans. Absurda persuasio inde primum orta, quod Sacerdotes Judæi tibia tympanisque concinebant, hederaque vinciebantur: & ante omnia quod reperta in templo vitis aurea fuisset.

Pompeius instaurari sacra jubet. Plutarch.

LXVII. Pulcherrimum id opus, quingentis æstimatum talentis, sive Aristobuli donum, sive suas è templo manubias Romam deportante Pompejo, postea in Capitolini Jovis fano stetit, Alexandri nomē inscriptum habens, Judæorum Regis.

In templo præter candelabrum insigne, mensamque & vasa aurea, magna vis odorum reperta, sacræque pecuniæ ad duo millia talentum. quibus omnibus abstinuit Pompeius: altero que post captum templum die, repurgari locum ab æditūis, solitoque ritu instaurari sacra voluit. Jusso deinde regnare Hyrcano, præcipuos belli auctores, in quibus & Absalomus fuit, Aristobuli socer, securi percussit: Faustum cæterosque virtutis caussa donavit: Hierosolyma, dirutis oppidi mœnibus, Romanis stipendiaria fecit, procuratore imposito Antipatro. de Superst. cap. 24. Strab. lib. 16.

LXVIII. Judæorum deinde gentem veteres intra terminos compescens, quos ab Syria populos urbesque superioribus annis avellerant, ademit. Gadara, quod oppidum paulo ante dirutum ab ipsis fuerat, instauravit, in Demetrii gratiam liberti sui; cujus tanta erat potentia apud patronum, ut *sæpe ad convivas excipiendos discurrente Pompeio, ipse accubuisse* memoretur. Unde & apud alios ei adeo nimius honor; ut quantum Catonem accipere puduisset, homo libertinus admitteret. Aiunt *per absentiam Pompeii Catonem ad Antiochiam visendam profectum, quum ante portam virorum agmen cum vestibus albis, & propter viam hinc quidem adultos, inde impuberes stare vidisset; honore nimio offensum cæpisse stomachari: quum accesserit ad eum dux Pompæ, coronatus & virgam tenens, interrogans*, ubi Demetrium reliquissent? *& anne cito esset adfuturus. Ibi amicis Catonis effuse ridentibus, Catonem, hac tantum effatum*, ô miseram civitatem! *nec alio responso dato, præteriisse.* Demetrii liberti potentia. Joseph de bello Judaico. Hegesippus. Joseph ant q. Setnus Calvisius. Joseph. de bel. lo Judaico.

LXIX. Atque hoc idem tanto post tēpore Julianus Imperator Antiochensium posteris objecit. Hujus igitur Demetrii patriam liberam esse jussit Pompeius; & præterea in mediterraneis Hippam, Scythopolin, Pellam, Dium, Samariam, Marissamque & Azotum, & Jamniam, & Arethusam Samp iceram Arabum phylarchi castellum, prioribus cultoribus restituit. ad mare v.co Gazam, Joppen, Dora, Stratonisque turrim, quæ post *Cæsarea* fuit, pe testa e Judæorum libertas suis legibus reddidit. His ita gestis, M. Scauro Quæstori suo duas legiones reliquit, ut Syriam, qua Ægypto, & Euphrate termina ur, obtineret: ipse in Ciliciam discessit, vinctum abducens Aristobulum cum duobus filiis, filiabusque totidem; quorum è numero paulo post major fratrum Alexander, in itinere parum diligenter adservatus effugit. Pompejus in Ciliciam discedit. Hegesippus. Eutrop. Josephus. Liv. Epitom.

LXX. Festinabat enim Pompeius ut rebus Orientis constitutis, Romam recurreret. Idcirco celeriter pertransitis quæ Ciliciam & Pontum interjacent provinciis, quum Amisum venisset, Regios ibi liberos, qui capti interea fuerant, & ab Pharnace munera reperit; cum cadavere Mithridatis, quod muria conditum parricida Pharnaces miserat. Pompeius mortuo Sinopen amandato, ut sepulchro majorum inferretur, sumptu insuper ad Regii splendoris exequias liberaliter præbito, vestem quanti consueverat, armorumque elegantiam & pondus est admiratus. At vaginam gladii, quam aiunt talentis constitisse quadringentis, Publius quidam suffuratus, clam vendiderat: itemque cidarin miri operis, Caius Mithridatis collactaneus Fausto Sullæ. in quos deinde Pharnaces re comperta animadvertit. Mithridatem majorum tumulo inferri jubet. Tacit. Hist. 3. 47. Maxim. Tyrius dissertat. 32.

LXXI. Idem obsides quoque multos Græci barbarique generis misit ad Pompeium: adductis etiam qui M. Aquilium comprehenderant, orans, *ut sibi aut paternum Ponti Regnum, aut saltem Bosporanum, quibus fin bus Machares tenuisset*, Pharnacem in Bosporo re gnare sinit.

Plutarch. Sympos. 4. 5. Tacit. Joseph. antiq. 14. 5.

concederetur. & Pompeius, illius sane opera Italiam maximo metu liberatam reputans, *socium & amicum* appellatum *regnare in Bosporo* jussit; exceptis in libertatem Phanagorensibus, qui defectione sua primi perculerant Mithridatem, caussamque præbuerant periculis, quibus ad extremum est obrutus. Ab eodem merito Castor *socius amicusque populi Romani* appellatus est: & accepta Galatiæ parte, filiam Deiotari Regis duxit. unde subitus ei domui, nec diuturnus splendor.

Thesauros Mithridatis recepit. Ioseph. de bello Iudaico. 1. 5. Cic. pro Flacco cap. 28. Diodor. lib. 37. Ioseph. antiq. 14. 8. Appian. Syriac. Sulpic. Sever.

LXXII. Venerunt deinde præfecti castellorum, qui deditionem in adventum Pompeii distulerant, ne forte thesauros diriperent, quorum in manus traditi forent, & deinde ratio à se reposceretur. Incredibiles hic repertæ opes: quamquam diuturno & infelici bello maximam vim pecuniæ Mithridates absumserat. Talaura præcipue referta omnis generis opulentia, quæstorem, dum inventa percenset, ad dies triginta attinuerunt. Duo inde millia poculorum ex onyche Romani sustulerunt, cum multis phialis, sellis lectis, equorum etiam phaleris aureis gemmatisque. Hæc partim *à Dario Hystaspis filio pervenisse ad ultimum Mithridatem* ferebantur: pars cum Alexandro filio à Cleopatra in templo Æsculapii deposita, tradentibus Cois facta illius erant: nec pauca ipse paraverat, elegantioris instrumenti percupidus.

Catilinæ conjuratio erumpit. Iosephus. Hegesippus. Plutarch. Pompeio. c. 46. Plutarch. Catone c. 17. Strabo.

LXXIII. Dum ad hunc modum res Romana tabidæ meretricis instar, insigni splendore & opulento cultu foris enitescit, peste intima propemodum vitalia exedente in id periculum adducta est, ut parum abesset, quin omnibus à se subactis conculcatisque urbibus haberi deberet infelicior. Architectus ejus fraudis Catilina erat, cuius tum maxime Consularibus instantibus comitiis conjuratio erumpebat. Nam Catilina omni contentione pugnabat, ut prius designaretur, quam venire Pompeius in Italiam posset, cuius unius vires virtutemque maxime metuebat. Idcirco contracto consciorum concilio, quum Sullani milites, spe novæ prædæ, quia veteres rapinas luxu & libidinibus dissipaverant, conjurationi faventes, ei totam, in qua plurimum poterant, Hetruriam partibus adjuncturi viderentur; consilium ceperunt Ciceronem inter ipsa comitia trucidandi. hoc submoto cætera facilius successura.

Nec ipse dissitetur. Appianus. Iosephus. Plutarch. Pompeio.

LXXIV. Hæc primo per literas, incertum unde datas, sunt cognita, quæ erant ad M. Crassum aliosque pari nobilitate scriptæ: quas ad Ciceronem Crassus ipse cum M. Marcello, & Metello Scipione detulit. Ob eam rem comitiorum dies quæ suberat, agente Cicerone dilata est, ut de his rebus consuli Senatus posset. Postridie Catilinam interrogavit in Curia consul, *quid de illa caussa diceret*? atque ille aperte respondit: *quum duo sint Reipublicæ corpora, debile alterum, infirmo capite, alterum sine capite prævalidum, huic se vivo caput non esse defuturum.* Tum ergo *tumultum esse* decretum est ab Senatu, & *in auctores inquisitio* jussa. Consul, ut metum & periculum cives animum adverterent, diffusa de industria tunica loricæ ostendit particulam. Igitur ad præsidium ejus valida se adgregante manu, Comitia sine tumultu peracta, D. Silanus, L. Murena designati. Sub hoc demum tempus, dilatum inimicorum calumnia triumphum L. Lucullus de Mithridate & Tigrane Regibus duxit: quæ ipsa res gloriam ejus miseratione injuriæ augebat.

Iosephus. Plutarch.

Ejus triumphi pompa.

LXXV. Pompa uti minime prolixa, ita delecto apparatu spectabilis fuit.

Armis machinisque hostilibus Circum Flaminium exornaverat. in triumpho paucos cataphractos duxit, decem currus falcatos, amicos ducesque Regios sexaginta. Naves quoque rostratæ centum decem translatæ. Prætereà Mithridatis effigies ex auro senum pedum, & distinctus gemmis clypeus. Fercula viginti vasorum argenteorum: duo & triginta poculorum armorumve aut nummorum ex auro. Lectos etiam aureos octo muli transtulerunt; & alii sex & quinquaginta argentum infectum: alii centum & septem signati paulo minus vicies septies centena millia drachmarum. Præferebantur & in tabulis summæ quas Pompeio ad bellum Piraticum, deinde Quæstoribus ærarii dederat: adscriptum etiam erat, *nongenas quinquagenas drachmas militibus divisisse*. Diodorus. Plutarch. Appianus. Mithrid. Strab. lib. 12. Cic. pro Dejotaro cap. 12.

LXXVI. Inde splendidum epulum populo dedit, in foro & per vicos tricliniis stratis: vinique Græci congiario divisit millia cadûm amplius centum. Statuas permultas in publico posuit ex manubiis, in quibus eximiæ artis Hercules fuit in fatali tunica suprema sentiens, & colossus Apolinis triginta cubitorum, centum quinquaginta talentis factus, quem ex Apolloniatarum Ponticorum insula advexerat. Epulum & Donaria. Appianus.

LXXVII. Hic finis publicorum operum Lucullo fuit. postea sive gloriæ opumque satis adeptum ratus, sive nequidquam adplicari medicamenta desperatis patriæ morbis; abjecta semel rerum aliarum cura, in otio & luxu vixit: profusæ in ædificiis conviviisque luxuriæ, quæ mox in immensum crevit, primus auctor. quæ ob injectas moles mari, & vicissim exciso ad Neapolim monte, mare admissum, Magnus Pompeius haud infacete *Xerxem togatum* appellavit. Atque ea res etiam incitamento conjuratis fuit, deplorante suam suorumque paupertatem Catilina, dum alii sursum deorsumque vexando opes suas, vincere tamen & consumere nequirent. Luculli otium & luxus. Plutarch. Cic. cap. 18. Florus. 4. 1. 2.

LXXVII. Sed augente horum amentia, simul augeri Consulis & Patrum vigiliæ cœperunt. Iam Senatusconsultum factum erat ultimæ necessitatis: *darent operam Consules, ne quid detrimenti Respublica pateretur*. Post paucos deinde dies L. Senius Senator literas in Senatu recitavit, Fesulis allatas, in quibus scriptum erat, *C. Manlium, qui sub Sulla duxisset ordines, bellatorum impigrum, postquam male partas divitias pejus etiam decoxisset, ante diem octavum Kalendas Novembres arma cepisse cum magna multitudine*. Trepidis inde vulgo omnibus, ut solet in tali re, prodigia nunciabantur. ingenti motu quassata tellus Spoletumque totum concussum erat, & quædam corruerant. crebra fulmina ceciderant, quibus decussa pleraque, & Vargunteius Pompeiis sereno cælo exanimatus fuerat. Trabs ardens ab occasu ad cœlum ferri visa: multisque locis spectra hominum apparuerant. Catilinæ satellites arma capiunt. Sallust. Catil. cap. 28. Appian. lib. 2. Civil. Plutarc. Diodorus: Plutarch. Crasso cap. 24. Cic. pro Marcena. c. 24.

LXXIX. Erant & qui *salutis augurium rite factum* negarent, *quod eo tempore infaustæ aves visæ dicebantur*. Nonnullos Claudius Augur moverat, Consuli *bellum domesticum triste ac turbulentum* predicendo. Itaque certa incerta rumoribus adaugentes, *conventus factos, arma comportata, servile bellum in Apulia & Capua motum* loquebantur. Multa ob has res decreta in Senatu facta. *Q. Marcius Rex, Q. Metellus Creticus*, qui duo Imperatores adhuc ad Urbem erant, impediti ab adversariis ne triumpharent, *ille Fæsulas, Metellus in Apuliam ire* jussi. Pretores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in Senatus contra providet. Plutarch. Cic. pro Muren. cap. 18. et Academ. quæst. lib. 4.

Picenum missi cum mandatis, *uti pro tempore atq; periculo exercitū compararent*.

Catilina reus fit. Plutarch. Lucullo. c. 77. LXXX. *Gladiatoriæ familiæ Capuam, & in cætera municipia, pro cujusque opibus distribui, per totam Urbem minores magistratus vigilias agere* jussi *Conjurationis indicib. præmia* proposita: *servo libertas & cētena sestertia, libero impunitas & sestertia ducenta*. Post hęc per aliquot dies, Catilina nihil ausō moliri, trāquillæ res videri multis cęperunt, ut jam *Ciceronis calumniā* incusarent. Sed Hetrusci motus cito fidē fecerunt veris: & Catilinā L. Paulus lege Plautia de vi postulavit.

A Cicerone excedere Urbe jussus. Plin. 14. 14. 34. & 4. 34. 7. 7. LXXXI. Atque ille conscientiam dissimulans, *vitandæ suspicionis caussa apud M. Lepidum habitare velle* dixit, Pauli fratrem. nec receptus, venit ad Ciceronem, deinde ad Q. Metellum Prætorem, & repudiatus ubique, M. Marcello custodiendum se tradidit. Postea quum in Senatum venire ausus esset, qui tum in Iovis Statoris habebatur; & omnes subsellia, ad quæ sedendi gratia iste accesserat, vacua relinquerent, in aliam partem digressi; Cicero sive præsentiam ejus timens, sive ira commotus, orationem in præsentem rem habuit, quam adhuc legimus: *excedere* jubens *Urbe, quam exitio destinasset. nam referre bonorum civium, ut inter se & hostem patriæ murus intersit*.

Egreditur. Nicolaus Damascenus. Velleius. 2. 35. LXXXII. Ille demisso vultu rogatis Patribus, *ne temere de se crederent, clarissimis majoribus orto*, deflexit ad convicia, *Ciceronem inquilinum Urbis* appellando. Plura deinde maledicta ingerenti quum omnes obstreperent, *hostem atque parricidam* vocando; furenti similis, *quandoquidem*, inquit, *inimicorum conspiratione præceps agor, incendium meum ruina restinguam*. Proxima deinde nocte eum trecentis armatis egressus Urbe, plerisque Consularibus, præterea optimo cuique scribit ex itinere: *Massiliam se in exilium proficisci, ne si resisteret inimicorum calumniis, periculum inde Reipublicæ oriretur*.

Coniuratorum consilia. Sallust. Catil. 20. 8. Plin. 9. 54. 4. Sallust. LXXXIII. Interim eum præcipuis sodalium ita comparaverat, ut *quamprimum se Fæsulas pervenisse cognoscerent: Lentulus atque Cethegus cum sociis domum Ciceronis irent, propter dignitatem minime excludendi; & specie secretioris colloquii seductum confoderent: L. Bestia* (is Tribunatum plebis erat initurus) *subito concione vocata Ciceronem accusaret, meticulosum hominem, & sui timoris implentem credulos. proxima deinde nocte, duodecim locis Urbs incēderetur*. ei negotio prę̨ter jam dictos L. Cassius, P. Gabinius Capito, L. Statilius erant pręfuturi.

Epistola Catilinæ ad Catulum. Diodorus. Sallust. LXXXIV. Hæc vigilantissimi Consulis curā in irritum omnia reciderunt. Is in forum progressus, Catilinæ fugam & consilia exposuit populo, ita moderans, ut negligentibus extrema omnia metuenda, intentis optimam spem ostenderet. neque falli eos pateretur ficta Catilinæ modestia, quem *exsilii caussa solum vertisse* multi literis ejus decepti, aut studio partium dictitabant: sed paucos post dies epistolam ejus in Senatu Q. Catulus recitavit hoc exemplo.

Culpam suæ temeritatis conicit in inimicos. Appian. Cic. Catilina. 2. 3. Sallust. Diodorus. Iul. Obseq. LXXXV. *L. Catilina Q. Catulo salutem. Egregia tua fides re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis, fiduciam commendationi meæ tribuit, quamobrem defensionem in consilio novo non statui parare: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: quam mediusfidius veram licet cognoscas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriæque meæ privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam pro mea consuetudine suscepi. non quin æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quum & alienis nominibus liberalitas Orestillæ suis filiæque copiis persolveret, sed quod*

non dignos honore homines honestos videbam, meque falsa suspicione alienatum esse sentiebam, hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. Plura quum scribere vellem, nunciatum est, vim mihi parari. nunc Orestillam tibi commendo tuæque fidei trado. eam ab injuria defendas per liberos tuos rogatus. aveto.

LXXXVI. Inter hæc ipse, quum aliquot dies apud C. Flaminium Flammam in agro Reatino exegisset, vicinitate, quam per emissarios suos antea solicitaverat, armanda; sumptis fascibus lictoribusque, signisque explicatis ad paratas à Manlio copias contendit: liberis omnibus, adhuc enim servitia repudiabat, ad societatem armorum vocatis. Hæc ubi Romæ comperta sunt, senatus vestem mutat: Catilinam & Manlium hostes judicat: cæteræ multitudini *diem* statuit, *ante quam sine fraude liceret ab armis discedere, præterquam rerum capitalium condemnatis*. præterea decernit, *uti Consules delectum habeant: Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet. Cicero Urbi præsidio sit*. qui providus futuri provinciam Galliam, Senatus auctoritate, exercitu & pecunia instructam & ornatam, quod ita Reipublicæ ferebant tempora, in concione, licet reclamante populo Romano, deposuerat. — Cum lictoribus fascibusque ad exercitum pergit. Plutarch. Cic. cap. 18. Diodorus. Cic. de divin. 1. 47. Sallust.

LXXXVII. Gallia, ne Catilinæ pateret, ipso maxime Cicerone adnitente, Q. Metello Celeri, qui in Piceno exercitum habebat, commissa est. Cicero, qui ante etiam contra Catilinæ audaciam clientium amicorumque præsidiis dissimulanter se muniverat, tum vero palam custodiam circum se habuit Equitum Romanorum maxime. quod nomen, ipse Equestri genere ortus sic in Consulatu stabilivit extulitque, ut ab eo tempore tertium hoc in Republica corpus cum Senatu populoque Romano haberi cœperit. Quum inter hæc a Ser. Sulpicio competitore suo L. Murena Consul designatus legibus ambitus interrogaretur, Cicerone defendente est absolutus, quod nemo judicum sibi de ambitu audiendum esse putaret, quia gerente bellum Catilina sciebant Kalendis Januariis duos in Republica Consules esse oportere. — Cicero Equestrem ordinem stabilit.

LXXXVIII. Dixerat etiam Cato in reum, vir nullius rei, quam legum & æqui studiosior. Is quum in petendo non obscure vidisset largitionem versari, in Senatu dixerat: *accusaturum se quicumque pecuniam dedisset*: unum excipiens Silanum, quod is in matrimonio Serviliam habebat, Catonis sororem. Cæterum quo tempore Catilina bellum orsus est, magnum severitatis documentum A. Fulvius Senator dedit, filium necando, quem ad Catilinam euntem è medio itinere retraxerat: præfatus *non se Catilinæ adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse*. Cæterum Ciceronis in Urbe retinendi consilium salubre Reipublicæ fuit. P. enim Lentulus, cæterique conjuratorum principes non cessabant de Catilinæ præcepto adjungere, quoscumque novis rebus idoneos judicassent. — A. Fulvius filium ad Catilinam proficiscentem necat. Diodorus. Sallust. Cic. in Vatin. cap. 10. & Catilin. 1. 8.

LXXXIX. Idcirco quum forte duo legati Allobrogum venissent, *de magistratuum Romanorum injuriis* questum; per P. Umbrenum, qui negotiatus in Gallia fuerat, solicitantur. Neque parum commoti sunt feroces animi, quum *spe libertatis & amplia alia præmia* ostenderentur. Tandem incerta certioribus posthabendo, Q. Fabium Sangam, quod civitas in tutela Fabiorum erat, adeunt, eique rem totam aperiunt: ab hoc Cicero edocetur. vocantur legati: veniunt cum Murena Consule designato, magnisque promissis inducuntur, *ut studia* — Allobrogum legati à conjuratis solicitantur. Plutarch. Cic. Catil. 3. 5 Sallust. Cic. ad Attic. 2. 11. & in Pison. c. 1. ...

conjurationis diligenter simulato, id agant, uti quam certissima coarguendorum noxiorum argumenta indipiscantur. Interea non in urbe solum, sed per Italiam magni motus erant: cęterum festinatione & amentia coniuratorum fere innoxii: quorum è numero multos Metellus Celer in Piceno; in citeriore Gallia C. Murena, Consulis designati frater, qui ei provinciç prçerat, ex Senatusconsulto in vincula conjecerunt. Sed in Urbe quum A. D. IX. kal. Octobres Senatus ob instantia pericula vocatus esset, novç solicitudinum caussę plerosque terruerunt. P. Nigidius Figulus, quo amico & consiliario intimo Consul utebatur, audito C. Octavium *uxoris suæ puerperium* excusare, *quod in Curiam tardius venisset*; exclamavit: *Dominum nobis genuisti*. Ea Figuli existimatio Romę erat, ut inter doctissimos haberetur: mathematicarum autem rerum peritia sic excellebat ut prohibitis artibus crederetur uti.

Appian. lib. 2. Civil. allust. Val. Max. 9. 11. 3. Cic. Catilina. 2. 7. Appianus. Sallust.

XC. Eo maiorem in animis Patrum timorem ea vox peperit, prçcipue quia paucos ante menses constanter jactatum fuerat, *naturam Regem orbi terrarum parturire. idemque Sibylla carminibus comprehensum* dicebatur. prçterea passim etiam extremis ab oris in eum sensum oracula adferebantur. *Ob eas caussas maxime quod Romæ etiam factum prodigium esset, Senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno tolleretur; supressumque fuisse Senatusconsultum per eos, qui gravidas uxores habebant*, Julius Marathus scripsit Augusti libertus. nam ad Augustum hęc postea tracta sunt, cujus ille quem diximus natalis M. Tullii Consulatum illustravit.

Vaticinia de Rege orbis terrarum nascendo. Cicer. Catilin. 2. Sallust.

XCI. Sed tum quidem ad propiora pericula prævertendum Senatui fuit. Lentulus & cæteri enses, sulphur stupam *in domum Cethegi clam comportari* jusserant: Urbem in centum descripserant partes, quas totidem perditis hominibus adsignarent sortito, ut multis simul locis incenderetur. paratique erant qui aquæductus obstruerent, & aquam petentes trucidarent. cætera quoque, ut supra est expositum, administrarentur, & filii familias, quorum multi ex nobilitate inter coniuratos erant, patres suos, fœminæ maritos occiderent. tantummodo liberis Pompeii parcere Lentulus decreverat, quos adversus iram hominis potentissimi, qui paulo post adfuturus dicebatur, haberet obsides. Inter illum tumultum, cæde & incendio perculsis omnibus, ad Catilinam debebant erumpere.

Coniuratorum apparatus et consilia. Plutarch. Cic. c. 22. Diodorus. Sallust. Cic. in Pison. c. 2. & Catil. 2. 3. Cicer. Famil. 5. 2.

XCII. Sed cæterorum cunctationem Cethegus sæpe increpabat; præfervido ingenio, promptusque manu, & ad quodlibet facinus præsentis audaciæ. Nam Lentulus & cęteri rem in Saturnalia proferebant. Jam Allobroges ex mandato Ciceronis cum conjuratis egerant. ab iis ad Catilinam cum Tito quodam Volturcio Crotoniense mittuntur. Eidem litteras dat perferendas Lentulus, hoc exemplo: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. cura ut vir sis, & cogita quem in locum sis progressus: & vide quid jam tibi sit necesse. cura omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum.* ad hoc mandata verbis dat, *ne quod genus auxiliorum in hac necessitate spernat. neve cunctetur, paratis in Urbe omnibus, propius accedere.*

Litera Lentuli ad Catilinam. Plin. 23. 2. 7 Quintil. 6. 1. Ascon. in Toga. Candid.

XCIII. His ita constitutis, quum noctu per pontem Milvium proficiscerentur, excepti sunt insidiis, quas ibi Consulis jussu C. Pontinius, L. Valerius Flaccus Prætores collocaverant. Ita his comprehensis Consul summo mane *vocari ad se statim Gabinium, Lentulum, Cethegum, Statilium* jubet; *itemque Cæpa-*

Coniurati comprehenduntur. Cic. pro Flac. cap. 31. et pro Murena. c. 11. et 37.

rium Terracinensem, qui in Apuliam ad solicitandos pastores proficiscebatur. Reliqui venerunt. Cæparius indicio cognito ex Urbe profugit. Consul Senatu in ædem Concordiæ vocato, *conjuratos cum custodibus adduci* jubet: Lentulum (quia Prætor iterum erat, post Consulatum Senatu motus, deinde ordine recuperato) manu tenens eodem adscendit. Ibi D. Silanus Consul designatus dixit, *ex Cethego nonnullos audisse, fore ut brevi Consules tres, cum Prætoribus, quatuor, occidantur.* Similia C. Piso vir Consularis adferebat. Interea C. Sulpicius, quem Consul domum Cethegi miserat, redit, *magnam*que *vim ibi telorum armorumque, plurimasque sicas & gladios recens exacutos, reperisse* nunciat.

Plutarch. Catone c. 38.

XCIV Postremo Volturcius accepta fide publica, & post hunc Allobroges omnia aperiunt. Auctores sceleris tot indiciis, testibus, literis, sua confessione, vultu denique ipso, gestu, colore, convincuntur. Lentulum dissimulantem sermonibus etiam quos habere solitus erat, Allobroges coarguebant, quærentes ab eo, *nihilne secum esset de fatis Sibyllinis loquutus*? Nam ex liberis earum & haruspicum responsis, *Regnum Romæ tribus Corneliis portendi* confirmaverat: *ante se Cinnam & Sullam fuisse; se tertium quem necesse esset Urbe potiri. præterea esse annum ab incendio Capitolii vicesimum, & post Vestalium absolutionem decimum, quem sæpe prædixissent haruspices bello civili cruentum fore.* Idcirco Senatus Lentulum abdicato magistratu, itemque cæteros in libera custodia habendos quum censuisset; Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum Ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cæparius, qui retractus ex fuga fuerat, Cn. Terentio Senatori traduntur.

Lentulum Allobroges coarguunt. Sallust. Plutarch. Val. Maxim. 5. 8. 5. Plutarch. Cic. Appian. Cic. Catil. 3. 2. Cic. pro Fonteio c. 12. et pro domo c. 5 a

XCV. Supplicatio etiam nomine Ciceronis decreta, qui honor nemini ante eum togato contigerat, his verbis: *quod Urbe incendiis, cæde cives, Italiam bello liberasset.* Quum inter hæc agenda præteriisset dies, obscuro jam Consul quid actum esset populo exposuit: cujus magna pars paulo ante bello faverat. Tunc autem subito commutata mente, Ciceronem ad cœlum tollebant laudibus, incendium maxime detestati, quod sibi inprimis calamitosum fore non dubitabant. Forte eodem die, eademque hora diei, qua per forum coniurati in ædem Concordiæ ducebantur, Jovis simulachrum ad ortum Solis, in conspectu Curiæ Forique, altioribus quam antea columnis impositum est; quum biennio ante locatum, neque tamen ob tarditatem operis statutum ad eam diem esset. Igitur quod eodem tempore patefacta est conspiratio, quod *futurum eo signo sic posito* haruspices responderant, non sine numine deorum tantis periculis ereptam esse civitatem crediderunt.

Cicero laudatur ab omnibus. Plutarch. Sallust. Cic. pro Muren. c. 25. Suet. Augusto 5. 1.

XCVI. Postridie, quum iterum Senatus haberetur, introductus à consule P. Tarquinius, qui professus indicium fuerat, Crassum inter coniuratos nominavit, nobilitate, divitiis, potentiaque summa hominem. Conclamant Senatores, *falsum indicium esse, deque ea re* postulant *ut referatur*, pars ita sentientes: alii quod periculosum putabant, potentissimum virum vel vero crimine præcipitem agi: multi privatim obnoxii. Igitur consulente Cicerone frequens Senatus decrevit, *indicium falsum videri.* Quidam existimabant *machinatorem ejus indicii P. Antronium fuisse, quo Crassi potentia reliquis præsidio esset.* Alii Ciceronis dolum, *ut Crassus a suscipiendo improborum patrocinio, quod ipsi frequens erat, absterreretur. Ipsum utique Crassum querentem audivisse* Sallustius scribit,

Crassus inter coniuratos nominatur. Suetonius. August. 94. 6: Constantinus Manasses. ...gel. 35: 14. ...iodorus. 45. 1. 5.

tantam illã contumeliã sibi ab Cicerone impositã: semperq; postea fuit ab eo alienior.

Cæsarem etiã nominari volunt ejus inimici. Suet. n. Virg. Æneid. 6. Sueton. August. c. 79. Vellei. 2. 36. Plutarch.

XCVII. Cæsarem quoque nominari per Allobrogas, aut alium indicem, Q. Catulus, & C. Piso vehementer optarunt; sed nec prece nec pretio persuaderi Ciceroni potuit, ut pateretur. Cum utroque graves inimicitias Cæsar alebat: Pisonem oppugnaverat modo in judicio propter Transpadani cujusdam injustum supplicium, quo tamen judicio Piso est defendente Consule Cicerone absolutus: Q. Catulus extrema ætate, maximis honoribus usus, victum se à Cæsare in petitione Pontificatus impatientissime ferebat. Nuper enim Q. Metello Pio mortuo, quum Pontificis maximi vacaret locus, T. Labienus legem tulerat, *ut abrogata lege Cornelia, & revocata Domitia, populus sacerdotia mandaret*. Fiebat hoc in Cæsaris gratiam, quem ita fovebat populus, ut nihil non ad demerendum eum facturus videretur.

Cæsar in petitione Pontificatus summos viros superat. Plutarch. Sallust. Cic. Catilin. 3. 4. Florus 4. 1. 9. Cic. pro Flacco c. 40. Diod. lib. 37.

XCVIII. Itaque licet duo summi viri Q. Catulus, P. Servilius Isauricus peterent, Cæsar nihil territus, se ostendit competitorem. Et *Catulus*, quanto major annis ac dignitate erat, impensius timens repulsam, *per certos homines egisse cum Cæsare* dicebatur, *magna ostensa mercede, ut à petitione desisteret*. Ille contra *longe majorem se impensam facturum in comitia* declaravit. Nec verbis absuit fides: tantaque largitione est usus, ut matri descendentem ad comitia cum lachrumis osculanti, magnitudinem æris alieni reputando, dixerit: *hodie mater, aut Pontificem habebis filium, aut exsulem*. Ideoque duos tam potentes viros ita superavit, ut plura in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus ferret. Piso igitur & Catulus, his odiorum caussis, quum impellere Consulem nequivissent, circumeundo tamen & velut ex Volturcio aut Allobrogibus audita differendo, tantum illi invidiæ conflarunt, ut Equites Romani quidam ex eo numero, qui circum Concordiæ armatus stabat, tamquam hosti publico gladiis minitarentur.

Ciceronis sollicitudo. Velleius. 2. 34. Plutarch. Cicero. Sallust.

XCIX. Ibi Curio dicitur eum texisse toga sua, & Consul intuentibus in eum Equitibus, abnuisse cædem. sive credebat innocentem; sive ille potentiam hominis metuebat, ne caussa hujus & cæterorum mixta, potius illos ob Cæsarem servaret populus, quam cum illis interire Cæsarem pateretur. Territus tamen Cæsar, an ut invidiam conflaret inimicis, in reliquum anni tempus Curia abstinuit. Inter hæc liberti & clientes conjuratorum, servitia & fæcem vulgi commovebant, ut vi Lentulum & cæteros eriperent. Qua re cognita Consul, cujus diligentiam nihil effugiebat, noctu Capitolium Forumque præsidiis occupat; ipse in domo cujusdam amici præsentia insomnis ac solicitus animo volvebat. Nam suam domum intrare religione vetabatur; quod ibi tum Terentia uxor cum Vestalibus sacrum Bonæ Deæ celebrabat. Detecta conjuratione lætabatur: sed nobilissimi deprehensi cives angebant, si tollerentur, invidiam sibi; sin viverent, Reipublicæ periculum allaturi.

Sententiæ in Senatu feruntur de conjuratis. Cicero. Sallust. Plutarch. Appianus. lib. 2. Civil.

C. Sub ortam lucem (Nonæ Decembres erant) confirmatus prodigio, & nuncio Vestalium *insistere* jubentium *consiliis*, *magnum ei lumen ad gloriam præferentibus*, *quod domi ejus inter sacrificandum ex favilla & cinere luculenta flamma proruperat*; populum sacramento per Prætores adigit, *ubi militibus opus esset*, *arma capturum*: ipse convocato Senatu refert, *quid de iis fieri placeat*, *qui essent in custodias traditi*. Tum Decimus Junius Silanus Consul designatus (hi enim ferme sententiam primi rogabantur) *de illis*, *& præterea de L. Cassio*, *P. Umbreno*. *P. Furio*, *Q. Annio quum deprehensi forent*, *supplicium*

sumen

ſumendum cenſuit. Adſentientibus aliis, Tib. Nero *debellandum antea Catilinam* dixit *videri*; *cæteros haberi in cuſtodia*; *præſidiis additis*, *donec iterum ea de re referatur*.

CI. Ubi ventum ad Cæſarem eſt; qui tum erat Prætor deſignatus, *mortem à diis immortalibus ſupplicii cauſſa conſtitutam* negans, *ſed potius portum quemdam miſeriarum*, *& quietem laborum eſſe*; *vinculis eiſque ſempiternis coërcendos* decrevit, *bona publicanda*, *ipſos in municipiis*, *quæ Cicero Conſul probaſſet*, *habendos*: *neu quis de iis poſtea ad Senatum referret*, *neve cum populo ageret*: *municipibus*, *ſi quis eorum vincula rupiſſet*, *atroces pœnæ præſtituerentur*: *ſic effugi invidiam*, *ne quis civis indicta cauſſa necatus videatur*; *reos interea gravius plecti*, *quam ſi ſupplicium paterentur*.

Cæſaris ſententia. Cicer. Quintil. 2.16. Cic. in Piſon. cap. 3.

CII. Adeo commoverat animos tam facundia orationis, quam potentia viri, ut non modo cæteri deinceps eam ſententiam ſequerentur; ſed qui ſententiam prius dixerant, & ipſe ante omnes Silanus retractarent quæ cenſuerant, aut interpretatione mollirent; quum poſt orationem inſignem à Conſule interpoſitam pene inter ultimos (adoleſcens enim adhuc; & Tribunus plebis deſignatus erat) ſententiam M. Cato rogatus, ita & Silani perſtrinxit inconſtantiam, & Cæſarem ſuſpicionibus & invidia obruit, ut in ejus ſententiam, *ſumendum de conjuratis ſupplicium* decerneretur.

Catonis ſententia. Plutarch. Cicer. Salluſt. Arnobius.

CIII. *Etiam bona publicari* volebant plerique: ſed Cæſar *indignum eſſe* teſtatus, *id unum ſententia ſua retineri*, *quod erat aſperrimum* (nec enim alii hoc cenſuerant) repugnavit; illiſque non deſiſtentibus appellavit Tribunos. quum neque Tribuni intercederent; Conſul ſponte ceſſit, eamque ſententiæ partem remiſit. Magnam ea dies Catoni celebritatem attulit, adeo incomparabilem pro Republica & honeſto animum attuliſſe viſo, ut major pars Senatus abeuntem domum proſequeretur. Conſul opperiri noctem, ne quid per eam novaretur, inutile ratus, Triumviros capitales *parare*, *quæ pertineant ad ſupplicium* jubet: & præſidiis diſpoſitis Lentulum è Palatio per ſacram viam mediumque Forum ipſe ducit.

Et ex ea celebritas. Salluſt. Plutarch. Craſſo c.14. Diodor.

CIV. Principes Senatus Conſulem ſtipabant: populus magnitudine rei attonitus, cum horrore & veneratione præteribat. ut ventum ad carcerem eſt, demiſſo in Tullianum Lentulo, gula laqueo frangitur. Item fit Cethego, Statilio, Gabinio, & Cæpario, quos Prætores adduxerant. Conſul ſpectato ſupplicio digrediens, quum frequentem adhuc in Foro videret turbam, velut noctem effringendi carceris cauſſa exſpectantium, alta voce pronunciavit, *vixerunt*. hoc enim verbo ad mortis evitandum omen veteres utebantur.

Conjuratorũ ſupplicium. Plutarch. Salluſt. Plutarch. Caton. c.10.

CV. Domum deinde jam cœpta nocte redeuntem cum plauſu & lætis acclamationibus deduxit populus; matronis etiam honoris ejus cauſſa, ſimulque ſervatorem Urbis videndi cupidine, de tectis eſſerentibus faces. Proſequebantur eum primarii viri, geſtis præclare rebus, & triumphorum ſplendore nobiles: quibus non alius inter eundum ſermo erat, quam *ſe quidem & ſimiles alios Imperium protuliſſe populi Romani*; *ſervatum populum Romanum cum Imperio & Imperatoribus*, *unius Ciceronis opus eſſe*. *hunc non exercitu*, *neque vi militum*, *ſed ſuis conſiliis togataque niſum induſtria*, *tantum incendium*, *quo conflagratura opulentiſſima poſt homines natos civitas fuerit*, *quinque admodum noxiorum ſanguine reſtinxiſſe*.

Ciceroni maximi honores exhibentur, ſervata patria. Cic. Pro Flacc. cap. 39. Vellei. 2.43 ; Salluſt. Diodor.

Parens patriæ vocatur. Sueton. Cæsare c. 13. Plutarch. Sallust.

CVI. Neque deinceps aut in Rostris, aut in Curia minus ei honoris ab optimo quoque delatum est. Cato certe pro concione, deinde Q. Catulus frequentissimo Senatu, *parentem patriæ* nominarunt: non ut postea Cæsares idem vocabulum, & quidquid tribuere adulatio potest, habuerunt; sed integra libertate. L. Gellius vir Censorius, *civicam ei coronam deberi* dixit *à Republica*. Quum hic bonorum omnium sensus esset, exortus est Q. Metellus Nepos, qui tum Tribunatu recens inito, cum L. Bestia collega, & designato Prætore C. Cæsare Ciceronis acta laceraret.

Ciceronis magistratu abeuntis iusiurandum. Appian. lib. 2. Civil.

CVII. Is pridie Kalendas Januarias abeuntem magistratu, verba facere ad populum vetuit, *ei qui in alios animadvertisset indicta caussa, dicendi potestatem fieri non oportere dictitans*: tantummodo jurare permisit. Tum Cicero, ut insultaret & inimicorum pravitati, non solemne magistratum ejurantium carmen, sed hoc magna voce juravit, *Rempublicam atque Romam Urbem sua unius opera esse salvam*. Nec indelectatus ea calliditate populus, magna voce & ipse juravit, *vere hoc ab illo juratum esse*. Ea res adversarios ejus momordit vehementer, utque se magis etiam contra eum intenderent, stimulavit.

Ciceronis Consulatus omnibus aliis præfertur. Diod lib. 37. Cic. Famil. Plutarch. Cic. ad Attic. 2.1.

CVIII. Sed Ciceronis, ut ipse deinde in Senatu dixit, *is domum fuit è Foro reditus, ut nemo, nisi qui cum illo esset, civium esse in numero videretur*. Nec sane tanto viro nimius haberi honor poterat, cujus Consulatui nullum alium omni memoria conferendum reperio. nam cæteri sæpe domi bellive egregiam operam navarunt Reipublicæ, sed magnis plerumque præsidiis instructi: hic sibi præcipue innixus, adjutus à paucissimis, oppugnatus à magno audacissimorum hominum agmine, & adhuc amplius latentes adversarios timens, atrocissimam post homines natos, vaferrimamque conjurationem, eruit industria, debilitavit facundia, virtute constantiaque singulari superavit.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



CATILINA à C. Antonio Proconsule cum exercitu cæsus est. P. Clodius accusatus, quod in habitu mulieris in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset: quumque uxorem Maximi Pontificis stuprawisset, absolutus est. Cn. Pontinius Prætor Allobroges, qui rebellaverant, ad Salonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Cæsar Lusitanos subegit: eoque Consulatus candidato, & captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta

est, Cn. Pompejum, M. Crassum, C. Cæsarem. Leges Agrariæ à Cæsare Consule cum magna contentione, invito Senatu, & altero Consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius Proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero, lege à P. Clodio Tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exilium missus est. Cæsar in provinciam Galliam profectus, Helvetios vagam gentem, domuit: quæ sedem quærens, per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere volebat. Præterea situm Galliarum continet. Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane & Tigranis filio, triumphavit: Magnusque à tota concione consalutatus est.

TURBULENTUM & atrocem annum excepit D. Junii M. F. Silani, L. Licinii L. F. Murenæ Consulatus, sicut periculorum oppressa majori parte tutior, ita reliquo adversus Catilinam bello, & gliscentibus in Urbe discordiis futurorumque exspectatione haud minus laboriosus & minax. Kalendis Januariis, quum Senatum novi Consules convocassent, Q. Metellus Tribunus plebis Ciceronem vellicans, vicissim acriter est ab illo reprehensus. Et C. Cæsar primo Præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit, promulgata rogatione; qua curatio ea in alium transferretur, ut Catulum honore dedicationis depelleret. (U. b. cond. an. 691. Metellus Ciceronem. Cæsar Catulum vexat. Cic. Famil. 5. 2.)

II. Sive enim quædam adhuc, ut ex tanto opere, imperfecta restabant, (& depressæ sub area cellæ plures gradus, paremque fastigio suggestum fieri non erant passæ) sive hoc fingebat Cæsar; id certe agebatur, ut peculatus præscriptione remoto Catulo, Pompeji nomen operi absoluto præscriberetur. In ea contentione tam contumeliose tractavit primarium virum, ut purgare se volentem ex inferiore loco juberet dicere. Sed optimates relicto novorum Consulum officio frequentes accurrisse videns ad resistendum, hanc quidem actionem deposuit: Metelli turbulentissimas actiones pertinaciter cœpit defendere, infimæ plebi totum se adplicans, quæ res novare cupientibus in omni magna civitate paratissima semper materies fuit. (Optimates Catulum defendunt. Suet. Cæsare cap. 15. Velleius. 2. 43. 3. Diodor.)

III. Igitur M. Porcius Cato, minime alias largitor, ut eriperet homini populum, auctor Patribus dividendi in egenos cives frumenti fuit. Ea res licet constaret trecenties sestertium annui sumptus, tamen quietam eo anno Rempublicam à formidata Cæsaris Prætura præstitit: atque is post aliquot experimenta, quum deseri se à turba videret, reliquum magistratus sui tempus modeste & civiliter exegit. Sed hæc paulo post referentur, ubi Catilinæ, & copiarum quas secum habebat, exitum tradidero. (Cato frumenti dividendi populo fit auctor. Cic. ad Attic. cap. 14.)

IV. Is jam ex omni numero hominum, quos aut ipse adduxerat, aut coactos repererat à Manlio, duabus expletis legionibus eventum consiliorum suorum in Urbe exspectabat. Ubi *deprehensa ea disturbataque, & principes conjurationis supplicio adfectos* didicit, simul ob eam rem multis deficientibus res suas quotidie fieri imbecilliores, priusquam relinqueretur ab omnibus, per montes arduos in agrum Pistoriensem duxit, fugam in Galliam trans Alpes moliens. Sed intellecto ejus consilio Q. Metellus Celer, castris ex agro Piceno propere motis, in radice montium, qua descendendum Catilinæ erat, consedit. (Catilina fugam in Galliam molitur. Sueton. Cicer. cap. 12. Plutarch. Cat. cap. 36.)

Sed impeditus ab Antonio. Liv. epitom. Salluft. Catil. cap. 56. Appianus. lib. 2. Civil.

V. Interea & C. Antonius adfuit, qui cum magno exercitu sequutus fugientem fuerat. Ibi Catilina locorum ingenio, geminisque hostium castris clausus, quamprimum statuit decernere, in Antonium versus: quamquam ille dignitate præstabat, majoribusque & melioribus quam Metellus copiis erat instructus. Sed quia non alienum à pravis consiliis noverat, futurum aliquid sperabat, quo ille ultro victoriæ occasionem corrumperet. Neque dubitatum est, lentius periculosiusque futurum bellum fuisse, nisi M. Petreius, & P. Sextius cunctanti Antonio stimulos ad rem gerendam admovissent.

Pugnam init. Diodor. Cic. pro Sextio cap. 5. Salluft.

VI. Quæstor Antonii Sextius erat; Petreius legatus, vir mirifico rei militaris usu, qui amplius annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut Prætor cum magna gloria in exercitu fuerat. unde summa ipsi apud milites auctoritas; simul amor, quod noverat plerosque, & fortia eorum facta subinde commemorabat. Is igitur exploratis omnibus (nam Antonius pedibus æger aut simulato morbo prœlio non adfuit) signum pugnæ proposuit. Numquam certatum est pertinacius. Catilinæ exercitus quamquam & viribus impar, quum perire unusquisque prœlio quam supplicio mallet, fugæ immemor, vita citius quam loco depelli potuit. Manlius in primo dimicans, post insignem editam pugnam cecidit.

Victusque occiditur. Appianus. lib. 2. Civil. Florus. Diodorus.

VII. Catilina post expletas boni militis impera torisque omnes partes, ubi se relictum cum paucis vidit, in confertissimos hostes impetu facto, longe à suis occisus est: cæteri quoque omnes, tria circiter hominum millia, ad unum pugnando interfecti: neque quisquam ingenuus civis aut inter prœliandum, aut in fuga captus est. Ex Antonianis quoque haud paucos pugna tam pertinax absumpsit. Antonius ex eo prœlio, licet minore hostium interfecto numero, quam ob quem hic honor dari consueverat, *Imperator est* appellatus; triumphum tamen non petiit.

Metellus Creticus triumphat. Val. Maxim. 2. 8. 7. Frag. Capitol. Salluft. Velleius 2. 34. Diodor. lib.

VIII. At Q. Cæcilius Metellus Creticus ex Apulia reversus, ante diem Kalendas Junias triumphans urbem iniit, serius quam meruerat: ob ejusdem Pompeji invidiam, qua & Luculli fuerat Triumphus retardatus. Quin & Panarem, Lasthenemque præcipuos Cretum duces, ne in triumpho currum Metelli præcederent, per quemdam Tribunum plebis eripuit Pompeius, *suos deditios esse* caussatus. Cæterum in Urbe capite Catilinæ viso, (nam illud certæ securitatis pignus Antonii jussu adlatum fuerat,) supplicatio decreta, quod alias ex civili bello fieri non solebat: & sagis positis ad priorem vestitum civitas rediit.

Reliquiæ conjurationis opprimuntur. Velleius 2. 40. Diodor. Jul. Obseq.

IX. C. Antonius statim in provinciam suam Macedoniam; reliqui etiam in suas provincias sunt profecti. Galliam eis Alpes Metellus Celer habebat; Transalpina C. Pontinio cessit. Hispaniam C. Cosconius, Q. Pompejus Africam sortiti sunt. L. Valerius Flaccus in Asiam est missus. Reliquiæ deinde conjurationis, quum ne quiescere possent, metu suppliciorum præcipites agerentur, diversis Italiæ regionibus sunt exstinctæ. Præcipui in his Caji Marcelli fuerunt, pater & filius. sed alterum in Pelignis, alterum in Bruttiis, M. Bibulus, Q. Cicero Prætores oppresserunt. de his motibus L. Vettii Equitis Romani indicio fuerat cognitum: quod ab initio salutare, mox varie corruptum, magnas & ipsum in civitate turbas excitavit.

X. Multi enim adfines conjurationi protracti sunt; partimque morte, alii pecunia condemnati, quod tempus ab inimicis Ciceroni postea objectum est, quasi *domi suæ judicia legis Plautiæ exercuisset, cum uxore Terentia*: cujus alioquin id erat ingenium, ut cupide se publicis negotiis ingereret. Sed Vettius quum tabulam Senatui exhibuisset, qua *socios Catilinæ* dicebat *contineri*, ex intervallo eam repetiit, plures adscripturus. Enimvero Patres hoc anceps & fraudibus opportunum rati, tabulam, ne forte etiam nomina quorumdam expungeret, non reddiderunt: ipsum, si quos præterea indicaturus esset, voce jusserunt edere.

Vettius conjurationis index. Cic. in Vatinium cap. 9.

XI. Sic ille pudore & metu perfusus, pauca addidit nomina. Sed apud Novium Nigrum Quæstorem ab eodem Vettio C. Cæsar erat compellatus: quem etiam Q. Curius, cui primo Catilinariæ conjurationis indici, decreta præmia erant, in Senatu nominaverat. Id vero intolerabile Cæsari visum. Idcirco *Ciceronem* in Senatu testatus, *ad quem ultro quædam de illa conjuratione detulisset*, effecit, ne præmia Curio darentur. Vettium pignoribus captis & direpta supellectile, male mulctatum, & pro Rostris in concione pene discerptuum, conjecit in carcerem: eodem & Quæstorem Novium, quod majorem apud se potestatem compellari passus esset. Ab eodem indicio & per Italiam multa sollicitudo exstitit: dum etiam qui non erant nominati, ne essent metuunt, aut aliorum suspicione notarentur.

Etiam C. Cæsarem nominat. Cic. Pro Cælio. cap. 30. pro Flacco cap 3. Orosius. 6. 6. Diodorus. Cic. ad Attic. 2. 24.

XII. Idcirco Senatus publicata Vettii tabula, securitatem cæteris & quietem præstitit: at qui nominati erant, vocati in judicium, & præsentes & absentes condemnati sunt. Nec desinebat Ciceronem accusare Nepos, Senatum oblique petens, *cui* negabat *permissum, injussu populi civem occidere*. Cæterum facto Senatusconsulto, *ne cui pestilentes & in conjuratione deprehensos necasse fraudi foret*: additoque, *si quis contra hac periculum cuiquam faxit, eum Senatui pro hoste futurum*; ista calumnia citra majorem tumultum conquievit. Illa Metelli ejusdem rogatio maximas turbas dedit, quo *Pompeius una cum exercitu ad constituendam Rempublicam* vocabatur. hoc maxime modo Ciceronis se potentiam infracturos rebantur, uti salutarem Reipublicæ, ita novatoribus importunam.

Metelli Nepotis actiones pravæ. alluso in Ciceronem. Plutarch. Cicer. cap. 36. Diodorus. Sueton. Cæsar cap. 17.

XIII. Metello inter pertinacissimos propugnatores C. Cæsar aderat. Patrum seniores resistebant; & amplissimus quisque maxime. his firmissimum præsidium in animo Catonis erat: qui jam à principio Metelli provisis consiliis, non alia de caussa, quam ut his occurreret, Tribunatum petierat. Forte cum amicis quibusdā & librorum suppellectile proficiscebatur in Lucaniam, ubi prædia non contemnenda possidebat; quum jumentorum sarcinarumque & servorum magna multitudine obvia, *Metellum Nepotem in Urbem ire* didicit, *Tribunatus petendi caussa*.

Ei Cato resistit. Cic. de legib. 3. 3. Sueton.

Tribunatus propter hanc caussam petit.

XIV. Idcirco quum paulisper restitisset cogitabundus, præcepit suis *convertere iter*. Mirantibus qui aderant, *non intelligitis*, inquit, *stoliditatem Metelli bonis ultro formidabilem, nunc voluntate Pompeii velut amento concitatam, in Rempublicam ferri? minime vero hic cessandi locus est, sed aut reprimendus ille mihi, aut pro libertate moriendum*. Nam adfinis Pompeii Metellus, omnia ex ipsius nutu facere facturusque videbatur. præterea moribus erat improbis, unde & cognomentum ei *Nepotis*, licet à majoribus acceptum, mire congruebat. Profectus tamen, hortantibus illis, quo intenderat,

Diodorus. Plutarch Catone c. 27.

Posidonio de arte honor à Pompeio.

nec multo post reversus in Urbem, petiit Tribunatum, & una designatus est.

Sed primo cũ eo leniter agit. Cicer. pro Muren. c. 38. Cic. Famil. 5. 2. Val. Maxim. 9. 14. 4. Plutarch.

XV. Hic igitur Metellum in Senatu compellans, non egit vehementer & illo Catoniano spiritu, sed præter morem lenis, etiam ad preces devolutus, admonuit, *ut familiæ suæ decus, quæ semper optimarum partium fuisset, abjiceret.* At illi postquam rogari sensit, crevit animus: Catonisque domitam libertatem cedere sibi & succumbere putans, eo prorupit temeritatis, *ut vel invito Senatu cœpta exsequuturum* diceret. Tum vero mutato oris habitu, & vocem ac orationem à priori mansuetudine ad contentionem & vehementiam revocans Cato acerrime cum illo disputavit de Republica. postremo adjecit, *Pompeium armatum se vivo venturum in Urbem non esse*.

Mox vehementissime pugnant. Sueton. Cæsare cap. 16. 1. Plutarch. Cic. pro Sex. cap. 29. Diod. lib. 37.

XVI. Ambo exivisse de potestate videbantur: sed Metellus quadam infernali rabie concitari; Cato cœlitus adflatum furorem furere. Quum deinde cum populo agendi dies adesset, in quem Metellus atque Cæsar vim & arma paraverant, magnusque conflictus exspectaretur; domesticos anxios Cato confirmavit, cœnaque de more sumpta quievit ita tranquille, ut a Q. Minucio Thermo collega arcte dormiens, excitaretur. Cum hoc ad templum Castoris progressus, conspecta armatorum multitudine, *Homines*, inquit, *timidos & nequam, qui contra unum & inermem tantum præsidium compararunt!* hoc dicto perrumpens per densam circumstantium turbam, Minucio comite, & Munatium amicorum intimum manu vix pertrahens; cæteris exclusis omnibus, medium se Metello & Cæsari interposuit, quo colloquium eorum dirimeret.

Catonis periculum. Plutarch. Diodorus.

XVII. Ibi omnibus de vita ejus timentibus, cum Thermo collega intercessit legi. Metellus ferre perseverabat. illi recitare scribam vetuerunt. Tum arrepto codice Metellus instituit recitare: Cato ei extorsit codicem. Metellus, qui memoriter tenebat verba legis, nihilominus eam populo satagebat exponere: quum Thermus opposita manu compressit os homini, satique prohibuit. Ibi Metellus constantia virorum cognita, signo dato excivit armatos. hoc metu quum omnes diffugerent, solus Cato resisteret; saxis & fustibus petebatur.

Et postremo victoria. Diodorus. Plutarch. Sueton.

XVIII. At consul Murena, quamquam accusatus à Catone nuper fuerat, obtenta toga pervicit, ut jacere cessarent, Catonemque secum in ædem Castoris abduxit. Metellus vicisse ratus, & legem sine impedimento perferendam, *discedere* jussit armatos, iterumque cœpit civiliter cum populo agere. Sed adversarii subito recollecti cum magno plenoque fiduciæ clamore adfuerunt: vicissimque Metelli opera, venire illos arreptis aliunde armis rati, fuga facta vacuam ad Rostra viam reliquerunt. Igitur Cato populum docendo confirmandoque suam in sententiam adduxit: simul Patres enim ob tumultum subito vocati, Rempublicam Consulibus tuendam permiserunt, addito, *ut omnes qui salvam vellent, pestiferam legem oppugnanti Catoni adessent.*

Strab. lib. 12. Cic. de Har. resp. cap. 13.

Senatus decretum contra Metellum & Cæsarem. Appian. Mithrid. Plin. 6. 2. Strabo.

XIX. Ergo Metellus, quamquam ipsum audacia non deseruerat, suis perterritis, imparem se factioni optimatium videns, celeriter convocata concione, multis invectus est in Catonem, *ejusque se tyrannidem, & principum contra Pompejum conjurationem (cujus futurum sit ut brevi eos pœniteat) fugere* dixit; statimque contendit in Asiam; quum Tribunus plebis esset; quibus ne quidem abnoctare licebat. Senatus molestissimo Tribunatu, Catonis opera & virtute excusso, decretum contra Metellum & Cæsarem fecit, quo ab administratione

Reipublicæ ambo removebantur. Cæsar primo resistens, deinde postquam sibi vim paratam sensit, domi se continuit; plebemque biduo post sponte confluentem, operamque sibi in asserenda dignitate pollicentem compescuit.

XX. Hoc facto tam propitium sibi Senatum effecit, qui ad tumultum concurrentis populi celeriter convenerat, ut gratias ei per primarios ageret, accitumque in Curiam, & gravissimis verbis collaudatum, inducto priore decreto, in integrum restitueret. Eadem lenitas erga Metellum adhibita, non tam sponte Senatus, quam Catonis precibus: qui nec insultare victo inimico cupiebat; nec utile putabat irritare Pompeium. Et Metellus iis rebus auditis, eadem levitate, qua ad Pompeium ex Urbe cucurrerat, à Pompeio in Urbem rediit. Pompeius interea constitutis Asiæ rebus, præter alia quæ dederat amicis præmia, Mithridatium quod Pontici juris fuerat, Brogodiatoro, Galatarum Trocmorum Tetrarchæ dedit; qui Dejotari filiam in matrimonio habebat. Mox inducitur. Plin. 7.30. Diod. lib. 37. Plutarch. Pompeio. cap. 71. Plutarch. Catone. Pedian. in Scaur.

XXI. Eupatoriam, non eam quæ conjuncta fuit Amiso, sed ubi Lycus & Iris fluvii miscentur, dirui à Mithridate cœptam, quod Romanos recepisset, refecit, appellavitque ex suo cognomento Magnopolin. Cabira quoque in urbis formam adornata, *Diospolin* postea vocari voluit. Sed & aliam Eupatoriam, quæ fuit Amiso juncta, simul cum eadem Amiso vocari *Pompeiopolin* jussit. Per eumdem Phazemon vicus urbs effecta, cognomento *Neapolis*. castella circum dejecta: præsertim quæ sita in editis jugis erant; ne prædonum receptacula fierent. putei quoque qui inerant, obturati. Ad Amniam itidem fluvium, ubi victi à Mithridatis ducibus Bithyni fuerant, Pompeiopolin condidit. Interim ut otio liberaliter frueretur, Rhodum navigavit Posidonii caussa, quem sapientiæ professorem etiam proficiscens ad piraticum bellum audiverat, tantumque studiis honorem detulit Orientis Occidentisque victor, ut intraturus domum ejus percuti ex more fores à lictore vetaret. Urbe à Pompeio conditæ. Plutarch. Pompeio. Cicer. Pedianus.

XXII. His per hyemem gestis, decessurus ex Asia, viritim militibus distribuit denarios millenos quingenos, & pro portione centurionibus & equiti. *Sedecim millia talentorum ea largitione expensa* dicuntur. Inde descendit Ephesum, & mox exercitu in classem imposito petiit Italiam. Sub idem tempus præmissus ab eo M. Piso Consulatum petebat. idcirco Pompeius literas misit ad Senatum, *ut dies comitiorum proferretur; quo ipse præsens commendare amicum posset*. nam hactenus eo legato erat usus. Tantis rebus gestis nihil sibi denegatum iri putabat: eratque plerisque formidabilis, quod adhuc exercitum habebat, neque dimissurus credebatur. At Cato, ne hoc initio ad majora progrederetur, obstitit, persuasitque Senatui, ut negaret. ne tamen queri Pompeius posset, M. Piso consensu omnium comitiis est designatus. Pompeius differri comitia postulat.

XXIII. Eodem tempore Pompejus uxori Tertiæ, Mucii Scævolæ filiæ, quamquam soror Metellorum erat, corruptam à Cæsare suspicatus, libellum repudii misit ex itinere, quod jam erat ingressus; quum quo propius Italiam accedebat, eo plures & graviores de ea rumores exciperet. Id divortium a plerisque vehementer probabatur. quo iniquiore postea animo Pompeius tulit, M. Scaurum ducta Mucia, judicium suum traducere. Uxori nuncium remittit. Cic. ad Attic. 1. 13. Liv. Epitom. Plutarch. Cicer. cap. 38.

XXIV. Sed quasi genialis sui suamque vindicatura injuriam Pompeia Quinti filia, L. Sullæ neptis, adulterandam se P. Clodio tradidit, simul publicis viola- P. Clodii facinus in sacro Bonæ Deæ. Plutarch.

Pompeii adventus in urbem.

Relp. Ger. præcep. cap. 24. Seneca Epist. 97. 2. Juvenal. Sat. 6. 338.

tis cærimoniis. Quum enim exeunte anno domi Prætoris Cæsaris pro populo fieret, P. Clodius App. F. perditissimus adolescens, psaltriæ vestitu in sacrarium (opertum vocabant) accessit; neque enim virum interea dum Vestales ibi sacrum Bonæ deæ facerent, fas erat interesse, aut omnino sub eodem tecto versari: in tantum ut picturas quoque masculorum animantium contegi mos esset. Inter hæc tam horribilia arcana, mater Cæsaris Aurelia, sororque Julia, cum cæteris matronis P. Clodium ancillam Pompeiæ opperientem deprehenderant; velatisque continuo sacris, a mulieribus domo exactus est.

Cic. ad Attic. 1. 10.

XXV. Eam rem, eadem statim nocte viro quaque suo indicantibus, cum luce per totam Urbem percrebuit; *magnum & atrox admissum piaculum esse*. Sacrificium à Virginibus instauratum est. In Senatu mentionem faciente Q. Cornificio, Senatusconsultum factum, *ea de re ad Virgines & Pontifices referri oportere:* ab his, *nefas esse*, decretum est. Deinde Senatus *quæstionem de pollutis sacris habendam* censuit, *Consulesque* (jam M. Pupius M. F. Piso Calpurnianus, M. Valerius M. F. Messala Niger inierant) *rogationem ea de re promulgare* jussit. Cæsar uxorem tanta coopertam infamia dimisit.

Urb. cond. an. 692.

Provinciæ. Marianus Scotus. Diodorus. Sueton. Plutarch. Cic. ad Attic. 1. 9. Famil. 5. 6. Cæsar. de bello Gallico 1. 2. & 35.

XXVI. Quum deinde *de provinciis ornandis* ageretur, C. Antonio, qui *multa facere injuste & illiberaliter* dicebatur, successor dabatur, ni fuisset à Cicerone defensus. Sic ille Macedoniam retinuit. Q. Metellus Galliam citeriorem: C. Pontinius Transalpinam. utrobique bellum erat, ortum auctumve ex conjuratione Catilinaria: *& Helvetios novis rebus studere* nunciatum ab sociis. Igitur Senatus censuit, *uti quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo Reipublicæ facere posset, Æduos cæterosque amicos populi Romani defenderet.*

Pompeius in urbem venit. Diodorus. Cic. ad Q. fratrem. Plutarch. Pompeio.

XXVII. C. Cæsar Hispaniam citeriorem, Q. Tullius Cicero Asiam sortiti obtinuerunt. Dum ista maxime fiunt, Pompeius ad Urbem venit, non ut plerique crediderant, armatus; sed Brundisii dimisso, sic tamen ut ad tempus triumphi præsto esset, exercitu. Vitare invidiam & certamina maluerat, quæ utraque prægravia & acerba imminebant. Nam quæ esset omnium de Marii Sullæque actis sententia non ignorabat: movebaturque, quod & M. Crassus cum liberis & pecuniis, velut vim Pompeii timens ex Urbe profugerat: & Cato haudquaquam spernendus adversarius, tum alios principes, tum maxime Lucullum, ad resistendum Pompeio excitabat.

Maximo favore hominū excepius. Diodorus. Plutarch. Lucullo cap 81. & Catone cap 42.

XXVIII. Ferunt *Catonis tantam jam tum fuisse Pompeii æstimatione auctoritatem, ut ad hunc conciliandum, sibi filioque duas Catonis propinquas in matrimonium peteret*: repudiatusque à Catone est, qui pararium ejus Munatium nunciare Pompeio jussit: *Catonem per fœminas capi non posse: cæterum recte agenti ultro amicum & adjutorem fore.* Sed hanc, undecumque profectam Pompeii modestiam, tantus hominum favor excepit, ut eum paucis & inermibus, tamquam ex qualibet peregrinatione redeuntem, adgregata per viam maxima hominum multitudo deduxerit; nihil magnopere desideraturum pristinas copias, si quid novare cupisset.

In concionem producitur. Plutarch. Pompeio & Catone. Vellejus. 2. 40. 3.

XXIX. Ex Urbe quoque frequenter obviam itum. longissime à juventute: post hos, ut cujusque ætas aut dignitas tulerunt! proxime portam Senatus occurrit. Non erat obscurum, quamcumque in partem vir eo robore inclinasset, mo-

momentum ingens fore: idcirco qui Clodium salvum volebant, non omiserunt ad hunc se protinus convertere. M. Piso Consul, quam ipse ferebat ex Senatusconsulto de religione violata rogationem, amicitia Clodii adductus, antiquatam cupiebat. Pompeio & Catone. Velleius. 2. 4. 6. 1.

XXX. Ejus impulsu Q. Fufius Tribunus plebis Pompejum in concionem produxit, quum die nundinarum in Circo Flaminio maxima frequentia populi esset, quæsivitque; *Placeretne ei judices à Prætore legi, quo consilio idem Prætor uteretur*. Pompeius *Senatus auctoritatem semper sibi maximam visam esse, ejusque decretis obtemperandum* respondit. Ad extremum Fufius obtinuit, ut de judicum genere (in quo erant omnia) ipsi concederetur. Clodius accusatur. Appianus. Cic. Attic. 1. 10. Diod. lib. 39.

XXXI. Accusavit Clodium Tribunus plebis P. Lentulus Spinther, duobus ex eadem gente subscriptoribus usus. Q. Hortensius præcipue, ut hæc fierent, auctor Senatui fuit; infensus Clodio, & nullis illum aut judicibus aut accusatoribus effugiturum putans. Itaque ne Fufius rogationi Consulum intercederet, ita transactum, ut ipse ferret eadem omnia, præterquam ut judices à Prætore legerentur. Testimonium in hoc judicio Cato & Cicero dixerunt: Clodius *Interamnæ se fuisse* pugnabat, *qua die incestasse sacra diceretur*. Sed Cicero vere quidem, sed impulsus, ut putant, à Terentia, ut eum testimonio læderet, *Romæ apud se fuisse* juravit. Multi præterea principum, perjuria ejus, testamenta supposita, Nisibenam seditionem; homines centuriatos, stupra matronarum atque virginum suis testimoniis exposuerunt. Clodii facinora. Cic Attic. 1. 11. Ascon. in Milonianam. Cic de Harusp. resp. c. 46. Plutarch. Cæs. cap. 15.

XXXII. Lucullus etiam ancillas produxit, *adulteratam à Clodio sororem germanam esse*, quam de tribus minimam idem Lucullus in matrimonio habuerat. Putabatur etiam cum duabus reliquis sororibus suis consuetudinem stupri habere, quarum Tertia Q. Marcio Regi nupta erat, Q. Metello Celeri major Clodia, profligatissimi pudoris fœmina, quam vulgus *Quadrantulam* cognominabat: quod ei quidam aliquando mœchus, quum aureos dare putaretur, loculos quadrantibus impleverat. Eamdem & Catullo poetæ sub Lesbiæ nomine fuisse adamatam Apulejo prodente cognovimus. Incestus cum sororibus. Val. Maxim. 2. 2. 6 Cic pro domo cap. 30. Plutarch. Cic. cap 38.

XXXIII. Inter hæc testimonia Cæsar quoque citatus negavit *se quidquam comperisse*: quamvis & mater Aurelia, & soror Julia, apud eosdem judices, omnia ex fide retulissent. interrogatusque, *cur igitur repudiasset uxorem? Quoniam*, inquit, *meos tam suspicione quam crimine judico carere oportere*. At judices, quum initio se valde severos exhibuissent reo, præsidiumque ab Senatu, non nisi damnaturis necessarium postulassent; M. Crasso suscipiente negotium pars major ita turpiter sunt corrupti, ut *præter pecuniam noctes etiam certarum mulierum, atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuisse* Cicero scripserit. Judicium corruptum. Cic. pro Milone. Plutarch. Cæsare c. 15.

XXXIV. Igitur Q. Catulus quum vidisset eorum aliquem, *quid vos*, inquit, *præsidium à nobis petebatis? an, ne nummi vobis eriperentur?* Neque diu post Catulus senex admodum exstinctus est: vir summis honoribus in Republica usus, optimarum semper partium, & incorrupta integritatis fama. Paulo ante mortem dedicato Capitolio consummasse felicitatem vitæ visus est, præcipuo tum honore, & usque ad aliud incendium, Vespasianique tempora mansuro. Catuli de eo dictum. Cæsar Cic. Attic. 1. 13. Appian. lib. 2. Civil. Sueton. Cæsar. 7. 4.

Eius somniū de Augusto. Diodorus. Plutarch. Cæsar. Cicer. Senec.

XXXV. Nec omiserim quæ tum ei per somnium oblata futuri species dicitur. Namque *post dedicationem duabus continuis noctibus somniasse* dicitur: *prima, Jovem Optimum Maximum prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse, atque sigillum Romæ quod manu gestabat, in ejus sinum deposuisse. at insequenti, animadvertisse se in gremio Capitolini Jovis eumdem puerum: quem quum detrahi jussisset, probibitum monitu dei, tamquam is ad tutelam Reipublicæ educaretur.*

Pons Fabricius exstructus.

XXXVI. Ac die proximo, quum adoraturus in Capitolium adscendisset, obviam sibi C. Octavium, qui postea est Augustus appellatus, numquam antea visum, non sine admiratione contuitus, *similem dixit puero de quo somniasset.* Quidam aliter somnium Catuli exponunt, sed eodem recidente significatu. Inter hæc pons Fabricius ad insulam Tiberinam pertinens, exstructus est: qui ad nostram ætatem incorrupta structura hanc inscriptionem pertulit; *L. Fabricius C. F. Cur. Vicar. faciundum curavit.*

Allobrogum bellum cum Pontinio. Seneca. Plutarch. Cic. de Harus. Resp. cap. 27. Tacit. 3. 71. Suet. August. cap. 94. Diod. 45. 1. 9.

XXXVII. Dum in Urbe ista fiunt, Allobroges quam diu volverant animis rebellionem cœptavere, facto in Galliam Narbonensem impetu. Sed Q. Pontinius idoneo loco castra metatus, ut ad omnia quæ tempus postularet, præsto esse posset, Manlium Lentinum cum copiis ad oppidum Ventiam recipiendum misit. Ventini repentino hostium adventu territi oppidum reliquerunt. qui relicti erant, missis oratoribus petierunt pacem. Interea totis agris ad auxilium concurritur. fit in Romanos ex improviso impetus: oppidumque in potestatem Allobrogum redit.

Catugnatus Allobrogum dux. Diodorus. Tertull. de anima cap. 46. Diod. lib. 37.

XXXVIII. Agrum tamen impune Romanus populabatur, donec multi ad Isaram flumen accolentium cum Catugnato gentis universæ duce adfuerunt. Ibi Manlius, quum transitu prohiberi hostes, propter multitudinem navigiorum non possent; veritus si aperte strueret aciem, ne conferti unique incumberent, in propinquis flumini nemoribus occultus consedit, ut dissipatos & sine metu trajicientes exciperet. Satis feliciter processit aliquamdiu dolus. Sed ubi fugientes quosdam insequutus, in ipsum Catugnatum temere incidit; cum omnibus suis perierat, ni repentina tempestas hosti suam occasionem eripuisset.

Romani vincunt. Livius. Annales. Liv. Epitom. Diodorus.

XXXIX. Postea Catugnato longius abscedente, redit ad Ventiam Lentinus, obsessamque & oppugnatam vi cepit. Servius autem Galba, & L. Marcius legati Rhodano transmisso, populabundi agros Allobrogum, Solonium oppidum pervenerant; castello munito haud procul inde posito. Occurrentes deinde hostes prœlio fuderunt, oppidique partem incenderunt, nam pleraque ædificia ligno exstructa fuerant; ne universam caperent, Catugnati superventu prohibiti. His rebus auditis Pontinius cum toto exercitu movit, obsessosque hostes, præter Catugnatum, in deditionem recepit.

Comitiorum ambitus. Cic. ad Attic. 1. 13. 1. 15.

XL. Dum hæc geruntur, Romæ Comitiorum fervebat ambitus, non sine gravi culpa Pompeii, qui ut Afranium Metellumque Consules efficeret, largitione magis, quam vel auctoritate, vel gratia pugnabat. In eo negotio M. Pisone Consule uti credebatur. Contra hæc tam adulta vitia parum aut veteribus legibus, aut novis profectum est. Nam Lurco Tribunus plebis de ambitu ferebat hoc novum, *ut, qui nummos in tribu pronunciavit, si non dederit, impune*

sit: sin dederit, ut, quoad vivat, singulis tribubus sestertiûm terna millia debeat. Sed minime lex perlata.

XLI. Comitia in A. D. XI. Kal. Sextiles dilata sunt. Cato ut semper pugnabat Republica, eodemque tempore propinquis, maxime mulieribus, quæ repudiatam Pompeii adfinitatem ægre tulerant, probavit consilium suum; ostenditque, *siquidem accepta conditio foret, nunc ipsis una subeundam fuisse tantæ turpitudinis infamiam*: quod *in hortis Pompeii dividi pecuniam* crebro vulgi rumore jactabatur. Ciceronem quoque mordebat in Afranii honore Consulatum suum sugillari. quem magistratum velut usucaptum à nobilibus, duo novi homines Arpinates, C. Marius excellente belli gloria, M. Cicero pacis artibus meruisset. at Afranium neutro præstantem æquari sibi ægre ferebat.

Pompeius pecuniam dividit ambitus causa. Plutarch. Catilina. cap. 43. Cic. Attic. 1. 13. 15.

XLII. Sed potior his omnibus pecunia, Consules quos volebat Pompeius, designavit, Q. Metellum Celerem, A. Afranium. Censores eo anno quinam fuerint, haud dixerim; fuisse certum est. Nam & Senatus recensitus est, solito quidem numerosior, quod omnes qui magistratum quandoque gessissent, adlecti erant: & vectigalia locata à Censoribus. Lustrum neque tum, neque post Cn. Lentulum, L. Gellium Censores factum est, donec Augustus sextum Consul fecit. Eodem anno L. Domitius Ahenobarbus Ædilis Curulis ursos Numidicos centum, & totidem Æthiopas venatores in Circo dedit, A. D. XIV. Kal. Octobres.

Censores ignoti. Diod. lib. 37. Pighi. Annales.

XLIII. Sic quidem in Annalibus est adnotatum. at *leones intelligi* putant, *quod constet, Africam ursos non gignere*. Sed & in nummis Domitii leonum, non ursorum expressa effigies cernitur. Lectis tum populus primum prandendi caussa surgere instituit, prius sine interruptione perspectare solitus. Triumphum deinde tertium Pompeius biduo duxit, A. D. III. & Pridie Kalend. Octobres, quum una dies tot transvehendis opibus non sufficeret. In id tempus incidebat natalis ejus, ut consulto huc distulisse pompam videatur. Biduum quoque non cepit magnitudinem apparatus: & quantum alii cuilibet instruendo Triumpho fuisset satis, relictum & omissum est. Ejus Triumphi hæc fuit præfatio: *Quum oram maritimam à prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Bastarnis, & super hæc de Regibus Mithridate & Tigrane triumphum ducere*.

Triumphus Pompeii. Plin. 8. 36. 11. 7. 26. 6. Juvenal. 4. 99. Solin. cap 19. Fulv. Ursin. Vellejus. 2. 40. 2. Plutarch. Pompeio. cap. 72.

XLIV. At in concione, quum de rebus suis dissereret, *cum duobus & viginti Regibus bellum se gessisse* dixit; *& Asiam quam provinciarum ultimam accepisset, mediam patriæ reddidisse*. Ceterum in templo Minervæ, quod ex manubiis dicabat, hunc inscripsit titulum: *Cn. Pompeius Magnus Imperator bello triginta annorum confecto, depressis aut captis navibus DCCCXLVI. oppidis, castellis MDXXXVIII. in fidem receptis: terris à Mæotis lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Minervæ*. Cognomen ex tot victoriis nullum adscivit, quamquam plurima offerrentur, contentus appellatione Magni, quam olim meruerat. sed tum à tota concione sic consalutatus est; hactenus familiaris magis adsentatio, quam consentientis famæ judicium fuerat.

Ejus inscriptio in templo Minervæ. Val. Maxim. 8. 15. 8. Plin. Orosius. 6. 6. Plutarch.

XLV. Numquam antehac tanta spectata Romæ opulentia fuit; neque tam exitiosa moribus, ad margaritarum gemmarumque studium hinc præcipue in-

Opes maximæ in triumpho translatæ. Diodorus. lib. 37.

Liv. Epitom. Livius 30. 45. 7. Eutrop. Plin. 37. 2. 12. 2. 4. Appian. Mithrid. Iosephus. 14. 4.

clinatis. quarum rerum maximam ille copiam conspicuæ magnitudinis æstimationisque in Triumpho tulit. In acta relatus est alveus lusorius è duabus gemmis, latus pedes tres, longus quatuor. in eo fuit Luna aurea pondo XXX. Præterea lecti tricliniares tres, in quibus *unus Darii fuisse* dicebatur, *Hystaspe geniti*: vasa ex auro & gemmis abacorum novem: signa aurea tria, Minervæ, Martis, & Apollinis: coronæ ex margaritis triginta tres: mons aureus quadratus cum cervis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea, Aristobuli donum.

Tituli pecuniæ Reipublicæ causa impensæ translati. Plutarch. Strab. lib. 12. Plin. 37. 2. 10. Iosephus. Appianus.

XLVI. Museum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat. Imago Cn. Pompeii è margaritis. Tituli quoque præferebantur pecuniæ quam impenderat: *Reipublicæ causa, legatis & Quæstoribus qui oras maris defendissent, datum mille talentûm, militibus singulis sena millia sestertiorũ.* Erat adscriptum *universos populi Romani reditus antea fuisse bis millies: nunc suis victoriis Pompeium adjecisse millies quadringenties*. Præter hæc translata est Mithridatis Regis dactyliotheca, quam mox dedicavit in Capitolio, cum illa quam modo diximus, aurea vite, aliisque donis.

Arborum nova genera. Plin. 12. 4. 2. 12. 25. 1. Appianus. Plutarch.

XLVII. Naves in portum adduxit integras septingentas. Transvexit & sellam ac sceptrum Mithridatis, cum effigie illius aurea cubitorum octo, quamquam non totus, sed pectore tenus expressus erat: itemque statuam argenteam Pharnacis, qui primus regnavit in Ponto: currusque aureos & argenteos. Arborum etiam genera tum primum ostensa Romæ, ebenus, quam sola ferre putabatur India: & uni quondam terrarum Judææ concessa, balsamum. Inter hæc innumeri currus transvehebantur arma portantes, & navium rostra. Captivorum deinde ingens multitudo, sine vinculis, patrio habitu cuique.

Captivi & obsides transducti. Plutarch. Appianus. Josephus. 14. 8. Diodorus. lib. 37.

XLVIII. Proxime currum Reges aut liberi Regum ducesque ibant; capti bello, aut obsidum loco traditi. Horum illustrissimi Tigranes minor, ejusque conjunx & filia, & Regina Zosime, patris Tigranis uxor: & Artaphernes Cyrusque, & Oxathres, & cum Dario Xerxes, sororesque eorum Orsabaris & Eupatra, Mithridatis liberi. Sed & Olthaces ducebatur, qui in Colchis regnaverat: & Iudæorum Rex Aristobulus cum Antigono filio, & puellis duabus. præterea Cilicum tyranni & Archipiratæ: Scytharum Regiæ mulieres: tres Iberorum, duo Albanorum duces, eorumdemque gentium, & Commagenis Regis obsides: itemque Laodicensis Menander, qui præfectus equitum Mithridatis fuerat. Absentium quoque imagines, Tigranisque ac Mithridatis pugnas & clades pictura repræsentabat. Omnium item præliorum, quibus per se legatosve victor exstiterat, tabulæ antelatæ. Mithridatis præcipue postrema obsidio, & nocturna fuga; sed & exitus spectabatur: virginesque mortis paternæ comites; Etiam reliquorum ejus filiorum filiarumque ante patrem mortuorum; nec non deorum barbaricorum effigies transferebantur.

Titulus conditarum urbium. Plin. 8. 2. Diodorus. Appianus. Velleius. 2. 40. 3.

XLIX. Titulus quoque visebatur conditarum urbium, octo in Cappadocia Pôtoque ædificaverat: in Cilicia & Cava Syria viginti: in Palæstina quoque aliisque regionibus nonnullas: in universum undequadraginta. Reges victi memorabantur. *Tigranes Armenius, Artores Iberus, Oræses Albanus, Darius Medus, cum Are-*

ta qui Nabatæis Arabibus, & Antiocho qui Commagenæ imperabat. Ipse triumphator, junctis exemplo liberi elephantis, gemmato curru vehebatur, chlamyde, ut ferebatur, Alexandri Magni amictus, quam apud Coos in thesauris Cleopatræ Mithridates invenerat.

L. Currum socii ministrique victoriæ sequebantur, legati tribunique pedites partim, alii in equis. nam exercitum diu ante dimissum non acciverat: quanquam veteri more Romano, sine exercitu triumphare Imperatorem, bello confecto, absurdum habebatur. Mitior hic solito triumphus in captivos fuit: omnes dimissi sunt ad suos sumptu publico; præter Aristobulum & Tigranem in custodia servatos, ne ille fratris, hic patris pacem turbarent. Majorem hic triumphus pecuniam in ærarium, quam ulla ætate quisquam intulit: *non comprehensa, quæ ex manubiis est in Capitolio reposita, signati argenti septingenties quinquagies semel centena millia drachmarum translatum* Appianus auctor est: Plutarchus *in auro & argento facto signatoque in ærarium illata ad viginti talentorum millia.*

Summa in ærarium illatæ pecuniæ. Cic. pro Balbo cap. 4. & 6. pro Sextio c. 61. Albinus poeta ap. Gyraldum.

LI. Multis novis inusitatisque ornamentis insignis iste triumphus quum haberetur, nihil illustrius visum, quam quod tribus triumphis totidem terrarum orbis partes devictæ caussam titulosque præbuerunt. Ter enim & alii triumphantes Capitolium adscenderant: hic, quod antea contigerat nemini, primum triumphum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia duxit. Ob tam celeres grandesque victorias à plerisque Magno Alexandro conferebatur: & quo similior ei videretur, ut fit ubi suis inventis homines blandiuntur, *quatuor & triginta annis minorem* finxerunt quidam; quum quintum atque quadragesimum explevisset. felix opinione hominum futurus, si quem gloriæ, eumdem & vitæ finem habuisset, neque vertentem fortunam esset, jam ætate provectior, expertus.

Pompeius Magno Alexandro confertur. Plutarch. Velleius. Liv. 9. 17. 6. Cic. Attic. 1. 14. 15. 2. 1. & pro Cluentio cap. 56. Cic. in Pison. cap. 4. Asconius in Pisonianam.

LII. Mense Decembri cœpit agitari in Senatu caussa publicanorum, qui redemptis Asiæ vectigalibus, *ut induceretur locatio*, postulabant. Erat res invidiosa, & turpis confessio temeritatis. Tamen Crassus ut peterent, fuit auctor: Cicero adjuvit petentes, ut concordiam ordinum retineret, quam in Consulatu stabiliverat. Sed Cato semper adversus iniqua flagitantibus, summopere resistebat. Idemque præterea, quod alterum ab Senatu valde abalienavit Equites, censuit adsentiente Senatu, *ut de iis qui ob judicandum pecuniam accepissent, quæreretur.*

Equites offenduntur ab Senatu. Ioseph. 14. 9. Hegesippus 1. 18. Ioseph. de bello Iudaico. 5. 6. Cic. Attic. 1. 15.

LIII. Ea de re certatum & olim fuerat; honestissimis Equitum *hanc conditionem* recusantibus, *ut in dispari fortuna, dignitate, honoribusque ac præmiis, paria ipsis atque Senatoribus pericula proponerentur: quum præsertim ita lex Sempronia primum, dein Cornelia conceptæ essent, ut Senatores complexæ de ceteris non cogitasse viderentur.* Sed tum hoc agebatur, ut etiam Equites nova lege illigarentur. Placebant hæc & Metello, qui designatus tum Consul, quum potestate nondum uteretur, auctoritate permultum poterat: adeo quidem, ut sub finem hujus anni, Compitalicios ludos, quos auctore Tribuno quodam plebis magistri vicorum facturi erant, privatus adhuc fieri prohiberet.

Metelli Consulis designati auctoritas.

LIV. Eodem anno M. Æmilius Scaurus, qui relictus à Pompeio cum legionibus in Syria fuerat, Petram Arabum Nabatæorum Metropolin aggressus, quum famem exercitus pateretur locis difficilibus, Antipatrum ad Aretam misit, quo

M. Scauri bellum & pax cum Areta.

deditionem suaderet. Hoc internuncio pactum, *ut trecenta talenta Romano darentur.* bellum Areta Scauroque volentibus diremptum est; idque adjumento fuit Scauro, ut destinatam M. Pisoni provinciam, in alterum annum adnitente Cicerone retineret. L. deinde Afranius, A. F. Q. Cæcilius Q. F. Metellus Celer Consules inierunt: pro quibus, uti designarentur, maximis largitionibus pugnavisse Pompejum narravimus.

Urb. cond. a. 1.693.

Novi Consules molesti Pompeio. Cic. ad Attic. 1. 13. & 16. Diodorus. lib. 37. Vellei. 2. 40. 5. Florus. 4. 2. 9. Plutarch. Lucullo c. 88.

LV. Sed illi plus molestiæ & impedimenti, quam quod speraverat auxilii, tantis impensis quæsitum est. Nam horum opera, tum alia quæ vellet assequuturum rebatur; tum uti acta sua confirmarentur: eo magis quod legati sui ad exercitum operum summorum præcipui ministri iidem illi fuerant. Cæterum Afranius saltandi quam negotiorum peritior, nihil ei profuit. Metellus etiam obfuit ab ira dimissæ Muciæ, quam sororem Metelli, quum haberet ex ea liberos, Pompejus repudiaverat. Accedebat excellentis gloriæ perpetua comes invidia: præterea simultates eum maximis viris Lucullo Metelloque, graves potius quam iniquæ, quos prior & sine caussa offenderat.

Luculli contentio cum Pompeio, de actis utriusque. Plutarch. Pompeio cap. 75. Diodorus. Appianus. lib. 2. Civil. Plutarch. Caton. c. 44. Cic. Attic. 1. 15. & 16.

LVI. Igitur Lucullus, qui de cætero se penitus otio ac voluptatibus tradiderat, præter pristini doloris stimulos ab optimatibus nonnullis incitatus, in Senatum venit, Pompejoque *rata haberi acta sua* postulanti acerrime restitit; *æquum esse prius, ut Senatus cognoscat de singulis* dictitans: *nam ut promiscue omnia ignaris qualia quæque sint Patribus confirmanda objiciantur, id vero incivile prorsus, & dominationi proximum. Præterea, quod à se constituta pleraque Pompeius labefactaverat, arbitrari jubebat Senatum, utrius potiora esse decreta deberent.* Hæc quum per se non iniqua principes Senatus M. Crassus, duoque Q. Metelli, Creticus & Consul, sed & M. Cato enixe defenderent, inferior in Curia Pompejus, ad Tribunos plebis confugit, ut quod per Senatum nequiverat, populi favore consequeretur.

Pompeius ad plebem se applicat. Plutarch. Cicer.

LVII. Idcirco quo infimi vulgi promptiora & plura suffragia quærerentur, L. Flavius Tribunus plebis promulgavit rogationem, *uti Pompeianis militibus certus agri modus daretur: utque quibus civitatis, iisdem & suffragii jus omnibus esset.* Ea tota ratio Senatui displicebat. Cicero ut populo simul Pompejoque, & possessoribus satisfaceret, secunda concionis voluntate tollebat ex lege, quæ ad incommodum pertinebant privatorum. *ne quid mutaretur de agro qui P. Mucio L. Calpurnio Consulibus publicus fuisset,* quo anno Tib. Gracchus Agrarias leges tulerat: *ne ve Sullanorum hominum possessiones moverentur.*

Helvetiorum motus. Cæsar de bello Gallico. 1. 5. Diodor.

LVIII. Volaterranos etiam & Arretinos, quorum agrum publicarat Sulla, neque diviserat, defendebat; id solum concedens, *ut ex ea pecunia quæ ex novis vectigalibus per quinquennium redigeretur, agrorum emptiones fierent.* Sed hæc contentio quum maxime ferveret, Gallici belli metu paulisper remissa fuit. Nam Helvetii in armis esse, atque excursiones in provinciam facere nunciabantur. Idcirco Senatus decrevit, *ut Consules duas Gallias sortirentur: delectus haberetur: vacationes ne valerent: legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentque operam, ne se cum Helvetiis jungerent.*

Consul lapidibus petitur.

LIX. Quum in sortitione legatorum, prima de Consularibus sors Ciceronis, deinde Pompeji exisset; Senatus una voce *retinendos hos in urbe* censuit. legati sunt

Q. Metellus Creticus, L. Flaccus, & Lentulus Clodiani filius. Pacata tamen provincia mansit, quum victoria C. Pontinii facilem ad reliquias pacandas viam paravisset: atque ille contentus domuisse qui rebellaverant, non lacessivit quietos. Igitur quum motuum Gallicorum vanus rumor fuisset, & otium è Gallia nunciaretur, ad civiles contentiones acrius reditum, tam vehementi concertatione, ut Q. Metellus Consul lapidibus appetitus percuteretur a seditiosis, deinde à Tribuno in carcerem duceretur.

Cic. de Prov. Consular. c. 13.
Cic. Attic. 1. 17. a. 1. pro domo cap. 5.
Diodor.

LX. Sed neque Consul eo terrore flecti potuit; neque tanti viri caussam deseruit Senatus, quin apud illum in carcere convenire cuperet. Ibi Flavius Sella Tribunitia ad fores collocata, jure inviolabilis potestatis clausit aditum, *per murum intrare jubens Senatum si vellet*; tam pertinaciter obluctans ut eodem loco pernoctaturus videretur. Tum vero Pompejus pudore ductus, & quia res perquam invidiosa etiam ad populum erat, *discedere Flavium* jussit, *id à se petiisse Metellum* mentitus. Sed notam animi magnitudinem Metellus effecerat; quum eum reliqui Tribuni eximere vellent è carcere, id beneficium recusando. postea quoque quum Flavius denunciasset *non passurum*, *ut in provinciam iret*, *nisi legi consensisset*, quamquam cupidior Triumphi haberetur, manere potius in Urbe quam de sententia dimoveri sustinuit.

Tribuni plebis improbitas.
Cic. Attic. 1. 17.
Diodor.
Plutarch. Pompeio cap. 75.
Liv. Epitom.
Sueton. Tiberio c. 2.
Cic. pro Cælio cap. 24.

LXI. Pompejus igitur principum invidia potentiam suam urgeri videns, interdum pœnitentia ducebatur, quod exercitum dimisisset: postremo quamlibet rationem inimicos reprimendi honestam arbitratus plane descivit ab optimatibus, stulto consilio, ut dignitatem tueretur, stolidis turbulentisque adolescentulis indigne se submittens; quæ potissima ipsi seque & Rempublicam perdendi caussa exstitit. Commodum sub ea tempora P. Clodius ab Siciliensi Quæstura reversus, conceptum ex judicio suo adversus optimates odium, Tribunatus viribus exsequi gestiebat. & ne propterea quod erat patricius, impediretur petere, per C. Herennium Tribunum plebis legem promulgandam curaverat, ut *universus populus in campo Martio suffragium ferret*; *quo P. Clodius ejurato patriciatu, plebejus esset*.

P. Clodius Tribunatum ambit.
Cic. ad Fratr. 1. 2. 11.
Diodorus.
Æschines in Timarchum.
Plutarch. Præc. Polit.

LXII. Hoc perfecto, jam pro plebejo se gerens, quum omnes semper Claudii patriciæ gentis acerrimi propugnatores assertoresque juris optimatium fuissent; Tribunatum cœpit petere: sed Q. Metellus Consul vir egregius, & patriæ amans impediebat; tanta contentione animi, *ut eum sua se manu interfecturum* diceret, quanquam frater ejus patruelis erat. Sed maximum ei contra Herennii rogationem argumentum erat, quod negabat, *nisi Curiata lege*, *recte de illa caussa ferri potuisse*.

Et Q. Metellus obsistit.
Cic. in Vatinium cap 13.
Plin. 19. 5. 36. 17.

LXIII. Igitur Tribunis aliis intercedentibus, tum quidem irrita P. Clodii astutia fuit. Lex deinde auctore Q. Metello Nepote, qui Præturam gerebat, *de abrogandis Urbis & Italiæ portoriis* perlata est. Quum grata lex esset omnibus, non tam ob portorium, quam nonnullas injurias portitorum; tamen auctor displiceret; eo Senatus inclinabat, ut exemplo Lacedæmoniorum, qui commodam sententiam, ab improbo viro dictam, repeti à probato, atque huic adscribi jusserunt, alterius quam Nepotis nomen legi præscriberetur. Sed id quidem omissum: voluntas tamen spectata Senatus est.

Lex de abrogandis portoriis.
Suet. Cæsare cap 18.
Plutarch.
Appian. lib. 2. Civil.

LXIV. Eodem anno Faustus, Sullæ Dictatoris filius, munere gladiatorio,

Faustus Sulla ludos in honorem patris edit. Plutarch. Sueton. Auctor de bello Hispanico cap 42.

quod in patris honorem edebat, populo magnificentissimum epulum, balneumque & oleum dedit. Apollinares quoque ludi magnifice facti: primusque tum P. Spinther theatralia vela ex carbaso duxit. ostendit & amphoras ex onyche, Chiorum magnitudine cadorum: quod magnæ tum admirationi, nec diuturnæ fuit; quum intra quintum deinde annum, columnæ triginta duorum pedum magnitudine ex eodem lapide monstrarentur.

Diodor. Cæsaris æs alienum. Diodor. Sueton. Appian.

LXV. Dum hæc in urbe gerebantur, Cæsar Lusitanos insulasque nonnullas in Oceano sitas subegit, quum in ulteriorem Hispaniam ex Prætura venisset. M. Crassi ope profectione maturata, qui sibi Cæsarem contra Pompeji prægraves opes cupiebat adjungere. Igitur quum à creditoribus retineretur Cæsar, Crassus pro eo spopondit ducenties. Nam per ambitionem effuso patrimonio, contractoque gravi ære alieno, multo plus debebat, quam redigi ex bonis ejus potuisset. auditaque vox est dicentis, *opus sibi esse millies, ut habeat nihil*.

Ejus ambitio. Diodor. Val. Maxim. 3.2.23.

LXVI. At tum Crassi opera onerosissimo quoque importunissimoque creditorum levatus, priusquam provinciæ ornarentur, contra morem ita celeriter profectus est, ut ambiguum relinqueret, metu ne judicii, an quo maturius sociis implorantibus subveniretur, festinarit. Ajunt in itinere per Alpes, quum ad conspectum pauperis vici comites ejus per jocum inter se controverterent, *an illic etiam sit ambitioni locus*? serio dixisse Cæsarem, *malle se ibi primum, quam Romæ secundum esse*. Nam ingenium dominationis avidum, ne quidquam cogitare aliud posset, ominibus variis erectum in spem potiundi fuerat.

Vox ad conspectum imaginem Alexandri. Diodor. Plutarch. Cæsar c. 23.

LXVII. Quum adhuc Quæstor in eadem Hispania conventus circumiret, jussu Veteris Antistii Prætoris sui; visa Gadibus in Herculis fano Alexandri Magni imagine, ingemuit, nec sine lachrumis dixit ad amicos conversus, *me miserum! qui hac ætate, qua iste terrarum orbem subegit, nihil adhuc gesserim memorabile*. Neque distulit missionem efflagitare, quo regressus in Urbem, majorum rerum captaret occasiones. maxime postquam absurdo proximæ noctis somnio, & conjectorum promissis inflatus majorem in modum animus fuit.

Omina & præsagia futuræ dominationis. Val. Maxim. Plutarch.

LXVIII. Quod enim ille cum matre concubuisse per quietem sibi visus erat, *Imperium orbis terrarum portendi, quod omnium mater terra esset*, interpretati sunt. Spem deinde confirmavit insolitæ figuræ ac ingenii equus, quem erat nactus, fissis prioribus ungulis, neque sessoris nisi Cæsaris patientem. Idcirco quum latrocinia locis illis solemnia minore negotio compescere Prætor posset, bellum maluit: novaque legione paucos intra dies supra priores duas conscripta, contendit ad Herminium montem, & habitatores, *situ loci ad prædas agendas incitari* caussatus, *in plana* jussit *descendere*.

Gesta Cæsaris in Hispania Sueton. Plutarch. Appian. lib. 2. Civil. Cic. de lege Agraria 2.9.

LXIX. Sic initio belli quæsito, & hos armis domuit: & vicinos populos, qui relictis oppidis suis trans Durium amnem cum uxoribus liberisque fugiebant, oppressit. Rebellantes deinde montis Herminii incolas, quum iterum subito adortus profligasset, atque illi fuga ad Oceanum facta in quamdam insulam transjecissent; partem militum ratibus impositam, quia navigia deerant, immisit. Sed ille, cui commissum hoc negotium fuerat, in scopulo quodam vicinæ insulæ exposuit copias, pedestri deinde itinere perrecturus ad hostem; ipse priusquam faceret exscensionem, abreptus æstu recurrente, relinquere expositos coactus est.

LXX. Ibi milites circumventi cæsique sunt, quum fortiter aliquamdiu se defendissent, neque præter P. Scævam prodigiosæ virtutis hominem quisquam servatus est. Is quum diu magnam hostium multitudinem sustinuisset saucius fessusq;, scuto, quod jam inutile innumeri excepti ictus fecerant, relicto, se conjecit in æstuarium, & interim, ubi profundior aqua occurrebat, natando vix evasit in litus; conspectoque Cæsare, qui hæc omnia cum admiratione viderat, genibus accidens *veniam amissorum armorum* supplex petiit. Cæsar non modo virtute hominis, sed etiam disciplinæ reverentia probata, centurionatum ei præmii loco dedit. Sed hoc quidem alii Britannico factum bello tradiderunt: quod si ita esset, vix fuisset à Cæsare prætermissum. P. Scævæ virtus. Diodorus. Plutarch. Appianus. Sueton. Liv. Epitom. Cic. Philip. 2. 10.

LXXI. Cæterum Cæsar classe Gadibus advehi jussa, totum trajecit exercitum; hostesque penuria rerum omnium pressos in deditionem accepit. Inde in Gallæcos transtulit bellum, qui Brigantium oppidum habebant: homínesque non ante visa classe sic exterruit, ut *imperata prompte facturos* pollicerentur. Sic pacata provincia, gentibusque aliquot novis imperio adiectis, juri dicundo conventibusque dedit operam, ut concordiam civitatum stabiliret, quæ propter æris alieni magnitudinem, plerisque locis convellebantur. Discordiæ propter æs alienum. Diodorus. Liv. Epitom. Sueton. Appianus.

LXXII. Igitur constituto, ut *ex debitorum reditibus bessem creditores perciperent, donec dissolutum æs alienum esset*, cum magna gratia sociorum, se exercituque locuplete præda aucto, præterea Imperatorium nomen bello adeptus, non exspectato successore, ad Triumphi simul Consulatusque petitionem decessit. Et quidem quod grandem pecuniæ summam ad ærarium miserat, decretus ei triumphus est: sed erat improba hominis & intricata ambitio: nam postulaturo Triumphum extra urbem manendum, candidato honoris petendum in urbe erat. Cæsar Triumphum simul Consulatumque petit.

LXXIII. Igitur ab Senatu contendit, ut *absentis & per amicos petentis, rationem haberi liceret*. Neque deerant qui faverent, *nulla id lege prohibitum, præterea & aliis concessum* jactantes: sed multi contradicebant, & ante omnes Cato, qui ne decretum ea de re fieret, diem quæ postrema erat temporis, intra quod profiteri candidatos oportebat, dicendo exemit. His cognitis Cæsar, ne Consulatu excluderetur, unde plus sibi virium, & ampliorem Triumphi materiam pollicebatur, dimisso Triumpho Urbem ingressus, eam continuo suscepit actionem, qua Rempublicam captans invadere, præter Catonem atque Ciceronem, omnes fefellit. Dimisso Triumpho Urbem intrat. Plin. 35. 14. Vellejus 2. 44. 2.

LXXIV. Namque Pompeium & Crassum æmulatione potentiæ discordes inter se & sibi conciliavit, his legibus, *ut omnibus in rebus adjumento invicem essent, ne quid quod cuilibet horum displicuisset, in Republica ageretur*. Hæc libertatem Urbis deglutiit triceps conspiratio: quam exinde velut infernale monstrum Cerbereo rictu absorbentem omnia, M. Varronis satyra, sub titulo Tricareni perstrinxit; qui sub id temporis Ædilis cum C. Murena Lacædemone excisum latericiis parietibus opus tectorium propter excellentiam picturæ formis inclusum, ad comitium exornandum deportavit. quod opus per se mirum hominibus, sed magis admirationi fuit, transferri potuisse. Pompejum & Crassum inter se, & sibi conciliat. Diodorus. Plutarch. Pompejo. c 71. Vellejus.

LXXV. Cæterum tres illi principes suis quisque caussis societatem inierant: Pompeius, ut tandem acta sua confirmarentur: Cæsar nondum adultum robur committere cum viro tantis radicibus immaturum ratus, ipsius illius opibus Caussæ cuivis particulares initi Triumviratus. Sueton. Cic. Attic. 2. 14

Appianus. Plutarch. Cæsar. cap. 18.

ut se muniret abutebatur, omni interim illi delegata invidia: simul Crassi retinebat studia, graviter adversaturi, si Pompeium sibi antepositum à Cæsare vidisset. M. Crassus cupidus primi loci; sed retinendo impar, ad rem pertinere credebat, si duorum potentissimorum viribus fulciretur, sperabatque Cæsaris crescentem potentiam cum matura Pompeii auctoritate ita commissurum, ut his mutuo se adhærentibus, majores ipse opes consequeretur.

Dissimulatio initæ conspirationis. Sueton. Cic. ad Q. fratr. 2. 17. Suet. Aug. cap. 31.

LXXVI. Nam hic omnia sua consilia olim retulerat; neque optimatibus prorsus addictus, neque vicissim ita popularis, ut oblitus Curiæ videretur. tantum hoc agebat, ut quidquid utrilibet gratum accidisset, id se auctore; quæ contra essent, invito aut ignaro facta censerentur. Atqui reliquorum etiam principum nemo sincerum ad Rempublicam studium, nullis admixtis ambitionis avaritiæve sordibus, adferebat; uno excepto Catone, cujus invicta ad extremum constantia, quamquam nudata præsidiis omnibus in tuenda Republica perstitit. cæterum, quo maiores adquireret vires tardius animadversa conspiratio, dederunt diligentem operam, ut tegerent eam dissimularentque: neque eo secius communicabant consilia, & quidquid conducere suis rationibus visum erat, conjunctis opibus exsequebantur.

Cæsaris pactum cum Lucceio.

LXXVII. Jam primum in petitione Consulatus, quum haberet competitores duo Cæsar, L. Lucceium Historiarum scriptorem, & M. Bibulum, per Arrium cum Lucceio coivit, pactus, *ut is, quia gratia quam Cæsar minus, pecunia plus habebat, nummos de suo, communi nomine per centurias pronunciaret.* Contrà optimates, nihil non in Consulatu Cæsaris timentes, si concordem collegam nactus esset, auctores Bibulo fuerunt tantumdem pollicendi: ac plerique contulerunt pecunias, ne Catone quidem infitiante *esse è Republica, largitionem eam fieri*. hæc tum erant tempora. Cæsar cum Bibulo designatur. Igitur optimates dederunt operam, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est sylvę callesque decernerentur.

C. Octavii gesta.

LXXVIII. Interim C. Octavius ex Prętura summa cum laude gesta, Macedoniam sortitus, (quod C. Antonio male provinciam administranti successorem mitti placuerat) negotio sibi ab Senatu extra ordinem dato, agrum Thurinum purgavit, jam olim infamem latrociniis, residuamque ex Spartaci & Catilinę copiis fugitivorum manum delevit. Sequitur non jam Consulatus C. Cęsaris, sed Regnum. quo tempore collegam potestatis M. Calpurnium Bibulum nomine, re & opere Cn. Magnum, M. Crassum habuit. Idcirco nullo jam veteris & probi moris respectu, tantum ea quę ad fundandas conjurationis opes pertinebant, ingenio Cęsaris, auctoritate Pompeii, divitiis Crassi perficiebantur: neque Romanis fiebat injuria libertatem amittentibus, quam ingratus stolidusque populus accepta mercede vendiderat.

Urb. cond. Ann. 694. Triumvirorum nimia potentia. Diodorus.

Prodigia. Sueton. Cęsar. Appianus. Plutarch. Cat. cap. 45.

LXXIX. Prodigia tum multa, non sine minis & horrore malorum imminentium nunciata aut visa sunt. Procella repens in Urbe & circum arbores exstirpavit, ædificia scidit, naves in Tiberi juxta urbem & ad ostia fluminis mersit, pontem sublicium rupit. Theatrum quoque ad ludos quosdam è ligno structum corruit: omnibusque his cladibus magna hominum absumpta multitudo est. Sed prima honoris initi antiquitatis specie decora, aut latente adhuc Cæsaris proposito pro innoxiis fuerunt: ut quo mense fasces non haberet, accensus ante

cum iret, lictores pone sequerentur; quod ex vetustate relatum: ut tam Senatus quam populi diurna acta conficerentur & publicarentur, quod ipse instituit primus, quo per provincias & ex ercitus nosceretur, nihil agi Romæ, nisi ex voluntate trium principum posse.

LXXX. Inter hæc Bibulum *ut concorditer secum Rempublicam gerere velit* in Senatu rogans, ab intentione muniendi sese avocatum, ipse clam paratis subsidiis, fallacibus blanditiis mulcebat: donec provisis quæ voluerat, ad majora itum, legesque promulgari à Consule cœptæ, quales vix Tribunus plebis paulo modestior tulisset. agrariæ ante omnes; quæ maximam contentionem, quod invito Senatu ferebantur, habuerunt. Sed nimirum Cæsar *ita se fore popularem* semper erat professus, *ut nihil esset acturus, quod non ad Senatus quoque commodum pertineret*. Igitur sic conceperat verba legis, ut nihil in his reprehendendum videretur; & tamen, *ne sic quidem laturum* testabatur, *nisi Senatu auctore*. Cæsaris leges. Liv. Epitom. Diod. lib. 38.

LXXXI. Sed optimates non fallebat hæc omnia non alia caussa fieri, quam ut abductam à Patribus plebem Cæsar hac largitione sibi auctoraret. ideoque hoc ipsum erat dolori, quod ita scripta lex esset, ut qui eam impedirent, non tam voluntati plebis, quam æquitati manifestissimæ utilitatique publicæ refragari viderentur. Namque multitudo illa numero & egestate Urbi intoleranda exhauriebatur frequentabantur; Italiæ regiones inopia hominum desertæ: consulebatur annonæ instaurata passim agricultura: & hæc sine impensa reipublicæ, sine incommodo principum fiebant: immo his ultro honor & emolumentum adiiciebatur, quod ex eorum numero viginti viros dividundis agris creabat Cæsar, seque nominatim excipiebat, ne scilicet suum in usum aliquid ferre existimaretur. Et in his ferendis astutia. Liv. Epitom. Sueton. Cæsar. ao. 15. Diodorus.

LXXXII. Cætera quoque ita complexus erat, ut neque prudentiam, neque æquitatem desiderares. *Publicum agrum omnem* dividebat, *Campano, ob præstantiam regionis, ad subsidia Reipublicæ reservato: privatum non nisi à volentibus emi* jubebat, *neque minoris plurisve, quam æstimatus in censu esset*. Pecuniam autem affatim subministrabat quum triumphus Pompeii, tum recens ab eo constituta *vectigalia: quæ civium usibus, quorum & periculis parta forent non immerito* dicebat *impendi*. *Hæc utrumne placeret ferri*, singulos interrogabat, *correcturum si quid secus scriptum videretur, aut plane deleturum* pollicitus. Legis Agrariæ argumentum. Plutarch. Atejus Capit. Diodorus.

LXXXIII. Illi quum nec incusare legem possent, nec ferri vellent, promisso *auctorem Senatum fore*, quæsitis impedimentis morabantur. At Cato pro libertate ingenii sui palam quæ sentiret præferens, legem non damnabat; cæterum negabat *ex his, quæ antea constituta essent, moveri quidquam oportere*. ducebatque dicendo diem ne perfici res ea posset, quippe sententiam rogato Senatori, licebat etiam aliis de rebus, quoad vellet differere. Tum Cæsar ira commotus, simul ut cæteris incuteret metum, *Catonem extrahi Curia per lictorem duci que in carcerem* jussit. nam illum Tribunos appellaturum sperabat. Cato nulla voce missa sequebatur: neque pauci relicto Senatu comites ei ibant: quorum M. Petreius objurgatus à Cæsare, *quod nondum misso Senatu discederet, malo*, inquit, *esse cum Catone in Carcere, quam tecum in Curia*. Catonis certamen cum Cæsare. Plutarch. Appian. lib. 2. Civil.

LXXXIV. Ob hanc invidiam, & quia plebem quoque gravatim hæc ferre animadvertebatur, destitit Cæsar, submissoque Tribuno plebis dimittendum Catonem curavit. Eo tempore quum Senatum mitteret, lætus contigisse quem opta- Cæsar Senatum negligit.

verat ad plebem se adplicandi colorem, hoc tantum adiecit; *equidem vos & judices legis & auctores esse volui, priusquam cum populo agerem, Patres Conscripti: sed quoniam vobis tam bona conditio displicet, & pro honore quem vobis habebam, tantum injurias rependitis, age, jubebit populus quod ei videbitur*. Exinde Senatu prorsus neglecto ferre ad populum cœpit. Quo tamen honestiores haberet auctores, in concione interrogavit collegam, *ecquid ei in lege displiceret?* ille nihil *nisi non permissurum, ut aliquid novetur se Consule*. tum Cæsar rogare illum cœpit, idemque faciundi auctor populo fuit. nec mollior inde Bibulus, sublata voce, *ne si omnes quidem volueritis, legem habebitis*. & cum dicto discessit.

Appianus. Diodorus.

Pompeius legem Cæsaris probat. Plutarch. Appian. Pompeio cap. 77.

LXXXV. Cæsar reliquos magistratus interrogare inutum putans, quum hujus esset contra spem expertus constantiam, Pompeium Crassumque produxit privatos quidem, sed opibus & auctoritate principes. Ibi Pompeius, *ego vero, Quirites, omnia hæc summopere probo: nec ego solum, sed jam tum universus probavit Senatus, quum & meis & Metelli militibus agrum decerneret. Sed eo quidem tempore propter inopiam Reipublicæ ea largitio dilata est: eadem nunc beneficio deorum & opera mea locupletior & illis præstare promissa, & reliquis reddere fructus communium laborum potest*.

Eique defensorem fore pollicetur. Cic. ad Attic. 2. 17.

LXXXVI. Hæc loquens, singula legis capita recensens dilaudabat. Id quum cupientissimo populo fieret, adjecit Cæsar; *quæro igitur ex te, Magne Pompei, quoniam legem probas an ei defensor sis futurus, si quam adversarii vim fecerint*: simul versus ad plebem, *orare Magnum* hortabatur. Pompeius hoc honore valde elatus quod Consul populi Romani, atque ipse populus ad auctoritatem privati confugeret; multa de rebus suis magnifice loquutus, postremo dixit, *si quis sumere gladium ausus esset se cum scuto & gladio adfuturum*. quo uno dicto nihil umquam exciderat Pompeio immodestius. Et offendebantur quidem haud perfunctorie optimates; sed quum hæc omnia M. Crasso probarentur, alii quoque minus tetenderunt in re populo gratissima: hisque duobus accesserunt, qui & boni viri, & Cæsari non amicissimi putabantur, adhuc enim conspiratione n suam occultabant.

Cæsar filiam Pompeio collocat. Sueton. Cæsar. 2. 1. 2. Velleius. 2. 44. 3.

LXXXVII. Sed eruperunt paulo post ejus rei manifesta indicia, quum Cæsar filiam Cæpioni Servilio, cui desponsa fuerat, cujusque præcipua opera Bibulum impugnaverat, ademptam Pompeio collocavit; Pompeii filiam Cæpioni pollicitus: quamquam & illa sponsum haberet Faustum Sullam. Hæc faciebat provinciam cogitans: simul ne se absente Pompeius aliquid novaret per Sabinium fœdissimum adulatorem suum, qui Consul in sequentem annum destinabatur: ipse Calpurniam duxit, ut patrem ejus L. Pisonem, quem alterum facturi Consulem erant, hac adfinitate pignoratum haberet. non dissimulante Catone, talibus nuptiis dotem à Republica imperium & exercitus dari.

Bibulus legem impedit. Dionys. Appianus. Sueton.

LXXXVIII. Post hanc adfinitatem Cæsar in Senatu Pompeium primum sententiam rogare cœpit, quum M. Crassum soleret: cuius rei rationem Senatui reddendam putavit, quia moris erat, ut quem quis rogandi sententias Kalendis Januariis instituisset ordinem, eum toto anno servaret. id quoque novo more quum olim qui princeps in Senatum esset lectus, etiam sententiæ dicendæ esset princeps. Ne sic quidem mutavit sententiam Bibulus, quin ope trium Tribunorum plebis Cn. Domitii, Q. Ancharii, C. Fannii, suffultus, legem im-

pediret tanta pervicacia, ut consumptis omnibus moræ caussis, ad extremum in singulos Consulatus sui reliquos dies ferias indiceret: ne enim feriis coiret populus, legibus vetabatur.

LXXXIX. Sed Cæsar, spreto Bibulo, nihilominus prædixit comitiis legis ferendæ caussa diem: inque idem tempus Pompejus jam ducta Julia Cæsaris gener armatis urbem compleverat. Adfuit & Bibulus, instigantibus Patribus, qui domum Consulis venerant, quod altero impediente Consule convocari Senatus nequibat; ut potius aliena improbitate victus esse, quam sua sponte cessasse videretur, & per densam multitudinem, quæ sicas sub vestibus ferens Forum de nocte occupaverat, ad ædem Castoris, Lucullo & Catone comitantibus contendit: aliis reverentia potestatis, multis quia sententiam mutasse crediderant, viam dantibus. Sed ubi ex superiore loco impugnare legem cœpit, tanta est commota seditio, ut ipse de gradibus deturbaretur, cophinus stercore repletus in caput Consulis effunderetur, fasces frangerentur, multi comitum atque inter alios duo Tribuni verberibus vulneribusque adficerentur.

Inde magna seditio exoritur.
Tiro apud Agel. 4. 10.
Varro apud Agel. 14. 7.
Cic. pro Sextio.

XC. Inter hæc Bibulus insigni constantia nudabat jugulum, offerebat, ad eamdem magna voce invitabat Cæsaris satellites, *ego vero*, inquiens, *si Cæsarem ut juste agat, movere nequeo, id saltem efficiam ut mea mors scelestiorem invisioremque omnibus reddat*. Hæc vociferantem in vicinam Jovis Statoris ædem amici rapuerunt. Tum in Catonem versus impetus, qui ut erat juvenis & robusto corpore, per medium agmen via facta, quum verba cœpisset facere, sublimis à factione Cæsaris est elatus. At ille diversa Fori parte recurrens, convicia Cæsari ingerebat: donec iterum priorem ad modum est elatus. Ita per vim perlata lege, *jurare populum* jussit Cæsar, *perpetuo ratam fore*. idem deinde jusjurandum à Senatu exegit.

Bibuli constantia.
Plutarch. Cæsare & Pompei.
Appian.
Diodor.

XCI. Bibulus ægre vitato exitio, postridie in Curia conqueritur, rescindere acta parat: Pompeio Crassoque resistentibus, plerisque metu aut errore quietis, nihil promovetur. Igitur Bibulus in reliquum anni tempus (menses autem octo supererant) domi se continens, tantum agenti aliquid Cæsari *ferias esse* obnunciabat per edicta. Sed P. Vatinius Tribunus plebis levissimus, qui & nuper Consulem in vincula ducere conatus erat, viatorem misit, qui eum domo vi extraheret. Nam hic se ad omnia Cæsaris cupita signiferum præstabat, unde Cicero occultius ad Atticum de his temporibus scribens *Athenionem* vocat, cum illo servorum in Sicilia duce, vilissimæ plebis concitorem Vatinium comparans.

Bibulus domi se continet.
Plutarch.
Sueton. Cæsare 20. 3.
Diodor.

XCII. Nec ex toto illo collegio quisquam illo anno legem tulit, quum nemo non haberet promulgatas, præter Vatinium, qui nec auspicia, nec Æliam Fufiamque leges curabat. Cæterum collegis Vatinii intercedentibus, Bibulus omissus in præsentia, nihil postea neque ipse, neque Tribuni qui cum eo senserant, publicæ rei egerunt. Adhuc in legem aliqui Senatorum non juraverant, Q. Metellus Celer, exemplum Numidici referens; M. Cato, & hujus imitationem adfectans M. Favonius. Ideirco Cæsar legem tulit, *ut qui certam ante diem non jurasset, capitalem fraudem fraussus esset*. Hic metus, an quia lege jam perlata, nihil ex sua calamitate commodi perventurum ad Rempublicam erat, & illos, & Tribunos plebis ad jurandum adegit.

Vatinii improbitas.
Cic. in Vatinium cap. 9.

Agrorum divisiones. Cic. Attic. 2. 8. Diodorus. Appianus. Plutarch.

XCIII. Sic ille non modo agrum de quo pugnatum erat, divisit; sed etiam qui exceptus antea fuerat. Campanum Stellatemque extra sortem dedit patribus familias, quibus terni aut eo plures liberi essent, horum ad viginti millia reperti: & ab eo primum tempore coloniis Romanis connumerata Capua est, quum circiter annos centum quinquaginta præfecturæ formam nomenque habuisset. His legibus ingenti ad populum quæsita gratia, quo Equestrem ordinem adjungeret, publicanis (erant enim ex eo ordine) trientem plebiscito remisit: hactenus enim resistentibus quibusdam & præcipue Catone, nihil ab Senatu impetraverant.

Cæsaris potentia.

XCIV. Sic in ordinem redactis Patribus, reliqua civitate devincta, quidquid voluit, cui voluit, dedit. Acta Pompeii, ne ipso quidem ultra renitente Lucullo, quem ita calumniarum metu exterruerat, ut ad genua sua accideret, ne dum aliis, confirmavit: provincias, ut Spintheri Hispaniam, dandas quibus ipse cuperet, curavit; de variis rebus, ex suo conjuratorumque arbitratu leges tulit: de Majestate, de Sacerdotiis, de provinciis, de Repetundis: paratis in quodlibet populi suffragiis; quę præter cętera ludorum & venationum mercede quæsiverat. Totam denique Rempublicam latente collega solus administravit. Unde homines urbani, quæ gesta eo anno essent, non ut solitum duobus Consulibus, sed ejusdem nomine ac cognomento signabant; *Julio & Cæsare Consulibus*.

Q. Considii gravitas.

Plutarc. Catone. cap 46.

XCV. Hunc rerum statum quum multi gravarentur, & aliquando Cæsar in Senatu *de infrequentia* quæreretur; Q. Considius *arma, nimirum & milites timeri* respondit. *Quin igitur te*, inquit Cęsar, *eadem formido non continuit domi?* Tum ille: *hoc metu senectus me liberat; quæ gladiis tuis parvam reliquit vitæ, ne dignam cautione particulam*. Inter quę Q. Fufius Calenus Prętor, animadverso in suffragiis promiscue latis, bene consulta sibi quemque adscribere, deteriorem culpam transferre in alios, legem tulit, *uti singulorum corporum suffragia seorsim colligerentur*, quo intelligi posset, si non, quid viritim unicuique, nam id ad leges solvendas tabellarias pertinebat, certe quid cuilibet ordini placuisset.

Provinciæ & exercitus Cæsari decernuntur. Appianus. Diodorus. Cic. Attic. 11. 16. 17. Sueton.

XCVI. Nihil id Cęsaris intererat, qui *se præsentibus abunde contentum* ferens, quidquid cupiebat aliorum opera, nec à plebe solum, sed postea etiam à Senatu consequebatur. Nam Illyricum Galliamque Cisalpinam, quam ex omnibus provinciis elegerat, socero generoque suffragantibus, cum legionibus tribus in quinquennium accepit rogatione Vatinia: mox quarta legio, & quæ trans Alpes est Gallia Senatusconsulto accessit. Verebantur enim Patres ne contantibus ipsis, & hanc populus daret, qui jam contra legem Semproniam juris hujus usurpationem primam gustaverat.

Cæsar Reges socios sibi côciliat. Vellei. 2. 44. Diodorus. 4 Appianus.

XCVII. Neque dissimulavit hujus victoriæ gaudium, paucisque interiectis diebus, frequenti Curia *omnium se capitibus illusurum* jactavit: ac negante quopiam *facile hoc ulli fœminę fore*, respondit *in Assyria quoque regnasse Semiramin, & magnam Asiæ partem olim paruisse Amazonibus*. Neque contentus domestici præsidiis, Regna sociorum omnibus modis studuit adjungere, Ariovistum Suevorum Regem, itemque Ptolemęum, cui ad magnam pecuniæ summam crediderat, *socium & amicum* appellandum, & lege & Senatusconsulto, fœdusque cum eo in Capitolio feriendum curavit. Inter hæc Consules designati sunt, uti convenerat, L. Piso, A. Gabinius. Gabinium de ambitu interrogare C. Cato

adolescens cupiebat, sed quum per aliquot dies copiam sui Prætores non facerent, in concionem adscendit Cato, & Pompeium privatus *Dictatorem* appellavit. Unde magnus exortus tumultus est, propiusque nihil factum, quam ut homo temerarius & nullius consilii occideretur.

XCVIII. Sed acriores sub idem tempus turbas excitavit L. Vettius Catilinariæ coniurationis index, qui subornatus à Cæsare, *solicitatum se à quibusdam de inferenda Cn. Pompeio & C. Cæsari nece* dicebat. Ea fabula aliquanto aliter, quam ornata putabatur, acta est. Vettius enim cum pugione, servique ejus cum telis in foro deprehendi, mox Vettius indicium profiteri debuerat. Sed ille, quo Curionem adolescentem in suspicionem adduceret, familiaritate ejus adfectata, dixerat *sibi certum esse eum suis servis impetum in Pompeium facere*, idque ille ad patrem, pater ad Pompeium detulerat. Erat autem Curioni filio Cæsar offensus, quod aperte Triumvirorum nimias opes traducens, adsensum habere multitudinis videbatur, eique ludis Apollinaribus Equites stantes plauserant, cum ingrediente theatrum Cæsare quievissent. Vettius excitat. Sueton. Plutarch. Pompeio. Diodorus. Ascon. in Vatin. cap. 12.

XCIX. At Vettius in Senatum introductus *fide publica* postulata exposuit, *manum fuisse juventutis, duce Curione, in qua Paulus initio fuisset, & Q. Cæpio Brutus & Lentulus Flaminis, filius conscio patre. postea C. Septimium scribam Bibuli, pugionem sibi a Bibulo attulisse*: quod totum irrisum est, Vettio pugionem defuisse, nisi dedisset eum Consul, præsertim quum ipse Bibulus Pompeium, *ut caveret insidias* monuisset: eoque nomine Pompeius ei gratias egisset. Introductus Curio filius refellit Vettium eo maxime, quod *Paulum* ille dixerat *adferre manus Pompeio voluisse*, quo tempore Paulum constabat fuisse in Macedonia. Fit Senatusconsultum, *uti Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in vincula conjiceretur: qui eum emisisset, eum contra Rempublicam esse facturum*. Multos nominat tamquam insidiatores Pompeii. Velleius. Sueton.

C. Non obstitit Senatusconsultum Cæsari, quo minus postero die producere in Rostra Vettium, & Tribuno plebis P. Vatinio secundas agente, dicere juberet ex eo loco, ad quem Consuli Bibulo non licebat accedere, quemque Cæsar in Prætura Q. Catulo præcluserat. Igitur Vettius *auctores impulsoresque sceleris* nominavit *M. Bibulum, C. Curionem cum filio, L. Paulum*, qui tum Quæstor in Macedonia aberat. Præterea L. Lucullum, L. Domitium, quos in Senatu ne tenuissima quidem suspicione adsperserat. Contra Cæpionem, quem ibidem acerrime nominaverat, in Foro omisit; ut appareret noctem, & nocturnam deprecationem intervenisse Serviliæ, quæ mater Cæpionis cum Cæsare habere consuetudinem putabatur. Subornatur à Cæsare. Plutarch. Cæsar. cap. 21. Diodor.

CI. Ciceronem non nominavit, sed dixit, *Consularem disertum, vicinum Consuli, sibi dixisse, Ahalam Servilium aliquem aut etiam Brutum opus esse operiri*. Deinde quum jam descendisset de Rostris, colloquutus cum eo Vatinius, revocavit, interrogavitque *ecquosnam alios posset nominare*. tum ille *C. Pisonem generum Ciceronis, & M. Laterensem conscios* edidit. Quamquam in his multa erant, quæ falsum indicium proderent, tamen promulgata lex est a Vatinio, *ut Vettio præmia decernerentur, deque nominatis ab eo quæstio haberetur*. Interim Vettius apud Crassum divitem de vi postulatus, quum fraudis architecti consilii tam præcipitis eventum desperarent, in carcere occisus est: Cæsare suspicionem Occiditur. Plutarch. Sueton. Velleius. Diodorus. Orosius. 6. 7.

in alios transferre niso, quamquam ipse necis auctor crederetur.

Cæsar præsidium sibi circumdat. Cic. in Vatinium cap. 15. Suetoo.

CII. Impetravit tamen ab addicta plebe, ut illius voluntate jussuque præsidium sibi circumdaret: verbo *adversus insidias*; revera, ut opprimendis inimicis se muniret. Erat plane miserabilis temporum status, quum paterentur homines quæ nollent, omitterent mederi quum possent, & tamen ne taciti quidem sortem suam indignarentur: Ludis Apollinaribus maxime perspecta populi voluntas est: quum neque Cæsari præsenti plausum, & in Pompeium, (coloniam enim Capuam deducebat) petulantissime invectus Diphilus tragœdus ita placuit, ut sæpius à populo juberetur repetere: *Nostra miseria tu es magnus*. & *virtutem istam veniet tempus, quum graviter gemes*.

C. Antonius damnatur. Cæsar de bello Gallico 1. Plutarch. Pompeio.

CIII. Edicta vero Bibuli probrorum in illum & Cæsarem plena, tam erant jucunda populo, ut locum, ubi proponebantur, præ multitudine legentium, transire nemo posset. Quum ista maxime fierent, C. Antonium ex provincia reversum accusatores corripuerunt L. Caninius Gallus, Q. Maximus Æmilianus, & M. Cælius admodum adolescens, apud Cn. Lentulum Clodianum. Catilinariam conjurationem objiciebant, nec eo crimine convictus, ob alia quæ proprie in judicium deducta non erant, est condemnatus, male gestis in Thracia rebus. Macedoniam provinciam obtinuerat, eoque statim ut in agro Pistoriensi victus fuerat Catilina, cum laureatis fascibus profectus (quæ res post eventum in omen tracta est, quasi victoriam hostibus, ad quos laurum victricem tulerat, portendisset) multa sociis finitimisque tum adhuc pacatis incommoda per avaritiam intulerat.

Macedoniam incursant finitimi. Cic. ad Q. Fratr. 1. 2. Diodorus.

CIV. Non tulerunt Dardani prædas ex suis finibus agentem: suoque & vicinorum contracto exercitu iverunt obviam. Sed ille non ausus expectare quos lacessiverat, tamquam ad alia prævertens, cum equitatu profugit. pedestres copiæ cæsæ fugatæque sunt. præda omnis amissa. simili caussa eventuque commovit timuitque Mysiæ bellum. postquam ad Istrianorum urbem Scythæ Basternæque incolis auxilio advenerant. Hujus damnatione Catilinæ sepulchrum floribus ornatum, justaque ei a perditissimis hominibus facta sunt. Ipse Cephalleniam legit exsilii sedem, ibique urbem instituit condere, totam insulam tamquam suam possessionem tenens: ut jam tum appareat majora fuisse exsulum viatica, quam fuerint principium antiquorum patrimonia.

Cicero Cæsarem & Pompeium offendit. Cicero. Diodorus.

CV. Hujus deinde filiam accusator ejus Caninius duxit. Sed Antonium in Consulatu collegam Cicero defenderat, quamquam adspersum se suspicione gravatus, quod inter rapinas suas *partem quæri Ciceroni* jactaverat. In eo judicio forte quædam de præsenti Reipublicæ statu questus erat Cicero, quæ ad Cæsarem Pompeiumque delata, graviter eos offenderunt. Et erat jam ante iratus Ciceroni Cæsar, quod in viginti viris dividendo agro Campano esse noluisset. magnum enim inimicitiarum argumentum putabatur edere, qui ne honorem quidem delatum ab illo accipere vellet. Igitur nihil ultra contandum rati, ut simul potentiam suam vimque adversariis ostentarent, eadem adhuc die horaque nona, quum illa sub sextam à Cicerone dicta essent, acerbissimum ejus inimicum P. Clodium ad plebem transduxerunt.

P. Clodius traducitur ad plebem. Cic. Attic. 2. 19.

CVI. Id olim agitabat Clodius, sed varie frustrato proposito, nihil dum promoverat. Nuper autem Q. Celer, qui fortissime proposito Clodii restiterat, mor-

morte subductus erat, tam opportune & velociter, ut scelus uxoris, quæ fratri & in aliis nimis dicebatur esse morigera, pleriquę suspicarentur. Tum vero agente Cęsare, inventus est P. Fonteius quidam ex plebe Romana, Cuqui lege-riata Clodium adoptaret, statimque emitteret manu, quod per se ovidens erat elusarum legum commentum; & sane quam rationi & juri repugnans, quod major natu Clodius à minori adoptabatur.

CVII. Ex hinc multa injecta sunt in Rempublicam, & integerrimos quosque custodes ejus fulmina, patefacto ad tribunatum aditu, quem mox petiit Clodius; & designatus est. Petierat & M. Laterensis egregius adolescens, sed quia lex de agro Campano exsecrationem habebat *in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ex legibus Juliis*; petere destitit, ne juraret. Post Antonii damnationem reus ex Asia L. Valerius Flaccus, ab eodem Cicerone, apud T. Vettium felicius est defensus; & opportunitate joci cuiusdam absolutus. Eodem quoque patrono bis hoc anno judicum suffragiis liberatus est A. Minucius Thermus. Inito deinde Tribunatu P. Clodius M. Bibulum verba facere in deponendo magistratu incipientem prohibuit; & solemni jurejurando jussit esse contentum. M. Laterensis laudabile factum. Cic. Philipp. IV

CVIII. Eodem anno Q. Metello Celeri, quum in Galliam pro consule profectus esset, Rex Suevorum Ariovistus homines quosdam ex India dono dedit, qui quum è patria commercii caussa navigarent, tempestatibus erant in Germaniam abrepti. Marcius Philippus, qui Syriam ex prætura obtinebat, cum Arabum prædonibus provinciam incursantibus, parum prospere bellum gessit: alioquin etiam haud optima fama agendo: ut clarissima Q. Octavius, qui Macedoniæ non minore justitia quam fortitudine præerat. Atque is Bessis, ferocissimis Thracum, magno prælio fusis, *Imperator* appellatus est. At Clodius omni ad opprimendum Ciceronem intento nisu, favorem sibi ordinum prius parandum rogatione ratus, *Annonariam* legem, itemque aliam *de instaurandis collegiis* tulit, triduo postquam L. Calpurnius L. F. L. N. Piso Cæloninus, A. Gabinius A. F. Consulatum inissent. Indi in Germania capti. Sueton. Cic. in Vatin. cap. 10. Plutarch. Pompejo.

CIX. Erant hæc summè popularia, nam frumentum populo, quod antea semissibus & trientibus in singulos modios dabatur, gratuitum fiebat & collegia non tantum quæ Senatus sustulerat, restituebantur; sed multa præterea, quæ numquam fuerant, ex fæce plebis constituebantur. Ut autem Senatu placato uteretur (nam Consules, Pisoni Macedonia, Gabinio Syria datis provinciis emerat) tulit, *ne quem Censores in Senatu legendo præterirent, neve notarent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusque Censoris sententia damnatus esset*. Ne autem eum plebe acturo de cælo servantium obnunciatio noceret, unam maximam perniciosarum legum remoram, Fusiam & Æliam leges, quæ erant de auspiciis latæ, abrogavit: cauto, *ne quis magistratus per eos dies, quibus Tribunus plebis cum populo ageret, de cælo servaret*. Urb. cond. ann. 695. Clodii perniciosæ leges. Plutarch. Catone c. 32. Cic. Sueton. Appian.

CX. Nam antiquitus obtinuerat, ut quam plurimum auguriis ominibusque Romani tribuerent, infinita haberent singulis negotiis, ut putabant significantia eventum. Sed augurium de cælo præcipuum habebatur, idque semel captum in totam eam diem & ad omnia negotia valebat. Eadem rogatione Clodii comprehensum, *ut omnibus fastis diebus legem ferre liceret, etiam intercessione sublata* Cicero resistit Clodio. Cic. ad Attic. 2. 19. Val. Maxim. 6. 2. 9.

divini humanive juris morari præcipitem hominis furorem posset. Nec fallebat Ciceronem adversus se omnes istas machinas comparari; quapropter L. Mummium Quadratum Tribunum plebis invenit, qui Clodianis actionibus omnibus intercederet.

Sed dolo Clodii evertitur.
Liv. Epitom. Jul. Obseq. Diodorus

CXI. Hic & Kalendis Januariis, quum in id tempus Compitalitiorum dies incidisset, Sex. Clodium, operarum Clodianarum ducem prohibere tentaverat, ne ludos faceret: & P. Clodio se adversarium ubique intendebat. Idcirco Clodius, & qui occulte in perniciem Ciceronis conspiraverant, Pompejus atque Cæsar, dolum instruunt. Pompejus, cui Cicero fidem habebat, *Clodium à se, uti ne in Tribunatu contra Ciceronem faciat quidquam, omni cautione, fœdere, exsecratione devinctum* confirmat; præterea præclare atque magnifice omnia pollicetur. his uti color constaret, ipse jam Clodius remissius leniusque incessere Ciceronem: magis incusare *Terentiam*, sæpe *desiderium instaurandæ gratiæ* profiteri.

Ciceronis periculum. Jul. Obseq. Diodor. Strab. lib. 10.

CXII. Ita decepto Cicerone, & quiescente Mummio leges istæ perferuntur. Continuo promulgatur, *uti aqua igni que interdiceretur eis, qui civem indemnatum occiderent, occidissent*. Hoc crimine, si crimen esset, totus Senatus tenebatur: sed Cicero solum se aut primum peti gnarus, qui Lentulum cæterosque Catilinariæ conjurationis antesignanos de sententia Senatus supplicio adfecerat, priusquam cum eo nominatim agi cœptum esset, vestitu mutato populum rogare cœpit: quod consilium, sejuncta caussa sua, perniciosum fuisse postea ipse agnovit. Mutavit cum eo vestem omnis pene Romanorum equitum multitudo: nec minus viginti millia juvenum promisso capillo cum eo circumibant rogabantque, P. Crasso M. F. auctore ac duce.

Cura pro eo Senatus. Val. Maxim. Cic. ad Attic. 3. 9. Cic. pro domo cap. 26.

CXIII. Sed omnibus viis qua incederet, Clodius cum ingenti perditorum hominum agmine occurrebat, perculso insultantium, lapidesque & cænum in eum jactantium. Senatus quoque *vestem mutare populum, velut in publico luctu* jubebat: sed Consules refragabantur, & cum armatis Curiam obsidens Clodius. Sic quoque erupit magna pars patrum, scissis vestibus, invidiam adversariis cum clamore cientes. At ubi ne ista quidem tam lamentabilis facies ad movendum aut misericordiam plebis aut pudorem satis efficax fuit; cedendumque Urbe Ciceroni, aut pugnandum armis apparuit: cum Cicero crescente anxietate intentius etiam rogabat primores civitatis, noctu atque interdiu circumiens domos. sed cæteris plus voluntatis quam potentiæ aderat; Crassus palam oppugnabat eum: Pompejus atque Cæsar scelestius tegebant odia quam fovebant, certique illum perdere, quo magis illicerent in fraudem, quamquam ipsi unanimes, discordia consilia dabant.

Cæsaris & Pompeii fraus.

CXIV. Cæsar *secum ire* jubebat *in Gallias, legatione oblata, sic honeste declinaturum pericula*. Pompeius id quidem magnopere dissuadebat *fugam* appellando, *neque consilium aliunde quam ab inimico animo profectum* subinnuens. *quin ille pro se atque Senatu fortiter propugnaret: nec suum ei, nec cæterorum bonorum auxilia defutura: quibus haud ægre superaturus Clodium esset.* Accessit haud inv tu huic sententiæ Cicero, semper in Pompeium pronior, præterea opes ejus, quibus supra omnes eminebat, intuitus; per hunc maxime retineri Clodium posse putabat, qui adfinis ei per Muciam, & sub ejus imperio diu in exercitu fuerat:

Sueton. Diodor.

Consules autem, Gabinium quidem, totum noverat esse Pompeii; Pisonem non

inhumanum, & propter adfinitatem sui studiosum rebatur. Ergo resumpta fiducia se parabat ad pugnam, multorum adjutus insignibus studiis.

CXV. Nam per ea tempora Equites Romani frequentes in Capitolio congressi, deprecatores ad Consules & Senatum quum alios ex suo ordine, tum principes civitatis Q. Hortensium, C. Curionem miserunt: L. Mummius Tribunus plebis, præter alia quæ studiose pro Cicerone factitaverat, etiam plebem ad *vestem mutandam* est adhortatus: quod Senatores itidem plerique fecerunt, donec edicto Consulum *ad vestitum redire* compulsi sunt. Major enim adversariorum potentia fuit: & intercessione sublata, parum L. Mummii valebat auctoritas: & Equites per Gabinium Consulem aditu Curiæ sunt prohibiti: Lucius etiam Ælius Lamia, quod vehementius institerat, relegatus: Hortensius & Curio, ad populi concionem à Clodio rapti, per homines ad id præparatos contumelias & verbera, susceptæ legationis præmium retulerunt.

Aliorum studia in Ciceronem. Cic. Attic. 3. 10. Sueton. Cic. pro Domo c. 29. & pro Sextio cap. 7.

CXVI. Igitur rebus ad extrema deductis, Cicero ipse, aut per amicos Pompejo supplicabat. Ille, quo pudorem improbe deserti amici saltem absentia tegeret, in Albano degebat. Eo primum Ciceronis gener C. Piso; deinde ipse quoque Cicero venit; quum ille hominis ante amicissimi, & qui pro se multas contentiones suscepisset, vultum non sustinens, ne in conspectum veniret, per alias fores se subduxit. Postremo accesserunt ad eum L. Lentulus tum Prætor, Q. Fabius Sanga, & ex Consularibus L. Torquatus, M. Lucullus: sed remissi sunt ad Consules, negante Pompeio, *se nisi relatum cedere, Senatusque consultum factum esset, arma capturum.* itur ad Consules, quorum non erat ignota Pompejo sententia. Gabinius duriter respondet: lenius in speciem, sed eodem animo L. Piso, *nihil opus esse contentione: posse iterum à Cicerone servari Rempublicam, si cedat. ni faxit, infinitam cædem, & ipsi inevitabile periculum fore.*

Pompeius Ciceronem deserit. Diodorus. Appian. lib. 2. Civil. Cic. ad Attic. 3. 8. & 16. Macrob. Saturnal. 2. 2.

CXVII. Jam dies à Clodio perferendæ legi dicta aderat, & concio, quo Cæsar, qui jam paludatus profectus ex Urbe fuerat, interesset, extra pomæria habebatur. Ibi producti ad populum Consules, & interrogati *quid de lege sentirent*? Piso respondit, *numquam sibi placuisse crudelitatem*: Gabinius non *Ciceronem* modo, sed etiam *Equites ac Senatum* incusavit. Cæsar deinde jussus dicere, *Lentulum Cethegumque & cæteros jure necatos videri* negavit: *neque obscurum cuiquam esse, quid de ea caussa semper sensisset: pœnam tamen ejus facti non probare: præterita mala oblivione sepelienda.*

Census principum in periculo Ciceronis. Cic. pro Cælio c. 14. & 32. Diodorus.

CXVIII. At Crassus, quamquam filium suum quam posset opem ferre Ciceroni pateretur, ad populi sensum, ut solebat, adcommodavit orationem. Pompejus ore magis quam animo verecundo, per simulationem aliorum negotiorum abfuit. Inter hæc Ciceronem consilii incertum, Lucullus *vim vi repellere* hortabatur: cæteri, & maxime M. Cato, Q. Hortensius, Q. Arrius bellum civile abnuebant. Cato tum in Cyprum proficiscebatur, arte tyrannorum, qui non nisi duobus his publicæ libertatis amotis adsertoribus, consiliorum suorum, qualem volebant, eventum opperiebantur.

Cato in Cyprum proficiscitur. Appianus. Plut. c. 67.

CXIX. Neque enim dubio illorum impulsu P. Clodius, de Ciceronis oppressione desperans, donec in urbe Cato esset, hanc ejus per speciem honoris amoliendi astutiam est commentus. In Cypro Ptolemæus regnabat, omnibus contaminatus morum vitiis: cæterum nec id ad populum Romanum pertinebat; neque is erat

Artibus P. Clodii. Pompon. Melan. 3. 5. Cic. ad Attic. 3. 3. 24.

Clodius, ut alienas vitas, omni ipse turpitudine coopertus, castigare deberet. Sed ille Ptolemæum oderat, quod se captum à piratis redimere neglexisset; promulgabatque de Cypro ei adimenda. Magna paupertas erat tum ærarii, magna Cypriarum opum fama: civitatis corrupti mores, populus injustus, principes avari. his omnibus de caussis injustissima rogatio cupide accepta est.

Catonis cum Clodio jurgium. Suet. Aug. 3. 4. Strab. lib. 7.

CXX. Ea de re cum Catone non multo post initum Tribunatum colloquutus, *ei se curationem illam daturum* dicebat, *quem Romanorum omnium innocentissimum, ideoque beneficio illo dignum arbitraretur*. Reclamante Catone, *severò insidias & injuriam, non beneficium Clodii agnoscere*; tum ille arroganter & aspere, *quando igitur volentem*, inquit, *emittere nequeo, nolentem expellam*. continuoque profectus in concionem legem tulit, *uti Cato Quæstor cum jure Prætorio, adjecto etiam Quæstore, ad exuendum Regno Ptolemæum. in Cyprum mitteretur: idemque Byzantinorum reduceret è exsules.* quo nimirum diutius absens in Tribunatu grassandi locum Clodio daret.

Cicero in exsilium abit. Cicer. pro Sextio & in Pison, c 4.

CXXI. Hoc igitur tam firmo propugnaculo quum se destitutum Cicero reputaret, signo Minervæ quod diu habuerat domi, in Capitolium cum inscriptione *Custodis Urbis* posito, nocte profectus ex urbe, deducente amicorum præsidio Siculos petiit, publice privatimque devinctos plurimis beneficiis, & quia provinciam eam C. Virginius obtinebat, vir meliorum partium, & vetusta amicitia Ciceroni conjunctus. in illo itinere, dum in villa quadam Atinatis agri divertitur, primam ei meliorum temporum spem oblatus per quietem C. Marius cum laureatis fascibus obtulit, à quo Consulatus insignibus ornato interrogari se putavit, *quid ita tristis incerto itinere pergeret?* deinde proximum sibi lictorem ab eo datum, *qui se in monumentum Marii deduceret*, adjecto, *in eo salutem fore*.

Q. Ciceronis somnium de fratre. Ascon. in Pis. Cicer. Diodor. Plutarch. Cic. cap. 42.

CXXII. Id somnium quum fugæ comiti Sallustio narrasset, *reditum ei celerem & gloriosum paratum esse* Sallustius exclamavit. *Et eventu comprobatam rem* ferunt: *idque Senatusconsultum, quo reditus Ciceroni procuratus est, in æde Jovis Mariana factum esse*. Sub idem tempus obtinenti Asiam fratri Ciceronis Quinto, visus per quietem Marcus erat equo ad ripam magni fluminis advehi; deinde lapsus in flumen disparere: postremo redditus esse mærenti lætus, eidemque equo adversam adscendisse ripam, & venisse in fratris amplexus. Cognito Ciceronis discessu Clodius *exsilium* ei scivit, *aqua & igni interdicto*, vetitoque, *ne à quoquam intra quingentesimum ab Urbe milliare tecto reciperetur, si quis intra eos fines ipsum, aut à quo receptus tecto esset, occidisset, ut impune esset.* quæ tanto omnium metu perlata rogatio est, ut etiam strenuissimi quique Ciceronis defensores adsentirentur.

Senatus Ciceronem commendat publice. Cicero. Diodor. Cic. pro Sext. Cic. ad Attic. 3. 14. 20. Plutarch.

CXXIII. Senatus tamen publice Regibus civitatibusque commendavit virum. Ob eam rem, & propria merita famamque plurimorum obviis studiis exceptus adjutusque, tamen quum Vibonem venisset, à Vibio, quem multis adfecerat beneficiis, præfectumque fabrum habuerat in Consulatu, domo exclusus, etiam à C. Virgilio literas accepit, *abstinere Sicilia* jubentes: igitur à Brundisio transmittens, ventoque rejectus, iterato cursu Dyrrhachium tenuit. ibi quia inter excendendum terra tremuerat, & reciprocaverat æquor, *celerem ei reditum* vates prædixerunt. Ipse tamen tristis & abjectus animo, quamquam Græciæ civitates studiis in eum certabant, privatimque amicorum officia superarant;

non aliorum consolationibus, non sapientiæ monitis, quamquam id studium præcipue jactare solitus, adlevabatur.

CXXIV. Interea Clodius bona ejus subjecerat hastæ, nec sectorem reperiebat: incendit ergo villas, diruit, velut publicatam, domum; area libertati consecrata. Hæc omnia quum territis optimatibus tam celeriter ex voto confecisset; præfidens animo neminemque superiorem potentia ratus, in Pompeium insurgere, & ipsius solicitare acta cœpit. Præterea Tigranem, qui ductus in triumpho cum adhuc in custodia apud L. Flavium amicum Pompeii detinebatur, acceptis pecuniis liberavit emisitque. Erat eo anno Prætor L. Flavius, à quo forte super cœnam Clodius petiit, *ut Tigranem adduci juberet, cupidum se videndi ejus* simulans. Adductum deinde collocavit in convivio, neque Flavio statim, neque postea Pompeio repetenti reddidit: sed apud se aliquamdiu habitum, impositum in navem, & *profugere* jussit.

Clodius in Pompeium insurgit. Velleius 2. 45. 1. Liv. Epitom. Diodorus. Plutarch.

CXXV. Sed ille tempestate relatus, quum à Sex. Clodio missu Tribuni receptus ad Urbem reduceretur, Flavius re cognita ad eum diripiendum excucurrit. ad quartum ab Urbe lapidem pugna facta, multi ex Clodianis, plures à parte Flavii ceciderunt, inter quos & M. Papirius, Eques Romanus, publicanus, familiaris Pompeii. Flavius sine comite Romam vix perfugit. Tum demum deserti Ciceronis pœnitentia Pompeium subiit, dolentem ita sibi cecidisse nequiter omnia, ut cliens modo suus Clodius, ad se opprimendum, Tribunatus a se restituti viribus abuteretur: statimque cœpit revocandi Ciceronem agitare consilia. estque eo res perducta, quum atrociter repugnante Clodio perfici nihil posset, ut tamen Senatusconsultum fieret, *ne quidquam prius publicæ rei, quam de reditu Ciceronis decerneretur*.

Inde Pompeius Ciceronem revocare studet. Plutarch. Cic Attic. 3. 15. Crasso cap. 29.

CXXVI. Ob eas res quotidiana in Urbe prælia fiebant: Pompeium, Gabiniumque Consulem, qui pro Pompeio stabat, fœdissimis conviciis proscindente Clodio; multi mortales inter eas rixas verberati vulneratique sunt: fasces Consulis fracti, bona à Tribuno consecrata. Contra L. Mummius, adjutus à collegis septem resistebat acriter. Hic enim Kalendis Juniis de *reditu Ciceronis* retulit, quæ res intercessione P. Ælii Liguris est sublata; & bona P. Clodii, illius exemplo Cereri consecravit. Pompeius sive contumeliarum impatiens, quod à Clodianis in medio Foro sæpe conviciis spurcissimis exagitatus erat; sive metu insidiarum, post deprehensum in turba cum gladio Clodii servum; quamdiu fuit in Tribunatu Clodius, domi suæ se tenuit.

Hinc in Urbe prœlia. Appian. lib. 2. Civil. Cic. in Pison. cap. 8. Diodorus. Plutarch.

CXXVII. Ibi quoque obsessus est ab homine audacissimo, liberto Clodii Damione, qui & L. Novium Tribunum plebis ferro vulneravit. Sed nec à Cæsare vellicando Clodius abstinens, *leges Julias contra auspicia latas* in concionibus jactabat; quamquam in his esset Curiata illa, qua adoptio Clodii continebatur: interrogabatque productum in Rostra M. Bibulum, *utrumne leges ferente Cæsare, semper de cœlo servasset?* interrogabat augures, *quæ ita lata essent, recte-ne lata essent?* Interea Cæsar, qui proficisci noluerat, donec relegatos à Republica Ciceronem Catonemque vidisset, alterius ingenium, alterius animum non fraude non vi superabilia metuens; sub initium Aprilis in provinciam iit.

Pompeius domi suæ obsidetur. Velleius. Diod. Cic. ad Q. fratr. 2. 3.

CXXVIII. Pacatissima ibi erant omnia, minime ex voto Cæsaris, qui rebus tur-

Motus Helvetiorum. Cic. ad Attic. 2. 19. Diodorus.

ex ditissimis nationibus prædam, & de pugnacissimis materiam Triumphorum quærebat. Igitur de motu Helvetiorum lætus audivit, qui ab Orgetorige principe gentis incitati, quamquam illo defuncto, consilium, cujus auctorem damnaverant, exsequuti, incensis sedibus suis, alias quæsitum ad ripam Rhodani contendebant. His Cæsar auditis tanta festinatione peregit iter, ut octavo die, quam erat ab Urbe profectus ad Rhodanum flumen perveniret. cujus adventu cognito legatos Helvetii mittunt petitum, ut *sibi per provinciam eundi copiam faciat, sine maleficio transituris*.

Eorum migrationem interpellat. Cæsar. Florus. 4. 1. 10.

CXXIX. Cæsar quasi deliberabundus, *reverti legatos A. D. Idus Apriles* jubet. interim contrahit strenue copias, provinciæ indicit delectum, murum fossamque à lacu Lemanno ad montem Juram ducit, quo Helvetiis Rhodanum ad Genevam transmissuris iter præcluderet. Igitur illi quum se delusos intelligerent, & vim tentantes repellerentur; per Sequanos & Æduos in Santonum fines penetrare instituunt. Hoc impediturus Cæsar, T. Labieno Legato ei munitioni, quam ad Rhodanum fecerat, imposito, celeriter in Italiam regressus, duas legiones novas conscribit, easque cum tribus, quæ circa Aquileiam hiemabant, per Alpes non sine certamine transducit in Galliam.

Tigurinorum clades. Cic. Famil. 5. 2. Tidbrus. Cic. in Pison. cap. 5.

CXXX. Inter hæc Helvetii Æduorum agros populando coëgerunt illos, Ambarrosque & Allobrogum, quæ trans Rhodanum colebat partem, auxilium à Cæsare petere. Nec abnuit ille, quo potius his sociis bellum adversus Helvetios, quam neglectis & alienatis, adversus hos simul illosque gereret. Ad Ararim sive Sagonam (utroque enim nomine appellatur flumen) prima commissa pugna est: ubi quarta ferme pars Helvetiorum, (pagus Tigurinus erat) quum cæteri amnem transissent, à Cæsare profligata est. Cæteri per Diviconem legatum, qui bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat, *pacem* à Cæsare postulando verius, quã petendo, conditiones ferebat, *ut sibi sedes constitueret; ibi futuros, ubi ipse voluisset*: recusanti minas ingerunt, *pristinarum populi Romani cladium* admonent, *neque magni facere* ostendunt, *quod nocturno Cæsaris furto partem suorum diffiderent, virtute reparaturos, quod hostili dolo damnum captum sit*.

Helvetii Cæsaris equites fundunt. Cic. in Pison. cap. 27. Diodorus.

CXXXI. Cæsar ad hæc dato, quali opus erat, responso, *si quidem dent obsides, facturum quæ peterent*, ostendit. Helvetius contra, *sic se à majoribus suis institutos, ut obsides accipere, non dare consueverint*. Sic abjecto pacis negotio, quum hostes progrederentur, Cæsar sociorum equitatum præmittit, exploraturum hostium iter. Quatuor millia equitum erant, qui numero confisi, cum longe paucioribus Helvetiis alieno loco pugnam conseruerunt. paucis cadentibus fit fuga a Dumnorige, præfecto equitatus, quem Ædui auxilio Cæsari miserant; quique Orgetorigis ducta filia clam rebus Helvetiorum studebat.

Plutarch. Cicer. cap. 43.

Deinde ipsum petunt. Cic. in Pison.

CXXXII. Helvetii, quod eorum equites quingenti admodum multitudinem tantam fuderant, majore cum fiducia cœpta prosequuntur. Subsequitur iter facientes cum suis copiis Cæsar, ita ut per dies præter propter quindecim, inter novissimum hostium, & primum illius agmen, non amplius quinis aut senis millibus passuum interesset. Quum ita ad duodevicesimum milliare ab oppido Æduorum Bibracte perventum esset, Cæsar rei frumentariæ caussa eo digressus, opinionem injecit hosti, timore correptos Romanos, & adversi prælii memoria discedere. Igitur omisso itinere, insequi Cæsarem atque lacessere cœperunt.

Ille ſubductis in collem copiis, dum aciem inſtrueret, Equitatum ad ſuſtinendos hoſtes emittit: ſarcinas in ſummo colle unum in locum conferri, eumque ab auxiliaribus copiis, ad viginti hominum millia erant, duabuſque nuper conſcriptis legionibus muniri jubet.

CXXXIII. Interea Helvetii cum omnibus ſuis carris ſuggreſſi, poſtquam ſeorſim impedimenta collocaſſent, rejecto Cæſaris Equitatu, ad collem inſtructa phalange proceſſerunt. Cæſar ſuo primum equo, deinde omnium, e conſpectu amotis, ut æquato periculo ſpem fugæ tolleret; quatuor veteranis legionibus prœlium committit. ab hora ſeptima, uſque ad veſperam ita certatur, ut terga neutri verterent; Helvetii, pars major, in montem ſe quemdam reciperent vulneribus onerati: Boii Tulingique ad impedimenta carroſque ſe referrent. In hos ad mediam uſque noctem pugnatum: non viris tantum, ſed feminis atque pueris acerrime ſe defendentibus: poſtremo tamen capta impedimenta, & cum his Orgetorigis filia, atque unus è filiis ejus. Hoſtes qui prælio ſuperfuerunt ad centum triginta hominum millia, quamquam labore & vulneribus feſſi, tota nocte continenter ierunt: & quartum intra diem in fines Lingonum ſunt delati.

Sed commiſſo prælio vincuntur. Plutarch. Cicero. Diodor. Cic. in Piſon. cap. 6. Salluſt. in orat. a. 4.

CXXXIV. Cæſar, qui propter vulnera militum & ſepulturam occiſorum tridui moram fecerat, literas ad Lingones mittit; *Helvetios frumento ullave alia re juvari* vetat: *ſecus facientes pro hoſtibus habiturum* minatur. Ea res quum ad extremam inopiam Helvetios redegiſſet, legatos ad Cæſarem *de deditione* mittunt. Cæſar *eodem loci adventum ſuum præſtolari* jubet: ubi venit, *arma, obſides, ſervos, qui ad eos perfugiſſent*, poſtulat. Inter hæc conquirenda quum nox incidiſſet, Verbigeni pagi homines, ſex circiter millia, ad Rhenum fineſque Germanorum ituri, clam exceſſerunt caſtris. Hoc ubi Cæſar reſcivit, iiſdem per quorum agros inceſſerant, denunciat cum minis, *ut illos reducant*: reductis pro hoſtibus utitur: reliquos omnes obſidibus, armis, perfugis traditis, in deditionem accipit.

Fr. ſe Cæſari dedunt. Plutarch. Diodorus. Cic. ad Q. Fratr. 2. 3. 1. Cic. pro domo cap. 9.

CXXXV. *Helvetios, Tulingos, Lacobrigos ad ſua reverti* juſſit, priſtinaſque ſedes inſtaurare: Allobrogibus imperat, *ut frumenti copiam his faciant: quod nihil haberent domi, quo famem tolerarent*. Nolebat enim Helvetiorum vacuos fines à Germanis occupari, quos graves provinciis Romanis futuros accolas metuebat. *Boios* quod egregia virtute erant, petentibus Æduis dedit; *quos in finibus præſidium contra Germanos collocarent*. eoſque poſtea Ædui in parem juris atque libertatis conditionem, qua ipſi agerent, *receperunt*. *In caſtris Helvetiorum tabulas repertas eſſe Græcis literis confectas* Cæſar tradidit, harumdem rerum auctor idem, ſcriptorque incomparabilis, quibus ratio contineretur generum capitumque Helvetiorum & ſociorum, quæ domo exiſſent. Summa erat Helvetiorum millia ducenta ſexaginta tria: Tulingorum millia triginta ſex: Lacobrigorum quatuordecim: Rauracorum tria & viginti: Bojorum duo & triginta; horum qui arma ferre poſſent, ad millia duo & nonaginta. ex omni hoc numero tantum centum & decem millia domum redierunt.

Summa capitum in Helvetica migratione. Plutarch. Catone. cap. 48. Cic. pro Sext. cap. 28. Vellei. 2. 45. 4.

CXXXVI. Hoc primum Cæſaris in Gallia bellum fuit; unde mox alia aliaque ſecuta; quibus ille per annos novem, totam ad Rhenum Oceanumque perdomuit

Galliarum ſitus. Diod. Strab. lib. 4.

etiam semel iterumque trajecto Rheno Germaniam ingressus. Hęc omnia quo facilius meliusque noscantur, regionum illarum situs, & quibus sub ea tempora gentibus inhabitatæ fuerunt, pretium est exponere. Galliam Romani duplicem antiquitus fecerunt, Alpibus discretas. Harum quæ ab Roma est remotior, ea hoc vocabulo hodieque censetur: at quam illi *Togatam* vocarunt, eam posterior ætas ab novis incolis nominavit *Longobardiam*, quæ nunc Italiæ pars est.

Earumdem divisio. Marcell. 14. 27 Florus 3. 9. 3. CXXXVII. Veram Galliam vetus ætas in Braccatam, Comatamque divisit: Braccata, quæ & Narbonensis, vetus populi Romani provincia fuit. Comatam Cęsar triplicem fecit, Belgas à Rheno ad Sequanam, Celtas inter Sequanam & Garumnam: reliquam partem, quę Garumna, Pyrenæisque & Oceano clauditur, attribuit Aquitanis. Sed ea quum videretur ineptior divisio, quod & Narbonensis excludebatur provincia, & Aquitaniæ fines, cæterarum comparatione partium nimis exiles viderentur; Augustus Cæsar, quidquid intra Alpes, mare mediterraneum, & Oceanum, & Rhenum terrarum jacet, uno Galliarum nomine complexus, Aquitaniæ nationes adjecit quatuordecim: universæ Galliæ provincias constituit quatuor, Narbonensi addita: quæ iterum sub tempora Constantini discesserunt in partes septemdecim: quæ deinde partitio à Romanis semper est retenta.

Plutarch. Cic. pro domo cap. 35. Diodorus. Vellejus.

Et Notit'a. Diodorus. Ap. pian. lib. 2. Civil. Val. Maxim. 8. 7. 3. CXXXVIII. Ejus hæc est Notitia: Viennensis, Lugdunensis, Germania prima, Germania secunda, Belgica prima, Belgica secunda, Alpes Maritimæ, Alpes Penninæ & Graiæ, Maxima Sequanorum, Aquitanica prima, Aquitanica secunda, Novem populorum, Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Lugdunensis secunda, Lugdunensis tertia, Lugdunensis Senonia. Harum Viennensis hodie *Delphinatus* vocatur, inter fluvios Isaram Rhodanumq; ad fines Allobrogum sita: cujus etiamnum caput Vienna est, Archiepiscopi sedes, sicut olim Consularis fuit. Pleræque enim omnes urbes, quas Romanum Imperium Metropoles fecit, Archiepiscopales postea extiterunt.

Viennensis provincia. Cic. pro Sext. cap. 54. Val. Maxim. Cic. de divin. CXXXIX. Cæterum urbes Viennensis Provinciæ in Itinerario, quod Antonini vocant, notantur quatuordecim: Vienna Metropolis, Civitas Genevensium, Gratianopolitanorum, Albensium seu Vivario, Deensium, Valentinorum, Tricastinorum, Vasionensium, Arausicorum, Carpentoractensium, Caballicorum, Massiliensium, Avennicorum, Arelatensium. quæ omnes suis adhuc aut paulum deflexis nominibus noscuntur, totidem nunc Episcopatus, præter tres ultimas, Archiepiscopalibus infulis insignes. Gratianopolis etiam tribunal habet, Parlamentum vocant. Sequitur Lugdunensis in quatuor tributa partes, universa nomen à Metropoli habens.

Germaniæ duæ Diodorus. Cicer. Famil. 14. 4. Appianus. Plutarch. CXL. Prima partium pręter Metropolin, quatuor habebat civitates, quę & ipsę nunc Episcopatus sunt, civitatem Æduorum, hoc est Augustodunum, Lingonum (nunc *Langrensem Episcopum* vocant) Castrum Matisconense & Cabillonense. *Germanias duas* in Rheni ripa citeriore vocarunt Romani: quod eam Gallię partem Germanicę nationes insederant. Earum quę prima vocabatur, à meridie Burgundos respicit, & montem Juram, Rhenum ab Ortu habet, ad occasum Lugdunenses Senones colunt. Metropolis huic est Maguntiacensium civitas, reliquæ, pręter alia municipia, Argentoratensium: Nemetum, qui nunc Spirenses sunt, & Vangionum in quorum urbe hęc scribebamus, quę hodie

hodie *Wormatia* vocatur (Borbetomagum fuisse opinantur) & hæc quoque omnes, præter Metropolin Archiepiscopalem Episcopos suos habent.

CXLI. Inferior Germania post Metropolin Coloniam, civitate Tungrorum, quam Cæsar *Atuaticum* vocat, insignitur. Belgica fluminibus Mosella, qui & *Obrima* vocabatur, & Sequana terminatur; Mosa dividitur. Primæ Trevirorum est civitas Metropolis, mox Mediomatricum, id est, Metis, Leucorum sive Tullo, & Verdunesium. Secunda Belgica nobiles civitates antiquitus habuit duodecim: civitatem Remorum, quæ nunc etiam est Metropolis: Suessonum, Catalaunorum, Veromandorum, Atrebatum (nunc *Arras* vocant,) Cameracensium, Tornacensium, Silvanectum, quæ nunc Episcopatus Senlisiensis est, Bellovacorum, Ambianensium, Morinorum (Teroanensis Episcopatus intelligitur) & Bononiensium, ubi Gessoriacum fuit. Belgica. Diodor. Plutarch. Appianus. Cic. ad Q. Fratr. &c.

CXLII. Ad Oceanum deinde Britannicum secunda Lugdunensis, Rotomago Metropoli, & sex præterea civitatibus nobilis: Baiocassium, Abricantum, Sajorum, Eburonicum, Lexoviorum, Constantiensium. Tertiam deinde Lugdunensem, cui caput Turonum, constituebant civitates Cennomanorum (Mansensis Episcopatus hodie) Redonum, Andegavorum, Nannetum, Curiosopitorum (is est Cornovallensis Episcopatus) Ciantium, id est Venetum (Vennensis Episcopatus) Ossismiorum, Diablintum, id est, Carises, quas duas civitates ignoramus. Quarta Lugdunensis, quæ & Senonia, inter Sequanam & Ligerim has amplectebatur civitates, Senonum Metropolin, Carnutum, Altisiodorum, Tricassium, Aurelianorum, Parisiorum, Melduorum, quos hodie Meaulenses pronunciant. Lugdunensis secunda, tertia, quarta Asconius in Milonianum. Plutarch.

CXLIII. Alpium Maritimarum civitates obscuri hodie nominis *Rigomagensium*, *Sollimensium*, *Cemelevensium* referuntur: notiores præter. a, Ebrodunensium Metropolis, *Ambrunum* hodie vocant Archiepiscopalem urbem: Diniensium, Sanicensium, *Senas* appellant vulgo: Glanatenna, & Vencensium, quę *S. Pauli Vencienjis Episcopatus* nunc usurpatur. At in Penninis Graiisve Alpibus, ubi sunt Allobrogum Sabaudi, & Helvetiorum particula, Metropolis Centronum, id est, Tarantasia locatur, & præter hanc Vallensium civitas Octodurus, hodie *S. Mauritii* nomine notior. Maxima Sequanorum Burgundiam Helvetiosque complexa Crispolinorum civitatem agnoscebat Metropolin, quę Vesontio est, vel ut hodie pronunciant, *Besanjonensis Archiepiscopatus*. Alpes Maritimæ. Diodorus. Plutarch. Cic. de Harusp. Resp. & pro domo cap. 15.

CXLIX. Huic civitates octo suberant, Equestrium, id est Noviodunum ad Lacum Lemanum, quę Genevam & Lausaniam interjacens, hodie *Nion* appellatur; Eluicorum, id est Aventicum, nunc *Avanches*: Basiliensium, Castrum Viridunense, Castrum Ebrodunense, Castrum Argentariense, cujus ex ruinis Colmaria surrexisse putatur. Castrum Rauracense cęteris oppidis tum illustrius, hodie nomen Augustum, sed sine specie retinens prope Basileam, in quam vetustioris & dignitas & appellatio translata videtur sub Græcis Imperatoribus: & portus Abucina. Hi Belgarum Celtarumque nobiliores populi fuerunt: Aquitaniam ad mare sitam eoque vetusta incolarum lingua appellatam *Aremoricam*, Oceanus ab Occasu claudit: Borealè litus Ortumque solis Ligeris fluvius terminat: à meridie Pyrenæis montibus & Narbonensi Gallia finitur. Aquitania. Cæsar de bello Gallico l. 7. Liv. Epitom. Sueton. Cæsar. 22. 1.

Numerus populorum Galliæ:

Hoc ſpatium terrarum Garumna fluvius ex Pyrenæo monte delapſus, in duas provincias ſecat.

Prima & ſecunda. Diodorus. Oroſius 6. 3. Plutarch. Cæſare 26.

CXLV. Primæ caput Biturigum Cuborum civitas eſt, nunc Bourgenſis Archiepiſcopatus: quamquam Biturigas Lugdunenſi primæ Marcellinus accenſuit. Huic iunguntur civitates, Arvernorum, Rutenorum, Albigenſium, Cadurcorum, Lemovicum, Gabalorum, Velaunorum. Quod deinde à ripa Garumnæ ad Ligerim fluvium protenditur, ſub Aquitaniæ vocabulo ſex civitates habuit, Agenneſium, Encoliſmenſium, Angulema hodie eſt, Santonum, Pictavorum, Petrocoriorum, cum Metropoli Burdegala. Novempopulos prope Aquitaniam, proptereaque *tertiam* à multis dictam, in qua Vaſcones habitant, Auſcii commendant & Vaſatæ, reliquorum ſeptem hæc fuerunt nomina: Vibiſci, Meduli, Boatæ, Convenæ, Conſaranni, Bigerriones, Terbelli.

Narbonenſis Prima. Flor. 2. 10. 2. Plutarchus. Diodorus. Liv. Epitom.

CXLVI. Horum duodecim recenſentur in veteri itinerario civitates: Auſciorum Metropolis, Convenas, quæ duæ jam ætate Strabonis jus Latii habebant: Aquenſium, Lactoratium, Conſarannorum, hodie *Conſerans*, Boatum, Benearnenſium, Aturenſium, nunc *Aire*, Vaſatica, Tarba vel caſtrum Bigerra, nunc Epiſcopatus Tarba-Bigorrenſis, Eloronenſium, id eſt Oleron, Eluſatium, id eſt Euſa, quam Narbonenſis partem facit Ammianus. Sed alii Narbonenſem & ipſam duplicem ita diſtinguunt; ut primam, quæ à Varo flumine uſque ad Rhodanum verſus ortum porrigitur, à Meridie mare Gallicum habet, tredecim inſigniant civitatibus.

Narbonenſis Secunda. Diodorus Cæſare, Scaliger.

CXLVII. Nam præter Metropolin Narbonenſium, civitates ei tribuunt Toloſatium, Beterrenſium, Agatenſium, Nemauſenſium, Magalonenſium, Lutenſium, ſive caſtrum Lutana, Ucetienſium. Secunda Narbonenſis, cui Metropolis eſt Aquenſium civitas, Pyreneis & Cebbenis montibus ab Aquilone, mari Gallico à meridie incluſam, ſex præterea civitates honeſtabant, Aptenſium, Reienſium, Forojulienſium, Vapincenſium, Segeſtoriorum, Antipolitana. Hæc ferme fuit Galliarum, ſub initia Conſtantinopolitani Imperii deſcriptio: ſed idem ſitus gentium, plerarumque civitatum eadem fuiſſe nomina, Cæſare bellum gerente, apparet: quamquam gentium numerus, ut ſolitum eſt, creſceret, aut contraheretur.

Gentium Gallicarum numerus. Papcyzolus. Strabo. lib. 4. Scaliger. Tacit. 3. & 13. 44. Germ. cap. 18.

CXLVIII. Nam ara, quæ apud Lugdunum Auguſti Cæſaris fuit, inſcriptionem habuit gentium ſexaginta, nec multis poſt annis univerſæ Galliæ quatuor & ſexaginta civitates numerabantur. Sed Appianum, qui ſub Adriano Cæſare ſcripſit, pacatos à C. Julio populos quadringentos, oppida octingenta tradidiſſe putant: mihi numerorum potius errorem interveniſſe liquet, ut pro ν'. aut ο'. Græcorum litera, quarum illa quinquaginta, hæc ſeptuaginta notat; υ'. quæ eſt quadringentorum nota, temere ſcripta lectave videatur; idque tum ex conſenſu veterum, tum adjecto numero oppidorum, quæ tantæ gentium multitudini pro portione parum reſpondet, haud difficile arbitratu eſt. Ceterum tractus ille terrarum ſoli bonitate, & incolarum abundantia maximarum opum famam, nec fallo, adeptus, invitavit Cæſarem, ut hanc unam, præ ceteris omnibus provinciis, ſuo propoſito commodiſſimam crederet. Nam divitiis ad emendum imperium indigebat: militem duraturus erat ad civilia bella; famam reportaturus ex victoria clariſſimam, periculiſque

& laboribus ampliorem; quod tum adhuc durabat Gallicæ fortitudinis opinio, virtus paulatim deficiebat.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CIV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



PRIMA pars libri situm Germaniæ, moresque continet. C. Cæsar cum contra Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Æduis & Sequanis, quorum ager possidebatur; trepidationem militum, propter metum novorum hostium ortam, allocutione exercitus inhibuit, & victos prælio Germanos Gallia expulit. M. Cicero, Pompejo inter alios orante, & T. Annio Milone Tribuno plebis agente, ingenti gaudio Senatus, ac totius Italiæ, ab exsilio reductus est. Cn. Pompeio per quinquennium annonæ cura mandata est, Cæsar Ambianos, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo erat, prælio victos in deditionem accepit: ac deinde contra Nervios unam horum civitatem cum maximo discrimine pugnavit, eamque gentem delevit; quæ bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent; ex quadringentis Senatoribus tres tantummodo evaderent. Lege lata de redigenda in Provinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, C. Catoni administratio ejus rei mandata est. Ptolemæus Ægypti Rex, ob injurias quas patiebatur à suis, regno pulsus, Romam venit. C. Cæsar Venetos, gentem Oceano junctam, navali prælio vicit. Præterea res ab legatis ejus eadem fortuna gestas continet.

C. Cæsar Helvetiorum gente perdomita, quod ea fortissima totius Celticæ habebatur, ingentem apud Gallos gloriam meruit. Idcirco passim ex civitatibus gratulatum venerunt principes; simul petitum, *ut bona cum ipsius gratia concilium totius Galliæ sibi liceat indicere*. In illo, ut postea apparuit, de Germanorum amoliendo jugo deliberatum: & ab iisdem principibus flentibus & ad pedes prostratis rogatus est Cæsar, *ut oppressis auxilium ferret*. Ariovistus Suevorum rex per Arvernorum Sequanorumque contentiones, cum centum viginti millium exercitu Galliæ partem occupaverat: Æduos eorumque clientes semel iterumque magnis prœliis vicerat: iis quoque gravis, a quibus erat accitus, universæ Galliæ imperio imminebat.

Cæsar de bello Gallico 1. & 2. Plutarch. Cæsare cap. 17.

Ariovistus adfectat imperium Galliæ.

Germaniæ descriptio.

Cæsari superbe respondet. Diod. lib. 38. Cæsar. II. Cæsar, quum in suo Consulatu petentem cupide Ariovistum *socium amicumque populi Romani* appellandum curasset, caussam belli à se removens „*Ariovistum ad se venire* jubet, *ut de præsentibus colloquantur*. ratus, quod accidit, Regem moleste laturum, atque inde caussam belli exstituram. Nam Ariovistus Cæsarem, *si quid vellet, ad se* jussit *accedere*. Tum Cæsar postulata sua per legatos edidit: *ne quos præterea Germanos trans Rhenum arcesseret: ne sociorum populi Romani fines armatus ingrederetur: obsides etiam ab illis acceptos redderet*. Ad hæc ferociter ab Ariovisto responsum: oblataque Cæsari conditio, *amico se an hoste uti mallet*. sub idem tempus quo hæc sunt renunciata Cæsari „ Æduorum etiam & Trevirorum legati adfuerunt.

Plutarch. Diodorus.

Veteris Germaniæ situs moresque. Cæsar. Flor. 3. 10. Diodorus. III. Illi querebantur *Harudes nuper in Galliam transportatos fines suos populari*: Treviri *centum pagos Suevorum ad Rheni ripam consedisse* nunciabant, *hoc animo, ut amnem transirent*. Igitur Cæsar minime differendum ratus, ad Ariovistum, priusquam novæ copiæ cum veteribus ejus se conjungerent: magnis itineribus contendens. Vesontionem Sequanorum, ne ab hoste occuparetur, præcepit. Quæ deinde gesta sunt, quoniam multorum Germaniæ populorum mentionem continent, obscuram molestamque futuram legentibus, nisi commoda explicatione illustrentur; locus hic desiderat, ut veteris Germaniæ situm moresque exponamus.

Fines Germaniæ. Diodorus. Liv. Epitom. Tacit. Germ. I. I. Strab. lib. 7. IV. Igitur Germaniam ad Occidentem à Gallis Rhætisque Rhenus, ad Orientem à Pannoniis Danubius certissimi limites separabant: Septentrionale latus vocatus inde Germanicus Oceanus ambit: à Meridie montes claudunt Alpibus ita propinqui, ut pars earum videantur appellenturque. A Sarmatis versus Solem Orientem montium, qui proprie Sarmatici vocabantur, asperitate, & amne Vistula dirimebatur: eodem pertinebat & Hercynia sylva, quæ tum novem dierum iter habebat in latitudine, & ab Helvetiorum, & Nemetum, & Rauracorum finibus, secundum flumen Danubium ad fines Dacorum Anartiumque pertinebat. deinde sinistrorsum flexa multos attingebat propter magnitudinem populos, ultra sexaginta dierum iter porrecta.

Scandinavia. Hegef. 2. 9. 5. 46. Mela 3. 3. Ptolem. Altham. in Tacitum. Cæsar de bello Gallico 6. 25. Strabo. V. Hoc spatio multæ tum gentes coluere, veteribus non satis cognitæ, quod asperæ bellis, in pace commerciorum negligentes, ab aliis populis haud facile adibantur. Quod tamen inter antiquos constat, initium Germaniæ qua Sarmatas attingebat, mons Sevo fuit, sinum Codanum, id est, Danum sive Danicum efficiens, insulis refertum. Quarum clarissimam nominabant Scandinavriam, tria Borealia Regna amplectentem, ideoque veteribus incompertæ magnitudinis, falso tamen insulam creditam: cujus partem Helleviorum gens, sic rupium incolas indigena sermo vocabat, quingentis pagis scribente Plinio obtinebat. Ab eodem auctore Germanorum genera quinque sic ponuntur, ut excludi Scandinaviæ gentes appareat: primum *Vindilos* vocat, *quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones fuerint. Vandalos intelligi* putant, quorum sedes à Poloniæ finibus atque Vistulæ capite per Megaloburgensium, Pomeranorum, Prutenorumque regiones, & Marchiam, Saxoniæque partem extentæ fuerunt.

Peuce. Plin. 4. 5. & 14. Solinus. cap. 32. VI. Alterum genus Peucini, Bastarnæque Peucen insulam ad ostia Danubii positam, & vicina inter Sarmatas Dacosque loca occupabant. Cætera Germaniæ tres

habebant ex situ loci habitatorum differentias, totidemque nomina. Ingævones qui scribuntur apud Plinium, eos Vigævones non absurda conjectura Rhenanus intelligit, sic appellatos, quod ad sinum maris incolerent. Ejusdem Plinii Istævones, Occiduos interpretantur, quod ea parte fluit Rhenus, quem accolebant. Inter hos intercepti veteribus Hermiones vocabantur, incertum unde: & qui detorquendis vocabulis sine alio indicio conjecturæ nimis indulgent, eos proclivius est in mille errores incidere, quam unam veritatem. Pontinus in descript. Daniæ. Salecampius ad Plinium.

VII. Ex his gentes nobiliores ad Rheni ripam, præter quas in Galliæ descriptione retulimus, Batavi non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colebant, Cattis orti. At dextrum Rheni latus, quod Germaniæ prætexitur, incertæ olim possessionis fuit; eoque notitia illius obscurior. Rhenus ipse à Rhæticis Alpibus & monte Gothardo, per abrupta devolutus Curiēsem agrū percurrit; mox duos efficit lacus, Acronium & Venetum: hinc modico flexu in occidentem pronior, juxta Rauracos ad Septentriones redit, agrum Helvetium à Germanico dividens: quæ res olim perpetuis duarum gentium bellis occasiones præbuit. nec alia major causa fuit, cur Helvetii sedibus suis incensis alias instituerint in Gallia interiori quærere. Accolæ Rheni. Tacit. Germ. 29 1. Altham. in Tacit. Pompon. Mela 3. 2. Cæsar. Gall. Orosius 6. 7.

VIII. Ibi jam antiquitus initium Germaniæ fuit, ea loca incerti erant juris, quod nunc à Gallis invadebantur, nunc recipiebantur à Germanis. Ibi Decumates agri fuerunt, postea trans Rhenum Danubiumque; cuius in propinquo fontes sunt, vix duorum milliarium à ripa Rheni spacio dirempti. Hegoviam nostrates vocant, oppositam Helvetiorum Turgaviæ. Infra Hegoviam Clechovia jacet, Martiano nemore (quod Hercyniæ sylvæ caput est) & Rheno amne terminata. In illis regionibus, & quæ præterea usque ad Cattorum fines descendunt, decumates agros fuisse intelligo, sinum Imperii & Rhæticæ provinciæ partem. Decumates agri. Tacit. Germ. 29 15. Altham.

IX. Ultra hos Catti tenuerunt iis finibus, quibus nunc Turingi sunt, Hassique, & ad Rhenum fluvium porrecta Westphalorum portio. Eorum pars Mattiaci, quum Tacitus scriberet, Romanis subditi, dictum ab oppido Mattio agrum coluerunt: cujus oppidi nomen adhuc & vestigia servare tenuis ad Adranam vicus traditur. In eorum agro calidissimi fontes visebantur, quos hodie frustra nisi apud Visbandenses contra Moguntiam sitos requiras. Neque moveor quod apud Ptolemæum Mattiaci & Moguntiaci ad millia passuum centum septuaginta disjungi videntur. Nec enim ignotum est, ne auctori culpam imputemus, quam proclivis sit in notis numerorum, atque in illius præcipue scriptoris opere frequens librariorum aberratio. Catti. Irenicus Germ. 9. 10. 9. 12. Altham. Plin. 31. 7.

X. Cattos penitus fuisse deletos quorumdam opinio est: mihi verius videtur, Hassos nunc esse, qui olim Catti fuerunt; neque aliud nomen, sed tantummodo pronunciatione differens, non aliter, quam ut alia multa vocabula, quæ apud ejusdem gentis varios populos aliter atque aliter efferuntur. Sub Cattis Usipios Tencterosque ad Rhenum locans Tacitus, haud dubie tractum illis adsignat, ubi nunc Franci colunt ad Salam Mænumque flumina: inter Bohemos Noricosque & Rhenum, à Meridie Sueviam spectantes, ab Aquilone Turingiam. Sed & Clivensium fines tenuisse videntur: & quæ ad Rhenum inde loca versus Francofordiam usque pertinent, Hassorum hodie ditio. Usipii & Tencteri. Altham. Tacitus 2. 60. Strab. lib. 7.

XI. Juxta Tencteros Bructeri occurrebant, quorum *agrum inter Amisiam Luppiamque amnes à Germanico vastatum* Tacitus retulit. Hi tum ultimi Bru- Bructeri. Cæsar Gal.

Tacit. 23. Altham.

Ucterorum erant. pars alia late terras inter Salam Westphaliæ fluvium ac Rhenum interceptas possidebat. Ita Juliacensis Bergensisque & Clivensis ditionum partes, Comitatumque Marcanum, & Lippensem, usque in Westphaliam à Bructeris habitatum fuisse non absurda opinio est. At Ubiorum sedes Colonia monstrat, certum clarumque monumentum. Ab his juxta Rheni ostia & Frisios Sicambri, mox Chamavi & Angrivarii, deinde Tubantes, postea Usipii, tum Franci, ad extremum Westphali, Monasteriensem agrum Cliviæque & Geldrorum partem tenuerunt.

Angrivarii. Tacit. 23. Ammian. 20. Altham. Plin. 26. 1.

XII. Ab Angrivariis certe Angriæ Ducatus ad Visurgim amnem, qui nunc inter titulos Archiepiscopi Coloniensis est, nominatus creditur. A quibus diversi Ansibarii, quondam à Chaucis pulsi, vacuos juxta Frisiorum regiones agros insederunt: quos deinde Francis Marcellinus accensuit. Angrivarios à tergo Dulgibini & Chasuarii claudebant, in fronte Frisii usque ad Oceanum pertingunt, populosum genus, in majores minoresque distinctum: nunc Orientalium & Occidentalium nominibus dividuntur. Hæc ad Occidentem Solem veteris Germaniæ tabula est: à Septentrione Chaucorum gens à Frisiis incipiens partemque litoris occupans, terga gentium Rhenanarum claudit, usque dum in Cattos ingenti sinu redeat.

Chauci. Ptolem. Altham. Claudian. Panegyr. vers. Tacit.

XIII. Hi quoque majores minoresque appellabantur. Majores prope Angrivarios, ultra Visurgim, ad Albim usque tenuerunt; quorum oppidum fuit Fabiranum, quæ hodie Brema putatur. Minores à Visurgi ad Rhenum Westphaliæ Frisiæque partem versus Isalam Rheni amnis ostium sedes habuerunt. Cherusci Mediterraneus populus, Hercyniæ partem, quæ vulgo *Harto* nuncupatur, accoluerunt, cis Albim fluvium, ubi nunc Misni Turingique & Ascanienses sive Anhaldini habitant. Cheruscis conterminos fuisse Fosos ex uno Tacito discimus; quo latere fuerint, incertum.

Cimbri. Strab. lib. 7. Orosius 1. 2. 6. Cæsar de bello Gallico 4. 1.

XIV. Sed Cimbri proxime Oceanum colebant, & inter duo maria Orientale Germanicum & Occidentale Britannicum peninsula Cimbricæ Chersonnesi nomine nobilitata est. Præ cunctis istis populis uti maxima potentia, ita nomen quoque clarissimum Suevorum fuit, majorem Germaniæ partem occupans, & multas in nationes distributum. Nam à Rheno usque ad Albim protenta, parte sui etiam trans Albim jacentes campos obtinuit. Generis Suevici gentes quatuor & quinquaginta suo tempore numerabat Orosius. Olim *centum pagos habere* dicebantur: *ex quibus quotannis singula millia bellandi caussa, suis ex finibus educerent*.

Suevorum veterum sedes. Altham. Strab. lib. 4. Tacit. 38.

XV. Mari Suevico nomen haud dubie ab accolis fuit: hicque eorum olim terminus. Igitur ab Holsatia & Julia Cimbrorum sedibus, ad Bohemicam usque sylvam, Pomeraniam, Marchiam, Saxoniam late repleverant: mox etiam ad Danubium & Rhœtiæ partem transgressi, Sueviæ, quæ nunc est, appellationem cultoresque dederunt. Sed & præcipua Saxoniæ nobilitas Suevicæ est originis. Cæterum inter Suevicas gentes nobilissimi olim Semnones fuerunt, Lusatiam & Marchiæ partem, ad Suevi fluminis utramque ripam habitantes. Hæc copiosa gens fuit: Longobardica virtute quam numero potior, cis Albim in agro Luneburgensi, reliquisse nominis sediumque suarum memoriam in oppido Bardunvigo creditur, quod Henricus cognomento Leo delevit.

Reudigni Aviones &c. Tacit. Germ. 40. 2.

XVI. Post hos Reudigni, & Aviones, & Angli & Varini, Eudosesque & cum Suardonibus Nuithones à Tacito memorantur. quorum Reudignos & Avionas in Aquilonari & maritima Saxoniæ plaga collocat Andreas Althamerus, cujus diligentiam tota hac descriptione plurimum sequor (Cluverium enim, qui hæc copiosissime est exsequutus, adipisci non licuit) ubi nunc Megalobùrgensis Ducatus nominatur. Anglorum autem veterem habitationem inter Saxonas Vitarumque gentem fuisse Beda tradidit, inde migrasse in Britanniam. Sed hos arguit Vecta insula, cui vocabulum hoc impositum est ab his incolis.

B. Rhenanus. Beda. Histor. Anglic. an. Christi. CXL IX.

An. li. Cypræus de orig. Saxonum.

XVII. Pro Varinis alii scriptores Jutas ponunt, notius nomen. Quidam putant *habitasse Anglos ad mare Germanicum & Albim fluvium eas partes, quas hodie Luneburgensis atque Brunovicensis ditiones occupant.* Cæterum peninsula inter Sliam & Flesburgum Balthici maris sinus; incorrupta adhuc appellatione, veteris Angliæ situm commonstrat. Cæteris quos memoravimus, per Germanici maris litora versus Orientem a Pomerania in Prussiam à conjectura potius quam notitia sedes adsignantur. Nam ætate Strabonis Germania Transalpina prorsus erat incognita: quum Tacitus scriberet, is quoque fluvius adiri ab Romanis nequibat. *Plinius* autem *Varinos Vandalorum* fecit partem.

Gentes apud Danubium. Tacit. Plin. 4. 14. Velleius. 2. Tacit. 13. Altham.

XVIII. Paulo certiora sunt, quæ de gentibus ad Danubium scriptores prisci tradiderunt. Ex his Hermundurorum terra Albis ortu nota; & vicinia Semnonum Cattorumque, quibuscum de fluvio Sala magno prælio decertarunt, minus ignoratur; Misniam & Bohemiæ partem fuisse indiciis illis declarantibus. Juxta Hermunduros Narisci, deinde Marcomanni & Quadi agebant. Nariscos Voytlandiam superioremque Palatinatum habuisse putant, cum Transdanubiana Bojariæ portione. Nec absonum est, ab his esse vocabulum regioni quam Nordgaviam vocant, quum ab incolarum vulgo *Narca* nominetur.

Marcomanni. Tacit. Germ. 42. 1. Altham.

XIX. Moraviam Marcomanis fuisse patriam, priusquam in Bohemiam immigrarent, vix dubitatur. His fere conjungi Quadorum natio solet, ad Danubium flumen colens: Moraviæ Silesiæque partem, deinde Austriam obtinuisse, non inepta conjectura existimatur. Superest Orientalis Germaniæ portio, quæ Pannoniam Sarmatasque respiciebat. Ex his Marsigni Burique Suevico sermone habituque testabantur originem: Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua, teste Tacito, coarguebat non esse Germanos, & quia tributa patiebantur. Omnes eæ gentes terga Marcomanorum Quadorumque claudebant, inter hos & Sarmatas intercepti; ut Silesiæ Moraviæque partem habitasse appareat; Buriis etiam ad Vistulam fluvium pertinentibus.

Suiones. Tacitus. Ptolem. 2. 11. Plin. 37. 2.

XX. At post hos Lygiorum multæ civitates ad Danubium, quæ nunc Austriæ Hungariæque trans amnem partes incoluntur, late tenuerunt. Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos vetus ætas appellavit, sequens oblita est. Gothonum sedes, quos & Guttones scribunt, succinum ostendit, quod tantum Prutenico litore legitur. hos Vandalis adscripsit Plinius: Rugiorum insula sedes antiquas ejus populi nomine nihil dum mutato satis demonstrat. His quia finitimi fuerunt Lemovii, Pomeraniæ cultores fuisse non immerito quis arbitretur. Extremos Suevorum in ipso Oceano statuit Suionas Tacitus, Sitonumque gentes, quorum illi nomen atque potentiam antiquam hodieque retinent: sermone etiam, quia penetrare eo Romani aliique externi non potuerunt, propius

accedente ad veterem, ut ex antiquissimis monumentis Germanicæ linguę certo cognoscitur.

Sitones. Krantz. Norvegiæ 1, 27.

XXI. Sitonas Norvegiam possedisse argumento, quod *Suionibus similes contiguique* traduntur; ac apud eos videatur ætate Taciti regnasse soror Hasmundi minor annis fratre, sed audacia superior. nec multo post Sticla & Russa virgines, cum Trondo fratre diuissime de regno certaverunt. Qua tamen re distingui à Suionibus non debuerunt: nam & apud illos antiquitus utrique sexui præstans virtus adfuit; & modo Virginis Regnum fuit, qualem æquari sibi magnitudine animi, rerumque gestarum gloria, & imperandi artibus, nemo vel maximorum Regum indignetur. Neque enim animis, uti corporibus differentia sexus inest: neque pars ea, quæ servire in singulis hominibus debet, ubi de imperio in quam plurimos agitur, respicienda est.

Tacitus arguitur. Tacit. Strabo lib. 7. Altham. Auctor de bello Gall. 4. Plin. 4. 13. Mela 3. 1.

XXII. Ut nisi culpam istam Tacitus aliis meritis redemisset, notandus eo nomine haud perfunctorie fuerit, quod qui mulieris imperio regantur, eos etiam à servitute desciviſſe judicavit; homo Nerones atque Othones & Domitianos passus, quorum mollitie atque flagitiis pleraque pars vel abjectissimarum fœminarum erubesceret. Sed ad descriptionem Germaniæ redeo. supersunt enim ad dextrum Suevici maris littus Æstyorum gentes, quorum hodie durat apud Finnones appellatio, & per Livoniam sermo usurpatur. antiquitus in Prussiam usque pertingebant; argumento succini, quod soli omnium ea ætate legebant; *glesum* appellantes, quo nomine vitrum Germani vocamus.

Bastarnæ. Altham. Liv. Epitom. Cæsar Gall. 6. 21. Reiceccius. Appian. Celtica. Tacit. Hist. 2. 35.

XXIII. *Bastarnas fuisse Germanos, sed mixto Sarmatis sanguine* veteres auctores prodiderunt: horum *Peucini* ex insulæ, quam habitabant, nomine vocantur: Roxani magis pertinebant ad Aquilonem inter Tanaim & Borysthenem pascere soliti. At Venedos Fennosque, licet quædam ex Germanicis moribus traxissent, Sarmatis potius adscribendos crediderim, maximoque linguæ argumento, quæ nulla parte Germanicæ est similis. Hellusios veterum in Gotlandia putant habitasse: Oxionas in Livonici sinus insula ponit vocabulum Oxiliæ, (nunc *Oesiliam* frequentius vocant) & quod ovis avium vescebantur: inde à quibusdam *Oones* appellati; quæ nota nostris etiam temporibus durat. nam avium innumerabilium agmina sub Majum mensem iis locis fœtificant: earum dispoliant incolæ nidos, ovaque sale condita ad diuturniorem victum recondunt.

Mores veterũ Germanorũ. Diod. lib 9. Herodian. lib. 6.

XXIV. Hactenus Cornelii Taciti maxime sequuti ductum Germaniam ex obscuro vetustatis situ eruimus. restat, ut de moribus earum gentium pauca referantur. In universum æstimanti liquet cæli terrarumque genio Germanos ad feritatem & arma inclinari debuisse. Tanta enim erat antiquitus partium istarum asperitas, ut maximo mihi argumento sit, tum incredibilis facta mutatio, præter cognitos siderum cursus, certo quodam sed nos fallente motu, naturæ partes invicem conjungi aut discedere.

Habitus corporum. Plutarch. Cæsar cap. 28. Diod. lib 38.

XXV. Sed ista subtiliorem indagationem desiderant. Cæterum Germanis corporum magnitudo roburque, & copiosus sanguis pugnarum aviditatem & vulnerum contemptum attulit. Valida & ingentia membra, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, communi olim omnibus habitus, nunc quoque manent, ubi minus peregrini sanguinis immixtum est. Nam hac nostra Germania, maxime quæ Rheno est propinquior, peragrata Romanis exercitibus, infesta coloniis, conjugiis innexa, quantum à cognitione priorum, tantum à similitudine recessit.

Sed

Sed & pacis artibus cultior, morumque longe meliore temperamento agit. Nam pristina Germanorum feritas latrocinia, dum extra fines cujusque civitatis fierent, in laude ponebat: eadem, uti mos barbaris, ratione non multum, superstitione plurimum moveri, mulierum vaticiniis incendebatur aut interquiescebat: nec sumi prælia, nisi his annuentibus, in morem verterat.

XXVI. Mortem extimescebant minus, quod se redituros ad vitam existimabant. Illud etiam è natura regionis, quæ multis passim lacubus fluminibusque finditur, profectum, auctores mirantur, quod rapidissimos amnium vortices tranare Germani cum armis potuerunt. Pecuniæ antiquitus spretores, mox avidissimi facti, postquam Romanorum commerciis utilitatem ejus intellexerunt. Alia multa, quæ de moribus eorum Tacitus retulit, procurandâ Belgica vicinus illis notusque, (& quæ adcurato opere Philippus Cluverius,) propterea quod omnium manibus auctoris eximii opera teruntur, prætereo. Cum hujusmodi gentibus tum primum sub nomine Germanorum dimicaturus populus Romanus, qui domi, quique militiæ erat, haud tralatitia cura sese adfligebat. *Immortalitatis opinio. Florus. 3. 10. 12. Liv. Epitom. Diodorus. Cæsar. Plutarch.*

XXVII. In castris multi erant adolescentes nobiles, per amicitiam sequuti Cæsarem, & quia mollem sub eo quæstuosamque militiam speraverant: quibus ille tribunatus præfecturasque dederat. Hi partim per varias caussas commeatum petebant à Cæsare: partim pudore prohibiti, tamen non dissimulabant metum, *fatique instantis acerbitatem* soli, aut inter familiares deflebant: *quod immanissimis gentibus, quibus nulla resisti vi humana posset, objicerentur.* Ergo & alia indecore fiebant, & timorem incitabat militum, quod passim etiam in principiis testamenta scribebantur. Cæsar trepidatione exercitus cognita, alienum à præsenti statu putavit, in concionem eum advocari, priusquam ductores confirmarentur. *Metus Germanorum in castris Cæsaris. Diodor. Cæsar. Plutarch.*

XXVIII. Igitur concilio convocato, omnibusque adhibitis centurionibus, *nullam esse caussam timendi* docet, *ne Ariovistus solvat amicitiam tam diligenter quæsitam & cupide initam. Quod si maxime ille insaniat, non ideo despondendos animos, tamquam ob rem novam & atrocem esse. Cimbros & Teutones clade sua satis docuisse, nec invictam esse Germanorum ferociam, nec valde difficilem vinci. sperare se, non deterioribus usurũ militibus, quã Marius habuisset: nec ipsos multo inferiorẽ cognituros Imperatorẽ. Etiã Spartaci bello deletas Germanorũ maximas copias à ducibus non maximis esse. Cum his ipsis hostibus per eos annos sæpe Helvetios pugnasse: eosq; non in suo tantum, sed etiam in illorum solo vicisse: quorsum igitur timeant ab aliis expertos, quũ haud magno negotio superiores victoribus eorũ fuerint?* *Cæsar suos confirmat. Front. Strat. 4. 5. 11. Cæsar. Plutarch. Diodorus.*

XXIX. *Quod autem quidam timori tegendo difficultates itinerum, & angustias frumentariæ rei obtendant; id ipsos adroganter facere, qui suum jus esse putent, de his rebus consulendi, quæ totæ Imperatoris officio continerantur. Igitur illa sibi curæ & fuisse & fore. Neque putare vera retulisse, qui milites propter timorem, ubi castra moveri jussisset, signa deserturos esse renunciarint. Non ita se virtutis felicitatisque suæ, ac præterea innocentiæ pænitere, ut quod malis atque avaris ducibus aliquando accidisset, id sibi metuendum à militibus suis existimaret. Atque ut statim periculum faceret animorum, quod antea in dies aliquot fuisset dilaturus, eadem nocte de quarta vigilia profecturum.* *Ea quæ ad Imperatorem pertineant curate veranti. Diodor. Cæsar.*

XXX. *Desererent sane quorum in animos potentior formido, quam Romani nominis & sacramenti memoria esset: sibi abunde fore si decima sequatur legio, de* *Decimam legionem laudans. Appian. apud Fulv. Ursin.*

cesserunt. Caesar quaesita ex captivis *caussa, propter quam de summa rerum Ariovistus decernere fugeret: eam esse* intellexit, *quod matres familias, quarum praedictione multum Germani utebantur, negarent fas esse vincere si novam ante lunam acie decertassent*. Erat his ea disciplina divinandi, ut ex fluviorum vorticibus, undarumque sonitu futura se prospicere arbitrarentur. Eo magis Caesar incitatus est, ut quam maturrime contenderet, suo tempore usurus, si quidem vera mulieres dicerent; aut saltem facilius debellaturus impeditum religione hostem, & de victoria desperare jussum. Diodor. Front Strat. 2. 6. 3. Appian. Celtica.

XXXVI. Igitur acie instructa, quum ad castra hostium succederet, irritati ignominia Germani processerunt & ipsi, nationatim distributis copiis. Praeter Suevos ex quibus ipse erat, Marcomanos in exercitu Ariovistus habebat, & Triboccos & Vangiones, Nemetasque ac Harudes & Sedusios, ignobiliora reliquis nomina, & vix certarum sedium, nisi quod Harudes ad lacum Acronium, quibus locis condita Constantia est, habitasse putant; Sedusios, aut ut legi volunt, Sepusios, ad fines Nemetum in ripa Rheni. Caesar à dextero cornu, quod ibi imbecilliorem esse hostem senserat, commissa pugna, tanta Germanorum alacritate exceptus est, ut spatium pila in hostes conjiciendi militibus non daretur. Praelium committitur. Plutarch. Sueton. Caesar. 25. 2.

XXXVII. Abjectis pilis res acerrime gladio geritur: & quum phalange facta Germani testitudine se tegerent, multi Romanorum super ipsa scuta salierunt, manibusque ea revellentes, desuper intulerunt vulnera. interim ab altero cornu Romanus urgebatur: quam tum rem conspicatus P. Crassus, qui equitatui praeerat, tertiam aciem subsidio misit. haec res plenam Romanis victoriam dedit, Ariovisto cum equitibus Rhenum versus fugiente. pedites qui consequi non poterant, densatis agminibus restiterunt. Eos quum sine magno labore ac periculo militum caedi non posse Caesar videret, *emitti* jussit, ratus futurum quod evenit, ut in fuga sparsi facilius opprimerentur. Ariovistus naviculam ad ripam deligatam nactus transmisit amnem; simili ratione aut nando evasere perpauci, caeteros Romani equites consecuti interemerunt. Romanis victoribus. Cic. in Vatinium cap. 14.

XXXVIII. Ne mulierum quidem infantiumque caedibus temperatum est: duae conjuges Ariovisti occisae cum una filiarum, altera pervenit in potestatem hostis. Cecidisse Germanorum octoginta millia feruntur. Quum maxima victoriae tantae laetitia esset, haud minus gaudium Caesari fuit. C. Valerius Procillus, Marcusque Mettius recepti. Valerius *ter se praesente sortibus de se consultat* narrabat; *utrum statim igni combureretur, sortium beneficio superesse*. Clades Ariovisti, quum Suevis qui ad Rhenum venerant, terrorem fecisset, Ubiis animos; domum revertentes illos Ubii insequuti, magnam multitudinem ceciderunt. Caesar duobus ingentibus bellis eadem aestate confectis, aliquanto maturius solito exercitum in hiberna deduxit; Labienoque his praeposito, in Cisalpinam Galliam ad conventus agendos profectus est. Clades Germanorum. Sueton. Cicer. pro Sextio. cap. 64. Cic. ad Q. Fratr. 1. 2.

XXXIX. Tanta Caesaris felicitas, quum adversariorum odia metumque acrius stimularet, reducendi Ciceronis consilio magnis studiis coeperunt incumbere. L. Domitius Ahenobarbus professas cum Caesare inimicitias gerebat. Ab hoc & C. Memmio Praetoribus relatum ad Patres *de superioris anni actis* fuerat, priusquam in provinciam Caesar iret. & quum ille cognitione Senatui delata, nec a Senatu suscepta profectus esset, statim Quaestorem ejus in Consulatu legi- Felicitas Caesaris inimicos exstimulat. Cic. pro Sext. Plin. 34. 7. 36. 15.

bus in præjudicium Cæsaris interrogandum curaverunt. Vatinio quoque dicta dies, quo legato Cæsar utebatur: sed & ipsum Cæsarem L. Antistius Tribunus plebis postulavit. Cæsar appellato Collegio, *quod Reipublica causa aberat*, ne reus fieret obtinuit: Vatinius quum eadem exceptione posset uti, maluit in ipso judicio pene deteriora scelera facere, quam quorum caussa erat accusatus.

Hi Ciceronem reducere satagunt. Plut.

XL. Nam ubi dies venit, nominatim appellato P. Clodio ne caussam diceret, illoque adjuvante, in tribunal sui quæsitoris adscendit, eumque vi deturbavit, dissipavit subsellia, urnas disjecit. Sic in fugam conjectus est Prætor, accusatores ejus vix è manibus Vatinianorum erepti. Horum intemperie stimulati, quicumque aut Ciceronis, aut omnino quietis atque legum cupidi erant; illum sibi virum omni conatu restituendum in priorem locum esse statuerunt. Sed deerat qui referret ad Senatum, quamvis adeo pronum, ut nullis de rebus ante consuli vellet. Sed Consules quum essent inter inimicos Ciceronis; *cupere se* dicebant, *sed lege impediri*. nam id caput legis Clodius in curiæ poste fixerat, *ne quis ad Senatum referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset.*

Sed frustra. Val. Maxim. 2. 4. 6. Plin. 8. 26. 2. Asconius. Solin. c. 45.

XLI. Idcirco Domitius Prætor *se* dixit *relaturum si Consules nollent*. Nihil tamen perfici eo anno potuit, quamquam præterea studiosissimi Ciceronis homines in magistratibus agerent, Tribuni octo, P. Nigidius, L. Lentulus Prætores; eratque inexplicabilis in Urbe consternatio, quum Senatus propensissimam voluntatem Consules per caussam legis morarentur; plebs & facta improbaret Clodii, & eundem quo faceret quotidie plura, adjuvaret. Is populi sensus maxime in theatro & spectaculis erumpebat. eoque Clodius toto suo Tribunatu spectando abstinuit; licet multi eo tempore magnifici ludi, & super omnes à M. Scauro apparatissimi ederentur.

Scauri theatrum. Cic. ad Attic. 3. 14. Cic. pro domo cap. 116.

XLII. Ille enim Ædilitio munere (noscenda enim hæc quoque est insania, quo minus ruinam libertatis admiremur) theatrum tantummodo ad temporarium usum fecit, triplici scena: ima pars è marmore fuit, media è vitro, summa tabulis inauratis. Columnas ea structura habebat trecentas sexaginta duodequadragenûm pedum. signa ænea inter columnas tria millia, duplum nempe ejus quod Pompejanum theatrum, sub eadem tempora structum. Sicyone olim præstantissimi pictores fuerunt: eorum opera omnia, quotquot in publico servabantur, propter æs alienum civitatis addicta, ad ornamentum theatri sui transtulit Romam Scaurus: choragiumque antea translatitie cultum, exquisito genere vestis induxit: tanta quidem Attalicæ copia, tabularumque pictarum, & cæteri apparatus, ut in Tusculanam villam reportatis quæ superfuerant, incensa ab iratis servis villa conflagraret sestertium millies.

Et ludorum ejus magnificentia. Cic. Famil. 5. 7. Cic. post. red. in Senatu c. 8 Cic. pro Flaccio 6.

XLIII. *Iisdem ludis ab hujus magnificentia cœpisse certamen Athletarum* dicitur, *antea insuetum Romæ*. Idem Euripum fecit temporarium ludis suis, & in eo hippopotamum & quinque crocodilos animalia numquam ante hac Romæ visa: postea perquisita tam intemperanter, ut hippopotami defecerint in Ægypto, ad hanc vitandam molestiam, pro sagacitate naturæ suæ, migrasse crediti in Blemmyas. Circensibus Pantheras varias centum quinquaginta universas primus ostendit; itemque ossa longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum majore quam sit elephantis Indicis, spinæ crassitudine sesquipedali: quæ belluæ fuisse dicebantur, quam ad oppidum Judææ Joppen (inde exportaverat Scaurus) liberator Andromedæ Perseus interfecisset.

XLIV. Non igitur mirum, si per hunc furorem in æs alienum grande se immersit stultissimus adolescens, non sufficientibus opibus, quas pater diu Princeps civitatis, & sub justitiæ larva minime in rapiendo segnis; quasque mater Metella mariti Sullæ proscriptionibus ditata, amplissimas reliquerant. Eodem anno, novum & inusitatum antea, designatorum Consulum provinciæ ornatæ sunt. P. Lentulus, Q. Metellus erant: alter amicissimus Ciceroni, alter, deposita, quam cum eo gesserat simultate, non vehementer adversus. Igitur octo Tribuni plebis A.D.IV. Kalendas Novembres promulgaverunt *de reditu Ciceronis* legem, eaque de re postea retulerunt ad Senatum. Atque exhinc æs alienum. Cic. pro Sext. Liv. pitom. Ascon. in Scaurianam.

XLV. Ibi Lentulus, nihil territus lege Clodia, sententiam libere dixit, sed Pisone & Gabinio repugnantibus nihil effectum, donec novi Consules magistratum iniverunt. Cujus ipso principio, Kalendis Januariis, agente Consule P. Lentulo, sententiæ de reditu Ciceronis in Senatu, præsente etiam & approbante Pompeio, dictæ sunt. Sed & Q. Nepos Consul *susceptas cum Cicerone inimicitias Patribus Conscriptis & temporibus Reipublicæ* dixit *esse remissurum*. Varia tamen ludificatione Senatus impedita est auctoritas. Idcirco Q. Fabius Tribunus plebis rogatione proposita cum populo ante diem VIII. Kalendas Februarias agere statuit. Sed id quoque vanum inceptum Clodianorum efficiebat audacia, qui multa de nocte Curiam, Forum, Comitium armati occupaverant. Urb. cond. an. 696. sententiæ de reditu Ciceronis.

XLVI. Ab his Fabricius repellitur; itemque collega ejus M. Cispius: cædes in Foro editur maxime. Q. Cicero, qui nuper ex provincia Asia decesserat, quum ad supplicandum pro salute fratris venisset, pulsus à Rostris, inter cadavera latuit, ut opinione mortis mortem evitaret. Idemque non multo post P. Sextio Tribuno plebis in templo Castoris accidit. cujus tamen periculum contrariæ factionis Tribuno Quinctio propemodum exitiosum fuit. nam Clodiani furoris satellites, quod occisum à se Tribunum putabant, hunc licet suarum partium ad necem quæsiverunt, ut similis facinoris suspicione adversarios onerarent. nec ante hæc timere mortem desiit, quam rescitum est, Sextium venire. Maxima propterea discordiæ. Cic. de Arusp. Resp. cap. 24. Diodorus.

XLVII. Studiosissimus Ciceronis hic Sextius erat, qui & designatus, iter suscepit ad Cæsarem, ut illum induceret ad causam, aut saltem à voluntate resistendi abduceret: & inito magistratu rogationem scripsit, & suis copiis, clientelis vitæ etiam periculo amicum constantissime juvit. Præminebat tamen T. Annii, Milonis studium, qui Clodium modis omnibus acerrime vexatum, postremò lege Plotia de vi reum fecit. Sed clusum id judicium est edictis magistratuum, qui Clodio favebant. Consul Metellus, nondum satis placatus Ciceroni, ad hæc propinquus Clodio, itemque frater Appius Prætor, unusque de Collegio Tribunorum vetabant *judiciorum fieri mentionem prusquam Quæstores crearentur, apud quos sortitionem judicum fieri oportebat*. Sextius Ciceronis studiosus. Cic. pro Milone 4. 3. pro Cælio cap. 32. Appianus. lib. 2. Civil.

XLVIII. Hoc ideo fiebat, ut inter hanc moram petere Clodius Ædilitatem posset: & magistratum adeptus, quod factitatum ab aliis fuerat, judicium effugeret. Igitur Milo sublata judicia cernens, & auctoritate Senatus accusatione se prohiberi; cœpit & ipse gladiatores, aliamque secum sentientium turbam circumducere, unde quotidianæ propemodum inter factiones pugnæ, cædesque tota Urbe fiebant. Domus etiam L. Cæcilii Prætoris, & postea domus Milonis atque Ciceronis à Clodianis sunt oppugnatæ. Inter has inflammata Q. Ciceronis. Cum Milone Pompeius sentiebat, adeoque Et magis adhuc Milo. Plutarch. Pompeio. cap. 81. Vellei. 2. 40.

spe consulatus excitasse illum putabatur, *ut reducendo Cicerone de Clodio se vendicaret*.

Sed Pompejus rem perurget. [illegible] Plutarch. Cicer. Quint. l. 1. ep. 1. Cic. post reditum in Senatu.

XLIX. Idem coacto ingenti agmine, quum rogationem suam Milo perlaturus esset, Clodianis fugatis Forum ei liberum præstitit: ut ejusdem hominis intentissima cura Cicero restitueretur, cujus proditione eversus profligatusque fuerat. Jam impar consensui tot potentium Nepos, impugnare Ciceronem desierat; & P. Lentulo referente, Pompeioque sententiam de scripto dicente, Senatus decreverat reditum: eo facilius accepta rogatio est, ut quidquam umquam tanto consensu populi rogatum negent. Eodem tempore Senatus decrevit, *ut civitatibus, quæ in Ciceronem officiosæ fuissent, itemque privatis, qui ex municipiis salutis ejus causa convenerunt, gratiæ agerentur: atque domus ejus & villa publico sumptu reficerentur: solo, quod libertati dedicaverat Clodius, religione per sententiam Pontificum liberato*.

Ciceronis oratio pro Domo. Appianus. Velleius. Plutarch.

L. Extat adhuc disertissimi viri pro domo sua oratio. ex qua & aliis sub eosdem annos habitis, multum luminis illorum temporum historiæ adspergitur. Dixit pro eadem domo M. Calidius, qui tum Præturam gerebat. Postridie quam apud Pontifices Cicero dixerat, Kalendis Octobribus Senatusconsultum factum est, *placere domum ei restitui*. ei Senatusconsulto Trib. plebis Sex. Atilius Serranus Gavianus intercessit: sed consensu Senatus, & Cn. Oppii Cornicini soceri, ad pedes ejus procumbentis precibus victus remisit. Sic post menses ferme sedecim, quam fuerat Urbe expulsus, Cicero rediit, tanto favore hominum, ut quum ipse *humeris Italiæ se reportatum* diceret, rem minuere potius aliquanto, quam augere videretur.

Ciceroni obviam itur. Cic. Attic. 4. 1. Plutarch.

LI. Quum ad Urbem accederet, tanta gratulantium obviamque prodeuntium multitudo fuit, ut vix totus dies illis officiis sufficeret. Fuit inter illos & M. Crassus inimicus antea, sed tum in gratiam filii magno studio redeunti se offerens: sic inter hos reconciliata, magis tamen in speciem, quam vere & penitus est gratia: diciturque *in illum & Cæsarem scripsisse librum de consiliis suis Cicero, refertum in hos probris, ideoque nec ab auctore editum*. Cum Pompeio meliori fide reversus est in gratiam, & ne pœnitere eum suæ voluntatis posset, statim beneficium reddidit Senatu inducto, ut ei *per quinquennium annonæ cura, Sex. Clodio improbo & audacissimo homini erepta*, mandaretur.

Seditio ex fame. Asconius in Milonianam. Cic. pro domo. cap. 7. Plutarch. Apophtheg. Romanorum.

LII. Ingenti enim Urbem premente fame, plebs insanis tumultibus fremebat. Et primum Apollinaribus ludis, quos L. Cæcilius Rufus Prætor faciebat, tanta infimæ multitudinis concursatio fuit, ut omnes qui spectandi gratia consederant, Theatro pellerentur. Deinde in Capitolium quum ibi Senatus haberetur, concursus factus *incendium templo*, *necem Senatui* minitantium. Inter eam consternationem auctor patribus Cicero fuit, *Pompeii curam illam decernendi*, proconsulare imperium per Italiam omnesque terras, quale prius Piratico bello tenuerat, datum. Pompejus accepta curatione *legatos* postulavit *quindecim*, *& in his principem Ciceronem*. quibus passim per provincias dimissis, in Siciliam, Sardiniam & Africam ipse navigavit.

Cui remedium a Pompeio. Cic. ad Q. fratr. 2. 2.

LIII. Inde cum onustis navibus reversurus, inter contationem gubernatorum, qui tempestatem timebant, primus conscenso navigio, solvere jussit, nobilissima voce edita, *navigare necessum esse, vivere non esse necessum*. Ab-

sente Pompeio, quum nihilominus ferveret Milonis atque Clodii contentio, civitasque & Senatus in partes scindebantur, referente P. Rutilio Lupo, qui recens Tribunatum inierat, frequentiore Curia, quam mense Decembri sub dies festos putari potuisset, de judiciis agitatum est. Marcellinus Consul designatus sententiam dixit. *Ubi Prætor Urbanus ipse sortiretur judices: judicum sortione facta, comitia haberentur*. Id quum probaretur, C. Cato, C. Cassius Tribuni *comitia prius habenda* contenderunt. Hæc sententia vicit: & Comitia, non sine maximis certaminibus obnunciante Milone perfecta, Clodiusque Ædilis Curulis factus est.

LIV. Dum hæc in Urbe fiunt, C. Cæsar gravissimum in Gallia bellum habuit. Belgarum populi, Rhemis exceptis, omnes conjuraverant, incredibili hominum multitudine armata: quippe Bellovacos millia sexaginta pollicitos Cæsar ipse prodidit, quinquaginta Suessiones, totidemque Nervios: at Ambianos, Caletes, Baiocasses & Vormanduos dena millia: quindecim Atrebates, quinque & viginti Morinos, septem Menapios, & Atuaticos undeviginti. prætérea Condrusos, Eburones, Cæræsos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellabantur, armatorum præbuisse millia circiter quadraginta; ut ita non injuria de fide auctoris dubitaverit quidam Galliæ Regum, quod ex universo Regno tantam hominum bello utilium multitudinem (trecentis enim millibus plures fiunt) cogi posse minime arbitraretur: quamquam refertum habitatoribus esset.

Gallorum ingentes app aratus contra Cæsarem. Cic. Atti c. 4. 5. Diodorus. Cæsar de bello Gallico, 2. 3.

LV. Sed olim, ut arbitror, quia pacis artes minus frequentabantur, uberior militum copia fuit: nunc eo res deducta est, ut magnæ eruditionis cum insigni patriarum rerum peritia Gallus scribere non dubitarit, *citius ducenta millia scribarum, quam triginta millia militum reperiri hodie in Gallia posse*. Caussa bellandi præcipua fuit, quod Belgæ successibus Cæsaris territi, nec ambitionis ignari, ad se quoque perventura arma imperiumque Romanum sentiebant. ad hoc à quibusdam Celticorum Gallorum, diversis de caussis incitabantur. initium armorum à populatione agrorum ortum, in Rhemos offundente se Belgarum ira, quorum etiam oppidum Bibrax, acriter ab his oppugnatum est. Sed quia haud longius quam ad octo millia passuum castra Cæsaris aberant, & inde subsidia Rhemis mittebantur, relicto Bibracte Belgę protinus ad castra Romana contenderunt.

Eius belli caussa. Liv. Epitom. Orosius. 6. 7.

LVI. Axona flumen per extremos Rhemorum fines labitur, ad quod Cæsar eo tempore consederat, castris diligenter munitis, quod propter multitudinem hostium & virtutis eximiæ famam, non statuerat prœlium præterquam ex commodo suo committere. Sed postquam in transitu fluminis impeditos didicit, (nam ut Q. Titurium legatum, cum sex cohortibus in altera ripa relictis opprimerent: aut si hoc non possent, Rhemorum vastarent agros, partem suorum transducere conabantur) cum omni equitatu ac levi armatura pontem transgressus, multos occidit; alios per suorum corpora transire conantes, multitudine telorum repulit: aliquem numerum, qui jam transmiserat, equitatu circumvenit.

Belgæ cedantur: à Cæsare. Estienne Pasquier es recherches de la France-1.3. Diodorus.

LVII. Hostes sibi sua consilia parum feliciter succedere experti, ad hoc audito concitatos à Cæsare Æduos Bellovacorum fines hostiliter intrasse, secunda vigilia nullo certo ordine neque imperio ad sua proficisci instituerunt: sic inter se pacti, ut qui eorum primi à Cæsare peteri essent, ad horum defensionem universi concurrerent. Cæsar discessu hostium per speculatores cognito, milites tamen, quod in re inexpectata metuebat insidias, castris continuit. prima deinde-

Mox iterum in conatu discedendi. Cæsar. Plutarch. Cæsare cap. 29.

sed ubi moveri turrim, simulque armatos in ea stantes viderunt, exterriti velut miraculo, miserunt legatos, *existimare se non nisi deorum ope bellare Romanos, qui tantæ altitudinis opera tam celeriter promoveant: itaque se suaque illorum fidei permittere: unum deprecari, ne arma tradere cogantur, sine his prædæ vicinis populis futuri, quibus hactenus dominari consuevissent*.

LXII. Cæsar omnino *tradi arma* jubebat: *se quod in Nerviis fecisset, imperaturum finitimis, ut injuriam ac vim ab his abstineant*. His in oppidum nunciatis tanta vis armorum in fossam dejecta est, ut propemodum summam muri atque aggeris altitudinem adæquaret, portisque patefactis Romani milites in oppidum recepti sunt. Ast ubi Cæsar sub noctem *milites egredi, portasque claudi* jussit, ne quam injuriam oppidani acciperent; illi de tertia vigilia correptis armis quæ celaverant, aut subito comparaverant, munitiones Romanorum adorti sunt. Sed quia Cæsar adversus omnem casum mature providerat, celeriter concursum è castellis, & post acrem pugnam Atuatici repulsi sunt, quatuor ferme amissis hominum millibus. Et statim rebellant. Diodorus. Cæsar.

LXIII. Postridie refractis portis, nemine ultra defendente, captum oppidum atque subhastatum est. quinquaginta tria millia capitum numerum lectores ad Cæsarem retulerunt. sic omni pacata Gallia (nam sub idem tempus legatus Cæsaris P. Crassus, Venetos, Osismios, Curiosolitas, cæterosque ad Oceanum populos in ditionem populi Romani redegerat) tanta fuit Cæsaris gloria, tantusque omnium circa terror, ut etiam à Transrhenanis gentibus legati mitterentur; quibus ille *ad initium æstatis proximæ* jussis *occurrere*, legiones in hiberna deduxit, ipse in Italiam est profectus. His rebus in Urbem nunciatis decreto Senatus supplicatio in dies quindecim ob res à Cæsare in Gallia gestas, fuit. qui numerus nulli antea decretus umquam fuerat. Gallia pacata. Diodorus. Plutarch. Diodorus. Cæsar. Plutarch. Orosius 6. 8.

LXIV. Sed ferocissimæ maximæque gentes erant domitæ, ut honorem mereretur Cæsar. præterea summa ejus erat in Senatu potentia, apud populum favor, ut res per se amplissimæ, quia ab hoc erant gestæ, majores etiam gratioresque haberentur. Eadem æstate qua hæc sunt gesta Ser. Galba cum legione duodecima & parte equitatus, in Nantuates, Veragros, Sedunosque missus a Cæsare, prosperis aliquot factis prœliis, pacem petentibus dedit. Gentes illæ à finibus Allobrogum, & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes colebant; cupiebatque pacatas Cæsar, quo tutius per Alpes minusque sumptuosum mercatoribus iter foret, a quibus illi populi magna portoria exigebant. Ser. Galba gentes Alpinas vincit. Liv. Epitom. Appianus. lib. 2. Civil.

LXV. Igitur Galba de sua legione duas cohortes in Nantuatibus, octo in vico Veragrorum Octoduro in hibernis collocat: alteram oppidi partem, nam torrens medium dividebat, suis cohortibus occupat, in alteram commigrare jubet oppidanos. Ibi Veragri Sedunique collecti ad triginta hominum millia, subito quæ Octoduri erant hiberna oppugnare cœperunt: donec nullo nisi in virtute reliquo præsidio, auctoribus Sextio Primipilari, & Voluseno tribuno, eruptio facta, & amplius tertia pars hostium concisa est. Galba incenso vico incolumem legionem per Nantuates in Allobrogum fines deduxit, ibique reliquam partem hiemis exegit. Per eadem tempora M. Cato, lege Clodia ad redigendam in provinciæ formam Cyprum missus, reductis Byzantinorum prius exulibus, in insulam venit, morte Ptolemæi vacuam, qui neque partus Plutarch. Catone c. 49. Diodorus. Appianus. Val. Max. 9. 4. Strab. lib. 14.

ad resistendum, neque Regno amisso vivere sustinens, veneno epoto perierat.

Ptolemaei Cyprii exitus. Val. Max. 9.4. Diodorus.

LXVI. Pollicitus erat praemissus à Catone Canidius, *populum Romanum ei, si lubens cessisset, Sacerdotium Veneris Paphiae concessurum esse*: verum ille mortem potiorem eo ludibrio habuit, stulta tamen avaritia conservatis opibus. Quum enim aliquando, ut vicissim praedonibus suis aegre faceret, omni pecunia in naves imposita provectus in altum esset, eo consilio ut secum omnia mergeret, non sustinuit perdere propter quae se periturum intelligebat. A Cypriis Cato prompte acceptus est, mitiorem sub jure Romano, quam in servitute Regia habuissent, sortem sperantibus. Idcirco Catoni nihil fuit reliquum, quam ut ordinaret provinciam, & pecuniam Regiam, & quod ejus ex instrumento Ptolemaei vendito redigi potuit, reportaret.

Ejus opes Cato deportat Romam. Strab. lib. 14. Vellejus. 2. 45. 5. Plutarch.

LXVII. Vendidit enim omnia, una solummodo excepta Zenonis statua, non propter aeris aut artis excellentiam, sed in honorem Philosophiae. Haec quum ab illo integerrima fide acta essent, summa longe major, quam sperare quisquam potuisset, redacta est. Paulo minus septem millia talentorum navibus impositum est: ita distribuente adversus naufragiorum pericula Catone, ut singulis vasis, qualia ad condendam pecuniam multa magnitudine aequali paraverat, corticem suberis longo funiculo alligaret, ut si forte mersum navigium esset, locum amissae pecuniae cortex indicaret. Ita praeter Asiam Cycladasque & Epirum vectus, tantum ubique abstinentiae praestitit, ut in locis amoenissimis, omnique genere deliciarum famosis tantarum opum compos, ab omni non lucro tantum, sed etiam Venere abstineret.

Ubi obviam ei itur. Plin. 34. 8. 48. & 7. 30. Val. Max. 4. 3. 2

LXVIII. Quum primum Tiberim Liburnis subiret, Consules, Senatus, Sacerdotes, tota fermè civitas obviam effusa est, turpi confessione avaritiae, qua fine si fuisset, ob unius Tribuni plebis furiosas iras, vivus vidensque Rex amicus, neque ullius in rem Romanam injuriae reus, neque rebus ut solet repetitis, caussa incognita, non esset cum bonis omnibus publicatus. Huic tanto dedecori publico qui ministerium, quamquam invitus praebuerat Cato, tam diligens commissi custos fuit, ut ad occursum Senatus & caeterorum non ante excederet, neque inhiberet cursum, quam ad locum perventum est, ubi erat exponenda pecunia. Inde translata per Forum admirationem excitavit spectantium, nec erat res Triumpho adsimilis, frequentia & gaudio celebrantium, & plus inferebat aerario, quam factum ex ullo Triumpho fuerat.

Cato honores oblatos spernit. Flor. 3. 9. 4. Marcel 14. 27. Sex. Rufus cap. 13.

LXIX. Actae ob haec Catoni in Senatu gratiae, Consulibusque referentibus *Praetura illi, & jus spectandi ludos praetextato extra ordinem* data. Ea quum decreta magnam Catoni gloriam conferre viderentur, majorem spreta illi atque repudiata dederunt, quippe extraordinariis potestatibus semper adversus, quod in aliis non probabat, ejus in se conspici exemplum non patiebatur. Cum Clodio mox contentionem habuit ob servos Regios, quorum magnum ex Cypro numerum adduxerat *eos, quod ex sua lege adducti essent, Clodianos appellandos* ille dicebat: Cato nec id concessit; neque *Porcios* a suo nomine vocari, quod nonnullis placebat, voluit: *Cyprii* nominati sunt.

Clodius acta Catonis impugnat Cic. pro Domo cap. 8.

LXX. Ab hoc initio Clodius acta vellicare Catonis instituit, & *rationes acceptae pecuniae* postulare. Nec erat ulla contra clarissimam viri notissimamque integritatem suspicio, sed quia commentarii, quos diligentissime confecerat, nau-

fragio erant amissi, calumniæ color aliquis dabatur. Hanc ad instruendam accusationem conferre operas Cæsar dicebatur, epistolas ad Clodium ea de re mittendo. Inter alia criminabantur *dimissam velut à recusante Præturam, quum ipse fuisset relationis Consulibus auctor: deinde rem obtineri non posse sentiens, sponte à se omissam simulasset.*

LXXI. Priusquam in Cyprum Cato navigaret, Rex Ægypti Ptolemæus suorum injurias fugiens, Romam properabat. Quum Rhodum venisset, ubi tum adhuc Cato agebat, misit ad illum, & *uti ad se accederet* petiit: Cato vicissim *ad se venire* jussit *si vellet*, in valetudine curanda occupatus. Id quum factum esset ab Rege, nec prodiit obviam, nec adsurrexit venienti, sed translatitie salutatum, *considere* jussit. Unde Regem magnus invasit stupor, in tanta vilitate cultus, tantum supercilium admirantem. Sed ubi ille reprehendere *consilium* cœpit, *certa commutantis cum incertissimis, & omissa patria Romanorum principum avaritiæ se permittentis, quos vix tota in argentum conversa satiare Ægyptus posset*; jussitque *reverti, & redire in gratiam cum civibus, comitem ad hoc & adjutorem se* offerens; libertate atque prudentia hominis perspecta, ut consilium ejus sequeretur motus est: deinde iterum revocatus à familiaribus Romam contendit. — Ptolemæus Ægypti Rex cum Catone colloquutus. Diodorus. Plutarch.

LXXII. Sed ubi primum ad unius è magistratibus domum accessit, intellecto fastu Romano, recordatus est Catonis, deflevitque *imprudentiam suam, per quam vinci se passus esset, ad contemnendum non tam hominis sapientis consilium, quam diei cujusdam prædictionem. Impulsum à Theophane Mitylenæo Ptolemæum, uti ob causas non maximas Ægyptum desereret* Timagenes scripsit; *novas quærente imperiorum & opum occasiones Pompeio suo*: auxitque suspicionem Pompejus hospitio Regem excipiens, neque amici ejus ac familiares voluntatem hominis obscuram esse passi sunt. Cæterum causæ propter quas discesserit ex Ægypto Ptolemæus, non aliæ traduntur, quam *quod magna in Romanos profusa pecunia, ut socius & amicus appellaretur, eam extorquere à popularibus non poterat: ultro rem incusantibus, repetique jubentibus ab omni memoria subjectam Ægyptiis Cyprum, aut amicitiæ illud inane nomen abjicere.* — Romam pergit. Liv. Epitom. Plutarch. Pompejo. cap. 82. Strab. lib. 17.

LXXIII. Sane etiam ob morum infamiam, exosus contemptusque erat, super alia indecora Regibus tibiæ ita studiosus, ut palam in Regia certamina institueret, & inter certantes ipse esset, unde & nomen ei *Auletes* hæsit. Alexandrini nondum cognito Regis itinere, quum morte sublatum existimarent, *Berenicem Regna[m]* jusserunt, Ptolemæi filiam, de tribus natu maximam, & solam ex legitir[no m]atrimonio natam. Aderant & filii duo, sed propter imbecillitatem ætatis [...]abebantur. Igitur ut Reginæ maritum quærerent, Menelaum & Lampo[n]em, & Callimandrum mittunt, Antiocho delaturos conditionem, qui non ita pridem Syriæ Regno exciderat, & propter matrem Selenen Ægypti Regnum ad se putabat pertinere. — Ejus pravi mores. Porphyr. apud Euseb. Strabo. Casaubon ad Strabo.

LXXIV. Sed mors illius, quum vanam hanc quidem exspectationem effecisset, tamen ex eadem domo matrimonium petendum rati, Seleucum quemdam arcessunt, qui *se stirpe Syriacorum Regum editum* ferebat. sed quum esset moribus sordidis & illiberalibus, *Cybiosactes* (quasi salsamentarium diceres) ab Alexandrinis appellatus, paucos intra dies periit; quum Alexandri Magni loculum aureum substituto vitreo, rapuisset, neque quidquam ante studium pecuniæ po- — Cybiosactes. Diodorus. Strabo.

neret; jussu Reginæ, quæ perferre sordes ejusmodi non poterat, strangulatus.

Alexandrini legati occisi. Franc. Mill. Annal. 22. apud nomin. Diodorus. lib 39.

LXXV. Comperto deinde Romæ Ptolemæum degere, legatos & ipsi centum miserunt; qui ad crimina responderent Regis, & ultro ipsum accusarent. Sed ex eo numero plerique in itinere, pars in ipsa Urbe Ptolemæi dolis occisi sunt: quum ille multis Romanorum pecunia corruptis insidias locis omnibus posuisset. Hæc omnia tam & aperte & impune committebantur, uti si M. Favonius Catonianæ libertatis æmulus tacuisset, nemo relaturus de tanto scelere fuerit. Illo accusante *peregrinam temeritatem*, *domesticam avaritiam*, species aliqua pristini pudoris neque diuturna incessit, ut princeps legationis Dio, haud incelebris Academicæ sapientiæ professor, uocaretur in Senatum, de rebus illis interrogandus.

Et Princeps eorum Dio.

LXXVI. Hoc adeo fine cura veri & honesti factum, ut paulo post ipse etiam Dio occideretur, tantumque pecunia Regis posset, ut donec ipse Romæ fuit, nulla sit instituta de tantis criminibus quæstio. Desperabundus tamen de negotii eventu, concessit Ephesum, ut ibi velut in religiosissimo loco tutius, minusque contra dignitatem Regiam degeret. Inter hæc, ut magistratum Tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam & Ptolemæo, qui jam profectus ex Urbe erat, & P. Lentulo Consuli paranti jam iter, cōcitare, secundo quidem populi rumore cœpit.

Urb. con. an. 697. De Ptolemæo reducendo Principum æmulatio. Cic. Famil. 1. 1. Diodorus.

LXXVII. Igitur Ptolemæus, quum illo anno promovisset nihil, sequenti, quo Cn. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus, L. Marcius L. F. Philippus magistratum gesserunt, per legatos atque literas enixe instituit agere, uti tandem reduceretur. Huic ejus desiderio multa obstabant: æmulatio maxime principum, quod idem negotium Cn. Pompeius, & P. Spinther, cui ex Consulatu Cilicia cum Cypro provincia evenerat, ambibant. & utrisque adversabatur magna pars Senatus, per legatos reduci Regem convenientius publicis, an suis rationibus rata. Accesserunt & aliæ à religione tricæ: quod ob statuam Jovis in Albano monte fulmine tactam Decemviri *adire libros* jussi, Sibyllæ carmen invenerant; cujus hæc sententia fuit: *Quum ad vos Rex Ægypti opem petens venerit, neque denegate amicitiam, neque cum multitudine auxilium ferte: sin vero, labores vos & pericula manent.*

Sibyllini libri cum exercitu reduci vetant. Cic. ad Q. Fratr. 2. 2. Diodorus.

LXXVIII. Hac de re quum esset à C. Catone Tribuno plebis relatum, carmen ita congruere præsentibus, tamquam sub eadem tempora scriptum esset, admirati Patres, fecerunt Senatusconsultum, *Regem Alexandrinum cum exercitu reduci, periculosum Reipublicæ videri*. Quum varia de Sibyllino carmine existimatio esset, neque deessent, qui *obtrectatione & invidia aliquorum inductam esse fictam religionem* crederent, C. Cato veritus, ne res omnino supprimeretur, advocatos in concionem Decemviros oraculum coëgit exponere. idque recusantibus, summa contentione populi extortum: eo cupidius instantis, quo magis *hoc non licere* Sacerdotes testabantur. nam ad eam diem sibyllinum carmen nullum populo recitari consueverat, nisi Senatus decrevisset.

Ptolemæus optat à Pompeio reduci. Cic. Famil. 1. 4. Diod.

LXXIX. His rebus intellectis Ptolemæus optavit à Pompeio reduci, codicillosque sub nomine Regis passim per Forum & in Curia sparsos, populo A. Plautius Tribunus recitavit. dicebanturque ab amicis Pompeii similes in Senatu sententiæ. Sed veriti Patres ne potentia viri hac imposita curatione in immensum augeretur, per honestam caussam restiterunt, *non esse vitam hominis*

necessarii tot exponendam casibus; præsertim quum illius incolumitate res tota frumentaria niteretur. De cæteris quoque nihil conveniebat. P. *Lentulo* multi dabant negotium *sed sine exercitu*: Crassus *tres legatos* decernebat, ita ut non excluderetur Pompejus. volebat enim *etiam ex iis qui cum imperio essent*.

LXXX. Id plures abnuebant, *ex privatis* censentes *legi oportere*. Unus Consulum P. Servilius *omnino negabat reducendum*: & in eam sententiam, quum intercessum esset, perscripta est Senatus auctoritas. Paulo post Tribuni plebis promulgarunt, Cato *de imperio Lentulo abrogando*: Caninius Gallus *de Ptolemæo, uti eum Cn. Pompejus Magnus cum duobus lictoribus reduceret*. Quum his rebus nimium solicitaretur Urbis quies, Clodii furiosis actionibus plane præcipitata & exstincta est. Is Ædilitate inita, Milonem vicissim *de vi postulabat, turbam ab eo coactam, gladiatoresque* insimulans, & alia quæ ipse prior, & proposito deteriore fecerat. Hæc non tam spe opprimendi Milonis agebat, quam cupiditate exagitandi suos adversarios, à quibus ille defendebatur. Patres variè sentiunt. Plutarch. Pompei. c. 82.

LXXXI. In Pompejum præcipue convicia & maledicta congesturus, quibus illum sciebat acerrime pungi, sic cum sua turba comparaverat, *ut quoties aliquo crimine aut probro prolato, quis eo teneretur, interrogaret, Pompejus acclamaretur*. Igitur A. D. VIII. Idus Februarias; quum pro Milone Pompejus perorasset, surgensque ad dicendum Clodius clamore adversariorum impediretur, interrogabat suos in clamore ipso, *quis esset, qui plebem fame necaret*? respondebant operæ *Pompejus*. *Quis Alexandriam ire cuperet*? respondebant *Pompejus*. *Quem ire vellent*? respondebant *Crassum*. Nam & Crassus aderat, haud satis æquus Miloni. Deniq; interrogante Clodio, *quis esset, qui vir virum quæreret? qui caput uno digito scalperet*? & si quæ alia protervíæ hominis occurrebant, *Pompejus* nominabatur. Clodius Pompejum exagitat. Cic. Famil. 1: 7. ad Q. Fratr. 2. 3.

LXXXII. Et hac viri contumelia delectabantur ejus adversarii: Catonemque Tribunum inimicum Pompeji suscitabant: pecuniam Clodio dabant, quo esset ad vexandum illum instructior. Igitur in concione populi à Clodio, in Senatu à Catone acerbe jactabatur: ingentemque percipiebat dolorem, qui nec facere talia, nec ferre didicisset. Inter hæc in Albano parvum templum Junonis, qualia ex argento, aut alia materia fiebant; mensæ impositum, ab Oriente ad Septentrionem conversum est: lupus in Urbem intravit: in cælo fax à meridie ad Boream visa ferri: cives aliquot Romani, deorumque simulacra fulmine percussa: & in agro Latiniensi strepitus cum fremitu armorum sub terra auditus est. Prodigia. Cic. pro Sext. cap. 44. Plutarch. Diodor.

LXXXIII. Ob hæc prodigia consulti Haruspices, quum *Urbem lustrandam, Jovi, Saturno, Telluri, diis cælestibus postulationes esse* respondissent, addiderunt; *caesos deos ob fidem & jusjurandum neglectum, oratores contra jus & fas interfectos, ludos minus diligenter factos, sacrificia vetusta occultaque minus diligenter facta, pollutaque, loca sacra & religiosa occupata & profanata. Ob hac periculum esse, ne per optimatum discordiam, dissensionemque, Patribus Principibusque cædes, pericula creentur, auxilioque diminuti deficiant. qua re ad unum imperium provinciæ redeant, exercitusque pulsus dominatioque accedat. ne occultis consiliis Respublica lædatur: ne deterioribus repulsisque honos augeatur*. Et de his haruspicum responsa. Cic. Famil. 1: 5. & ad Q. fratr. 2. 3.

LXXXIV. Hac Clodius occasione arrepta graviter ad populum traducendi Ciceronis, *ob hunc iram deorum gravem atque formidabilem incumbere* inculcabat: *hunc enim in area, quæ consecrata libertati esset, ædificare*. Nec mora, pergit ad ædes Eis Clodius ad traducendum Ciceronem abutitur. Plutarch. Cic. de Arusp. resp. cap. 14.

illius cum multitudine, & disturbare opus, domumque iterum à fundamentis diruere instituit. Sed Milone cum armatis occurrente, non sine multorum cæde, domus Ciceronis servata est. Cicero, ut hanc injuriam ulcisceretur, adsumpto Milone ac Tribunis quibusdam, adscendit in Capitolium, avulsasque tabulas Clodianæ legis, quas ille de Ciceronis exsilio fixerat, domum deportabat; nisi eas cum Caio fratre, qui tum Prætor erat, accurrens Clodius vi recuperasset.

Sed accusat in Clodium Cicero. Actos. 19. 24. Diodorus.

LXXXV. Postridie in Senatu, quum *de haruspicum responso* Consules ex Senatusconsulto retulissent, vehementem orationem Cicero habuit, *omnium eorum quæ arguerentur à diis, aut unum aut principem reum Clodium agens. Ab illo corruptis judicibus, fidem jusjurandumque sublatum: ab illo & conjuratis, sociorum legatos interfectos; Megalesia servorum incredibili multitudine immissa polluta; vetusta occultaque Bonæ deæ sacra violata esse. Loca autem religiosa non à se, cuius ædes à Pontificibus religione liberatæ, ex auctoritate Senatus, publica pecunia ædificarentur, sed à L. Pisone, à Sex. Serrano, ab ipso denique Clodio possideri. Dissensioni porro, cujus mentionem fecerint haruspices, non ab alia Furia facem majorem atque horribiliorem admotam fuisse.*

Cicero tabulas Clodianarum legum avellit. Cic. de Arusp. cap. 10.

LXXXVI. Quum ita vetus inter hos odium vehementiore motu recruduisset, Ciceroque absentiam inimici speculatus, tabulas Clodianarum legum ex Capitolio sublatas detulisset domum; nihil postea tam grave aut contumeliosum dictu factuque fuit, quod non alter in alterum conaretur. Sed in Senatu, quum de tabulis detractis Clodius quereretur, Cicero Tribunatum Clodii totum tolleret, *quod contra auspicia esset adoptatus, tribunum plebis fuisse* negans: exsurgens Cato *nihil à Clodio recte atque ordine in Tribunatu gestum esse* pronunciavit. *cæterum, si acta ejus rescindantur, etiam quæ ipse in Cyprico negotio egisset rescindi, quum ex ejus Tribuni lege missus in Cyprum esset, qui legibus Tribunus esse non potuisset. Justum imo Tribunum fuisse, qui exisset de patriciis, lege Curiata, priusquam Tribunatum petisset adeptusque esset.*

Unde ei cum Catone dissensio. Jul. Obseq. Diodorus. Cicero Ascon. in Milon.

LXXXVII. Ex ea caussa refrixit paulisper inter Catonem atque Ciceronem prior dilectio: non ad manifesta tamen odia, sed ut per aliquod tempus mutua consuetudo intermitteretur. His principum discordiis, quum tota civitas & plebs involveretur, erat etiam alioquin exulcerato animo propter caritatem annonæ, quæ licet cura Pompeii sustineretur, tamen ob sterilitatem agrorum, & inopiam frugum nondum sane laxaverat. In caussa erat potissimum nummariæ rei difficultas, quod factionibus potentium decretę nuper Cæsari, Pisonique & Gabinio maximę pecunię ærarium exhauserunt.

Senatusconsultum de agro Campano. Cic de Arusp. resp. cap. 6.

LXXXVIII. Idcirco Nonis Aprilibus difficilior, acriorque de tota re disceptatio fuit. & quum decreto ad frumentum coëmendum quadringentis, publica paupertas de variis rebus admonuisset, factum est Senatusconsultum in sententiam Ciceronis, *uti de agro Campano frequenti Senatu Idibus Maiis referretur*; qui *revocari eum ad jus publicum* gravissima oratione jusserat, *eo uno omnium certissima vectigali subsidium belli, horreum legionum, solatium annonæ contineri* demonstrans. Eamdem caussam P. Rutilius Lupus Tribunus plebis urgebat, qui priore jam anno, simul inisset Tribunatum, de agro Campano accurate in Senatu egerat. Nihil ea re moveri tunc adhuc Pompeius videbatur, jam suspecta habens incrementa Cæsaris, & ut infida est potentiæ societas, suarum rerum anxius.

LXXXIX. Idcirco quas ipse extulerat auxeratque Cæsaris opes, tanta securitate, ut in decernendis supplicationibus ampliorem ei honorem tribueret, quam ipse accepisset; eas animadverso errore citra suam invidiam minui vehementer cupiebat. Urebat hominem principi loco propemodum a juventute adsuetum, suam magnitudinem apud populum vilescere ipsa adsuetudine videndi: Cæsarem, ut nova gratiora sunt veteribus, quum rebus gestis magnificum, cum ultra gestorum amplitudinem, in admiratione & amore hominum esse. Præterea tantum ei in Senatu quæsitum auctoritatis esse, ut per illum consequeretur, quæ ne per populum quidem sine seditione adsequuturus putabatur.

Pompejus anxius propter incrementa Cæsaris. Plutarch. Catone.cap.48 Diodorus Cic. pro Domo c.13

XC. Nam & *stipendium* ei decretum erat *ex ærario; & decem legati*, quod non nisi confecta provincia solet: *& ne lege Sempronia ei succederetur*. Atque hæc omnia non quidem palam repugnante Pompeio fiebant; sed tamen per cuniculos conante spem eludere Cæsaris. cum Consulibus enim egit, *ne de rebus iis ex literis Cæsaris referrent; utque successor ipsi etiam ante tempus Vatinia lege comprehensum mitteretur*. Nec deerant inimici Cæsari, satis potentes ad impediendum si concordes fuissent. nunc invicem obtrectantes suspectantesque pars prætermisit occasionem oppugnandi: cæteri pauci rem susceptam perficere nequiverunt.

Clam ei adversatur. Plutarch. Cic. de Arusp. resp. cap. 4.

XCI. Igitur Pompeius unam retinendæ potentiæ rationem optimam ratus, si cum M. Crasso consilia coniunctoria haberet; hominem eadem omnia agitantem animo facile permovit: communiterque ambobus placuit *petendum Consulatum, & obtinendas provincias esse, quo novis gerendis rebus refricarent in animis hominum veteris gloriæ admirationem, iisdemque modis, quibus augeri Cæsarem videbant, se suasque opes tuerentur*. Quum hæc ita placuissent, reliquumque negotium esset, ut Cæsari petitionem Consulatus probarent, quod eo renitente, nulla spes adipiscendi supererat; ipsi ad eum proficisci per quamlibet caussam statuerunt.

Cum Crasso consilia jungit. Cic. ad Q. fratr. 2.3. & in Pison. cap. 16.

XCII. Neque erat difficile, quum hoc instituto Cæsar uteretur, ut quoties per bella poterat, præberet se adituris, in magno negotio habens, obligare semper annuos magistratus, neque pati alios pervenire ad honorem, quam qui suas rationes defensuri essent. quod ut obtineret, nullum largitionis aut officiorum genus in quemquam prætermisit: neque vulgatius ea tempestate quidquam erat, quam in petendis magistratibus et suffragia tribuum ea pecunia, quam pro candidatis suis Cæsar pronunciandam curavisset. Ille igitur sub initium hiemis *profectus in Illyricum fuerat, quod eas quoque nationes adire, & regiones cognoscere volebat*; sicut ipse scribit: major tamen, quam tacet, itineris caussa fuit, cum suæ factionis hominibus de republica colloquendi cupiditas, ut illam per suos conjuratos domi moderaretur: foris exercitus provinciasque manu obtineret.

Cæsaris artes. Cic. famil. 1. 7. & de Lege Agr. 2. 29. Diodorus. Cic. de Prov. Cons. cap. 11.

XCIII. Sed ante omnes Pompeium Crassumque cupiebat, in eadem consilia quæ inter se illi conceperant, diversam ob utilitatem pronus. Namque L. Domitius palam minatus fuerat *Consulem se contra Cæsarem effecturum, quod Prætor nequivisset*. isque in annum sequentem erat petiturus. Igitur Cæsar cum his egit, ut *Consulatum detrudendi Domitii caussa ambo peterent: cumque adepti, sibi prorogarent imperium in aliud quinquennium*. Prior ad eum Crassus Ravennam; inde Pompeius Lucam, mense Aprili profecturus in Africam venit. Eodem & Q. Nepos, Hispaniam sortitus ex Consulatu, & App. Claudius in Sardiniam

Concursus potentium ad Cæsarem. Diodor. Cic. Famil. 1.7.

Diodorus. Cæsar.

Potentior in dies Cæsar.

ex Prætura proficiscens multique alii summi viri confluxerant: adeo quidem cupide, ut uno tempore Senatores amplius ducenti, lictores centum & viginti apud Cæsarem conspicerentur.

Et ab his prodita illi Respublica. Sueton. Cæsare 23. 3. 26. 3. Plutarch. Cæsar. cap. 3.

XCIV. Ab illo maxime conventu exstingui libertas Urbis vis Senatus populique procumbere, omnisque unum in Cæsarem, non jam inclinare, sed ruere potentia cœpit. Idcirco neque Idibus Maiis, uti prædictum fuerat, de agro Campano actum; neque omnino quidquam, quod Cæsari adversum videretur. Atque ille effectis quæ voluerat, confirmataque supra modum potentia, quum rebellasse quidam populi nunciarentur, ad componendos motus in Galliam rediit. Maritimę civitates, missos à P. Crasso ad frumentum accipiendum Equites Romanos retinuerant, per quos sperabant suos se obsides recuperare posse. Principes potentiæ audaciæque Veneti erant, ad Oceanum colens Populus.

Cæsar cum Venetis pugnat. Cæsar de Bello Gallico 3 7. Plutarchus.

XCV. Cum his Osismii, Curiosolitæ, Lexobii, Nannetes & aliæ nationes arma junxerant; à Menapiis etiam ad Rhenum colentibus, & ex opposita Venetis Britannia auxiliares manus parabantur. Cæsar quum multa hostium oppida magno labore, modico operæ pretio cepisset, commutandam sibi gerendi belli rationem,& classe confligendum judicavit. Etenim in promontoriis linguisque sita pleraque oppida erant, perangusto aditu & accedente æstu, quod bis accidit horarum duodecim spatio impenetrabili. ne navibus quidem adiri tuto poterat, quas relabens æstus inter aspera & vadosa loca destituebat.

Nec multum proficit. Sueton. Cæsar. cap. 24. Plutarch. Catone cap. 56.

XCVI. Igitur quoties summo militum conatu opera acta, & mare aggeribus exclusum erat; obsessi desperato teneri locum posse, rem significabant suis. Illi magno repente numero navium adhibito, quod facere sine periculo poterant, quia naves ad locorum patientiam erant ædificatæ; homines omnes cum copiis atque armis in aliud oppidum deportabant: quo si admovere Cæsar exercitum vellet, eædem de integro difficultates omnes, superandæ erant. His gestis quum major pars æstatis præteriisset, tandem cum classe, quam Cæsar in Ligeri fluvio ædificandam curaverat, D. Brutus adolescens advenit.

Donec navali prælio vicit. Plutarch. Cæsar. Appian. lib. 2. civil. Cic. ad Q. Fratr. 2. 2.

XCVII. Exiverunt contra circiter ducentæ viginti hostium naves, prælioque commisso rebus omnibus inferiores Romani, præterquam quod virtus militum & celeritas navium aderat; falces præacutas longuriis adfixas adhibuerunt, & funes quibus antennæ ad malos destinatæ erant, amputarunt. Id quum esset factum & vela armamentaque Gallicarum navium, in quibus omnis spes fuerat, inutilia fierent; plurimæ naves expugnatæ: quod subita malacia & tranquillitas maris etiam fugę facultatem præciderat. Hanc pugnam deditio gentis sequuta. Senatus omnis necatus: cęteri sub corona venditi sunt. Per eadem tempora res ab legatis Cęsaris pari fortuna in aliis Galliarum partibus gestæ. P. Crassum cum duodecim legionariis cohortibus, & magno numero equitatus in Aquitaniam miserat; ne ex his nationibus auxilia ad rebelles Gallos venirent.

P. Crassi gesta in Aquitania. Diodorus. Cæsar. Orosius. Florus. 3. 10. 6.

XCVIII. Is pugna cum Sontiatibus victor, oppidum eorum totamque gentem in deditionem accepit: inde maximas Aquitanorum Cantabrorumque copias, quamvis militiæ duces haberent peritissimos, qui sub Sertorio diu meruerant, ita cecidit, ut ex quinquaginta millium numero vix quarta pars superesset. Ea victoria pleramque Aquitaniam redegit ad Cęsaris obsequium: paucę civitates tempore anni, quod hiems instabat, & quia erant ab hoste remotissimæ, legatos obsi-

obsidesque mittere neglexerunt. Ab alia parte C. Titurius Sabinus, quem Cæsar tribus legionibus datis, in Unellos, Curiosolitas, Lexobiosque proficisci jusserat; ut illas gentes distineret, quum simulatione timoris eo adduxisset hostem, ut ad castra oppugnanda succederet, subita eruptione profligavit. civitates omnes statim se Titurio dediderunt. ea Gallorum erant ingenia, ut ad suscipienda bella prompti, ad toleranda molles impatientissimique mortalium essent. His ita gestis, quum etiam Morinorum Menapiorumque in sylvas recedentium agmina Cæsar insequutus, tempestatibus ulterius procedere vetaretur; exercitus in Aulercos Lexobiosque & reliquas civitates, quæ nuper in armis fuerant, ad hibernandum deductus est.

JOH. FREINSHEMII

SUPPLEMENTUM

Libri CV. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



UUM C. Catonis Tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, Senatus vestem mutavit. M. Cato, in petitione præturæ prælato Vatinio, repulsam tulit; idem quum legem impediret, qua Provinciæ Consulibus in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, à C. Trebonio Tribuno plebis legis auctore in vincula ductus est. A. Gabinius Proconsul Ptolemæum reduxit in regnum Ægypti, ejecto Archelao, quem sibi Regem adsciverant. Cæsar, victis Germanis, & in Gallia cæsis, Rhenum transcendit, & proximam partem Germaniæ domuit; ac deinde Oceano in Britanniam, primo parum prospere tempestatibus adversis, trajecit; iterum felicius, magnaque multitudine hostium cæsa, aliquam partem insulæ in potestatem redegit.

BELLORUM ea conditio quum esset, ut tamen interdum post gravia & atrocia damna pace aut induciis interquiescerent, aut saltem hieme remitterentur; in Urbe non conditionibus, non tempore leniente iras, sine intermissione certabatur. Nova & ingens contentio ex eo surrexerat, quod *Cn. Pompeius, M. Crassus*, quos ullius bonæ rei caussa cum Cæsare fuisse nemo credebat, *Consulatum petituri* dicebantur: quæ res haud dubie ad opprimendam libertatem pertinebat. Et occultabant illi consilium suum, quia in eo negotio, quod quum re insolens, tum tempore alienum erat (non enim erant legitimis diebus professi) metuebant, ne validius oppugnarentur. Urbana certamina recrudescunt. Plutarch. Crasso cap. 27. Diodorus.

Consulatum petunt Pompeius & Crassus.

Pompeii & Crassi dolus. Vellei. 2. 46. Cic. ad Q. fratr. 2. 5.

II. Nam Cn. Lentulus Marcellinus egregium præstabat Consulem, & quia ille Comitia erat habiturus, nec alioquin imbecillis erat, haud immerito timebatur. Iam M. Cato, per adfinitatem Consulis Q. Philippi, cujus filiam Marciam duxerat, auctoritatem prope consularem obtinebat. Idcirco parum confisi viribus, hoc agebant, ut dolo rem obtinerent. Id adeo putabant processurum, si toto illo anno comitia impedirentur, sic enim necessario decurrebatur ad interregnum, ipsisque spatium dabatur, quo petere secundum leges & consequi magistratum possent. Idoneus audacia & adversus Senatum odio C. Cato Tribunus plebis ad hoc ministerium videbatur, quem multa de Cæsare ferre parantem Consul, aliique principes impediebant.

Per C. Catonem comitia impedientis. Plutarch. Catone cap. 56. Diodorus.

III. Facile hic transductus in partes palam concionabatur, *Comitia haberi non siturum, si sibi cum populo agendi exempti dies essent*. Propter hæc & ex his orta certamina, quum senatus vestem mutasset, neque tamen Cato quidquam remitteret; Marcellinus Consul luculentam ad populum orationem de præsentibus habuit, *Reipublicæ* deplorans *statum, quæ non ab aliis, quam per quos defendi eam verum esset, acrius premeretur*. Mœsti adstabant Patres, positisque dignitatis insignibus illachrumantes atque gementes, haud minorem tacendo commiserationem hominum, quam dicendo Consul excitabant.

Necessaria Pompeii potentia. Cicero. Liv. Epitom. Diodorus.

IV. Neque ulli tum contradicendi animus aut fiducia fuit: tam & graves querelatum caussas habere Consulem, & concionem faventem apparebat. Quippe quum *nimiam Cn. Pompeii potentiam* accusaret, universus ei populus clara voce adsensus est. Atque ille, *acclamate*, inquit, *Quirites acclamate dum licet: mox enim impune facere non licebit*. His actis quum reversi in Curiam essent, P. Clodius servato vestitu in concionem populi progressus, Consulem & cæteros acerrime insectatus est: cum Pompeio gratiam redintegrans, cujus auxilio legationem liberam, quam captabat, se credebat adsequi posse.

Et dissimulata ambitio. Val. Maxim. 6. 2. 6.

V. Quum eam rem permoleste Senatus ferret, abrupto sermone permeavit in Curiam Clodius, ut ibi quoque adversariis conviciaretur. Sed repulsus à quibusdam Senatoribus, cinctus ab Equitum globo, periisset inter manus, nisi plebs appellata cum facibus accurrisset, *incendium Curiæ* minitans, *si quid acerbius Clodio accidisset*. Ea vis & tum servavit Clodium, & Senatum ad cæterum certamen effecit molliorem. Pompeio postea non difficile fuit, venire in Curiam, & decernentibus quæ nollet ipse, resistere. Unica spes Marcellino superat, quod semper vultum ac sermonem ad modestiam componere Pompeius studuerat; fronte quam mente verecundior, futurum, ut interrogatus publice *verene Consulatum petere constituisset*, non auderet confiteri. Sed ille in Senatu Consule, & L. Domitio candidato interrogantibus, *fortassis petiturum* respondit, *fortassis destiturum à petitione*, & instantibus illis adjecit, *bonorum civium caussa non esse cur petat, esse, quæ resistat malis*.

Cic. ad Q. Fratr. 2. 8.

Certamina cum Marcellino Consule. Diodorus. Cic. ad Attic. 4. 14. Plutarch. Cæsar cap. 27. & Fonteio cap. 84.

VI. Simul interrogatus Crassus fuerat, ille *se facturum* dixit, *quod ex usu Reipublicæ fuisset visum*. Crassi responsum moderatius, Pompeii superbum & incivile quum existimaretur; Marcellinus invectus suo more in Pompeium est: per hæc tempora eum & in Curia, & ad populum aspere tractare suetus. Respondit Pompejus, *malam sibi à Marcellino referri gratiam, qui suo beneficio factus ex elingui facundus esset; & antea jejunus ac famelicus, nunc quotidie vomeret*. At Marcellinus hoc velut ultimo conatu edito, in posterum abstinuit Curia, majorque

cum eo pars patrum: adeo ut numquam ad numerum reliqua ejus anni parte convenirent. cæteri neque vestem Senatoriam resumere volebant, neque ullis adesse solennibus: itaque nec in Albanum montem iverunt, quum feriæ Latinæ instaurarentur, sic absumpto, quod reliquum ex eo anno fuerat, quum circumacto Consulum imperio, interreges creari cœpissent, Pompeius cum Crasso Consulatum aperte petere decrevit.

VII. Hos præter propriam potentiam amici Cæsaris adjuvabant, ad quos ille scripserat: sed & milites plurimos cum P. Crasso M. F. per caussam commeatuum in Urbem idem Cæsar miserat. His rebus deterriti ceteri candidati mature cessere. L. Domitium sororis suæ maritum M. Cato confirmavit, *ne susceptam de libertate verius, quam Consulatu contentionem metu defugeret*. Neque deerat multorum favor, *quid ita Pompeius Crassusque iterum, quid una peterent*, mirantium: *neminem igitur præterea dignum eo magistratu in civitate esse, qui cum alterutro eorum declarari possit?* Igitur adversaria factio, quum timeret inclinationem plebis, ad vim conversa, Domitio ante lucem in campum eunti posuit insidias: puerque prælucens ei, cum quibusdam aliis occisus est.

Pompejus & Crassus Consulatum petunt. Plutarch. Pompeio: Cic. ad Q. Fratr. Diodorus. Cicer.

VIII. Retinebat tamen Domitium Cato, ipse quoque vulnere in dexterum cubitum accepto saucius: sed quum omne illorum agmen diffugisset, timens Domitius ægre domum rediit: Pompeius Crassusque repugnante jam nemine, facti. Inter hæc L. Piso Macedoniam, A. Gabinius Syriam cum finitimis provinciis adversa uterque fama tenuerant. Piso per avaritiam accolis Macedoniæ Thracibus ac Dardanis pacem magna summa vendiderat. ea ipsa res in bellum egit barbaros, ut replerent bellica præda domos, quas pretio quietis exhauserant. Igitur non vexata solum & spoliata Macedonia est, sed etiam exercitus Romanus, vi hostium, aut Imperatoris injuria, fame, morbo consumptus.

L. Piso male præest Macedoniæ. Plutarch. Catone cap. 57.

IX. Thessalia & Achaia, sicut ab hoste longius aberant, cladibus intactæ, pacis injurias sentiebant; magnam vim pecuniæ Pisoni pendere coactæ. Gravius adhuc Byzantini vexabantur, quos ob merita Mithridatici belli Senatus Populusque Romanus nuper liberaverat. Missæ tamen eo cohortes in hiberna sunt, contra leges Senatusqueconsulta exercita jurisdictio; avaritia, vis, ac libido fœdissime grassata. Nam & statuæ urbisque ornamenta multa abrepta sunt, & cædes factæ: & virgines nobilissimæ, quum ad stuprum raperentur, in puteos abjectis corporibus voluntaria morte interierunt. Neque mitius Agriani Dolopesque & Ætolia vexata.

Thessaliam & alios graviter vexat. Cic. in Pison. cap. 34. & pro Sextio cap. 43.

X. In Syria Gabinius adversis rebus nocebat Reipublicæ; prosperis consulebat sibi. primo adventu parte equitatus, deinde cohortibus aliquot amissis, quum reliqua felicius procederent, bella non ex necessitate aut bono publico sumebat, sed inferebat quibuslibet etiam pacatissimis, quorum opes spem opimæ prædæ rapacissimo eidem profusissimoque mortalium facerent. In Judæos tamen cum Alexandro Aristobuli filio rebellantes, expeditione suscepta, non instrenuum Imperatorem egit. Quum enim Alexander exercitu collecto, muros Hierosolymitanos eversos à Pompeio instaurare cœpisset; deinde ab hoc instituto repulsus Machærontem & alia quædam castella communiret: Gabinius præmisso M. Antonio, quem equitatui præfecerat, cum legionibus subsequutus, haud procul Hierosolymis signa cum Judæis contulit.

Gabinii gesta. Cic. pro Sext. Joseph. antiq. Jud. 14. 16. Hegesippus. de bello Gallico 1. 6.

Et de Judais victoria. Plutarch. Antonio cap. 3. Cic. ad Q. fratr. 2. 7.

XI. Ibi quum tria millia interfecta hostium, capta totidem essent; reliqui cum duce suo Alexandriam confugerunt; castris ante ipsa munimenta positis. In hos, quia veniam delictorum oblatam à Gabinio aspernabantur, iterum factus impetus, & plerisque cæsis, cæteri intra muros compulsi sunt. Hoc prœlio M. Antonii virtus exstitit, multique hostium ipsius manus interfecti. Nec diu postea restitit Alexander: quo in deditionem accepto, Gabinius castella quæ nominavimus, & præterea Hyrcanium, ne res novantibus receptui essent, diruit: contra dirutas olim urbes restituit multas, Scythopolin, Samariam, Anthedonem, Azotum, Raphiam, Dora, Marissam, Apolloniam, Jamniam, Gamala, Gazam, & alias præterea non paucas. Judæam deinde ita composuit, ut reducto Hierosolymam Hyrcano Sacerdotium redderet; gentem optimates regerent, quinque conventibus institutis.

Ob quam tamen denegata Romæ supplicatio.

XII. Ob has res quum missis in Urbem literis supplicationem petisset, Idibus Maiis frequenti Senatu denegata est: quod præter T. Albucium acciderat nemini. Eam Gabinius ignominiam Ciceronis inimici opera putaretur accepisse, nisi per absentiam Ciceronis id esset actum. Publicanorum potentissima factio plurimum ei nocuisse videtur; cui se in provincia perquam iniquum adversumque exhibuerat. Quum deinde Cn. Pompejus Cn. F. Sex. N. Magnus, M. Licinius P. F. M. N. Crassus, altero Collegio Consulatum inissent, ante omnia cæterorum magistratuum comitia curæ habuerunt: intentis in hoc animis, ne quisquam, nisi qui de factione illorum esset, crearetur.

Urb. cond. an. 698. Pompejus & Crassus comitia in p testate habent.

Catonem ne fiat Prætor impediunt. Diodorus. Plutarch. Catone cap. 59. Cic. ad Q. Fratr. a. 8.

XIII. Præcipue referre arbitrabantur Catonem repelli. qui providus futuri Præturam petebat, ut auctoritatem magistratus velut arcem defendendæ libertatis obtineret. Igitur multa præter morem & honestum commenti sunt, quo tam gravem futurum adversarium amolirentur. Jam primùm per infrequentiam Senatusconsultum faciendum curaverunt, *uti Prætores, qui creati essent, extemplo inirent*: quamquam sententię dictæ erant, *Prætores ita creari placere, ut dies sexaginta privati essent*. quum ita providissent, ne ambitus judicio esset ante magistratum initum locus, amicos suos clientesque commendarunt populo, tam inverecunde ut ipsi palam præberent pecunias, ipsi præessent suffragiis.

Turpibus artibus. Liv. Epitom. Val. Maxim. 7. 5. 6.

XIV. Ne sic quidem plus largitio & fraus Consulum, quam virtus atque existimatio Catonis potuit; fiebatque haud dubie Prætor, ni Pompeius cæteras tribus auctoritatem prærogativæ sequuturas metuens, turpi mendacio comitia dissolvisset, tamquam audito tonitru obnuncians: nec enim Jove tonante cum populo agi licebat. Iterum deinde mercedem augentes, atque saniore populi parte vi pulsa, quum Cato, ut erat legum servantissimus, suarum partium studiosos vim vi opponere vetaret; effectum est, ut pro Catone P. Vatinius renunciaretur, quamquam nuper repulsam in petitione Ædilitatis tulerat.

Catonis in hos oratio. Cic. in Vatinium c. 16. Plutarch. Appian. lib. 2 C. vil. Val. Maxim. 4. 6. 4.

XV. Hoc ubi factum est, ferunt partem populi talium suffragiorum sibi consciam, fugæ simili discessu disparuisse: ad cæteros dante concionem Tribuno (sive C. Ateius Capito, sive P. Aquillius Gallus fuit: cæteri enim Consulum erant adseclæ) verba fecisse Catonem, non præsentia modo uti se haberent clare docentem, sed etiam vaticinantem de futuris: *Pompeio Crasso*que haud leviter perstrictis, *qui Rempublicam & Consulatum ita gerere constituissent, ut timen-*

dus eis Prætor Cato fuerit. Domum inde digredientem major hominum multitudo deduxit, quam eos simul omnes qui erant Prætores declarati. Ædilium mox comitia turbulentiora fuerunt. cædes ibi facta, tamque propinquus periculo Pompejus fuit, ut vestis ejus multo sanguine respergeretur.

XVI. Is adspectus, quum remissa domum veste alia postularetur, Juliam Pompeji conjugem, tum prægnantem ita perterruit, ut abortu facto, gravem in morbum incideret. Valde enim amabat virum, isque ei in amore respondebat. Unde mox criminati sunt inimici, *provinciam obtinere per legatos, ipsum sedere ad Urbem, ut fomenta præberet seditionibus, & Juliæ suæ deliciis homo uxorius frueretur*. Comitiis magistratuum uti voluerant Consules perfectis, ipsi nullius rei cupiditatem præferentes, in speciem quiescebant. At C. Trebonius Tribunus plebis suum nomen rogationi commodabat, qua *Consulibus provinciæ in quinquennium Syria & Hispania* (nam & Hispaniam Aquitanici belli vicinia commoverat) destinabantur: adjiciebatur *uti copias civium sociorumque conscriberent, quantas è Republica & fide sua ducerent: belli etiam & pacis arbitrium cum finitimis Regibus atque nationibus penes ipsos esset*.

Consules per Trebonium provincias ambiunt. Plutarch. Crasso c.28. Diodor. Velleius. 2.48.

XVII. Hæc ab initio non aliis modo, sed etiam amicis Cæsaris parum placebant, quod jam pleraque pars temporis, quo imperium ejus finiebatur, transierat, ne à Pompejo Crassoque tantam potentiam adeptis opprimeretur: donec hi nova pactione, *de prorogando Cæsari imperio ferendum curaturos*, adstrinxerunt fidem. Ita quiescentibus Cæsarianis, reliquo populo obnoxio aut desperante, nemo magnopere Treboniæ legi præter Catonem atque Favonium repugnabat, duobus Tribunis plebis hos adjuvantibus. Sed adversus tantarum factionum opes, parum roboris in tam paucis erat: legemque dissuadere volentibus ne tempus quidem idoneum concessum est.

Amicis Cæsaris consentientibus. Liv. Epitom. Diodor.

XVIII. Unicam horam Favonio dederat Trebonius, vix ad querendum de temporis angustia sufficiens spatium: duas Cato quum accepisset, frustra de negotio dicturum intelligens, multa monendo prædicendoque tempus eximebat: donec interpellatus, & quia nihilo secius pergebat dicere, de Rostris detractus est. Quum sic etiam ex inferiore loco vociferanti populus auscultaret, iterum missus à Tribuno viator, Foro eum eduxit. Nec quievit ille quo minus statim reverteretur, & populum *ad præstandam sibi secundum mores & leges audientiam* inclamaret.

Sed Cato repugnat. Plutarch. Catone. Diodor.

XIX. Id quum sæpius esset factum, æstuans dolore & cura Trebonius *adduci eum in carcerem* jussit. Sed populus sequebatur, auresque præbebat inter eundum de legis incommodis differenti. Unde metus incessit Trebonium, *missumque fieri Catonem* jussit. Sic ea dies exempta est, ut nemini Tribunorum verba ad populum facere vacaret. Obtinebat enim, ut de legibus privati primum qui vellent, deinde magistratus dicerent: ne si priores hi essent auditi, auctoritatem horum privati sequerentur. Idcirco P. Gallus, ne postridie Foro excluderetur, in Curia pernoctare statuit, tutissimum hunc receptum ratus, & commodissimum una cum luce in concionem proditurο.

Et in carcerem abduci jubetur. Liv. Epitom. Diodor. Plutarch. Vellei. 2.46. Appianus. lib. 3. Civil.

XX. Sed C. Trebonius omnibus occlusis Curiæ januis, præsidioque armatorum opposito, totam ibi noctem & sequentis diei partem magnam otiosum consumere coegit: Ateium cum Catone & Favonio & horum amicis, alia multitudo

Lex per vim perfertur. Plutarch. Crasso c.35.

præoccupato de multa nocte loco, concione prohibuerunt. Illi tamen omnia conati, Favonius & Ninnius clam reperto aditu, Cato & Ateius aliorum humeris sublati, obnunciaverunt. Cæterum vis adversariorum validior fuit. submotis his à Foro, pulsatisque, atque etiam interfectis aliorum haud paucis, quum etiam L. Annali Senatori Crassus ipse faciem pugno contudisset, per vim perlata lex est.

Atque etiam alia de provinciis Cæsari prorogandis. Cic. pro Cœlio cap. 10.

XXI. Ecce autem populo jam incipiente dilabi, recurrit in Forum Ateius, collegam Gallum manu ducens, qui è curia in concionem venerat, ibique fuerat vulneratus. Id ostendens multitudini Ateius, reique convenientem orationem orsus, magnopere plebem commovebat; quum renunciata Consules, nec enim procul inde magna stipati manu aberant, repulerunt Tribunos: vocataque statim concione, etiam *de provinciis Cæsaris, in quinquennium ei prorogandis*, pertulerunt legem. Ibi quoque repugnatum est ab iisdem: & Cato non jam ad populum, sed ad Pompejum sermone converso, *ipsum non intelligere quod faceret* testabatur. *nunc enim non in cæterorum magis capita, quam suos ipsius humeros Cæsarem attollere: cum eo deinceps onere, quum mox gravius ipsius culpa esset factum, quam ut ferendo amoliendove esse possit, in Rempublicam procubiturum. Tum demum, ubi præter pœnitentiam nihil sit futurum reliqui, Catonis cogniturum consilia: qui non minus tuta & salubria, quàm justa & honesta suasisset.*

Consules provincias sortiuntur. Diodor. Cicero. Ascon. in Pison. Velleius. 2. 76. 1. Plutarch.

XXII. Atque id vaticinium paulo post comprobavit eventus. Tum vero Pompejus inflatus magnitudine sua, neque commutationem fortunæ timens, cum Crasso provincias, tamquam oppressæ captæque Reipublicæ spolia dividebat. Sortem adhiberi placuerat: ea Syriam Crasso; Africam omnem & Hispanias cum legionibus quatuor, Pompeio dedit. His ita confectis ad emendandos civitatis mores egregii auctores se contulerunt.

Legem judiciariam ferunt. Val. Maxim. 6. 2. 4. 6. 2. 8.

XXIII. Nihil erat civitatis judiciis corruptius, nihilque frequentius, quam ut atrocissimorum criminum manifesti, per gratiam aut pecuniam absolverentur. Præcipue erat invidiosum, quod accepta à Ptolemæo Rege pecunia, multi occidendos curaverant legatos Alexandrinos, aut eos qui eo crimine postulati frequenter fuerant, sibi timentes eripiebant. Etiam P. Asicius, qui conscius & adjutor occidendi Dionis fuisse credebatur, judicio erat liberatus. Aurelia lege cautum erat, *ut ex tribus ordinibus judices legerentur*: id mutari non placuit, modus legendorum immutatus; latumque *ut amplissimo ex censu lecti è centuriis judicarent trecenti sexaginta viri*. Paupertatem plerique fuisse ad accipienda munera prætextum videbant: sed nec fallebat eos, non fore innocentiores, qui per scelera ad divitias pervenissent.

Quintil. 6. 3.

Crimina Pompeio objecta.

XXIV. Sed in ea morum fœditate nihil aliud fieri poterat, ipsique auctores legis tales erant, ut severis incorruptisque judicibus sibi nihil opus esse existimarent. Nec enim crimina aut accusatores vel Magno Pompejo deerant; si judicia rite & libere exercerentur. Neque dissimulatum hoc à Cn. Pisone, qui Manilium Crispum accusans, quum evidenter reum à Pompejo videret eripi, juvenili temeritate multa crimina præpotenti defensori objecit. Ad hæc quum Pompejus dixisset, *Cur igitur me quoque non accusas?* respondit: *Da prædes Reipublicæ, te, si postulatus fueris, civile bellum non excitaturum: etiam de tuo prius quam de Manilii capite in consilium judices mittam.*

XXV. Laudanda tamen est in his Pompeii moderatio, qui etiam infimo-

rum hominum convicia civiliter tulit, in quibus & Helvium Manciam Formianum, libertini filium, importunissimum senem, à juventute magnorum virorum inimicitias rabiosa dicacitate provocare solitum. Talis Pompejus tum erat, quum legibus constitueret civitatem: ex quibus quæ de Parricidiis fuit, hodie quoque vim aliquam obtinet; cæteræ exoleverunt. Nam & de ambitu tulerat, aucta largitionum pęna, quas nemo fecerat impudentius. Sumptuaria quum esset promulgata, celeriter concidit, Hortensio speciosis nominibus tuente luxum; Consulesque ipsos laudante, *quod cultu sumptuque magnifici & lauti, vitam convenientem majestati principis populi, suoque ipsorum dignitati ac opibus degerent.*

Leges ab eo latæ. Plin. 9. 54. Cic. ad Attic. 2. 45. 3.

XXVI. Et pervaserat ea tempestate in omnes ferme intolerabilis luxus, multique civitatis principes mira sumptuum insania notabantur. Philippi, Hortensii, Luculli, decora & ornamenta Senatus, luxu diffluebant: quos ob insanum in has ineptias studium *piscinarios* vocare Cicero solebat, *negligi præ his Rempublicam* arguens, *dum illi principes digito cælum putent attingere si multi mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.* Eratque inveteratum hoc malum, & Lege Cornelia sumptibus magis quam luxui detractum, permissis ciborum deliciis, & minore tantum rebus vænalibus imposito pretio.

Luxus Romanorum. Macrob. Saturnal. 3. 17. Plutarch. Lucullo c. 41. Diodorus.

XXVII. Æmiliam deinde legem Lepidi Consulis, primo pravitas auctoris, postea calamitas enervavit: Antiam à Restione perlatam, quum esset optima, solus servavit qui tulerat; in cæteris rationem & metum vincente consuetudine. Igitur post hæc experimenta morbum remedio validiorem esse prudentes judicabant: & quum severam aliquis in Senatu orationem habuisset, reprehensus ab alio est, *quod divitiis Crasso, luxuria Lucullo similis, tamquam Cato loqueretur.* Etiam Consules, ne invidere aliis dicerentur, quod ipsi usurparant, omissa lege, plane diversis negotiis dederunt operam. Jam ille temperantiæ & frugalitatis magister theatrum suum absolverat, idque post hominum memoriam apparatissimis magnificentissimisque ludis volebat dedicari.

Frustra coercitus legibus sumptuariis. Ascon. in Pison. Cic. in Pison cap. 28.

XXVIII. Antiquitus stans populus spectare erat solitus: deinde scena gradusque subitarii, finito spectaculo tollendis struebantur: primus Pompeius mansuram theatri sedem posuit, admirabili opere, nisi quod admirabilius est, sumptum à Demetrio subministratum fuisse, liberto Pompeii; sed qui nimio illius favore factus fuerat patrono ditior. Theatro circumjecta haud minoris impensæ alia ędificia erant: inter quæ templum Veneris Victricis eminebat. Id adstruxisse creditur, ne severior aliquando Censura opus suum tolleret, sicuti patrum memoria factum auctore Nasica noverat. Igitur & ad dedicationem edicto populum vocans, non Theatrum, sed *Veneris templum* nuncupavit, *cui subjecimus*, inquit, *gradus spectaculorum.*

Theatrum Pompeii. Tacit. 14. 20. 2. Cassiod. Variar. 4. 51. Plutarch. Pompeio cap. 86.

XXIX. Cæterum id templum tertio demum ejus Consulatu perfectum atque dedicatum est. maximum enim opus erat, & ad hoc toto, qua patebat, imperio, ornamenta conquisita, inter quæ memorantur effigies variarum gentium, itemque certorum hominum, qui mirabili aliqua fortuna ad famam pervenerunt, ob id magnorum artificum ingeniis diligentius elaboratæ. Sed hoc tempore spectacula musica, ludique gymnici scenicique sunt editi, & Circenses, cum ejusmodi venationibus, ut spatio quinque dierum leones quingenti occiderentur.

Spectacula & ludi. Sueton. Nerone c 46. Plin. 7. 3.

XXX. Elephantorum extremus dies fuit, plus miserationis quam delectatio-

Elephantorũ pugna. Diodorus. Plutarch. Sen. de brevitate vitæ 13.

nis habens. Quippe pugnavere in Circo duodeviginti, commissis more prælii noxiis hominibus, & præterea jaculatoribus Gætulis. Quum aliquot essent vulnerati, tentaverunt eruptionem universi, non sine metu populi, sed clathros ferreos, qui erant circumdati, non potuerunt perfringere. Tum vero porrecta in cœlum proboscide, tam miserabili habitu sonoque veluti complorationem ediderunt, ut dolore ardens popolus consurgeret, Pompeioque dira omnia imprecaretur. Pervaserat opinio, *proximum humanis sensibus animal, poscere vindictam deos, ob violatum jusjurandum, quo decepti in Africa, naves conscendissent, non aliter facturi. Esse profecto belluæ illi cũ humano genere societatem: eamq; sermonẽ horũ intelligere.*

Et ingenium. Tertul. de Spect. c. 10. Pauli.

XXXI. Sane ab his quæ veteres tradiderunt, non abhorrent testimonia plurimorum, qui postquam Indiæ Africæq; iterum penitius sunt cognitæ, maxima belluarum istarum armenta viderunt. Cæterum amœnissimi vir ingenii Justus Lipsius, in Epistolis, elephantorum admiranda diligenter suaviterque descripsit. At populus Romanus non tam Pompeji munificentia delinitus, quam offensus delectu, quem Consules instituerant agere, Catonem, & qui cum eo senserant, efferre laudibus; cæteros incusare modis pessimis cœpit.

Tribunorum & Consulum contentiones. Diodor. Cicer. Plutarch. Crasso cap. 15.

XXXII. Unde resumpta fiducia Tribuni duo judicium minari amicis Consulũ, criminibus in ipsos Consules expetituris. Tum Consules ad invidiam Tribunorum vestem mutarunt: idemque à parte Senatus, quæ Consulum sectam sequebatur, factitatum. Cito tamen resumpta est: tam sine caussa, quam posita modo fuerat. Sed dispar Consulibus sicut apparatus & consilium, sic etiam animus erat. Pompejus qui ad Urbem manere malebat, vel uxoris gratia, vel ut res Hispanas per Legatos, Urbanas præsens in potestate haberet; levius ferebat Tribunorum voces, *Consules Urbe egredi passuros* negantium: atque ultro struebat morandi caussas, imposita rei frumentariæ curatione obtentui sumpta.

Crassus Parthicum bellum cupit. Appian. Parthica. Plutarch. Diodorus. Florus 3.11.3.

XXXIII. Crassus dies noctesque nil nisi Parthicum bellum, Bactrosque & Indos, & ultimi Orientis opes effræni cupiditate cogitabat. Nihil horum lege, quæ de imperio Consulum erat lata, diserte jussum fuerat: sed in omnem sententiam interpretari verba legum non erat his arduum, quibus facile fuerat, curare, ut qua ipsi conceptione verborum voluissent, leges rogarentur. Crassi amentiam Cæsar, incertum quo consilio, augebat; propositum ejus dilaudans, & quidlibet pollicitus. Idcirco & ipse arma opposuit Tribunorum actionibus, & quum illi adversus vim invalidi, ad invidiam & detestationes se contulissent, oravit collegam, *ut quo die paludatus profecturus erat, adesset, seque prosequeretur.*

Ab Ateio retinetur. Cic. de Divin. 1. 40. Plin. 13. 19.

XXXIV. Maxima erat in Foro collecta turba mortalium, ita præparatis animis, ut exeuntem Crassum convicio & jurgiis retinerent. Sed ubi Pompejum ante illum incedere composito vultu viderunt, ejus honori gratiæque datum, ut cum silentio decederent de via. Unus Ateius qui & vota in Capitolio nuncianti obnunciaverat, *manere* jubebat, deos hominesque testatus, *illam contra fœderatos populos expeditionem lugubrem & ignominiosam Pop. Romano fore.* Quum nihilo secius videret pergere Crassum, viatore misso, *duci eum in vincula* jussit. ubi id quoque Tribunis aliis intercedentibus irritum fuit; præcurrit ad portam, foculoque ibi posito, vetustas & arcanas devotiones peregit. quarum numquam vanas fuisse imprecationes superstitiosa antiquitas credidit, sed devotis pariter devoventibusque calamitosas.

Unde

XXXV. Unde vulgo reprehendebatur Ateius, quod eum, cui propter Rempublicam factus erat inimicus, diris in Rempublicam casuris consecrasset. Crassus Brundisium profectus, quum inde non expectato cursu transmitteret, multas naves tempestatibus amisit. dedicque diras metuentibus occasionem sermonum, *jam omen atque initium adesse calamitatis, quæ devotum caput certa atque inevitabilis maneret*. Nam & fortuita in præsagium trahebantur, quod imponente exercitum Crasso, quidam in portu carica vendens *Cauneas* proclamaverat: quasi disertis verbis monente Crassum solicito numine, *caveret ire*.

Nec tamen manet. Cic in Pison. Joseph antiq. 14. 11.

XXXVI. Caussam festinandi haud postremam A. Gabinii præbuerat insolentia, qui legato Crassi tradere exercitum, quantumvis finito imperii tempore, spreverat. In biennium ille Syriam in Consulatu, L. Piso collega Macedoniam lege Clodia acceperant: eratque in ordinandis provinciis decretum, ut successores utrique mitterentur. Et Piso quidem jam decesserat, redieratque in Urbem: Gabinius ultra tempus retinebat imperium eadem improbitate, qua ultra præfinitum legibus modum exercuerat. Erat tum latrociniis infesta Syria, sed plus à proconsule patiebatur injuriarum: qui non aliam ob caussam infestius videbatur prædones persequi, quam ne qua pars spoliorum ab aliis interciperetur.

Incitatus A. Gabini insolentia. Josephus de bello Judaico. Plutarch. Antonio c. 3.

XXXVII. Elapsus è custodia, Romaque profugus Aristobulus, qui apud Judæos regnaverat, cum Antigono filio redierat in Palæstinam, & confluentibus ad eum, quibus præsentia parum placebant, Alexandrium nuper à Romanis dirutum instaurare cœperat. Gabinius his auditis partem equitatus Antonio præfecto misit, Sisenna & Servilio cum cohortibus subsequi jussis. Horum metu Aristobulus Machæruntem versus instituit cedere; octo millium agmen trahens, quod aliam inermium turmam, plus in ea impedimenti quam auxilii fore ratus, dimiserat. Sed Romani priusquam ad castellum pervenire posset adsequuti, manus conserere coactum, verterunt in fugam. Quum ad millia quinque cecidissent, Aristobulus cum mille admodum viris per objectam hostium aciem eruptione facta, Machæruntem; reliqui in collem quemdam perfugerunt; castellum biduo expugnatum: Aristobulus cum filio captus, ad Gabinium, & ab hoc Romam remissus est. Senatus Aristobulum in vincula dedit: filios dimisit, quia Gabinius *ita cum matre eorum pepigisse* scripserat, *quum se & quæ tenebat in fidem Romanam dederet*.

Qui interim Judæos & Aristobulum vincit. Appian. Parthico, & Syria. Cic. in Pison. Joseph. de bello Judaico. Plutarch. Antoni c. 4. Cic. in Pisonem cap. 21.

XXXVIII. Judæis ad hunc fere modum pacatis, expeditionem Gabinius in Arabas Nabatæos adornabat. Hi enim toto illo biennio, quo L. Marcius Philippus primum, deinde Cn. Lentulus Marcellinus, Prætorio imperio rexerant Syriam, vicina incursantes colorem P. Clodio præbuerant, ut Consularem cum Macedonia provinciam Syriam faceret, & illam L. Pisoni, hanc A. Gabinio præmium proditi Ciceronis, cum exercitu & pecunia daret. Forte per idem tempus Arsacidarum domus discordiis atque parricidiis vexata, haud longo intervallo duo Reges Phrahatem atque Mithridatem amiserat.

Arabes Nabatæos aggressurus. Porph. apud Euseb. Strabo lib. 17.

XXXIX. Phrahates scelere filiorum interfectus erat: nec ipsis inter se plus pietatis & concordiæ. Orodes qui patri successerat Mithridatem Media, quam ille tenebat expulit: Mithridates cum Orsane nobilissimo Parthorum ad Gabinium profectus, venalem ducem muneribus & pollicitationibus magnis induxit, *ut omissis Arabibus, in Parthos arma converteret*, Jam ad Euphratem

Parthorum turbis revocatur. Joseph antiq. & de bello Judaico. Plutarch.

Gabinius cum exercitu venerat; quum Ptolemæus occurrit literas à Pompeio adferens. Gabinius & literis movebatur, quod auctore Pompeio faceret, impune facturum sperans: &, quum Ptolemæus talentorum decem millia promitteret, magnitudine mercedis: sed quia provinciæ finibus egredi, bellumque injussu populi gerere legibus vetabatur; magnaque adseveratione nuper ex sibyllinis libris erat decretum, *ne exercitus in Ægyptum duceretur*, trepidabat.

Mox his omissis Ptolemæum reducere parat. Strab. Hegesipp. 1. 21. Plutarch. Diodorus.

XL. Re in consilio proposita, quum plerique tutiora suaderent, M. Antonius auctor suscipiendæ expeditionis fuit; juvenili audacia, & quod Ptolemæo cupiebat gratificari. Gabinius igitur negotio ita decreto, majoris prædæ spem sequutus, quum & ipsi & militibus multa statim dilargiretur Ægyptius; plura promitteret; rebus Mithridatis insuper habitis, in Ægyptum properavit, dum adhuc idoneo defensore Regnum careret. Nam occiso Cybiosacte, quum Alexandrini maritum Reginæ suæ Philippum Grypi & Tryphænæ filium è Syria evocassent; deinde Archelaum, filium Archelai, sed qui se Mithridate ferebat genitum: Gabinius quid ageretur suspicatus; Philippum ire prohibuerat, Archelaum, expeditionis Parthicæ comitem, in custodiam dederat.

In Ægyptum properat. Apia nus. Syriac.

XLI. Sed ille paulo post elapsus ignaro Gabinio, an dissimulante conscientiam, incertum: nisi quod hominis mores fidem adstruunt tradentibus, *metu ne pauciora Ptolemæus daret, si citra negotium esset restitutus; simul acceptis ab Archelao magnis muneribus, Gabinium sponte passum, ut in Ægyptum ille perveniret*. Archelao dimisso, Gabinius quum Judæis pecunias armaque & frumentum imperasset, per eorum regionem ad Pelusium & Ægypti claustra processit. Magno illi tum usui Antipater fuisse traditur, Herodis pater, quum ad cætera pleraque strenuus administer, tum ad aperiendas itineris difficultates unicus.

Per M. Antonium Pelusium capit. Liv. Epitom. Strab. Diodorus.

XLII. Quum enim haud minus viarum impedita, quam belli adversa timerentur; quippe per altum sabulum & sitientes arenas, sub quibus crebri serpentes occultabantur, Serbonitis circumeunda palus erat, *Typhonis* formidata nomine, cujus ea esse spiramenta dicebantur. Sed Antipater Judæos Ægyptiorum milites, auctoritate sua permovit, ut aditus quos custodiebant, seque ipsos traderent Romanis. Ita nemine arma opponente M. Antonius, qui præmissus cum equitatu fuerat, non modo occupavit angustias; sed etiam Pelusium, amplam urbem præsidioque munitam recepit. Ea res saluti fuit Pelusiotis, quibus & Romani pepercerunt; & quum sævire Ptolemæus vellet, non est ab Antonio situs.

Alexandrinos vincit. Ioseph. antiq. Val. Max. 8. 1. 5. Ioseph. de bello Iudaico.

XLIII. At quostquam Gabinius supervenit, rebus Pelusii constitutis, bipartito exercitu Alexandriam petentibus Ægyptii occurrerunt. Acriter aliquamdiu certatum est: mox quia M. Antonius nec opinato terga hostium invaserat; victoria penes Romanos fuit. Crebra deinde & magna certamina variis commissa locis, donec duobus magnis prœliis, quorum alterum in flumine classibus depugnatum est, Alexandrinorum temeritas comprimeretur. Erat enim id ei populo ingenium, ut projectus ad audendum, seditionibus continuis ad vilitatem corporis & spernenda pericula exercitus nihil non promptissime susciperet: idem mutabilis & laboris moræque impatiens ubi primus impetus deferbuisset, qualibet conditione redimebat tam contemptam antea pacem.

XLIV. Narrant eductas ex urbe copias, quum vallo & fossa cingere castra jube-

renitur; succlamasse universas, ut id opus pecunia publica locaretur. Igitur & Alexandriam Gabinius, & totum Ægypti Regnum paucis mensibus cepit. quum magnam eorum hominum multitudinem cum Archelaö Rege occidisset. Corpus tamen Archelai, requisitum ab Antonio propter jus hospitii, & Regio sumptu funeratum est. Libet Alexandrinæ temeritatis, cum fœda superstitione conjunctæ documentum hoc tempore editum, in re haud satis per se memorabili exponere. Nondum erat certum, quo animo accepturus ista Populus Romanus esset; nec ab Senatu amicus adhuc appellatus Ptolemæus erat; quum a Gabiniano milite forte felis occisa, immensam populi turbam concivit. Nihil tum erat Ptolemæo; atque etiam Alexandrinis antiquius, quam ne quis Romanus offenderetur; & animal non voluntate militis, sed casu interfectum esse constabat: attamen neque Romanorum terror, neque hospitii necessitudo, ne missi quidem à solicito Rege magistratus compescere populum potuerunt, quo minus à furentibus miser discerperetur.

Alexandrinorum temeraria superstitio. Heges. I. 21. Diodorus. Cicer.

XLV. Porro Ptolemæus recuperato Regno ante omnia filiam Berenicen, deinde splendidissimum quemque supplicio adfecit, multos per iram & odium; plerosque divitiarum caussa, quibus ad mercedem Gabinio præstandam indigebat. Interea Judæus Alexander recuperato per vim principatu, Romanis quotquot adipisci potuerat occisis, reliquos in monte Garizeno obsidebat. Nec obviam ire Sisenna poterat, cui admodum adolescenti Syriam pater Gabinius commiserat; nec usum rerum, nec auctoritatem rebus tantis parem habenti. Idcirco Gabinius raptim ex Ægypto reductis copiis, Alexandrum triginta millibus hominum stipatum offendit; quamquam præmissus ad populares Antipater, haud paucos à defectione retraxisset.

Ptolemæi recuperato Regno Sævitiæ. Cic de prov. consular. c. 5. Diodorus. Plutarch. Cæsare c. 32.

XLVI. Ad Itabyrium montem ingenti prœlio concursum est: decem millia Judæorum cæsa. Gabinium, rebus Hierosolymitanis ex Antipatri voluntate constitutis, ne victoriam consummaret, Arabicum bellum avertit. Id quoque feliciter ab eo gestum est, fusis prœlio Nabatæis; neque confectum, quod jam Crassus aderat, provinciam & exercitum à Gabinio accepturus. Cupiebat & Parthos exsules; sed illos sive pecunia accepta, sive Crasso invidens, clam dimisit Gabinius, fuga subductos ementitus. Restituto hunc ad modum Ptolemæo, quum Romam rem fama pertulisset, quod Gabinius ad Senatum scribere metuebat; indignatio dolorque civitatis in immensum exarsit. Spretæ haud dubie religiones, neglectæ leges, conculcata Senatûs, conculcata populi Romani auctoritas erat: eaque provinciæ etiam & Equitum Romanorum querelis adgravabantur.

Gabinius Judæos & Arabas cædit. Liv. Epitome. Cæsar de bello Gallico 4. 2

XLVII. Syris *spoliatos se à latronibus, spoliatos à proconsule*: publicani *jus sibi non dictum, pactiones rescissas, vectigales multos liberatos, iisque rebus rationes suas remque familiarem adflictam eversamque esse*, quiritabantur. Gabinius enim ut Judæis atque Syris se venditaret, à quibus multas accipiebat pecunias, ita se durum publicanis præbuerat, ut quo in oppido ipse esset; aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani servum esse non pateretur. Inter fremitus plurimorum judicia & pœnas legum poscentium, Ciceronis maxime tonitrua audiebantur. Is in Rempublicam studio, adversus inimicum ira, quum nihil eorum, quæ ad irritandos animos pertinebant, intactum omitteret, præcipue institit, *ut Si-*

Querelæ côtra Gabinium. Diod I. Cæsar. Plutarch. Cæsar. cap. 32.

byllini libri denuo inspicerentur, & ex iis carmen de Regis Alexandrini restitutione rursum ederetur.

Cæsar Usipetes vincit. Orosius. 6.8. Plutarch.

XLVIII. Adjunctum enim ibi sperabat aliquid de pœna spretæ religionis esse. Cæterum Pompejus Crassusque Consules, alter auctor reducendi Regis, Crassus accepta à Gabinio pecunia, (tum enim adhuc in Urbe erat) nihil decerni sinebant. res in annum sequentem extracta. Interea C. Cæsar Usipetes Tenchtherosque Rhenum transgressos in Gallia vicit. Caussa illis transeundi fuit, quod pluribus annis bello Suevorum exagitati, patrios fines ultra tueri non poterant. Igitur quum per varias Germaniæ partes vagati, postremo ad Rhenum amnem pervenissent, qua Menapiorum gens utramque ripam ædificiis vicisque obtinebat; non sunt admissi à Menapiis, qui retractis in Gallicam ripam suis omnibus, transitum amnis custodiebant.

Illorum Strategema. Appianus. apud Fulv. Vrsin. Plutarch. Cæsar.

XLIX. Germani simulato discessu, quod tridui spatio iter confecerant, una nocte cum equitibus remensi, quemadmodum speraverant, Menapios ad pristinas sedes reversos, oppresserunt. Navibus deinde captivis transvecti, quum cognoscentes in altera ripa inscii omnium essent, tota Regione occupata, per reliquam hiemis partem ibi substiterunt. Mox à quibusdam Galliæ civitatibus clandestinis nunciis exciti, in fines Eburonum & Condrusorum, qui tum in clientela Trevirorum erant, processerunt. Cæsar postquam de his rebus certior factus est, timens ne Gallos pro mutabilitate animorum hæc occasio in rebellionem ageret; exercitu coacto iter ad ea loca facere cœpit.

Legati ad Cæsarem. Sueton. Cæsare 9. 2. Plutarch. Cæsare & Crass. cap. 73.

L. In eo itinere legati Germanorum occurrerunt, neque deprecantes bellum, & *amicitiam malle* professi: *modo daret agrum Cæsar, aut tenere quem occupassent pateretur.* addiderunt: *sese unis Suevis concedere, quibus ne dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.* Cæsar ad hæc negavit *pacem sibi cum his esse posse, donec sint in Gallia: si velint in fines Ubiorum concedere, acturum se cum Ubiis, ut eos recipiant, eorumque opera contra aggressores Suevos utantur.* ipse cum exercitu progreditur.

De Cæsaris fide disquiritur. Sueton. Cæsare 24. 3. Cæsar. Plutarch. Diodorus. Florus. 3. 10. 14

LI. Quum jam haud amplius passuum duodecim millia inter utrosque interessent, legati reverterunt. Horum oratio eo pertinebat, *ut tridui sibi spatium daretur, intra quod tempus de voluntate Ubiorum cognoscerent. Ubiis annuentibus, oblata à Cæsare conditione usuros.* Quæ deinde sequuntur, sic habent ambiguam æstimationem culpæ, ut perfidiam potius Cæsaris quam Germanorum fuisse sit verosimilius. Nam, sicut ipse fatetur, responsum dedit legatis, *se non amplius millia quatuor eo die processurum. petere ut postridie adsint quam frequentissimi, quo de postulatis eorũ cognosceret: missurum ad præfectos, qui cum equitatu omni processerant, ne interea prœlium inciperent*: Miseritne, & dicto audientes præfecti fuerint, aut utrorum culpa commissum sit prœlium, quum minime liqueat; vix est credibile Germanos, qui omnem equitatum suum præter octingentos, superioribus diebus trans Mosam prædatum miserant, pugnam equestrem facturos fuisse contra quinque millia, nisi coacti atque lacessiti fuissent.

Cæsar Germanos opprimit. Liv. Epitom. Diod. Cæsar.

LII. Eventus is fuit, ut à tanto paucioribus Romani fœda fuga usque ad conspectum castrorum suorum repellerentur. Postridie Germanorum principes majoresque natu omnes, uti convenerat, ad Cæsarem uno agmine venerunt. Ille his comprehendi hostiliter jussis, statim educit suos, Germanosq; nihil tale cogitantes, improvisus agressor ad internecionem cædit. Quantus armatorum nu-

merus perierit, non traditur. *capitum quadringenta triginta millia fuisse* Cæsar scripsit, multitudine puerorum mulierumque computata. Cæsar perquam fragili defensione factum hoc tuetur. *Germanorum principes per simulationem ad sua castra venisse: nihil aliud acturos, quam ut tempus obtinerent, intra quod equitatus suus reverti posset: se neque audiendos putasse, qui per dolum petita pace bellum ultro intulissent; & summę dementię judicasse, exspectare donec hostium augerentur copię.*

LIII. Sane causam suam ne Romanorum quidem optimis probavit: adeoque Tanusius Geminus historiarum scriptor à M. Catone dictam tradit sententiam, quo tempore ex literis Cæsaris supplicationes decernebantur: *dedendum illum hostibus esse, ob legationis violatæ nefas.* Suetonius addit aliquando à Senatu decretum fuisse, *ut ad explorandum statum Galliarum legati mitterentur; quod infestas ac feras gentes à Cæsare lacessi, parum è Republica videretur.* Interim equites Tenchtherorum, & Usipetum audita suorum clade per alias vias ad Rhenum venerunt, eoque transmisso sunt à Sigambris recepti: eodem pauci eorum qui prœlio interfuerant, ex fuga penetrarunt. Facto ne suis quidem probato. Strab. lib. 4. Diodorus. Flor. 3. 10. 16.

LIV. Eos quum Cęsar dedi postularet, Sigambri *populi Romani imperium Rheno finiri* responderunt: *si ipse nollet in Galliam venire Germanos, vicissim & sibi juris aut potestatis nihil arrogare debere in Germania.* Inde caussas sibi struens Cæsar, per quas Rhenum transmitteret (cupiebat enim nemini Romanorum tentatæ rei gloriam adipisci) lubens audivit Ubiorum oratores, qui *adversos Suevos* implorabant *opes Cæsaris, Rhenumque trajecturo magnam navium copiam* pollicebantur. Cęsar ponte transgredi maluit: quo intra dies decem effecto, traduxit exercitum, & proximam Germaniæ partem vastare cępit. Sed ubi se Sigambri in loca impedita receperunt, Suevique missis quaquaversum nunciis, cogere exercitum nunciabantur, Cęsar satis & ad laudem & ad utilitatem profectum arbitratus, reduxit in Galliam copias pontemque rescidit; dies omnino duodeviginti trans Rhenum commoratus. Cæsar. Rhenum transit. Diodorus. Cæsar. Diod. 6. 21. Liv. Epitom.

LV. Inde quum exigua pars æstatis superesset, etiam in Britanniam navigandi cepit impetum: ut insulam ne vicinis quidem cognitam adiret, quod nemo adhuc Romanorum fecerat. Tempus ad exigui maris transitum, cognoscendosque Britannorum animos sufficiebat. idem obtentum pręstabat bello omisso redeundi, si difficilius spe sua negotium reperisset. Nam ad id tempus adeo Gręcis Romanisque ignota fuerat Britannia, ut alii *magnitudinis argumento continentem esse* dicerent; opinione hac usque ad imperium Vespasiani obtinente: vetustiores nomen atque fabulam sine re, quidquid de illa diceretur, existimarent. Deinde in Britanniam. Diodorus. Cæsar. Florus.

LVI. Dum naves apparantur, Morinorum legati dedendæ gentis ergo venerunt. Gratum id Cæsari fuit, quod in alium velut orbem transituro, nullus à tergo hostis relinquebatur. Igitur pręmisso ad speculandum cum una nave C. Voluseno, quum navibus duas omnino legiones imposuisset, paucis horis Britanniam attigit, peditatu tantum stipatus; quod equites alio loco conscendere jussi tardaverant. Britanni, quamquam Cęsaris expeditione cognita, legatos in Galliam miserant, obsequium & obsides polliciti, tamen frequenter armati ad prohibendum exscensu militem opperiebantur & loci situs ille erat, ut angusto inter montes aditu tela utrimque adiici in egredientem possent. Igitur ad octo millia passuum inde litus planum apertumque petiit. Britanni obsistunt. Strab. lib. 4. Diodorus. Plutarch.

Sed victi mittunt legatos. Cæsar. Cic. de Prov. Consul. cap. 9.

LVII. Eo quoque loco Britannorum Equitatus & Essedarii se opposuerunt. Essedariorum pugnandi ratio ferme similis fuit ei, quæ temporibus Heroicis apud poëtas adscribitur. quum esset diu certatum, Romanos, quamquam iniquitate loci & novo genere pugnæ turbabantur, longæ naves, & emissa inde tormentis tela, victores effecerunt. Britanni magis terrore quam damno compulsi quod equitatu destitutus Cæsar, insequi fugientes nequiverat, legatos miserunt. Cum his & Comius Atrebas venit, quem à Cæsare præmissum, ut Britannos ad amicitiam populi Romani cohortaretur, & ab se comprehensum, post infelix prœlium liberaverant.

Mox rebellant. Cic. de Arusp. Resp. cap. 9. Diodor.

LVIII. Cæsar leni oratione castigatis, *quod pacem ultro petitam bello non necessario mutavissent, obsides* imperavit. hisq; adductis in faciem amicitiæ quietæ res esse cœperunt, haudquaquam solida aut diuturna fide. Nam ubi tempestate disjectæ naves, quibus equites erant impositi, Britanniam tenere nequiverunt; navesque Cæsaris ignotis locis ad anchoras stantes eadem tempestas confregit, aut ad navigandum reddidit inutiles; coire Britannis, miscere consilia, postremo resumere arma placuit, quod exercitum sine commeatu, sine navibus in hostili solo iniquo anni tempore deprehensum facile superaturos se putabant: victoriæque præmium non intra præsentia tantum commoda staturum rebantur, sed his deletis copiis nemini postea veniendi ad Britannos audaciam fore.

Iterumque victi, pacem impetrant.

LIX. Igitur legionem septimam, quæ missa frumentatum fuerat, subito maximus numerus aggressi, totam concidissent; nisi pulvis solito major ex iis locis conspectus Cæsarem advertisset. Hoc celeriter subveniente servata legio est. hostes alio deinde prœlio victi, quum iterum misissent legatos, Cæsar infirmis navibus non esse diutius differendam navigationem putans, nam dies æquinoctii suberat, prompte veniam præteritorum dedit. Obsidum tantummodo numerum duplicavit, præcepto *ut in continentem sibi mitterentur*. Ita quum discedere Cæsar, Britanni dimittere advenas cuperent, illi multum imperare, horum in potestate relinqui, quatenus obedirent, videretur; haud operosum componendæ pacis negotium fuit.

Cæsar de his gestis ad senatum scribit.

LX. Cæsar in Galliam regresus quum obiter Morinos, à quibus trecenti milites, qui in eo litore expositi castra sua repetebant, oppugnati fuerant, per T. Labienum domuisset; per Q. Titurium, L. Cottam legatos Menapiorum vastasset culta, in Belgis hiberna legionum constituit. Eo duæ omnino Britannorum civitates miserunt obsides; reliquę id facere neglexerunt. Cęsar his gestis, quamquam operę pretium aliud factum non erat, quam quod ad ignotas prius regiones, ipsisque domitoribus orbis, ut ferebantur, Herculi Bacchoque & cęteris Heroibus intactas, arma Romana pervaserant; de rebus suis magnifice, verbis extollens, ad Senatum scripsit.

Metelli Nepotis gesta in Hispania. Cic. de Prov. Consular. cap. 9. & de Arusp. Resp. c. 9.

LXI. Quum adversæ, ut ante retulimus, sententię aliquot fuissent; studiis & adulatione plurium, supplicatio dierum viginti à Senatu decreta est. Dum hęc à Cęsare geruntur, Q. Metellus Nepos in Hispania populos aliquot fudit, qui Vaccęis ducibus rebellionem ceptaverant: nec dum erant satis ad bellum parati. Ea res Nepoti patefecit viam, ut multas obeundo nationes, aliquem numerum ignobilium oppidorum in deditionem acciperet. Sed ubi Cluniam obsidere aggressus est, validam urbem, Hispanis cum maximo exercitu supervenientibus

prœlio impar cessit. Et quamquam meliore denuo fortuna depugnasset; ob nimiam multitudinem hostium (quod iis temporibus Hispania gentium omnium longe populosissimam erat) satis deinceps habuit, si se & exercitum præstare salvum posset.

LXII. Hæc in urbe audita fuerant, quum nondum ornatæ provinciæ essent; moveruntque Senatum, ut Hispanias alteri Consulum provinciam lubentius decerneret, Pompeioque sortem illam obvenisse lætaretur. His ferme rebus domi forisque circumactus annus est; quo Cn. Pompeius, M. Crassus Consules iterum fuerunt. Sequens deinde L. Domitio Cn. F. Ahenobarbo, Ap. Claudio Ap. F. Pulchro Consulibus, magnas dissensiones in Republica, magnas exercituum strages in provinciis tulit. In Urbe propter Gabinium, à quo contra religiones reductus in Regnum Ptolemæus fuerat, acribus animis inter principes certabatur.

Hispanias Pompejus sortitur.

Urb. cond. ann. 699. Urbanæ turbæ.

LXIII. Et Gabinii caussa Cn. Magnus hactenus utcumque sustinuerat: tum autem duorum Consulum inimicis accedente auctoritate, cœpit labascere: Domitius semper adversus Pompeianæ factioni fuerat: Appium antea non alienum, studia plebis mutabant, & spes lucri; accumulaturo mercedem patrocinii Gabinio, si prius in magnam adductus trepidationem fuisset. At Cæsar *obsides à Britannis missos non esse* caussatus, cæterum insulæ si posset domandæ cupidus, & quolibet prætextu morem gesturus cupiditati, per hyemem magnam navium multitudinem opera legatorum, quos hibernis præposuerat, effici jussit: forma præscripta, quam judicabat esse ad illius maris naturam consueta commodiorem.

Cæsaris acta. Diod. Cæsar. Strab. lib 4.

LXIV. Ipse Pirustarum compressa natione, Illyricum incursantium, & deinde in Galliis concitore Trevirorum Indutiomaro, cum legionibus ad portum Itium pervenit: inde simul pariens navium Oceanus foret, iterum in Britanniam trajecturus. Itium plerique fuisse putant, ubi nunc Caletum est maritimum oppidum: sed hæc auctoritate Ptolemæi refellitur opinio. propius fidem est juxta Bononiam quę. endum huic nomini locum esse. Dum ibi ventum exspectat Cæsar, Dumnorix Æduorum princeps, qui cum equitibus suis ad Cæsarem venerat, quum impetrare nequivisset, ut in Gallia relinqueretur; invito Cæsare domum cœpit discedere.

Treviri vincuntur. Liv. Epitom. Marlian. in Cæsar. Scalig. notit. Gallia.

LXV. Cæsar motum Galliarum veritus, postpositis rebus omnibus, mittit qui Dumnorigem retrahant: ab his repugnans interficitur; Ædui equites ad Cæsarem omnes revertuntur. cæteris hoc ad parendi necessitatem exemplum est. Igitur legionibus quinque, duobus equitum Gallorum millibus adsumptis eodem loco ubi nuper appulerat, per summum otium exponit suos. quod multitudine navium Britanni perterriti, nam ad mille navigia habebat; prohibere exscensionem non audebant. Cæsar cognito per captivos quo se recepisset hostis, quamquam munitis locis se tenentem, profligavit, fugientem propter locorum ignorantiam insequi supersedit.

Cæsar iterum in Britanniam venit. Cæsar. Diodorus.

LXVI. Postridie tripartito agmine profectus in expeditionem naves suas ea nocte tempestatibus vehementer adflictas esse cognoscit. Hoc nuncio revocatus ad classem, in reficiendis subducendisque navibus castrisque sic communiendis, ut eadem munitione naves quoque defenderentur, decem ferme dies consumpsit. Interea temporis Britanni sociis passim evocatis majores contraxerunt copias,

Cassivellaunus Britannorum Imperator. Plutarch. Cæsare. 34.

Pax Cassivellauni cum Cæsare.

summæque rerum Cassivellaunum præfecerunt; cujus inter Regulos præcipua virtus ac potentia erat. Cum his crebra prœlia facta, nullo ad summam belli profectu, Britannorum tamen exercitus, revocantibus auxilia sua civitatibus dispaлruit, quærendumque Cæsari bellum fuit.

Tamesin transit Cæsar. Diod. Polyæ. Strat. lib. 8.

LXVII. Idcirco ad flumen Tamesin, ubi Cassivellauni fines erant, exercitus ductus est. Trans amnem hostium magnæ copiæ consederant, munita præacutis sudibus ripa; & aliis in ipso alveo ita defixis, ut aqua tegerentur. Sed perruptis obstantibus omnibus virtus Romana patefecit viam: tanto ardore militum, ut licet solis capitibus exstarent, tamen nec flumine, nec sudibus, nec telis hostium terreri aut retardari possent. Fertur & alia, nec absurda fabula, perculsos adspectu elephanti Britannos equosque eorum fugisse: quod belluam unam secum transportaverit Cæsar, eamque in flumine constituerit, armatis è turri, quam dorso elephantus portabat, tela spargentibus.

Pacem dat Cassivellauno Diodorus. Cæsar. Strab. lib. 4. Flor. 3. c. 18. Tacit. Agric. 13.

LXVIII. Cassivellaunus adverso prelio, deinde Trinobantium defectione territus, quos statim Cenimani, Segontiaci, aliique nonnullę nationes imitati sunt, copia pugnandi minime facta, in oppida sua se recepit. Oppida Britanni tum vocabant, quum sylvas impeditas vallo atque fossa munivissent. Ibi dejectis arboribus, tuguria sibi, & pecori stabula ponebant ad usum exigui temporis. Interea quatuor ex Cantio Reguli, Cassivellauni nunciis exciti, castra Cęsaris navalia de improviso adoriuntur. His strenue occursum à Romanis, qui ibi prœerant; subitaque eruptione magna cum clade rejectus hostis: dux quoque nobilis Lugotorix captus est. Hæc tot adversa (nam & munitissimum interea oppidum amiserat) perpulerunt Cassivellaunum, ut per Comium Atrebatem legatos ad Cæsarem de pace mitteret. Cæsar, qui propter repentinos Galliæ motus in continenti hiemare constituerat, magna hostium multitudine interfecta, parte aliqua insulę, qua litus adtingit, accepta in deditionem, satis pensatum expeditionis laborem ratus, haud gravatim pacem dedit: obsidibus imperatis, adjectoque *ne quid Cassivellaunus Trinobantibus noceret*. Præsidium imponi feris gentibus, & Oceano divulsis, metus amittendorum militum prohibuit: tributa, si non essent per quos exigerentur, jubere vanum erat: igitur his abstinere Cæsar maluit, modico vectigali contentus, quum & merces minimę preciosæ essent, quę inter Gallos ac Britannos permutabantur.

Diodor. 5. 21. Strab. lib. 4. & ibi Casaub.

FINIS LIBRI CV.

JOH.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CVI. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.

JULIA Cæſaris filia, Pompeii uxor, deceſſit: honoſque ei à populo habitus eſt, ut in campo Martio ſepeliretur. Gallorum aliquot populi, Ambiorige duce Eburonum, defecerunt: à quibus Cotta & Titurius legati Cæſaris circumventi inſidiis, cum exercitu, cui præerant, cæſi ſunt. & quum aliarum quoq; legionum caſtra oppugnata magno labore defenſa eſſent, interque eos, qui in Treviris præerat, Q. Cicero; ab ipſo Cæſare hoſte prælio fuſi ſunt. M. Craſſus bellum Parthis illaturus, Euphratem fluvium tranſiit, victuſque prælio, in quo & filius ejus cecidit, quum reliquias exercitus in collem recepiſſet, evocatus in colloquium ab hoſtibus, velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehenſus; & ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus eſt.

RERUM ita geſtarum gloria, & perpetua indulgentia fortunæ (namque tot navigationibus, nullam omnino navem quæ milites portaret, amiſerat) exſultantem Cæſaris animum luctu repleverunt Urbanæ literæ, nunciato Juliæ obitu, quam Pompeio Magno collocaverat. Obierat ex partu. moxque duplicatus eſt dolor, decedente puella, quam enixa fuerat. Corpus matronæ quum in foro propoſitum eſſet; poſt funebrem laudationem rapuit populus, & in Campo Martio ſepelivit, Tribunis incitantibus, qui ad hoc ab amicis Cæſaris atque Pompeii conducti fuerant; aut ſponte captabant hac adulatione præpotentium virorum gratiam.

Juliæ mors. Cæſar. Plutarch. Cic. ad Q. Fratr. 2. 1:

II. L. Domitius reclamabat, *in locum ſacrum inferri mortuum nefas eſſe dictitans*: neque tamen ratio valuit apud occupatos affectibus; & Conſulis auctoritatem pro nihilo haberi translatitium erat. Sed prudentiores, & quibus aliqua publicæ aut etiam ſuæ rei cura erat, gravis inceſſit metus, fore, ut hoc inter duos ſublato concordiæ pignore, ambitio æmulorum civilibus armis collidatur. Nec fraudandus virtutis & gravitatis ſuæ laude Cæſar, qui intra tertium diem, quam hæc nunciata erant, ad imperatoria munia rediit.

Et ſepultura. Liv. Epitom. Appian. lib. 2. Civil. Vellei. 2. 47. 1.

III. Inter hæc A. Gabinii cauſſa, vario & pudendo judiciorum eventu agitabatur. Ille periculi ſui non ignarus, quum magnam vim auri ad conciliandos ſibi homines præmiſiſſet, exeunte Septembri noctu introivit in Urbem; paucoſque poſt dies à C. Memmio Tribuno plebis ad populum acriter eſt accuſatus. Quum damnaretur reus, Siſenna Gabinii filius ad pedes Memmii procubuit, pro patre deprecabundus. Eum Memmius truci vultu averſatus, aliquamdiu humi jacere ſivit. Hæc ſpecies, & quod excuſſus è manu adoleſcentis annulus viſebatur, ita mutavit animos, ut approbantibus cunctis à Tribuno

Gabinii judicium. Diod. lib. 39. Lucanus 1. Val. Maxim. 4. 6. 4:

Repetundarum damnatur Gabinius.

plebis Lælio Gabinius dimitteretur. Postea quoque tanta in judicibus rogandis contentio Cn. Pompeii fuit, Cæsaris eam amicis enixe opitulanlibus, ut à L. Lentulo Flaminis filio, apud C. Alfium Prætorem majestatis postulatus Gabinius, summo dedecore judicum absolveretur.

Exundatio Tiberis. Senec. consol. ad Marciam 14. 4. Val. Maxim. 8. 1. 13.

IV. Permoleste rem eam populus tulit: adeo pridem concitatus, ut parum abfuerit, quin ipso in judicio discerperet reum: & inter diribendas tabellas judicibus ipsis mortem minaretur. Igitur frustra obnitente Pompeio, Sibyllinum carmen denuo in vulgari pervicerunt: & sub idem tempus fortuita res, sed velut ex compacto in illum temporum articulum veniens, tam valide commovit homines, ut licet nulla statuta in libris pœna fuerat, atrocissimo supplicio Gabinius voluntate singulorum & Senatus destinaretur. Forte sub eosdem dies Romæ, & maxime Appia ad Martis mira proluvies, exundante Tiberi fluvio, & usque ad piscinam publicam magna vis aquæ fuit: oppletisque partibus inferioribus omnibus, ne editiora quidem intentata fluctibus manserunt.

Gabinius damnatur. Cic. ad Q. Fratr. 3. 3. & 4. Diodorus.

V. Magna ædificiorum strages sequuta, quæ lateritia quum essent, vi aquarum solvebantur: ingens jumentorum numerus, homines quoque multi suffocati aquis aut oppressi ruina perierunt. Hæc omnia infensi ad iram deorum referebant, spretas religiones vindicantium. Igitur ad M. Catonis tribunal, qui de repetundis judicabat, adduxerunt reum, minus jam timentem, quia maximam adversariorum tempestatem incolumis pertulerat. Sed à judicibus, qui & populum timebant, & à reo acceperant nihil, condemnatus, solum vertit. Erant enim tanta ejus tamque manifesta crimina, populique indignationem ita vehementem commoverat, ut nullis præsidiis, quum habere videretur longe firmissima, servari posset.

Frustra ei patrocinante Pompeio. Cic. ad Q. Fratr. 3. 7. Diodorus.

VI. Pompejus, qui rei frumentariæ caussa in Italia erat, quum ad primum judicium Gabinii occurrere studuisset, sub eosdem dies, quibus repetundarum postulatus fuerat, ad Urbem venit: nihilque ad summam diligentiam fecit reliquum, quo nocentem eriperet. Ideoque & Ciceronem, non sine probro utriusque, permovit, ut in quem priore judicio testimonium acriter dixerat, eum nunc defenderet. ipse, quia proconsulare imperium habenti Urbem ingredi non licebat, evocato populo verba pro Gabinio accurate fecit, Cæsaris etiam recitatis epistolis, quibus salutem Gabinii enixe commendaverat.

Scaurus absolvitur. Pedian. in Scaur. Diodorus. Marcel. 22. 38. Cic. ad Attic. 4. 16.

VII. Eodem ferme tempore pro M. Scauro felicius inter alios patronos Cicero dixit. Postulatus & iste repetundarum fuerat ex Sardinia, C. Triario C. F. accusante. Caussa hominis tam erat perdita, ut accusator diceret, *leges sibi centum atque viginti hominibus denunciare testimonium licere, se vero non recusare, quominus absolvatur reus, si totidem nominasset, quibus in provincia nihil abstulisset*. Tam bona conditione quum reus uti non posset, tamen propter favorem splendidæ Ædilitatis, & patris Scauri memoriam, frequentibus suffragiis est absolutus. Hæc judicia, quum calido adhuc anni tempore agerentur, M. Cato sine calceis & tunica exercuit, campestri sub toga prætexta cinctus.

Cato ambitum reprimere studens. Plutarch. Catone c. 63. Val. Maxim. 3. 6. 7.

VIII. Id alii tamquam sordidum & indignum majestate jus dicentis accusabant: aliis repetitum ex vetustate exemplum placebat: quod eodem habitu in Capitolio & Rostris antiquorum statuæ visebantur. Sed Cato talibus & reprehensionibus & laudibus superior, tantum de Republica die, noctesque cogitabat.

Ambitus, & nundinationes magistratuum ad extremum impudentiæ processerant: quum positis in medio mensis palam largitiones fierent, & à mercenaria plebecula honores emerentur. Igitur auctore Catone Senatusconsultum factum, *ut designati magistratus, quibus accusator nullus esset, ultro se offerrent juratis judicibus, rationemque adepti honoris redderent.*

IX. Magnus inde timor candidatorum: dolor incredibilis forensis turbæ, quæ vitiis Reipublicæ pasci solita, si res ad bonos mores rediisset, sibi jejunium indici cernebat. Idcirco postridie prodeuntem ad tribunal Catonem promiscua multitudo conviciis, mox etiam lapidibus appetivit: ut diffugientibus qui eum deducebant, vehementer contusus atque jactatus vix in Rostra penetraret. Inde conversus ad turbam, constantia vultus illico seditionem clamoremque compressit: mox apta tempori oratione sic disseruit de præsentibus, ut tumultus omnis semel conquiesceret. Legi tamen quum à Consulibus ex Senatusconsulto ferretur, ne ipsis quidem nolentibus intercessum est. Male tractatur à populo. Cic. ad Attic. 4.14. & ad Q. Fratr. 2. 14.

X. Nec ideo minus Tribunicii candidati depositis apud M. Catonem quingenis sestertiis, compromiserunt *petere magistratum legitime: qui contra fecisset arbitratu Catonis condemnaretur, depositamque pecuniam perderet.* Unum ex eo numero quum Cato damnasset, competitoribusque pecuniam jussisset solvere, illi judicio Catonis contenti, pecuniam damnato remiserunt. Ea res ut illustrem Catoni gloriam, ita acerbissimam invidiam attulit, quod unus plus omnibus & legibus & judiciis valuisse videretur. Exclamasse tum Ciceronem ferunt, *ò te felicem M. Porci, à quo rem improbam petere nemo audet!* Sed eximie honoratur à bonis. Lucanus 2. Petron. carmi. Plutarch. Catone. Cic. Attic. 4. 15

XI. Cæterum Cato adversus tantam vim perditorum hominum plerumque frustra luctabatur, multique ejus conatus in irritum cadebant: quemadmodum & in C. Pontinio, quem *se vivo triumphaturum* Cato negaverat. Nam ille supra triennium post devictos Allobrogas ad Urbem hærebat triumphum postulans: donec Ser. Sulpicius Galba Prætor, qui legatus in Gallia Pontinio fuerat, de imperio ejus ad populum sub ipsam auroram tulit, quum ante oram primam agi cum populo non soleret. Igitur Cato & P. Servilius Prætores, cum Tribuno plebis Q. Mucio Scævola, prohibere triumphum conabantur, quem ante diem III. Non. Novembr. erat ducturus, fuitque non levis ea die contentio, ut etiam ad cædes perveniretur. Pontinii tamen triumphum impedire non potest. Cic ad Q. fratr. 3. 14. Plutarch.

XII. Sed plerosque Prætorum atque Tribunorum secum Pontinius habebat, & Consulem Appium: a quo insigniter adjutus, nequidquam tumultuantibus adversariis, Urbem triumphans iniit. Maiores in eadem Gallia res iisdem temporibus C. Cæsar gerebat, Eburonum rebellione excitus, qui nunciis Indutiomari Treviri impellentibus, duce Ambiorige L. Aurunculejum Cottam, Q. Titurium Sabinum legatos Cæsaris cum cohortibus occiderunt. Id infortunium culpa atque temeritate Q. Titurii accidit: quo impellente castra feliciter defensa reliquerunt milites, ad proxima suorum hiberna transituri. Ambiorix Romanos cædit. Plin. præfat. hist. natur. c. 13.

XIII. Nam fraudulento hostis consilio crediderunt, *amicum se ferentis, neque sponte ad oppugnanda castra profectum; sed quia Gallorum omnium ea esset conspiratio, cui ipse non posset resistere.* inveniebatque fidem ex eo, quod contempta & ignobilis Eburonum civitas, nihil per se attentatura videbatur, nisi plurium & opulentiorum fiducia armaretur. Ambiorix hac victoria multoque auro ex di- Alios oppugnat. Cic. Attic. 4. 16. Diodorus. Cicero.

castrorum potitus, statim cum equitatu in Atuaticos, deinde in Nervios pervenit, ubi legionis unius hiberna erant. Ad hæc expugnanda omnes hi populi, aliis quoque vicinis adjectis, magna cum multitudine armatorum accesserunt.

Quibus succurrit Cæsar. Cic. ad Q. fratr. 3. 4. Diodorus.

XIV. Hibernis Q. Cicero præerat, neque dum audito Titurii casu vacuus curis. Itaque milites nonnulli, quos lignationis munitionisque caussa in sylvas dimiserat, subito hostium adventu sunt excepti. Hinc castrorum per complures dies continuata oppugnatio: sed summa virtute Ciceronis & militum hostes repulsi. donec Verticonis Nervii fideli opera (nam is servo suo magnis præmiis persuaserat, ut literas perferret) Cæsar præsentibus rebus cognitis, succurrere periclitantibus potuit. Is igitur solita celeritate cum legionibus duabus; quia Babienum Treviri cum omnibus copiis ad ejus hiberna profecti retinebant, in Nervios contendit, adventumque suum Ciceroni Græca epistola, ne intercepta intelligeretur ab hostibus nunciat. eam Gallus quidam eques, per popularium castra sine suspicione transgressus, alligatam tragulæ intra vallum misit.

Cic. Famil. 3. 10.

Et Ambiorigem vincit. Cæsar de Bello Gallico 5. 26.

XV. Galli Cæsaris adventu per exploratores cognito, relicta obsidione, cum omnibus copiis, hominum millibus ferme sexaginta, obviam procedunt. Romanus viribus impar, consilio potior, ut hostem in contemptum sui adduceret, castra per se propter paucitatem armatorum exigua, etiam de industria contrahit. Ea simulatio timoris decepit Gallos, ut tamquam ad facilem prædam, in locum iniquum succederent castra oppugnaturi: mox, erumpente portis omnibus Romano exercitu, tamquam subito casu attoniti, majore consternatine percellerentur, quam paulo ante fiducia exsultaverant. Magnus primo impetu interfectus est numerus, cæteri armis abjectis fugerunt.

M. Crassus in Parthos bello petit. Liv. Epitom. Orosius 6. 10. Plutarch. Cæsar. cap. 35.

XVI. Victoriæ rumor incredibili celeritate perlatus in Rhemos, Indutiomarum qui postero die castra Labieni oppugnare constituerat, ita perterrefecit, ut eadem nocte profugeret. At longe diversa in simili proposito fortuna M. Crasso fuit. Is quoque Cæsaris æmulatione magni ducis nomen potentiamque bellis ferendis aucupari certus, postquam pacatam Syriam videt, arma Parthis, licet neque caussa esset belli, neque Senatus auctor exstitisset, inferre cœpit. Sed neque alia ei suppetebant ad Cæsarianæ indolis modum, & homo major annis sexaginta, nihil satis ad tanta negotia vegetum, præter cupiditatem adferebat: idque nuper ducenti per Gallogræciam urbane exprobratum à Rege Dejotaro fuerat.

Dejotari dictum. Florus 3. 10. 18. Plutarch. Cæsar. Diodorus:

XVII. Hunc Crassus exacta jam ætate condentem oppidum quum offendisset, *duodecima*, inquit, *hora ædificas, Dejotare*. Tum ille, *ne tu quidem Imperator satis matutinus surrexisti in Parthos*. Sed ille sitiens auri, quo Parthos abundare intelligebat, & novum Regem, nec sine turbis in solium Arsacidarum enisum superatu facilem figurans, ponte junxit Euphraten, transgressusque læta belli initia habuit, quia Parthi adversus improvisam irruptionem parum providerant. Occurrit tamen ad Ichnas (id castello nomen est) cum paucis equitibus unus ex purpuratis Silaces, victusque prorsus contendit ad Regem, præsentia nunciaturus.

Crassus diripit Mesopotamiam. Diodorus. Cæsar. Plutarch.

XVIII. Interim Crassus impune diripiebat Mesopotamiam, civitatesque & castella in deditionem accipiebat, lubenter deficientibus Græcis, quorum ibi frequentes colonias Magnus Alexander, & postea successores ejus constituerant. Illi Parthorum imperium gravati, quorum dominos fuisse majores suos audierant, auspicia Romanorum, apud quos in precio Græcos esse norant, haud

gravatim sequebantur. Zenodotium tamen, cujus tyrannus erat Apollonius (Osrhoënæ ea civitas fuit; Osrhoëna porro præfectura Mesopotamiæ) quum accivisset præsidium Romanorum, centum milites occidit, & ob eam noxam direptum est; oppidani sub hasta venditi: Crassus Imperator appellatus. Is ob res tam exiguas cupide acceptus honor, valde existimationē ejus imminuit, quasi desperatione majorum ex levium gestorū successu summos adipisci honores properaret.

XIX. Nec enim quidquam præterea cruentum aut hostile tota ea expeditio habuit: sponte ad eum deficientibus multis. Neque dubitabatur, quin magnum operæ pretium fecisset, si eodem impetu inter terrorem Barbarorum ad Babylonem & Seleuciam, urbes nunquam diuturna fide pacatas Parthis, signa Romana promovisset. Sed ille contentus sponte oblatis, ne illa quidem tueri pro magnitudine periculi curæ habuit. Septem millibus peditum, equitibus mille per præsidia distributis, recessit in Syriam, spatiumque dedit hosti comparandi sese, & recuperandi amissa. Recedit in Syriam. Frontinus. Strateg. 3. 17. Orosius.

XX. Ne armis quidem parandis aut exercendo milite consumpsit hibernorum tempus; sed pecuniæ cogendæ intentus, imperabat auxilia, quæ mox pretio remitteret, civitatumque reditus, & donaria templorum computabat. Hierosolymis etiam auream trabem ex templo sustulit, Eleazaro dante, ne quid præterea de sacro thesauro tolleret. At Crasso potior pecunia fide jurisque jurandi religione fuit. Igitur & duo millia talentorum, quæ Pompejus reliquerat, & quidquid præterea auri inventum in fano est, detraxit. In cava Syria urbs fuit multis nominibus, nam & Bambycen & Edessam appellant; & ab Syris Magog, à Græcis propter celebritatem delubri Hierapolis vocabatur. Deam Syriam ibi colebant prodigiosa forma. superne mulier, inferiore parte corporis in piscem desinebat. *Derceto* aut *Atergatis* vocabatur. Securus de bello pecuniæ intentus. Plutarchus. Crasso c. 31.

XXI. *Semiramidis matrem fuisse* quidam fabulantur. Græci *Venerem eo nomine, aut Junonem*, pars *Naturam coli* putabant. In antiquissimis Hebræorum libris *Dagon* est, piscem significante vocabulo. In hujus æde Crasso factum omen ferunt appropinquantis interitus. Erat cum eo Publius filius, qui nuper à Cæsare lectos equites mille adduxerat, donis militaribus propter virtutem ab eo multis honoratus. Quum exirent fano, primum ad fores impegit adolescens, mox pater super corpus jacentis provolutus est. Nec omen tantum mortis ea ædes Crasso, sed etiam caussam dedisse videtur: quod hac maxime injuria credibile est commotum Edessæ principem Abgarum, exitiali Romanis legionibus proditione, consilia cum Parthis sociasse. Derceto Edessæ culta. Notit. Imp. Orient. c. 168. Diodorus. Plutarch. Appian. Orosius. 6. 13.

XXII. Idem annus crebras illustrium virorum accusationes habuit, & præter memoratos antea, M. Cælius apud Cn. Domitium, C. Messius apud P. Servilium Prætores, itemque Drusus & Vatinius à Cicerone defensi sunt. Præterea C. Cato, Sex. Sufenas qui in Tribunatu sublatis comitiis magnas turbas dederat, A. D. Non. Quinctiles, favore triumvirorum absoluti sunt. L. Procilium, qui patremfamilias domi suæ occiderat, quum multi absolverent, paucis suffragiis major pars judicum condemnavit. Sed hic ludus & jocus erat præ judiciis, quæ ad summum impudentiæ provectus ambitus pepererat. Candidati Consulatus quatuor fuerunt, totidem ambitus sunt postulati. Crebræ accusationes Romæ. Joseph. antiq. 14. 12. Plin. 5. 23. Hegesip. 21. Strab. lib. 15.

XXIII. C. Memmius Cn. Domitium, C. Memmium Q. Curtius res fece- Præsertim propter ambitus.

Diod. a. 4. Plutarch. Appianus.

rant, à Q. Pompejo M. Messalla, à C. Triario vetere inimico M. Scaurus accusabantur. Consules quoque flagrabant invidia, quod turpissimam cum Memmio ac Domitio pactionem fecerant, *ut ambo sestertia quadringena Consulibus darent, si essent ipsi Consules facti.* Dederant operam Consules, ut quam primum Comitia haberi Senatus decerneret. Sed Comitiorum singuli dies quotidianis obnunciationibus tollebantur. Sub finem hujus anni, quum peregrinas religiones invalescere Senatus comperisset; *uti fana Serapidis Isidisque à privatis in Urbe facta diruerentur*, decrevit.

Interregnum. Cic. ad Q. fratr. 3. 11. ad Attic. 4. 15. Ep. Fam. 1. 9.

XXIV. Inter hæc exacto Consulum magistratu, neque designatis dum aliis, res ad interregnum rediit. Sex & triginta interreges fuerunt, continuatis ad septenum usque mensem interregnis. Per tantum igitur spatium neque Consules Romæ, neque Prætores ulli fuerunt. Auspiciorum enim & ostentorum intervenerant moræ. bubones lupique in Urbe visi, canum ululatus flebiles auditi erant: simulachrum Martis sudaverat: fulmen tota Urbe pervagatum signa deorum tetigerat, homines permultos exanimarat. Sed hæc quidem portenta quibus aut terris aut hominibus minarentur, ambiguum multiplex terror faciebat.

Tribunorum plebis contumacia. Cic. ad Q. Fratr. Cic. ad Attic.

XXV. Nam & in Urbe turbatum erat, & Gallia rebellabat, & cum Parthis ignorante Populo Romano bellum exstiterat; sed quæ objecta Crasso Euphratem transeunti mox memorabimus, ipsi exercituique haud dubium interitum portenderunt. Hæc ergo quum impedimenta Comitiis objicerentur, longe majus atque difficilius Tribunorum plebis contumacia adferebat. Illi enim præcipue turbis his delectabantur, per quas multis se rebus ad suum officium non pertinentibus ingerebant, quum alii magistratus nulli essent, adeo ut ludos quoque facerent Prætorum loco, quorum Comitia priusquam Consules essent creati, haberi non poterant.

Legatio Parthorum ad Crassum. Cic. ad Q. Fratr. 3. 3.

XXVI. Sed offensus hac audacia Senatus Q. Pompejum Rufum Tribunum plebis, quamquam Dictatoris Sullæ nepotem, in carcerem duci jussit: eadem pœna & aliis turbatoribus præstituta, Pompejoque Magno tradita ejus rei potestate. Sed Rufus, uti socium ejus ignominiæ haberet, paulo post M. Favonium Ædilem plebis in carcerem conjecit, M. Catonis unicum admiratorem, & ejus contentissimo studio Ædilitatem adeptum. Inter hæc moventem ex hibernis Crassum legati Regis Orodis adierant, cum his mandatis: *siquidem jussu Senatus Populiq; Romani arma intulisset, nullum finem bello nisi internecione partis alterutrius fore: sin vero privato consilio Crassus ea fecisset, misereri senectutis ejus Magnum Regē, & percussorum cum Sulla, Lucullo, Pompejoque fœderum memorem, milites Romanos, potius in captivitate sint apud Mesopotamiam, quam in præsidio remissurum.*

Diod. lib. 40.

Crassi responsum. Cic. Famil. 7. 11. Jul. Obseq. cap. 2.

XXVII. Crassus ad hæc *Seleuciæ se responsurum esse* quum diceret, arridens Vagises, is legatorum erat ætate maximus, volamque sinistræ manus percutiens dextra, *prius hic*, inquit, *pili nascentur Crasse, quam tu Seleuciam videas.* Hæc ubi renunciata Partho sunt, Surenam præfectum ad recipiendas Mesopotamiæ civitates misit; ipse in Armeniam signa illaturus, ne Tigranis filius Artabazes ad opem Romanis ferendam vacuus esset. Is enim ad Crassum cum sex equitum millibus venerat, *alia decem millia cataphractorum equitum; & triginta peditum millia stipendiumque in has copias* pollicitus. Hæc res mirifice excitavit Crassum, sponte festinantem, & diversa suadentibus iniquum.

Crassus festinat ad bellū.

XXXII. Quod enim quidam ex Mesopotamia milites per magna pericula reversi, vim Parthorum experti nunciabant, *Cataphractorum omnia perrumpentem*

molem, levis equitatus inevitabilia tela, inopinatos superventus, & nocentiorem prælio fugam, nulla humana ope sustineri; quidam tribunorum præfectorumque & cum his C. Cassius Longinus Quæstor, is qui paucos post annos occiso Cæsare magnam, sed antiquam famam nactus est, *de integro consultandum de præsentibus* censebant. Nam exercitum his sermonibus percelli animadverterant: & aruspices semper tristia exta nunciabant. Sed festinabat ad interitum Crassus: repudiatoque Artabazis consilio, qui per Armeniæ colles ducere jusserat, necessaria ex Regno suo affatim præbiturus, in Mesopotamiam duxit. Diodorus. Cic. pro Milone.

XXIX. Ad Euphratem Zeugma est oppidum, ex eo appellatum, quod ibi bello Persico pontem Magnus Alexander struxerat. nam quod alii de patre Libero narrant, fabulam puto. Ibi transducente exercitum Crasso, *aquilam quæ prima sublata ab aquilifero erat, sponte fuisse conversam in contrariam, ac ferebatur, partem* ajunt: *aliam vix convelli potuisse, tamquam adnata terræ foret*. Aureum aquilæ simulachrum legionis Romanæ signum erat. id inter proficiscendum exiguo velut sacello inclusum hastæ imponebatur in acutam cuspidem desinenti, ut in solum defigi posset. Talis tum mucro tam contumaciter hæsit humi, ut vix multorum simul nisu evelleretur. Malis ominibus. Plutarch. Catone c. 97.

XXX. Præterea signum militare, quod inscriptam puniceis literis exercitus Imperatorisque notitiam habebat, signifero ereptum in Euphratem projecit ventus. Quo viso Crassus cætera ejus magnitudinis, vela enim fere æquabant, præcidi jussit, ut minus obnoxia turbinibus essent. Proficiscentibus per pontem, crebra & atrocia fulgura, cum ingenti fragore cæli, inter densam nimborum caliginem in adversa militum ora micuerunt: ut inter se trudentes ruentesque vix in hostilem terram eniterentur. & unus equorum Imperatoris insigniter ornatus cum agasone gurgite haustus disparuit. locus ubi castra metaturi erant, bis de cælo tactus est. Euphratem ponte transgreditur. Plutarch. Crasso c. 33.

XXXI. Et priusquam omnes transirent, pontis partem magnam repens procella perfregit. Nihil cæterorum tam terruit milites, reditum enim sibi apertissime præcisum interpretabantur. Igitur Crassus ut consolaretur trepidantes advocata concione, *Definite*, inquit, *turbari milites. Nihil hic casus triste præsagit, nec enim hac, sed per Armeniam, juratus dico, reducere copias decreveram.* Quum sub hæc erecti paulisper animi essent, validius statim, quam umquam antea perculsi sunt voce, quam adjecit Imperator: *hac*, ait, *nostrum nemo revertetur.* Neque curavit Crassus, re animadversa, corrigere dictum, aut interpretatione lenire: unde nec cætera ejus verba pondus ullum habuerunt, quum elevaret barbarorum potentiam, præmiaque alia promitteret, alia repræsentaret. Terret milites omnes à voce. Florus. 3. 11. Orosius. 6. 13. Diodorus.

XXXII. Tum quoque nequidquam occurreret terrore vacuum, qui exercitui cibaria dividebant, lentes & salem prima præbuerunt; quæ feralia sunt apud Romanos, & vita functis apponuntur. Interea sacrificio apparato, quum exta porrigerentur, elapsa sunt Imperatoris manibus: atque ille consternari cernens qui aderant, *sunt hæc*, inquit, *senectutis incommoda: cæterum arma haudquaquam excident manibus.* Postquam ita superatus est Euphrates, proxima, qua iretur, deliberatio fuit: Cassio & prudentissimo cuique videbatur, *non esse nisi explorato proficiscendum; interim in aliqua urbium, quas præsidiis teneret, refici exercitum posse: aut certe juxta ripam Euphratis pergendum Seleuciam. A flumine & com-* Salutare consilium Crassi. Plutarch. Appian. Parth.

meatuum copiam, & ne circumiri ab hostibus possent, munimentum tergo fore. Seleuciam ob Græcos incolas haud difficulter accessuram ad partes, inde penetrari ad Ctesiphontem (ea tum Parthorum Regia erat) *posse*.

Crassus neglegit. Appianus. Plin. 14-15. Diodorus. Pausan. lib. 10.

XXXIII. Salutare consilium, quum Imperatori non displiceret, dolus ac perfidia Osrhoëni hominis irritum fecit. Sicut inter arma potentiorum, qui sunt intercepti, solicitam semper vitam degunt; & quo se continuis periculis evolvant, eumdem perpetuo cursum consiliorum retinere non possunt; sed velut in maritima tempestate fluctibus ventisque obsequuntur: parvorum quorumdam populorum principes, inter quos præcipui Abgarus Osrhoënus, & Alchaudonius Arabs, Pompejana expeditione in amicitiam recepti, digressis Romanis ad Parthos redierant. Sed Arabis, quia professus hostem erat, levior injuria fuit.

Abgarus Crassi proditor. Sex. Ruf. c. 16. Plutarch. Appianus. Val. Maxim. 4. 6. 11.

XXXIV. Abgarus amicitia simulata pestilentior, quum Parthis studeret, Crasso adduxit auxilia, & pecuniam, quo ille visco facillime capiebatur, liberaliter dedit: quibus rebus quum ita se insinuasset, ut consilia de summa rerum cum eo communicarentur; homo astutus nec infacundus, *Miror*, inquit, *Imperator, quod hoc tam & numeroso & firmo exercitu instructus, apparare adhuc victoriam, quam rapere mavis. Hostes fugæ quam prælio paratiores, nisi maturas, jam in Hyrcanos aut Scythas pretiosissima rerum suarum & corporum transtulerint, tibi solitudinem relicturi. Quod si cessando speciem timentis præbueris, resument animos, & mox cum tota mole virium Rex aderit; qui nunc anxius metu, non quasi pares vobis Surenam & Sillacem objecit, sed ut ab insequendo vos remorentur, donec ille res suas in tutiorem reposuerint statum*.

Exitiosum in homini consilium suggerit. Diodor. Jul. Obseq. Florus. Plutarch.

XXXV. Credidit homini Crassus, quod amicum & fidum putabat; confirmatusque est in errore, postquam longe lateque neminem hominem usquam, sed tantum equorum aversa vestigia apparere exploratores nunciarunt: eaque res militi restituit animum, fidentioremque, tamquam fugientibus Parthis, fecit. Primum iter, relicto amne, per campos virentes pergentibus, satis amœnum atque facile fuit. mox excepit arida & nuda planicies, militemque cum siti & arena luctantem ipse quoque locorum adspectus horrore perfudit, quum in vasta solitudine, quam terminare visu nequibant, nihil terra gignentium, non herba, non stirps ulla virens, nusquam aut rivus aquæ, aut montis supercilium appareret.

Artabazes Crassum frustra monet. Plutarch. Diodorus. Appianus. Flor. 3. 11. 7.

XXXVI. Id quum per se suspectum plerisque fieret, supervenerunt ab Armenio Rege nuncii, excusante *non missa auxilia, quod in suum Regnum Parthus Orodes irrupisset*. Suadebat autem ut *ad se veniret Crassus, conjunctisque secum copiis propelleret hostem: aut si aliter videretur, saltem edita sectaretur loca, neque in patentibus campis equitatui Parthico statarium militem exponeret*. Crassus ad hæc cum stomacho respondit, *in præsentia non vacare ut cogitet de Armenia, postea tamen venturum, ut proditionis ab Artabaze expetat pœnas*. Hæc tam sinistre cogitata consultaque moverunt iterum Cassio bilem. Sed quia libertate sua Crassum offenderat, ultra monere non ausus, Abgarum increpavit. *quis te*, ait, *pessime mortalium malus ad nos perduxit genius, ut Crassum fascinares, ipsumque & exercitum perderes*?

Abgarus ad Parthos proficiscitur. Diodor. Plutarch. Appian.

XXXVII. At ille blande castigata juvenis vehementia, *durare paulisper jubebat, in salute communi mox agniturum innocentiam ejus, quem nunc tanti sceleris suspectum haberet*. Milites etiam itineris molestia gravatos sublevabat, simul quasi per jocum deridens, tamquam *homines adsueti mollibus Campaniæ diversoriis*,

easdem

easdem delicias in finibus Assyriorum desiderarent. Sed postquam ad exitium Crassi omnia mature sunt disposita, nam Abgarus per speciem explorandi sæpe cum Surena congrediebatur; Crasso *Parthos in propinquo esse cum modicis copiis* persuasit, *seque ire ut aliquid ipsis noxæ & perturbationis inferret*.

XXXVIII. *Eo die pullum paludamentum datum esse Crasso* tradunt, *quum album aut purpureum in prælium exeuntibus dari soleret*. Sed id mutavit Crassus irridensque eos, qui *signa convelli vix posse* nunciabant, cum magna festinatione processit. Occurrerunt ibi pauci speculatores, *occisosque sodales suos, hostium immensam multitudinem adesse* retulerunt. Ibi Crassus instruxit aciem, primum ex Cassii consilio productis, ne circumvenirentur ordinibus: deinde mutavit contraxitque in quadratum, duodenis ad unumquodque latus collocatis cohortibus. Legiones enim Romanas septem, neque pauciores sociorum cohortes habebat: equitum & levis armaturæ ad quaterna millia. quæ & ipsa distribuit, ut singulis cohortibus gravis armaturæ alam equitum adderet.

Crassus instruit aciem. Plutarch. Appian. S. Rufus cap. 17.

XXXIX. Quum ita ordinata acie, Cassius alterum cornu alterum P. Crassus Imperatoris filius, imperator ipse medium agmen duceret; ad modicum flumen *Balisso* nomen erat, perventum. Ibi raptim ex siti recreatus exercitus, festinante Crasso, in conspectum hostium magno gradu adductus est. Illi maxima copiarum parte post primam aciem abscondita (& erat locus inæqualis, tegendis insidiis arborum objectu aptus) neque numero formidabilem, neque specie magnum obiecerunt: nam ex præcepto Surenæ rutilantia arma pellibus & tunicis obtexerant. Sed dissimulata primum, deinde subito ostensa exercitus armorumque moles majorem ex improviso terrorem injecit Romanis.

Parthi se ostendunt.

XL. Jam primum horribili strepitu sunt exterriti. nec enim tubis aut cornibus pugnam accendunt Parthi, sed tympana simul multis locis pulsantes, velut ululatu belluarum, & tonitru mistum mugitum cient. dein rejectis integumentis galeæ loricæque ex Margiano ferro fulserunt. ipsi etiam equi ferreis æneisve squamis muniti formidabilem obtulerunt speciem visentibus. Inter eos Surenas proceritate cultuque conspicuus exsultabat: acer idem bellator, & propius Medicum luxum fucatus comptusque. nam cæteri Parthi tum etiam Scythico more Germanoque crinibus ad verticem reflexis, in altitudinem comabantur.

Cum magno strepitu, & horribili specie. Plutarch. Appianus.

XLI. Parthi primum ordines infestis contis perturbare nisi, postquam eorum viderunt firmitudinem, momento dilapsi, priusquam Romani animadverterent, illorum aciem circumdederunt, emissamque a Crasso levem armaturam grandine telorum obrutam repulerunt ad suorum agmen, idque initium pavoris legionibus fuit: quum aculei sagittarum pari violentia per armatas corporum partes, ac per nudas adacti cernerentur. At Parthi diductis ordinibus, amplexi Romanam aciem, sagittas eminus mittebant in confertos atque ita densatos, ut vix ullum cadere sine noxa telum posset, etiamsi de industria aberrare voluissent. Adfligebat Romanos anceps malum, quod & stantes impune vulnerabantur, & si qui procurrerent, neque attingere poterant velocissimum hostem, & à Parthis inter fugiendum, nihilominus tela spargentibus, ut mos erat genti, nihilo mitius petebantur.

Pugna conseritur. Plutarch. Appian. Diodorus.

XLII. Hunc tam gravem casum una hac spe solabantur, fore ut exhaustis Parthorum pharetris, ea sagittarum tempestas cesset: at ubi multos illis camelos

P. Crassi virtus. Val. Maxim. 3. 16. 11.

præsto esse telis onustos cognitum est, Crassus majore metu perculsus, filio per nuncios mandat, *ut priusquam circumiretur, manum conserere properet*. Adolescens præter equites mille, quos adduxerat è Gallia, trecentis aliis adsumptis, cum octo cohortibus, & sagittariis quingentis, quum evectus esset; Parthi, sive quod in uliginosa loca inciderant, sive ut alii prodiderunt, astu, ut quam longissime à suis abriperent Crassum, versis habenis abierunt. Nec caruit successu dolus: incitat equum adolescens, hostem fugere clamitans; sequuntur æquales Censorinus Senator ex disertis, & robore corporis animique præcellens Megabocchus. ne pedites quidem morantur, quin spe & gaudio victoriæ cursum equitum prope adæquent.

Appian. Plutarch.

Sed infelix. Appianus Plutarch. Diodorus.

XLIII. Sed postquam repente & qui fugerant substiterunt, & præterea recentes accurrerunt alii, sperabat tamen pugnam Publius, ad manus venturum ut contra paucos, hostem ratus. At Parthi cataphractis in prima acie oppositis, cætero equitatu disperso circumvecti, magnam vim pulveris de industria concitarunt; quo conspectum & spiritum Romanis adimerent. Atque illi ferales inter umbras, & triste silentium, nam & vocem intercluserat pulveris nubes, jaculis temere incidentibus figebantur. Miserabili morte consumptis plerisque quia vellere hamata spicula conantes, per venas per nervos penitus adacta; sua ipsi corpora fœde laniabant: ne superstites quidem ad pugnam erant apti, Publioque ut impetum facerent in cataphractos hortante, manus scutis, pedes solo adfixos ostentabant.

Gallorum cum Parthis certamen impar. Plutarch. Iustin. 41. & 46. Tacit. Germ.

XLIV. Igitur Publius cum equitibus cursu invectus est, haudquaquam pari certamine, quum nuda corpora Gallorum, nam id roboris erat, firmissimis contis percuterentur; Parthos crudo corio, aut ferrea lorica tectos, breves & imbecilles lanceæ, parum ostenderent. Erga Galli abjectis lanceis contos prehendebant manibus, & ad corpora hostium evadebant: correptosque deturbabant ex equis, armorum pondere ad resurgendum inhabiles. Alii relictis suis, hostium subibant equos, ventresque eorum fodiebant, ut rabie mortis correpti excuterent sessores, suisque & hostibus ut quisque occurrerat promiscue obtritis commorerentur. Tandem siti atque æstu, quod utrumque genti est infestissimum, coacti Galli, ad suos se pedites receperunt, in medium accepto Publio, qui fortissime dimicando graviter erat vulneratus.

P. Crassi exitus. Appianus. Plutarch. Diodorus.

XLV. Quum in collem quemdam evasissent, religatis in medio equis, clypeos opposuerunt barbarorum telis, auxilium ex loco habituros rati, quod contra fuit. Nam in plano a prioribus ordinibus sequentes utcumque teguntur: acclivis tumulus, quia posteriores semper altiore vestigio tolluntur, omnes ex æquo nudat. In ea necessitate Græci duo Carrhas incolentium adolescentem hortabantur, *ut cum ipsis se subduceret Ichnas, quod in propinquo Romanorum partium oppidum esset.* At juvenis eos, *qui propter ipsum huc malorum pervenissent, deserturum* negans, dimisit comiter Græcos. ipse quia manus trajecta officium negabat, armigero præbuit latus exemplum hoc Censorinus imitatus est: ceteri nobiles, quos inter & Megabocchus, sua sibi manu consciverunt necem. ceteros adorta Parthorum multitudo, confodit contis: neque amplius quingentis vivi capti sunt.

Patris Crassi constantia. Apianus. Plutarch.

XLVI. Filio Imperatoris hunc ad modum pæne sub oculis patris interfecto, Parthi in ipsum signa converterunt, jam accepto nuncio periculi, ad opem filio

ferendam profectum. Ubi in conspectum agmina venerunt, quidam Parthorum hasta suffixum caput ostentantes, obequitabant Romanis, quæritabantque *quibus natalibus iste juvenis ortus esset: non enim se credere, tantam indolem, ab ignavissimo hominum Crasso procreari potuisse.* Id spectaculum vehementissime permovit milites, non ut accenderentur in ultionem, sed ut plane torpore & desperatione demitterent animos. At Crassus numquam clarius ostensa animi magnitudine, *suum hunc dolorem, suam cladem esse* vociferabatur: *populo quidem Romano, salvis legionibus nihil dum accidisse calamitosum, unius militis jactura.*

XLVII. *Resumerent modo pristinam alacritatem, & quod sæpe duris temporibus copiæ Romanæ fecissent, dubitantem Fortunam ad suas partes virtute cogerent.* Sed jacebat omnis militum vigor, mœstique & taciti adstabant: mox edere clamorem jussi, tenuem & inæqualem sustulerunt, quum à Parthis ingens & animorum plenus redderetur. Nec alia fortuna pugnæ utrisque, quam animis præceperant, fuit. Romanos ambigua sors lethi terrebat, quod servantibus ordines molesti arcus Parthorum erant; eruptionem tentantes contis figebantur adeo validis, ut interdum duos simul viros idem impetus transverberaret. Laborantibus undique Romanis, novus repente hostis exortus, quum haud parum detrimenti daret, plus etiam doloris intulit. *Pugna cum Parthis. Appianus. Plutarch.*

XLVIII. Nam cum Osrhoënis Abgarus, quem sibi amicum arbitrati fuerant, terga adversus Parthos pugnantium cædebat. Unde plena omnia consternationis & tumultus: & quia sæpe convertebantur ordines, ut aliqua ex parte clamor acciderat, multi se induebant in commilitonum gladios. præsertim; quia in hostium, & vitandi sagittas studio, coacti in arctum erant. Sustinuerunt tamen ad noctem usque, qua appropinquante Parthi cædendo fessi se receperunt, *id dare se Crasso tempus ad lugendam filii mortem* dictitantes: *nisi postridie seque & exercitum in fide Arsacis* dederet. Patrium id Parthis fuit, ut noctes procul ab hostibus agerent; quia neque castra munire consueverant, & inter tenebras equitum & sagittariorum nullus propemodum usus est. *Abgarus juvat Parthos. Appian. Plutarch.*

XLIX. Digressis Parthis miserabilior apud Romanos, quam inter ipsam pugnã luctus fuit, quod & acceptam calamitatem noscere vacabat, & impendentem deflere. Crassus in tenebris abditus, vix à legatis tribunisque in principia adductus est. Neque dubitabatur, quin evadi Carrhas oporteret. Ideirco silentio eductus exercitus, quamquam sequebatur, nemo sæpius tamen acie facta constitit, quia saucii & ægri, quum se relinqui sentirent, mixto ejulatu ac clamore magnum tumultum excitaverant. Et quidam, ut poterant, suorum iter consequebantur, hisque vicissim aut sustollendis aut deponendis, lente procedebat agmen, nisi quod cum Egnatio equites trecenti abrupti a cæteris nocte concubia venerunt Carrhas. Coponius ibi præsidio Romano præerat, cui Egnatius nunciari quum jussisset, *ingenti prælio cum Parthis pugnatum esse*, nihil ultra moratus ad Zeugma cum suis pervenit incolumis. *Fuga Romanorum. Appian. Plutarch.*

L. Coponius nihil ex his quæ allata erant, læti suspicatus, armat extemplo milites, & præmissis exploratoribus, quum venire Crassum audisset, occurrit, deducitque in urbem, nihil per tenebras moventibus Parthis, quamquam hostium fugam sensissent. At ubi diluxit, relictos in castris, haud pauciores millibus quatuor, quotquot sua manu non invenerant mortem, qui numerus amplius fuit, trucidarunt: palantes per campos exceperunt: quatuor cohortes *Crassus venit Carrhas. Val. Maxim. Plutarch. Diod. lib. 4.*

cum legato Varguntеio in colle quodam conciderunt, præter milites viginti, quibus per medios hostes strictis gladiis ruentibus, admiratione virtutis dederunt viam, Carrhasque pervenire passi sunt.

Eodem & Surenas. Appianus. Diodorus. Barthica.

LI. Interea Surenas, ut certior fieret, ubi Crassus atque Cassius essent, Carrhas mittit certos homines Osrhoënos, qui in castris Romanis utrumque sæpe viderant, una cum quodam Latinæ linguæ perito, qui *Surenam colloqui velle cum Crasso, fœderis feriendi caussa* diceret. Ita cognito Carrhis eum esse, postero die ad movit exercitum muris, *internecionem* denuncians *omnibus, nisi Crassum atque Cassium vinctos tradidissent*. At illi videntes se deceptos, nec in oppido tutos, & longe Armeniorum auxilia fore, decreverunt fugere. Id consilium, quum enunciari Carrhenorum nemini oportuisset, pessimo omnium & perfidiosissimo Crassus exponit Andromacho, qui flagrantem Imperatoris gratiam, non alia magis arte, quam fœdissima adulatione meruerat.

Crassus ab Andromacho perfidiose circumducitur. Appian.

LII. Neque is prodere omnia Parthis differebat, tyrannidem patriæ pactus, quam & mox obtinuit, sed in pœnam, à civibus suis cum universa familia concrematus. Sed Crassus adeo confidebat homini, ut illo maxime duce itineris uteretur. Expectata nocte illuni Crassus eum exercitu processit, & à proditore varie circumductus, postremo in loca paludosa, & fossis concisa detrursus, non multum confecit viæ. Cassius animadverso dolo repetiit Carrhas: monentibusque ducibus itineris *exspectare donec luna scorpionem transisset, plus se timere sagittarium dicens* cum equitibus quingentis evasit in Syriam.

Mox simulatione pacis decipitur à Surena. Plutarch. Appian.

LIII. Legatus Octavius, vir fortis, fidos nactus duces, quinque circiter millia militum habens, montosis locis, Sinnaca vocabant, in tutum se receperat; sed in subiecto colle Crassum urgeri ab hostibus videns, decurrit ad opem ferendam, paucis primo, deinde omnibus sequentibus. Disjectis horum impetu Parthis, in medium acceptus Imperator est, non scuta magis quam corpora sua strenue pro eo opponentibus cunctis. Igitur Surenas, ne iterum producto ad noctem prœlio, Romanis in montes deinde evadendi copia fieret, ad dolum se convertit, quem jam dudum struxerat; ut simulatione pacis deceptos circumveniret. Hunc in usum ex composito in Parthicis castris sermones iis locis, ubi exeipi à captivis possent, seri jusserat; *beneficio magis illigare Romanos quam internecivo bello delere constituisse Regem*.

Surenæ dignitas. Appianus. Plutarch.

LIV. Id captivi de industria negligentius adservati, deferebant ad suos. simul pugnam remittebant barbari, & cum nobilissimo quoque sensim ad collem advectus Surenas, nervo arcus remisso *invito Rege virtutem se Parthicam ostendisse Romanis* ajebat; *nunc illo volente daturum & humanitatis specimen, istoque fœdere salutem præstiturum abeuntibus*. Hæc non secus ab Romanis accipiebantur, quam si ab ipso Rege dicerentur. Surenas enim non viri sed dignitatis nomen, eoque inferioris etiam ævi Persis usurpatum, magistrum vexilli sive militiæ significante vocabulo, proximus auctoritate & potentia Regi erat, & qui tum eo honore fungebatur, opibus & genere præcellebat.

Et opes. Plutarch. Appianus.

LV. Gentilitia ei prærogativa erat, ut Regi Parthorum diadema primus imponeret. Ad hæc ut statura & pulchritudine corporis, ita virtute & consilio facile erat omnium princeps, licet tricesimum ætatis annum nondum implevisset. Ipsum qui tum regnabat Oroden, pulsum à Parthis reduxerat, & magnam

Seleuciam redegerat in potestatem; primus omnium consenso muro, & repulsis defensoribus. Quoties iter faceret mille cameli cum sarcinis, & rhedæ ducentæ pellicum sequebantur, equites cataphracti mille stipabant leviter armatorum multo major numerus. Clientium etiam & servorum (nam servos armabant) habebat haud intra decem millia.

LVI. Sed Crassus toties deceptus, contabatur habere verbis Surenæ fidem: donec clamore & conviciis militum armis concrepantium omnium coactus. *Vos,* inquit, *Octavi, Petronique, & quotquot adestis legati tribunique Romani testor, indigne & violenter me in ordinem cogi. Vos autem circumventum ab hostibus, non à civibus deditum perisse, quocumque perveneritis dicetis.* Pactus deinde cum Partho, *uti certo loco, qui æqualiter ab utroque exercitu distaret, pari numero comitum congrederentur*, in planiciem descendit. Ibi Crasso, quum Romano more pedes processisset, Surenas equum adduci jussit, tamquam à Rege muneri missum, stratoresque signo dato corripuerunt Crassum imposueruntque: tum admoverunt equo virgas, ut in cursum concitarent. Crassi & Surenæ congressus. Appianus. Plutarch.

LVII. At Octavius viso quid ageretur, manum injecit fræno, aliique mox Romani circumsteterunt. Hinc orto certamine, percussit equisonem Octavius, & vicissim à tergo percussus ab alio cecidit; tum accurrentibus ex composito barbaris, Romani, quibus tam celeriter succurri a suis, peditibus plerisque, non poterat, superati sunt. Crassus quoque, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est: incertum hostiline an Romana manu. Tum vero Romanarum copiarum reliquiæ partim de colle digressæ permiserunt se victori: partim noctu tentarunt fugam, sed evaserunt omnino pauci. Hæc est nobilis illa Romanorum in Mesopotamia clades, qua M. Crassus cum filio clarissimo & præstantissimo juvene, pulcherrimisque legionibus interiit. Crassus interficitur. Nicolaus Damascenus apud Athen. lib. 6. Appianus. Plutarch.

LVIII. Plurimi etiam Senatores cum aliquot Consularibus & Prætoriis desiderati sunt. In universum cecidisse viginti millia, decem capta referuntur: quod de Romanis tantummodo copiis intelligendum arbitror, quum Appianus *de centum millibus hominum, non tota decem millia redisse in Syriam* narret; Florus, *sparsas in Armeniam, Ciliciam, Syriamque reliquias, vix nuncium cladis retulisse*. Magnum inter hos Lucanorum fuisse numerum adnotatum est, propter prodigium, quod anno superiore in Lucanis *pluisse ferro* nunciatum erat, & *cavenda superna vulnera* haruspices responderant, quasi de Parthorum sagittis monuissent; quas illi solebant imbris instar spargere, non directis ictibus, sed in altum emissis, unde temere inciderent subjectis hostium agminibus. Romanorum clades. Appianus. Plutarch.

LIX. Cadaver Imperatoris inter cætera corpora feris & alitibus relictum: caput cum dextera manu relatum ad Regem, tum maxime epulas cum Artabaze Armenio celebrantem. Pacem enim interea pepigerant, Pacoro filio Parthi desponsa Artabazis sorore. Forte tum Jason tragædiarum actor, Agaven recitans, corripuit Crassi caput, quassansque carmina quæ de Pentheo fecerat Euripides recitavit. Post hoc deinde ludibrium, in rictum oris aurum liquefactum infuderunt Parthi cum exprobratione avaritiæ, *ut satiaret se tandem eo, quod infinitis modis sitisset*. Erat enim appetentissimus pecuniæ, quamquam tantas haberet opes, ut eum pro paupere miseraretur; *qui ex suis faculta-* Crassi caput Regi Parthorum epulanti adfertur. Marcell. 24.52 Plutarch. Appian. Justin. 41.2.4 Diodorus. Florus 4.2.13.

tibus exercitum alere non posset. Hic fuit opum & potentiarum laboriose ac nequiter comparatæ Crasso terminus: cujus etiam interitus, tamquam remoto quem ambo respicerent, socios tyrannidis inter se commisit, ut & hos velox pœna comprehenderet: & tres terrarum partes, Crassus in Asia, Pompejus in Africa, Cæsar in Europa interfecti, pro imperio, quod contra fas partiti fuerant, cadaveribus, & vix sepulchris, obtinerent. Sed neque Parthis impunita perfidia & crudelitas fuit. Surenam paulo post invidia gloriæ ejus Orodes interemit: Orodes procedente tempore à Phrahate filio est sublatus.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CVII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejusdem Libri.



. Cæsar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit, nulloque ibi hoste invento, reversus in Galliam, Eburones, & alias civitates, quæ conspiraverant, vicit, & Ambiorigem in fuga persecutus. P. Clodii à T. Annio Milone, candidato Consulatus, in Appia via ad Bovillas occisi corpus plebs in curia cremavit. Quum seditiones inter candidatos Consulatus Hypsæum, Scipionem, & Milonem essent, qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas, Cn. Pompejus legatus à Senatu Consul tertium factus est, absens & solus, quod nulli alii unquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exilium actus est. Lex lata est, ut ratio absentis Cæsaris in petitione Consulatus haberetur, invito & contradicente M. Catone. Præterea res gestas à C. Cæsare adversum Gallos, qui propè universi, Vercingentorige Arverno duce, defecerunt, & laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarici Biturigũ, & Gergoviæ Arvernorũ.

DUM ad Orientem hoc vulnus accipit Respublica; non minore in metu legiones erant, quæ per Gallias sub Imperatore C. Cæsare merebant. Quamquam enim defensa minor Ciceronis castra; defensa T. Labieni erant; non ideo terror omnis exoleverat; quin ad Cæsarem quotidie veniebant nuncii, *diversis Galliæ partibus parari arma, cogi juventutem, conjurare inter se principes, & magnos ubique motus esse*. Talgetium à Cæsare sibi Regem impositum Carnutes nuper interfecerant: id exemplum sequuti Senones, valida civitas, Cavarinum ejecerunt; & vocatus ad Imperatorem Senatus eorum dicto audiens non fuit; Nervii, Atuaticique, sedante omnes in Treviris, Indutiomarus, omni conatu instruebat bellum. & quamquam permovere Germanos nequiverant, ut denuo

Galli bellum parant. Cæsar Gal. 6. 33.

Diod. l. ibid. 31.

Rhenum transirent, Gallorum undique venientibus ad se nunciis excitabatur.

Indutiomarus à Labieno caeditur. Orosius 6.a. Cæsar. Florus. 3.10. 8.

II. Initium belli facere ab oppugnatione castrorum Labieni, quæ erant in Rhemis constituerat: sed idem etiam finis ei tumultuandi simul & vivendi fuit. Quippe Labienus, utili consilio, quamquam munitione castrorum tutus, metum eo usq; simulavit, donec nihil metuentibus Treviris, & post convicia conjectaque suo more intra vallum tela, secure sparsimque abeuntes, immisso repente equitatu turbavit. Sed quia præceperat suis, *ut nemo prius peteretur, quam interfectus Indutiomarus esset*, in hunc tota vis omnisque contentio persequentium versa, in ipso fluminis vado intercepit transiturum. caput in castra relatum. Ea res cognita non modo repressit Treviros; sed Nerviorum etiam & Eburonum disjecit jam contractas copias, pauloque quietiorem ad tempus Galliam præstitit.

Cæsar copias contrahit. Cæsar. Gal. 6. 1. Orosius. Plutarch. Cæsar. Epit.

III. Hoc Cæsar intervallo ad sarcienda detrimenta usus, per M. Silanum, C. Antistium, & Sextium legatos delectum habet; simul ad Cn. Pompejum mittit; *ut quos ex Cisalpina Gallia Consul is sacramento rogasset, ad Cæsarem juberet proficisci.* ita ante exactam hiemem, tres ad eum legiones venerunt. una recens conscripta; reliquas Pompejus commodabat. His copiis auctus ut inferret potius bellum, quam expectaret, per hiemem adhuc contendit in Nervios, imparatosq; venire in deditionem, & obsides dare cogit. Primo deinde vere Senones, deinde Carnutes, illos Æduis, hos Rhemis deprecatoribus; quæ solæ Cæsari per ea tempora fidæ civitates fuisse videbantur, in gratiam recepti, obsides dederunt.

Ambiorigem insequitur. Diodor. Cæsar. Orosius.

IV. Cæsar hac parte curarum exoneratus, omnes deinde cogitationes ad opprimendum Ambiorigem vertit. Is post Indutiomari mortem, cum propinquis ejus, ad quos delatum à Treviris erat imperium, fœdere facto, Menapios, qui uni Gallorum ad Cæsarem de pace nunquam miserant legatos, in societatem adsciverat: Germanosque cis & ultra amnem solicitare non desinebat. Igitur Cæsar Menapios primum tripartito exercitu intrat: magnisque detrimentis adfectos, ad pacem petendam cogit, obsides imperat: *Ambiorigem & legatos ejus suis finibus recipere* vetat.

Labieni bellum cum Treviris. Diodor. Cæsar. Orosius.

V. Inter hanc expeditionem Treviri Labienum cum una legione, quæ iis locis hibernaverat, petierant. Sed edocti duas missu Cæsaris supervenire legiones alias, donec Germanorum auxilia accessissent, castra intra spatium quindecim millium à Romanis castris posuerant. Horum consilio cognito Labienus occasionem dimicandi se inventurum sperans, cum quinque & viginti cohortibus, magnoque numero equitum, obviam egressus, non amplius mille passuum relicto spatio, consedit. Inter utraque castra flumen præruptis ripis intererat. Mosellam fuisse consentaneum est. id flumen tam propinquo hoste neque ipse erat transiturus, nec Gallos transituros rebatur.

Ejus stratagema. Diodor. Cæsar. Orosius. Liv. Epitom.

VI. Idcirco ut eliceret hostem, convocato consilio, palam in hunc sensum disseruit: *quum propediem adfuturi Germani nuncientur, se rem in tantum discrimen commissurum non esse. parati intentique ad signum omnes essent, ut postridie prima luce proficiscantur.* Quod magna Gallorum equitum multitudo in castris Labieni erat, mox cito defertur ad hostes. Sed Labienus noctu tribunis militum primique pili centurionibus consilium suum exponit: *sibi in animo esse, simulatione timoris fallere hostem, ut non expectatis Germanis transeat flumen, alieno loco congressurus.* Igitur majore quam opus aut consuetudo esset strepitu motis castris,

quum id quoque subito nunciatum hostibus esset, ad insequendum eos illiciunt.

Et victoriæ. Cæsar. Diodorus. Suidas.

VII. Spe victoriæ prædæque, & ne fugienti scilicet Romano spatium evadendi darent, flumen transgrediuntur. Id ubi ex voto atque exspectatione Labieni factum: *habetis*, inquit, *milites, quam postulastis pugnandi copiam, & ut locus pro nobis esset, feliciter curatum est, vos modo, quam soletis, operam præstare memineritis*. Sic converso agmine, quum impetus in Treviros fieret; illi novitate rei attoniti, ne primam quidem impressionem tulerunt. Equitatus immissus ad sylvas fugientium ingentem cædem edidit. Ita motus Trevirorum repressus, civitas à Labieno recepta. Germani qui auxilio veniebant, audita re ut erat gesta, domum regressi sunt. cum iis propinqui Indutiomari trans Rhenum abiverunt. Civitatis imperium Cingetorigi; quem ob studium erga Romanos socer Indutiomarus nuper expulerat, est traditum.

Cæsar iterum Rhenum transit. Diodorus. Cæsare Orosius.

VIII. Victis ad hunc modum Treviris, Cæsar de Rheno iterum transeundo deliberabat; duplici stimulatus utilitate: altera, ut puniret, qui contra se auxilia Treviris miserant: altera, ne receptus apud eos Ambiorigi esset. Idcirco in finibus Trevirorum haud multo supra, quam prius erat transgressus, pontem paucis diebus effecit: nota tum militibus ratione, sed ad hodiernam segnitiem nunc prorsus incredibili. Quippe non in prœliis modo, sed magis in opere Romani militis invicta durities erat. Inter cætera pontibus struendis ita erat exercitus, ut quemlibet latum & profundum amnem facillimo negotio transmittere posset. Cujus rei per illa & sequentia tempora, in Danubio, in Rheno, in Euphrate frequentia documenta dederunt.

Ratio jungendorum pontium. Florus. 4. 12. 30. Liv. Epitom. Orosius.

IX. Ratio autem jungendorum pontium hæc fuit usitata. Lato alveo naves, superiore, quam ubi pons destinaretur, loco constituebantur. Signo dato primum una earum secundo flumine demissa, quantum poterat applicabatur citimæ ripæ. deinde storea saxis repleta mergebatur fundo, anchoræ vicem firmatura deligatam valido rudente navem. Continuo materia, cujus ipsa navis copiam præbebat, tota consternebatur, eadem cæterarum deinde navium adjungendarum erat ratio; quas & demissæ in amnem moles; & vicinis utrimque navibus inne xa vincula retinebant. Quum ad alteram ripam deductus pons erat, in extrema nave turres cum machinis & catapultis, & ad egrediendum porta struebatur.

Cæsar recedit ex Germania. Cæsar. Diodorus.

X. Cæterum nihil ultra gloriam bis transcensi fluminis hac expeditione quæsitum est. Paucos dies moratus in Germania Cæsar, quum Suevi se in sylvas recepisse dicerentur; *inopiam*, ut ipse ait, *frumenti veritus*; ut Dio, *Suevos timens* (nam & frumentum ex Gallia subvehi nullo negotio potuisset) pontem in longitudinem pedum ducentorum rescindit, atque in extremo turrim tabulatorum quatuor constituit: præsidiumque tuendo ponti relinquit in Treviris, ut Germanis sæpius transituri speciem faceret.

Ambiorigis fuga. Cæsar. Diodorus. Orosius.

XI. Sed ipse capiendi Ambiorigis causa per sylvam Arduennam, quæ per quingenta millia passuum, à ripis Rheni finibusque Trevirorum ad Nervios usque pertinebat, Minucium Basilum cum equitatu misit. Nihilque propius factum, quam ut comprehenderetur. effugit tamen, misitque nuncios, qui populares monerent, *ut sibi quisque consuleret*. Multi tamen hostili ferro, aut incommodis fugæ perierunt: Cativulcus, Rex dimidiæ partis Eburonum, gravis ætate, quum

quum fugere non posset, devoto diris Ambiorige, venenum, quod ex arboribus taxis in Hispania & Gallia exprimi solebat, sumpsit. Cæsar Ambiorigem frustra & cum vexatione suorum persequutus, ut nomen Eburonum tolleret, neque tamen milites adduceret in discrimen; quorum per ignotas sylvas subinde quidam desiderabantur; consilium iniit suam injuriam Gallico sanguine vindicandi. Missis igitur circum civitates nunciis, *Eburones, si vellent, diripiendi potestatem* omnibus facit. Ea res mirifici cujusdam caussa fuit, & inopinati eventus.

XII. Quippe Sicambri, transrhenana natio, quæ nuper Tenchteros fugientes receperat, prædam ex infortunio Eburonum facturi, duo equitum millia, Rhenum navibus ratibusque transiverunt. Hi, quum à captivo didicissent, *profectum longius Cæsarem, totius exercitus impedimenta cum medico præsidio reliquisse Atuaticæ*, quo loco ante annum hyberna Titurii & Aurunculeii fuerant; protinus eodem captivo duce, ad castra Romanorum contenderunt. Tenchteri castra Cæsaris oppugnant. Cæsar. Diodorus. Plutarch Pompeio. cap. 89.

XIII. Forte Q. Cicero cohortes aliquot frumentatum emiserat: eodem tempore veniunt Germani, portaque decumana conantur irrumpere. In re subita, nihil enim tum hostile metuebatur; quum interfecti aut sparsi hostes, & cum novem victricibus legionibus in propinquo Cæsar esset, vix defendi castra potuerunt. Inter hæc reversæ cohortes, quum & ipsæ improviso incidissent in hostem, multis amissis, ægre perruperunt ad suos. Germani spe castrorum expugnandorum amissa, cum præda quam ceperant, impune trans Rhenum redierunt: quod illos persequi tempore anni, & cura rerum Urbanarum, & cupiditate capiendi Ambiorigis Cæsar prohibebatur. Sed ille, quamquam Cæsariani tanta diligentia sequebantur, ut sæpe in conspectu fugientem, aliquando pœne in manibus haberent; effugit tamen, quatuor equitibus comitatus, quibus solis vitam suam audebat credere. Interea Cæsar Durocortori Rhemorum concilio Galliæ habito, de Accone Senonum principe, qui defectionis auctor civitati fuerat, supplicium sumpsit: deinde distributis per hyberna legionibus, per caussam conventuum agendorum in Italiam profectus est, de rebus Urbanis solicitus, quæ continuis certaminibus seditionibusque supra solitum ingravescebant. Re infecta recedunt impune. Cic. Famil. 8. 4. Diodorus. Urbana certamina. Plutarch. Cic. ad Q. Fratr. 3. 8.

XIV. Tribuni plebis, exemplo superiorum, Comitiis, quorum iterum tempus aderat, moram injiciebant; *Tribunos militum, sicut olim, fieri oportere* dictitantes, *quod Respublica pluribus magistratibus indigeret*. Sed ejus rei mentione, quia vix auribus admittebant homines, deposita, C. Lucceius Hirrus Tribunus plebis consentiente collega M. Cælio Licinïano, rogationem promulgarat, *uti Cn. Pompeius Reipublicæ constituendæ Dictator diceretur*. Sed invisum hoc & detestabile Romanis nomen Sullæ crudelitas effecerat. Igitur sic invectus est in Hirrum M. Cato, ut parum abfuerit, ne abdicare cogeretur. Erat tamen anxius ob potentiam Pompeii Senatus, nec audebat satis quidquam ei, quod appeteret, denegare. Amici quidem ejus, ipse enim tum aberat, negabant *Cn. Pompeio placere, nimios honores*: & per Ciceronem petente Pompeio, Crassum Junianum, ne auctor fieret, dudum deterruerunt. Sed nihilominus ingenium ejus tectum, & alia cupiens, alia simulans metuebatur. Lex de Pompeio Dictatore creando. Cic. ad Q. Fratr. 3. 8. Plutarch.

XV. Tandem ipse adventu suo composuit omnia; quum à Catone laudatus, aliud facere quam quod honestum esse intelligebat, erubesce- Ab ipso repudiatur.

Urb. cond. an. 700. De comitiis habendis agitur. Diodorus. Ascon. in Milon. Macrob. Saturnal. 1. 13.

et. Ita Consularibus comitiis auxilio ejus habitis Cn. Domitius, M. F. Calvinus, M. Valerius Messalla creati, mense demum Quintili. Itaque simul inierunt, de Comitiis habendis actum, non faciliore quam proximis annis fuerat negotio, namque per candidatorum ambitum & factiones turbabantur: adeo ut velut in magno & atroce luctu Consules lato clavo posito, Senatum in Equestri habitu convocarent. Salubre tum decretum factum est, *ne magistratus ante quintum annum quam Consules Prætoresve fuissent, provincias sortirentur*. sic aliquantum reprimi posse ambitionem putabant; si sperata potentia longum in tempus, & varios admissurum casus differretur.

Kalendis Januariis nundinæ. Diodorus.

XVI. Nam eo turpitudinis audaciæque res venerat, ut candidati tam largitionibus, quam ferro certarent: & aliquando Consul Cn. Domitius vulneraretur. Unde sic turbata sunt in Urbe omnia, ut initio sequentis anni, neque Consules, nec Urbani alii magistratus essent; & Kalendis Januariis, nundinæ agerentur: quæ res infaustum luctuosumque casibus annum præsagire putabatur: idemque Lepidi tumultu acciderat. Sed hoc tempore & alia evenerant, quæ stolidos & tam divinorum quam naturalium operum nescios territabant. Bubo visus erat: simulachrum quoddam triduo continuo sudaverat: fax in cælo à meridie ad Orientem transcurrerat: glebæ, lapides, testæ inter pluvias frequenter ceciderant.

Pugnæ competitorum. L. Iv. Epitom. Appianus. lib. 2. Civil. Asconius.

XVII. Crebræ interea per factiones candidatorum in Urbe cædes edebantur: quum tamen comitia non haberentur, licet multis Consulatum petentibus. Erant inter competitores T. Annius Milo, per quem P. Clodii audaciam Pompejus representerat, Ciceronemque patriæ restituerat. Idcirco Clodius, qui eumdem in annum petebat Præturam, ne ab inimico Consule premeretur P. Plautio Hypsæo, & Q. Metello Scipioni contra Milonem summe studebat. Unde tribus quotidie exercitibus Forum obsidentibus, crebræ inter hos pugnæ committebantur, audacia omnium pari, caussa meliore Milonis.

Pompeii occulta ambitio. Plutarch. Catone cap. 39. Cic. Famil. 2. 6

XVIII. Atque is quam primum comitia haberi cupiebat, & bonorum consensus studiis, pro quorum partibus steterat & populari favore, quem profusis largitionibus ludorumque magnificentia venatus fuerat; ita quidem animose, ut tria his consumeret patrimonia, præter relictas à naturali patre Papio, & adoptivo C. Annio hæreditates, etiam uxoris Faustæ facultatibus abusus. Sed competitores ejus trahi rem volebant: non invito Pompeio, & hoc dissimulante, agente, ut perturbato rerum statu Dictatore opus haberet Respublica, quem se utique futurum esse nihil dubitabat.

Interregem vetat: Appianus.

XIX. Præterea gratificari cupiebat Metello, qui filiam ei desponderat Corneliam, P. Crassi viduam, ejus quem Parthi nuper interfecerant. Idcirco quum A. D. III. Kal. Februarias Interregem creari moris esset, auctore Pompeio, T. Munatius Plancus intercessit, ne ad Senatum referretur de patriciis convocandis, qui interregem proderent. Inter eas moras Milo, moleste ferens à Pompeio se perfidiose ludi, simul quia Lanuvii, ex quo municipio erat, Flaminem à Dictatore prodi ante certum diem oportebat, eo profectus est. Erat enim tum Dictator Lanuvii Milo.

Clodius à Milone interficitur. Plutarch.

XX. Forte per idem tempus P. Clodius Aricia fuerat. Igitur postridie factum, ut in Appia via paulo ultra Bovillas inimicissimi homines sibi occurrerent: exitusque hic rei fuit, ut pugna oborta percussus à gladiatore Milonis

Clodius in tabernam proximam deportaretur. Hoc ubi rescivit Milo, subeundum æque vulnerati hominis atque occisi judicium cogitans, ad hoc in omnem casum ex inimici morte solatium habiturus, accurrit, erruique Clodium atque jugulari jussit. Hac re patrata statim manumisit servos, ne præbere quæstioni cogeretur: ipse premium bene meritis vita domini defensa, inimico sublato, datum adseverabat. Sed cadaver interfecti relictum in via Sex. Tedius Senator forte rure rediens, lecticæ suæ imposuit, Romamque deportandum curavit. Appian. Asconius.

XXI. Ante primam noctis horam perlatum in atrio domus, quam paucis ante mensibus de M. Scauro sitam in Palatio emerat, uxor Fulvia constitui jussit: statimque infinita multitudo servorum præcipue & infimæ plebis, cui generi propter amorem seditionum charissimus ille fuerat, mœrens lugensque circumstetit. Sed & integri à factionibus, quamquam odissent Clodium, humanitatis intuitu, & effusa lamentatione Fulviæ, vulnera invidiose ostentantis, movebantur. & erant qui per hanc caussam, Milonem quoque haud minus turbulentum civem exturbari posse sperarent. Magno dolore vulgi. Cic. pro Milone cap. 10.

XXII. Postridie quum vix dum luceret, major eodem concursus fuit, ut noti homines, & inter hos C. Vibienus Senator, in turba eliderentur. Sic adfectam rem Tribuni plebis Q. Pompeius T. Plancus nacti, quum & ipsi Milonem odissent, in Clodii domum accurrerunt. horum conspectu magis incitatur temeritas vulgi, corripitur mortuus, & uti nudus in lecto jacebat, ut conspici vulnera possent, defertur in Forum, & in Rostris proponitur. Plancus & Pompeius in Milonem concionantur. nihil quod ad concitandam invidiam, commiserationemque fieri potest, prætermittitur. His quum ultra solitum imperitæ multitudinis indignatio exarsisset, Sex. Clodio scriba duce, qui præcipue Clodiani furoris signifer semper fuerat, corpus infertur in Curiam Hostiliam, neglectisque funerum ritibus, sine imaginibus, sine cantu, sine exsequiis, rogo ex subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum congesto concrematur. Hoc igne & Curia hausta est, & vicina aliquot ædificia privatorum. comprehendit etia Porciam Basilicam, quam Censor Cato sub Curia in foro struxerat. Clodii corpus in Curia Hostilia crematur. Liv. Epitom. Appianus. Ascon. Cic. pro Milone cap. 33.

XXIII. Hoc tumultu excitati Patres sub vesperam ejusdem diei in Palatio convenerunt, creatoque Interrege M. Lepido, illi Tribunisque & Pompeio, qui Proconsul ad Urbem erat, curam Reipublicæ mandaverunt. Sed Clodiana multitudo ad oppugnandam absenti Milonis domum cucurrit cum facibus: sed sagittis repulsa, fasces ex lecto Libitinæ raptos ad domum Scipionis & Hypsæi, tamquam, Milone jam amoto, certorum Consulum, attulit: mox cum iisdem in hortos profecta Pompeii, modo *Consulem* illum, modo *Dictatorem* inclamavit. Interrex M. Lepidus: Diodor. Ascon.

XXIV. Eadem nocte Milo, qui profectus in voluntarium exsilium putabatur, fidenti animo rediit Romam: quod audiris quæ acciderant, maiorem inimicorum quam suam injuriam fore sperabat. Itaque non segnius quam antea consulatum petens, propitiandæ multitudinis caussa tributim singula millia assium populo dedit. Igitur Scipionis & Hypsæi factio, ut recenti adhuc Milonis invidia uterentur, à M. Æmilio Lepido, qui erat Interrex proditus, haberi comitia postulabat. Id quum facturum se Lepidus negaret, nec enim moris erat per primum Interregem haberi comitia; domus ejus per omnes interregni dies, (fuerunt autem ex more quinque) à multitudine obsessa & oppugnata est: jamus Milo redit Romam. Diodorus. Ascon.

vi expugnata, dejectæ majorum imagines, & uxoris Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, lectulus fractus.

In concione se purgat. Ascon. Cic. pro Milone cap. 33. Diodorus.

XXV. Actum erat de Lepido, si tantum, ab unis partibus oppugnaretur. supervenit Milonis manus, & ipsa haberi comitia postulans: ita licet eamdem rem omnes flagitarent, tamen omissa est, conversis ab Interregis oppugnatione ad consueta certamina inimicis factionibus. Cæterum simul atque rediisse Milonem innotuit, concionem ei M. Cælius Tribunus plebis dedit: sed iram simulans, *nolle se concedere dilationem reo* præferebat, *quin apud populum statim diceret caussam*. Porro ipse favens Miloni, sic egerat cum populo, ut *insidias ei factas à Clodio* diceret. Quum silentio auditus esset, incepit Milo dicere; *forte, aut dolo Clodii commissam esse pugnam, se nescio: ejusque rei evidens argumentum esse, quod impedimenta & uxorem in comitatu habuisset, res minime commodas pugnaturo*. Deflexit deinde ad vituperationem Clodii, *facinorosum & perditum hominem, suique similium signiferum, caput & facem fuisse*.

Expellitur foro Cic. Philip. 6. 4. Appianus. Liv. 33. 44.

XXVI. Quum adhuc loqueretur, contrariæ factionis Tribuni cum sua multitudine irruperunt in Forum: jam gladii micabant, cædesque fiebant; quum Milo & Cælius servili habitu evaserunt: aliorum magna strages edita, multique ignoti pro Milonianis, libidine magis quam ira occisi. nam infima plebs & servorum magna multitudo arma corripuerant: & per caussam quærendorum Milonis amicorum effractis domuum & insularum foribus, prædas agebant. Per multos inde dies continuato tumultu, quum ignibus, saxis, ferro dimicaretur; Senatus vestem mutavit, *omnes Italiæ juniores conjurare, Pompeiumque delectus ex iis habere* jussit: iterato decreto, *videret ne quid Respublica detrimenti pateretur*.

Pompeium rogat. Plutarch. Cat. majore. cap. 36. Diodorus.

XXVII. Atque is quum summa celeritate comparato præsidio ad Urbem venisset, extra pomærium ad Theatrum Pompeii Senatus est habitus in porticu, ut interesse Pompeius posset; factumque Senatusconsultum, *ut ossa P. Clodii legerentur; Curiam Faustus Sulla instauraret, eaque deinceps Cornelia de nomine Sullæ vocaretur*; quia prius etiam pater Fausti eamdem refecerat. Inter has turbas, quum alii ex aliis Interreges fierent, neque tamen Comitia haberentur; misit ad Pompeium Milo, *desistere se petitione, si ita ei videretur*. Nam ob adfinitatem Q. Metello summe studebat Pompeius: neque minus Hypsæo, quod Quæstor suus fuisset.

Sed frustra. Ascon. Cicer. pro Milone cap. 31.

XXVIII. Responsum à Pompeio dicunt, *nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse: neque populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum*. Idem deinde Cn. Lucullum familiarem Ciceronis, atque ideo Milonis amicum rogasse dicebatur, *ne se hac de re consulendo invidia oneraret*. Crebrescebat interea rumor, *Dictatorem creandum Pompeium esse, nec aliter sedari mala civitatis posse*: aliis Cæsarem fieri Consulem placebat, cujus sub idem tempus maxima erat fama, propter amplissimas res gestas sæpius & plurium dierum, quam cuiquam supplicationibus decretis.

Catone sententiam Bibuli probante.

XXIX. Neutrum eorum Senatui gratum erat: igitur ne aut Pompeius Dictator, aut Cæsar iterum Consul habendus esset; M. Bibulus, qui primo loco rogatus erat sententiam, *Cn. Pompeium licet absentem Consulem faciendum esse censuit, sine collega. Sic enim aut evasuram ex his malis Rempublicam; aut si dominus tolerandus sit, optimo servituros*. Ea sententia quum & re & ob au-

ctorem nova videretur, quod Pompeii dignitati adversatus antea semper Bibulus fuerat; Cato exsurrexit: omnium opinione repugnaturus, quod & antea Pompeium Comitiis præficiendum jubentibus, *non legibus in Pompeio: sed Pompeio in legibus præsidium esse oportere* responderat. Sed ille, *hanc*, inquit, *sententiam non eram dicturus prior: sed dictam ab alio sequor, & approbo; quemlibet in Urbe magistratum, quam nullum esse præstat; & Pompeium quolibet alio rectius usurum hac potestate confido*. His auctoribus reliqui Patres haud gravatim annuerunt: salubriter temperasse visi, ut præsentibus coercendis turbis Pompejus imperium solus haberet, tamquam Dictator; rationi tamen reddendæ tamquam Consul esset obnoxius. Appianus. Diodorus. Ascon.

XXX. Simul futurum rebantur, ut à Cæsare & populo Pompeium abstraherent, Senatui se daturum, à quo tot ornatus novis honoribus esset. Neque Tribuni plebis repugnabant: ipso sic volente Cæsare. nam eum Tribuni collegam Pompeio destinarant: Cæsar ad populum ferri malebat, *ut in secundo petendo Consulatu, ratio absentis haberetur*. Igitur Senatusconsulto in sententiam Bibuli facto, per Interregem Ser. Suplicium Cn. Pompejus tertium Consul creatus est solus, A. D. V. Kal. Martias mense intercalari, hac adjecta conditione, *siquidem collegam desideraret, ut suo arbitratu*, dum ne intra bimestre, *adlegeret*. Pompeius Consul creatur sine collega. Cic. pro Milone cap. 5. Ascon.

XXXI. Pompeius statim inito magistratu, Catoni egit gratias, consiliumque ejus expetivit. Ille *non defuturum se petenti privatim* respondit *consilio suo; publice etiam non petenti*. Sed erat ad componendum Reipublicæ statum novis legibus opus. Igitur in his omnis Consulatus ejus vis consumpta est. Post diem tertium magistratus initi, quum de legibus ad Senatum, Consul retulisset, *duas esse promulgandas* Senatus censuit, *alteram de vi*, *qua nominatim cædes Clodii, & incendium Curiæ, & M. Lepidi Interregis oppugnata domus continebatur: alteram de ambitu*. Urb. cond. an. 701. Leges Pompeiæ. Appianus. Ascon.

XXXII. De utroque non semel & antea latum erat: sed his legibus pœna gravior constituebatur; cum severiore judicii forma. Nam & judices accuratius legebantur, & finiebatur patronorum numerus, ne judices horum multitudine perturbarentur: & prius testes audiri per triduum domi, deinde uno eodemque die & ab accusatore, & ab reo perorari oportebat; ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Laudationes etiam & preces aliorum pro reo, quibus rebus multi erepti nocentes fuerant, tollebantur. Quæsitores utraque lege, ex iis qui Consules fuissent, suffragio populi creari oportebat. Et quo pluribus atque acrioribus vinculis ambitus constingeretur, dabatur accusatio *iis* etiam, *qui damnati eodem crimine fuissent*; præmio veniæ proposito, *si quis horum duos similis inferioris've culpæ, aut majoris unum reum peregisset*. Prioribus adstrictiores. Cic. pro Milone cap. 35. Appianus. Cicer.

XXXIII. Voluerat & præteritis delictis graviores pœnas constituere Pompeius; sed *id neque juri publico, neque commodo satis congruere* Cato putabat. *Nam & puniri quem ea lege, contra quam non deliquisset, absurdum; & definire tempus unde incipere debeat hæc animadversio, difficile, nec exemptum à sermonibus fore*: Pompeius tamen, ut nec ipse refugere, quod in alios pararet, videretur, *qui à primo suo Consulatu honoris adipiscendi caussa largitiones fecisset, comprehendi* volebat: *ulteriora non audiri*. Sed eo temporis complexu Cæsaris etiam Consulatus continebatur. Etiam in præterita delicta. Cicero. Appianus. Diodorus. Cæsar. Gall. 7. 1.

Pompeius Milonem odit. Appian. Alconius. Diodorus. Cic. pro Milone cap. 36.

XXXIV. Igitur amicis ejus querentibus, moleste tulit *allegari Cæsarem, cujus sicut extra suspicionem esse rationes, ita extra periculum dicebat.* Contraxit tamen tempus, & *secundum Consulatum suum finem impunitatis & quæstionum* constituit, *non aliter se mederi Reipublicæ posse* præfatus. His intercedere studiosissimus Milonis M. Cælius parabat, *privilegia non leges* appellando. *Sed & præcipitari judicia malo exemplo* dictitabat: donec Pompeius iratior, *si coactus esset, armis se Rempublicam defensurum* dixit.

Sed eum Cicero defendit. Diodorus. Asconius. Cic. ad Attic. 14. 1.

XXXV. Erat enim implacabili in Milonem odio, quod ab eo sibi parari insidias existimabat. Idcirco plerumque non domi suæ, sed in hortis superioribus manebat, magna circum excubante militum manu. Multa enim ad eum deferebantur, & in Capitolio P. Cornificius frequentissimo Senatu exclamavit, *ferrum Milonem habere sub tunica ad femur alligatum*. Sed ea quidem falsa criminatio fuit. refellitque statim nudato femore Milo, succlamante Cicerone, *talia esse & reliqua crimina, quæ in Milonem jacerentur*.

Quæsitores & Iudices creati. Diodorus. Sueton. Cæsar. 24. 7. Plutarch. Pompeio. cap. 10.

XXXVI. Defendebat enim Milonem summa fide & constantia M. Cicero, neque Pompeii offensionem reformidans, neque Tribunorum plebis convicia & minas: quamquam Q. Pompeius, T. Munatius Plancus invidiam ei concionibus omnibus facerent, & infensum Miloni populum in patroni ejus odium facile concitarent. Præsertim quum etiam C. Sallustius Crispus collegarum furori accessisset, inimicus Miloni, à quo deprehensus in adulterio Faustæ, lorisque cæsus neque dimissus, nisi data pecunia, fuerat. Sed ex his Plancus, ceteris, ut suspicio erat, in gratiam cum Milone ac Cicerone reversis, infestissime perstitit, *diem Ciceroni dicturum* præ se ferens. Perlata interim lege sua, statim Quæstorum creandorum caussa Comitia Pompeius habuit: creati sunt Cn. Domitius, Ahenobarbus, A. Manlius Torquatus, ut legibus Pompeiis, de vi Domitius Torquatus de ambitu cognoscerent.

Milo accusatur. Liv. Epitom. Plutarch. Ascon.

XXXVII. Judices deinde sunt propositi, tanta Pompeii cura, ut constaret numquam neque sanctiores viros, neque clariores propositos esse. Tum à duobus Appiis adolescentibus Caii filiis, qui Clodii fuerat frater, de vi postulatus est Milo; & a Domitio *A. D. Non. Apriles adesse* jussus. Sed eadem ei dies à T. Manlio prædicta erat, apud quem de ambitu postulabatur. Igitur ipse venit ad tribunal Domitii; à Torquato per M. Marcellum obtinuit, ne prius caussam de ambitu diceret, quam esset de vi judicatum. Judicio constituto, quum prima die productum testem C. Cassinium Scholam, qui *se cum Clodio fuisse, quum is occisus esset*, dicebat, M. Marcellus interrogaret, tantum Clodiana multitudo excitavit tumultum, ut ultima timens Marcellus, in tribunal à Domitio reciperetur.

Massiliam in exilium abit. Ascon. Plutarch. Cic. Philip. 2. 7. Velleius.

XXXVIII. Igitur M. Cælius Tribunus, & ipse Milo præsidium abs Domitio, Domitius à Pompeio postularunt. Ille quum ad ærarium sedens eodem clamore fuisset perturbatus, promisit Domitio, *se postridie cum præsidio adfuturum*. Ita proximo biduo quietius auditi testes. Ultimæ testimonium dixerunt, Sempronia Tuditani, amentis illius filia, socrus P. Clodii & uxor Fulvia: coronamque fletu muliebri magnopere commoverunt. Igitur dimisso circa horam decimam judicio, T. Munatius populum adhortatus est, *ut frequens adesset & elabi Milonem non pateretur, judiciumque & dolorem suum ostenderet*. Postero die sortitione facta judicum unius & septuaginta, iisque protinus lectum euntibus, Ap-

pius major, & M. Antonius, qui mox viduam duxit, & P. Valerius Nepos accusationem horis duabus ex lege peregerunt.

XXXIX. His unus erat responsurus Cicero, tribus omnino horis ad dicendum datis. Igitur ille & brevitate temporis circumscriptus, & adspectu territus armatorum, quos circa Forum Pompeius disposuerat, non eadem qua solitus erat constantia & facundia caussam oravit. Nam quæ inscripta pro Milone legitur Ciceronis oratio, postea scripta est: puto, ostendere sapiente Oratore non sua culpa, sed ob novam judiciorum faciem, variosque terrores, deterius defensum reum fuisse.

Cicero Milonem defendit. Sueton. Cæsar. 26. Appianus.

XL. Nam clausis tota Urbe tabernis, immensa vis populi accurrerat: & dicere incipientem horribili clamore Clodiani terruerunt, ne militum quidem circumstantium metu cohibiti. Ergo Pompeii jussu gladiis eductis quosdam, nec ut sauciarent, sed lato ferro percusserunt: deinde, quum eo facto magis etiam incensa vulgi petulantia, velut in re ludicra convicia pro verberibus regereret; vulnerati complures à militibus, quidam etiam interfecti sunt. Hic metus tranquillum de cætero judicium præstitit. causa utrimque dicta, quum accusator & reus ex numero judicum quinos Senatores, totidem Equites & tribunos ærarios rejecissent, unus & quinquaginta sententiam tulerunt: absolverunt tredecim; cæterorum omnium suffragiis damnatus est.

Clamor Clodianorum. Velleius. Diod. Sueton. Ascon.

XLI. Quidquid de vulnerato Clodio fuisset, occisum jussu Milonis constabat: ejusque notam audaciam reprimenda videbatur: præsertim quum in ipso etiam judicio non remitteret spiritus, tonsus nitidusque, sicco vultu, constanti voce sui que deque periculum suum habere visus. ferunt tamen *Catonis palam lata sententia eum esse absolutum, idque si fuisset aliquanto maturius factum, non fuisse defuturos* putant, *qui exemplum sequerentur*. Damnatum autem opera maxima App. Claudii pronunciatum est, à quo & lege ambitus apud Torquatum postero die postulatus, damnatus est absens. cæteris etiam judiciis, pluribus enim factus reus, fuerat tristem abstulisse sententiam reperio; de sodalitiis apud M. Favonium; de vi apud L. Fabium.

Milo pluribus judiciis damnatus. Plutarch.

XLII. Igitur intra paucissimos dies Massiliam exsilii caussa profectus est. Ubi quum orationem Ciceronis, quæ postea conscripta est, missam ad se legeret, dixisse dicitur; *Bene, quod ita non sum defensus in judicio: nunc enim tantos mullos Massiliæ non ederem*. Bona damnati propter æris alieni magnitudinem semiuncia vænierunt. sestertium enim debuisse dicitur septingenties, quod ad summam accedit nostratis pecuniæ vicies centena thalerorum Imperialium millia: adeo novum non est, ut plures summæ fortunæ speciem alienis, quam suis facultatibus sustineant.

Massiliam in exsilium abit: Ascon. Plutarch. Cic. Philip. 2. 7. Velleius.

XLIII. Post Milonem M. Saufeius M. F. postulatus est, qui dux expugnandæ apud Bovillas tabernæ, occidendique Clodii fuerat. Ille tamen, licet peior eius caussa quam Milonis esset, bis adductus in judicium, semel lege Pompeia; iterum Plautia de vi, quam tum quæstionem M. Considius exercebat, absolutus est. Damnatione Milonis satisfactum erat publicæ indignationi, locusque iterum apertus, inveterato hominum in Clodianam improbitatem animo. Igitur & Sex. Clodius, qui auctor inferendi in Curiam cadaveris fuerat, magno consensu damnatus est. Alii præterea multi caussis diversis eamdem sortem subierunt: ex quibus maxima pars Clodianorum fuit, propter incendium Curiæ. quo crimi-

Clodiani multi damnantur. Cic. pro Milone cap. 5. Ascon.

Pompejo prorogantur Provinciæ.

ne Plancus etiam, Rufusque simul potestate abierunt, condemnati sunt.

Pompeius legum suarum subversor. Diodorus. Auctor. de 1a. ill. cor. e loq. 38. 2. Cic. Brut. cap. 94. & de fin. 4. 10.

XLIV. Rufum alius Rufus damnavit, M. Cælius Orator: Plancum nobilior adhuc Orator M. Cicero, iratus ab eo se oppugnari, quem defenderat. Sed id quidem judicium omnino singularis exempli fuit. Quippe Pompeius legum quas ipse tulerat subversor, ut eriperet reum, incredibili contentione incubuerat. Sed accusatoris diligentia, & constántia judicum, superior potentissimi viri studijs fuit. Jam primum M. Cato, quum missa à Cn. Pompeio laudatio legeretur obturatis auribus, recitari prohibuit: indignans legem tam recentem, & ab ipso auctore violari. Et quamquam rejectus à reo, præjudicio lædebat: quod virum justissimum nemo rejecturus, nisi nocens videbatur. præterea quia jam damnata in C. Rufo eadem caussa fuerat: judices ne servi esse Pompeii dicerentur, contra tantas opes, ejus, à quo ipsi lecti erant, reum condemnarunt.

Iniquus & inconstans: Diodorus. Plutarch. Ascon. Velleius.

XLV. In ambitus quoque judiciis notata Pompeii iniquitas & inconstantia fuit. Duo competitores Milonis qui fuerant, Q. Metellus Scipio, P. Hypsæus postulabantur. Hypsæus egressum balneo Pompeium prostratus ad pedes, quum rogasset; reliquit jacentem, hoc tantum responso: *Nihil enim aliud agere, quam ut convivium suum moraretur*. Sic ille quidem damnatus est. At pro socero suo Scipione venire in Forum, & coram rogare judices non erubuit, veste quoque mutata. quod & nonnulli judicum imitati sunt. Id ubi C. Memmius vidit (is spe secundum legem Pompeiam recuperandi quæ damnatus ipse nuper amiserat, Scipionem accusabat) Reipublicæ statum invidiose miseratus, accusatione destitit.

Pompeius collegam adsumit. Plutarch. Catone cap. 70. Appian. lib. 2. Civil.

XLVI. Erat ea res quum per se parum probabilis; tum etiam inter tot illustrium virorum ruinas, magis eminebat impunitas unius. Multi enim & alii per idem tempus damnationem passi erant; & inter hos M. Scaurus. Pro Scauro quum populus deprecaretur, per præconem Pompeius edixit, *judicum sententiam exspectari oportere*: deinde, quum sic quoque accusatoribus molesta multitudo esset, Pompeiani milites immissi, audacissimo quoque interfecto, ut damnari tuto reus posset, effecerunt. Quum inter hæc anni pars magna præterlapsa esset, Pompeius socerum suum Scipionem, mense Sextili, collegam in reliquum tempus Consulatus adsumpsit.

Pompeio prorogantur provinciæ. Ascon. Cic. pro Milone cap. 24.

XLVII. Is Scipio Corneliæ gentis erat P. Nasicæ filius. sed adoptione Q. Pii transierat in Metellorum domum. eoque interdum quolibet istorum nominum, & quoties plura exprimerentur, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio vocabatur. Quum hæc ita essent a Pompeio gesta, ut exceptis quæ retulimus, virtute illius res Urbanas vel inimicorum testimonio commodiorem in statum pervenisse constaret: prorogatæ sunt ei in aliud quinquennium provinciæ: & stipendii ducenties, quadragies in singulos annos attributum. Nec puduit eum accipere, quum sub idem tempus ex Senatusconsulto *de provinciis* legem ferret, *non ante quintum à gesto magistratu annum cuiquam decernendis*

Leges tantum invalidos constringunt.

XLVIII. Scripserat & de Comitiis legem, *ne cujus absentis ratio in petendo magistratu haberetur*; sed quum ea res amicos Cæsaris mirifice offenderet, addidit: *præterquam si quis nominatim exceptus esset*. Igitur, ut fit corrupta Republica, legibus invalidi tantum coërcebantur; potentium cupiditates nullis adstrictæ vinculis erant. & Pompeius, quæ optabat, sumebat; & neque Cæsar deerat sibi, quo minus opum suarum securitati prospiceret. Qui nuper erant

Pom-

Pompeii legibus damnati, quum exsulare cogerentur, ad Cæsarem confugerant, ipsumque peti iisdem illis cassibus inculcabant,

XLIX. Cæsar, uti solebat, illorum voluntate magnis congiariis auctorata, de Pompeio quidem honorifice loquebatur: cæterum per amicos eum Tribunis plebis agebat, *ut absenti sibi petere Consulatum liceret*. In ea tota caussa talem se Pompeius gerebat, ut simulare magis amicitiam cum Cæsare, quam præstare videretur. Nam in Senatu, quum M. Cato perpetuus legum defensor, venire Cæsarem ad comitia juberet; restitit aliquando Pompeius, amicisque Cæsaris, eximia viri merita respici orantibus, adsensit. Sed acrius instante Catone, tamquam argumentis victus, conticuit. Obtinuit tamen Cæsar quod petierat; inter ceteros Cicerone adjuvante, qui M. Cælium ei adjunxit, Tribunum plebis, etiam a Pompeio rogatus. Cæsar absenti sibi petere Consulatum licere postulat. Ascon. & Porph. in Horat. Satyr. 1. 2. Varro apud Agell. 17. 18.

L. Igitur ea de re ad populum à decem Tribunis plebis concorditer latum est. Quum ita crebritate judiciorum & novis legibus omnia streperent; Q. Scipio Consul Censoriam potestatem, abrogata Clodia lege restituit: haud magna utilitate civitatis. Quia enim proximis annis sublata animadversione Censoria, multi & in Senatorio & in Equestri ordine maculosi homines manserant; quos simul aggredi periculosum, relinquere turpe erat futurum; quanto quisque prudentior vir erat, tanto magis à petitione honoris ejus abhorrebat. Sed & auctor restituendæ Censuræ talis erat, ut vix exsistere posset alius nota dignior. Sub idem enim tempus ad Gemellum Tribunitium viatorem in convivium venit, à quo & Tribuni quidam (haud dubie illi quos Scipioni favisse supra ostendimus) invitati fuerant. Censoria potestas restituta. Ascon. Diodorus. Val. Maxim. 7. 8. 1.

LI. In eo convivio Gemellus Scipioni & Tribunis duas illustres matronas à patribus & viris abductas, itemque nobilem puerum Cn. Saturninum nefarie prostituit. Interea Cæsar, quum & motus Urbanos satis ex sententia sua compositos accepisset, & crebris suorum nunciis excitaretur, in Transalpinam Galliam ex Italia profectus est. Galli, Cæsarem civilibus discordiis distineri putantes, propemodum universi rebellaverant, Carnutibus Arvernisque auctoribus. Genabi (nunc Aurelianum appellant) Romani negotiatores à Carnutibus interfecti sunt. Arvernos, deinde horum ope Senones, Parisios, Pictones, aliosque complures populos Vercingentorix commovit. Gallorum rebellio. Cic. Philipp. 1. 6. Acad. quæst. 4. 21. Plutarch. Cicer. cap. 50.

LII. His deinde continuo Biturigas adjunxit, cum parte exercitus in fines illorum profectus. Nam à Romanis defendi nequiverant: & ab Æduis, qui cum exercitu eo venerant, metu an perfidia incertum, omissa res, reductaque domum copiæ fuerant. Etiam Lucterius Cadurcus, à Vercingentorige missus in Rhutenos, eam civitatem, prætereaque Nitiobriges & Gabalos conciliaverat & erumpere in provinciam Romanam cogitabat. Idcirco Cæsar nihil antiquius habuit, quam ut Narbonem, Tolosamque & reliquas circa urbes confirmaret, præsidiisque opportune dispositis hostem submoveret. Vercingentorigis gesta. Cic. pro Milone cap. 1. Ascon. Diodorus.

LIII. Id ubi feliciter & cito effectum est, Cebenna monte transito in fines Arvernorum pervenit: majore terrore hostium, quanto improvisior adventus fuerat. Quippe durissimum erat anni tempus, quo tantis tegi nivibus Cebenna solet, ut vix expeditis & singulis eo tempore anni sit superabilis. Quod tamen nondum satis ad bellum virium habebat, biduo moratus, quò Vercingentorigem Et Cæsar occurrit. Diodorus. Ascon. Plutarch.

ex Biturigibus attraheret; summa celeritate Viennam, deinde per fines Æduorum in Lingones contendit. Inde ad reliquas legiones misit, atque ita ex distantibus hibernis contracto exercitu, Vellaunodunum movit; iter aperturus in Boiorum fines, quorum oppidum Vercingentorix oppugnabat.

Genabum expugnat. Cic. pro Milone cap. 34. Ascon. Vellei. 2.47.5. Diodorus.

LIV. Vellaunoduno Senonum intra triduum recepto; Genabum exercitus ducitur. Genabenses, quod diutius ad Vellaunodunum pugnatum iri putaverant, imparati ad resistendum, noctu trans Ligerim tentarunt fugam: sed Cæsar duas legiones, quas paratas in hunc usum tenuerat, incensis portis, oppidoque occupato; paucis elapsis, ceteros omnes redegit in potestatem, quod angustiæ pontis & itinerum fugam morabantur. Oppido propter crimen occisorum civium Romanorum incenso, præda militibus concessa, Ligerim Cæsar transducit exercitum, in Biturigum fines. Noviodunum in ea via situm erat. quod oppidum quum dederetur, jamque pars obsidum esset tradita, Vercingentorix adfuit; qui Cæsaris audito adventu, Boios oppugnare omiserat.

Noviodunum deditione capit. Plin. 36 15. Ascon. Diod. lib. 42. Val. Maxim. 4.2.7.

LV. Hujus procul viso equitatu, Bituriges Novioduni incolæ denuo clauserunt portas. Interea Cæsar equestri prælio commisso, postquam suos urgeri videt, Germanos equites circiter quadringentos, quos habere semper circum se consueverat, impetum facere jubet. ab his Galli funduntur fuganturque. Oppidani eventu pugnæ conspecto, auctores recipiendorum armorum vinctos adduxerunt ad Cæsarem, seque ei dediderunt. Inde Cæsar Avaricum movit: tum quoque Biturigum caput, quorum de nomine postea *Bourges* appellatum est. At Vercingentorix convocato suorum consilio, *non esse aliam spem victoriæ* docet, *nisi ut inopia pabuli, frumentique Cæsar maceretur. id autem obtineri nullo pacto posse, donec stent tot oppida, quæ nec defendi omnino queant, & sint quasi totidem Romanorum horrea, unde, ut quodlibet eorum ceperint, in multos dies alimenta sumant.*

Galli sua ipsi oppida incendunt. Cic. Famil. 7.5. Plutarch. Cic. cap. 34. Tacit. 3.28.1.

LVI. Ita persuasum est Gallis, ut non modo vicos & agrestia ædificia, sed etiam oppida sua ultro incenderent: quorum uno die tantummodo in Biturigum civitate amplius viginti deleta sunt. Avaricum tamen ne cremaretur, Biturigum precibus datum est, dissentiente primo, deinde concedente Vercingentorige. majore tamen præsidio delectorum muniri placuit. Interim Gallicus equitatus incensis ædificiis, Romanos inopia rerum necessariarum premere satagebat; & frumentatum pabulatumve euntibus insidiabatur. Sed Cæsar tametsi his incommodis non leviter fatigabatur, strenue oppugnationem urgebat.

Cum Cæsare Avaricum pugnant. Plutarch. Catone cap. 71. Plutarch. Pompeio, cap. 93.

LVII. Ceterum à magno hominum numero, situ atque opere munitum oppidum haud ægre defendebatur. donec immenso labore militum, diebus quinque & viginti agger factus est pedes trecentos triginta in latitudinem patens, erectus in altitudinem pedum octoginta. Sed & hunc suffossum cuniculo succenderunt Galli; & eruptione facta cum Romanis à tertia vigilia, usque ad redditam lucem conseruerunt manus. Neque prætermiserim, quod a se visum Cæsar memoriæ tradendum putavit.

Mira Gallorum audacia. Diodorus. Appianus. lib. 2. Civil. Val. Maxim.

LVIII. Ut maximam Romanorum turrim incenderent Galli, per manus sevi ac picis tradebant glebas, quas acceptas qui proxime ardentem jam ignem stabat, ad augendum incendium injiceret. Sed hic Scorpione à turri ictus concidit. ergo jacentem transcendit alius, ut idem munus perficeret. hunc etiam

celo dejectum excepit tertius, & tertium quartus: neque vacuus relictus est locus, priusquam omni ex parte finis pugnandi fieret. Quum à Romanis defensa opera essent, propugnatores consilio Vercingentorigis relinquere locum voluerunt: sed fœminarum conclamatione atque etiam vocibus prodita Romanis fuga est: ut qui misericordia suorum non potuerant, saltem suo periculo absterrerentur. At ea res omnibus exitio fuit. Sequenti enim die, quum exorta pluvia Romanos ab oppugnatione in castra reverti coëgisset; Gallique velut defuncti periculo, domos abirent: Cæsar dispositas legiones subito vim facere ad muros jussit.

LIX. Ita quum vineæ, quas in occulto habuerat expeditas, celeriter admoverentur: & hostilium machinarum amenta nervique pluvia resoluti languerent, oppidum vi captum est: homines, citra discrimen sexus ætatisque cæsi. De quadraginta millibus, vix octingenti, ad castra quæ in proximo, sed locis tutis, Vercingentorix habebat, evaserunt. Inde Gergoviam itum est, in altissimo monte positum Arvernorum oppidum. Sed amnis Elaver prius erat transeundus, cujus pontes omnes Vercingentorix abruperat: & ne transeundi spatium Cæsari concederet, ab altera semper ripa è regione Romanorum castra metabatur. Avaricum expugnatur. Fragm. Capit. Appianus. Diodorus.

LX. Tandem Cæsar sylvestri loco positis castris, postridie cum viginti cohortibus occultus eodem loco substitit: cæteras copias cum impedimentis, quemadmodum prioribus diebus omnibus facere consueverat, dimisit. Hostes movisse cum toto exercitu Cæsarem arbitrati, suo more insequuntur. Ut enim falleret non totas legiones, sed quartas quasque cohortes retinuerat: ita constabat legionum numerus, & diductis ordinibus species prioris multitudinis non ægre efficiebatur. Ita Cæsar digressis hostibus, subitario opere pontem refecit: militesque transduxit; eademque nocte progressas reliquas copias revocavit. Cæsaris stratagema in transeundo flumine. Cic. Famil 8. 9. Appian. Cæsar. de bello Gallico 7. 6.

LXI. Quintis deinde castris ad Gergoviam ventum. eodemque statim cum omnibus copiis Vercingentorix accessit. Quum hic locorum situs esset, ut in plano castra metatum Cæsarem, ex superioribus locis Galli plurimum infestare, Cæsar vicissim nocere iis nihil posset; collem è regione urbis situm, noctu dejecto præsidio Arvernorum, occupavit: unde ad cætera quoque castella, urbemque ipsam aditum pararet. Sed eum ab hoc conatu, solicitati à Vercingentorige Ædui abstraxerunt. Auxilium ab his postulaverat Cæsar decem millia. His ut præficeretur ipse, fratresque ejus cum aliis principibus ad Cæsarem præmitterentur, Litavicus curaverat: Arvernorum partes animo propositoque amplexus. Hujus astu iter facienti exercitui, quidam velut evitatis Romanorum insidiis occurrunt; principes suos interfectos Cæsaris jussu nunciant: ipse convenientem fraudi orationem habet. Auxiliares Ædui deficiunt à Cæsare. Diodorus. Appianus. Sueton. Cæsare 27.3. Liv. Epitom.

LXII. Ita concitati milites, continuo cives quosdam Romanos, qui una faciebant iter, interficiunt: rem eam dimissis tota civitate Æduorum nunciis Litavicus vulgat: mendacium de principibus occisis repetit: hortatur *ut vindictam quisque hoc exemplo sumat, quod exercitus jam edidisset*. Hæc ubi media fere nocte Eporedorix, quem interfectum Litavicus finxerat, ad Cæsarem detulisset: permotus magnitudine rei statim legiones quatuor omnemque equitatum eduxit, ut Æduis in itinere occurreret. Ubi in conspectum venerunt, Fraude duci a Litavici. Sueton. Appianus. Cic. Attic. 7. 1.

equitatu obiecto, qui progredi eos vetaret, Eporedorigem & Viridomarum quos illi putabant interemptos, appellare, suos jubent.

ed à Cæsare recipiuntur. Cic. Famil. 2. 22. Diodorus.

LXIII. Ergo Ædui fraude Litavici cognita, projectis armis, fidei, Cæsaris se permiserunt. Litavicus cum clientibus Gergoviam profugit. Ad civitatem Æduorum nuncii de his rebus ab Cæsare mittuntur. interea castra Cæsariana totis viribus oppugnaverant Galli; multosque Romanorum vulneraverant: putabanturque postridie redituri fuisse, nisi celeri reditu. Imperatoris essent ab hac spe dejecti. Sed Æduorum vulgus, & qui Gallicarum partium inter principes erant, partim temeritate, alii ne esset sibi dicenda proditionis caussa, ad primum à Litavico nuncium cives Romanos occidere, bona diripere, alios qui se defendebant, oppugnare atque obsidere cœperant.

His cognitis Æduorum civitas fluctuat. Val. Maxim. 9. 6. 2.

LXIV. Mox ubi suos milites teneri à Cæsare didicerunt, ut hos recuperarent, decretum fecerunt, *uti de bonis direptis quæstio haberetur: Litavici & fratrum bona publicarentur. legati satisfactum Cæsari mitterentur.* Cæsar legatis benigne respondit, ne alieno tempore potentissimam civitatem irritaret. Nam desperata Gergoviæ expugnatione, quemadmodum citra dispendium exercitus aut famę discederet, cogitabat. Attamen inter eas cogitationes aliquando hostium castra propemodum vacua conspicatus, quod ii ad certum communiendum locum milites eduxerant; parum à capiendo oppido abfuit.

Cæsar à Gergovia prope capta rejicitur. Cælius in Ciceron. Famil. 8. 14. Cęsar de bello Gallico 7. 6. Liv. Epitom.

LXV. Nam celeri impressione tria hostium castra cepit: prosequentibus victoriam spe prædæ Romanis, nonnulli muros oppidi conscenderunt. Sed propter summam iniquitatem loci, quemadmodum Cæsar prævideraț, facile rejecti detrimentum acceperunt: centurionibus sex & quadraginta, manipulariumque promptissimis amissis circiter septingentis. Cæsar hoc accepto incommodo, castigatisque simulatque in posterum confirmatis militibus, id tantum moratus, donec timoris opinionem repelleret, instructa acie copiam pugnandi hostibus per triduum fecit. Deinde quum à Vercingentorige tantum equitatus emissus, iisque levi prœlio iterum repulsus esset; quemadmodum constituerat, obsidione relicta, profectionem in Æduos instituit.

Ædui publice deficiunt. Plutarch. Cæsar cap. 37. 38 Diodorus. Cæsar.

LXVI. Quum ad flumen Elaver venisset, Eporedorix & Viridomarus commeatum petunt: *intelligere se ad commovendam civitatem Litavicum cum omni equitatu in Æduos profectum: opus esse sua præsentia, ut in fide contineant cives.* Ita dimissi postquam Noviodunum venerunt, ad Ligerim positum Æduis nominis oppidum, aperte desciverunt: nunciis suorum & præsente præda incitati. Quippe Noviodunum Cæsar obsides è tota Gallia, frumentum, pecuniam, impedimentorum partem, & coemptos in Italia ac Hispania equos contulerat. Igitur comperto Litavicum Bibracte, præcipuæ potentiæ oppido receptum; & principes civitatis ad illum venisse; publico nomine legatos ad Vercingentorigem mitti: occisisque qui Novioduni erant Romanis, equos & pecuniam inter se dividunt; obsides deducendos Bibracte curant: oppidum incendunt: commeatus quod asportare non poterant, in flumen projiciunt. Quum ita omne nomen Æduum defecisset; prorsus redintegratum bellum videbatur: quod victorias Cæsaris & detrimenta Gallorum, his adiuncta opulentissima civitas haud difficulter adæquabat.

FINIS LIBRI CVII.

JOH. FREINSHEMII
SUPPLEMENTUM
Libri CVIII. LIVIANI.

L. Annæi Flori Epitome Ejuſdem Libri.



. Cæſar Gallos ad Aleſiam vicit, omneſque Galliæ civitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Caſſius quæſtor M. Craſſi Parthos, qui in Syriam tranſcenderant, cecidit. In petitione Conſulatus M. Cato repulſam tulit; creatis Conſulibus Ser. Sulpicio, & M. Marcello. C. Cæſar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter Conſules, de ſucceſſore C. Cæſari mittendo, agente in Senatu M. Marcello Conſule, ut Cæſar ad petitionem Conſulatus veniret, quum is lege lata in tempus Conſulatus Provincias obtinere deberet, reſque à M. B bulo in Syria geſtas, continet.

Labieni periculum. Diod. lib 40. Oroſius.6.11. Cæſar.

QUUM inter hæc Labienus, relicto Agendici præſidio, cum legionibus quatuor Lutetiam Pariſiorum occupare ſtatuiſſet; diſperſa celeriter omiſſæ ad Gergoviam obſidionis fama, defectioniſque Æduorum, magnum ei periculum præter exſpectationem creavit. Nam præter finitimas civitates, quæ Camulogeno Aulerco duce magnas copias paraverant, ab alio latere Bellovaci, quorum præcipua erat inter Gallos virtutis opinio, repente deſciverunt. Idcirco Labienus omiſſo longius progrediendi conſilio, quemadmodum copias incolumes Agendicum reduceret, agitabat. Sed huic propoſito duo maxime obſtabant, Sequana magnum flumen; & qui cum Camulogeno erat, hoſtium exercitus. Audendum erat tamen, quod eſſet ſpes omnis in celeritate poſita; & ſi contarentur, plures difficultates, majoraque pericula adfutura apparebat..

Vercingentorix Gallorum Imperator. Oroſius. Diodorus. Cæſar. Plutarch. Cæſare c. 39.

II. Tranſductis nocte copiis, quum hoſtes prohibituri ſerius adveniſſent, ſignis collatis dimicatum eſt. Romani magna cæde hoſtium, duce etiam oppreſſo Camulogeno, ferro aperuerunt iter. profectuſque Agendicum Labienus, inde cum omnibus copiis Cad æſarem pervenit. Interea vocatus ab Æduis Vercingentorix ad communicanda conſilia venerat, & quia de ſumma imperii controverſia erat ab Æduis mota, totius Galliæ concilium Bibracte indictum eſt. Ibi conſenſu omnium Vercingentorix Imperator conſtitutus, equitum millia quindecim contrahit: ut frumentationibus pabulationibuſque Romanos arceret.

Vincitur equeſtri prœlio. Liv. Epitom. Cæſar. Plutarch.

III. In Allobroges, itemque altera ex parte in Helvios alioſque Cæſaris ſocios copias mittit, quæ his bellum inferant. Cæſar interclufis omnibus in Provinciam & Italiam itineribus, adverſus Gallicum equitatum, auxilia Germanorum trans Rhenum colentium evocat, ab iis civitatibus quas ſuperiore anno pacaverat. Hi ubi cum delectis peditibus una prœliari ſolitis adfuerunt, quod equos parum idoneos habebant; Cæſar iis ſumptos à tribunis militum equitibuſque

Romanis distribuit. & quo provinciæ facilius opem ferre posset, in Sequanos per extremos Lingonum fines proficiscitur. Hæc agenti supervenit cum ingentibus copiis Vercingentorix; & quum tribus locis equestri prœlio dimicatum diu fuisset, tandem virtute Germanorum vincit Cæsar; multisque hostium interfectis, principibus aliquot captis, Vercingentorigem ad Mandubiorum oppidum Alesiam cedentem insequitur.

Nec sine periculo Cæsaris. Servius ad Æneid. 11. Cæsar.

IV. Sed principium ejus pugnæ durum Romanis fuerat: suspenderuntque Arverni in sanctissimo templo *gladium*, quem *de Cæsare tum captum* dicebant. Feruntque *postea Cæsarem conspectum eo adrisisse, amicisque detrahi jubentibus, non paruisse, quod sacrum illum esse duceret*. Quin & in ephemeride sua prædicasse Cæsarem accepimus *felicitate suā, quod captū in prælio Gallus quum in equo portaret, dimiserit, propter occurrentis alterius Galli vocem, insultantis Cæsari, eaque verba Latine credo proferentis, quæ Gallorum lingua dimitti Cæsarem juberent*.

Vercingentorix. Alesiam defendit. Diodorus. Orosius Florus 3. 10. 24.

V. Ad Alesiam deinde iterum equestri prœlio certatum est; ubi par Germanorum virtus Cæsari victoriam denuo dedit. Ergo Vercingentorix, postquam equitatum suum Germanis imparem videt simul frumenti paucis diebus inopiam veritus, priusquam à Cæsare circumvalleretur, equites omnes à se dimittit mandato, *ut suam quisque civitatem excitaret, & omnes qui ferre arma possent, præsto esse cogeret*. Ipse cum delectis octoginta millibus ad urbem defendendam substitit. & quo tantæ multitudini diutius alimenta suppeterent, Mandubios qui oppido suo eos receperunt, cum liberis & uxoribus exire coëgit.

Galli succurrunt obsessis. Orosius. Diodorus. Cæsare Diod.

VI. Sed illos Cæsar quum ultimis precibus in servitem recipi orarent, non admisit: ita inter urbem ac castra conclusi derelictique, miserabili morte consumpti sunt. Interea Galli, audito quo apud Alesiam loco res esset, non uti Vercingentorix censuerat, omnes puberes, sed certum è civitatibus numerum contrahunt: equitum circiter octo millia, peditum ducenta quadraginta. Postquam hic ad Alesiam exercitus venit, rursum equestri prœlio certatum est. neque tum etiam Germanis resistere Galli potuerunt. Igitur prope desperationem adducti hostes eruptionem tentare statuerunt dum: eodem tempore munitiones Romanorum à cæteris oppugnantur.

Vercingentorigis deditio. Cæsar. Plutarch. Cæsar. cap. 37. Polyæn.

VII. Sed ea fuit Cæsaris ad omnia consilii celeritas, eaque peritia; ut quoslibet hostium conatus efficeret irritos. Quum interfecto maximo Gallorum numero, reliquos è conspectu abstulisset fuga; convocato suorum concilio Vercingentorix, *omnia se bona fide fecisse* demonstrabat, *quo publica libertas sarta tecta foret: sed quoniam vi vincantur, offerre se corpus suum ad utramlibet conditionem, sive morte sua satisfacere Romanis; sive dedere vivum malint*. Quum deditio placuisset, sumptis speciosissimis armis eximioque equo, venit in castra Cæsaris, sedentemque circumvectus, dimisit equum; phalerisque & armis ante victoris genua projectis, eodem & ipse accidit, nulla voce edita, sed gestu supplex. Cæsar commemorato *quantis suis beneficiis quam malam ille gratiam retulisset; in vincula conjici* jussit, *triumphoque servari*.

Galli, præter Bellovacos, pacem petunt. Cæsar. Orosius. Florus.

VIII. Omnibus deinde civitatibus, exceptis Bellovacis, de pace mittentibus legatos, res ex suo usu composuit: Arvernisque & Æduis, ut potentissimas civitates præcipuo beneficio adstringeret, viginti millia captivorum reddidit, quum ex aliis populis, singula capita, toto exercitu, prædæ nomine divisisset.

Cato frustra Consulatum ambit.

Propter has res à Cæsare gestas, Romæ supplicatio dierum viginti decretá est. Sub idem tempus irrumpentes in Syriam Parthos C. Cassius, qui M. Crassi Quæstor fuerat, feliciter repulit.

Cassius Parthos vincit. Florus. Plutarch: Diodorus.

IX. Hic, adhuc vivo Crasso, delatum sibi in Mesopotámia imperium, nec receptum, post mortem Imperatoris necessario receperat: Antiocho quodam concitante Syriam, & Parthis, quasi nudatam duce & exercitu provinciam incurrentibus. Sed ea ipsa fiducia saluti Romanis & Syriæ fuit. Quippe velut ad facile bellum modica cum manu Parthi venerant: unde major militibus animus accessit; Cassiique diligentia & virtute rejectus cum clade hostis est: Antiochus interfectus. Sub idem tempus è Græcia nunciatum est, *inter ipsa solemnia ludorum, Olympii Jovis statuam, admirandi operis, fulmine petitam percussamque esse.*

Cato Consulatum petit. Cæsar. Liv. Epitom. Diodorus. Orosius. 6.13

X. Hic etiam annus Consulatus tres candidatos habuit: sed quanto meliores viri erant, tanto civilius magistratum petebant. Ser. Sulpicius Rufus, M. Claudius Marcellus erant: quibus tertius accesserat M. Cato; non honoris cupidine, sed Reipublicæ cura adductus ad petendum. Eo enim procedi videbat, ut Pompeii Cæsarisque supra modum auctæ opes, sive concordes opprimerent Rempublicam; sive dissidentes, bellis civilibus involverent. Ut igitur nimiam horum potentiam destrueret quia privatus frustra contenderat, Consulatu sibi opus esse rebatur. Nec tamen irascebatur competitoribus, & quum *taxari Sulpicium* audisset, *quod Catonis amicitia provectus, ei tamen cedere recusaret; non est mirandum*, ait, *si quod summum quisque bonum esse existimat, id alteri nolit concedere.*

Sed repulsam fert. Eusebius Chronico præperat. Evangel. lib. 6.

XI. Senatui tamen persuasit, *ut tolleret morem, quo propinqui & amici petitoris pro eo ambibant prensabantque; juberetque quemlibet candidatum per se tantum petere.* Sed eam rem populus indignanter tulit; *omne suum jus à Catone eripi* questus: *qui lucrum ex petitionibus nuper ademisset; nunc etiam accisa rogandi populum consuetudine, honorem & gratiam.* Idcirco quum & amici Cæsaris ac Pompeii populum ei inconciliarent, (semper enim mali viri diffidunt bonis) & Cato minime factus ad ambitum, gravitate magis & integritate in petendo, quam precibus & blanditiis uteretur; repulsam tulit: Sulpicius Marcellusque designati sunt; ille peritia juris, hic eloquentia; uterque comitate, favorem hominum meritus. Postquam hi Consulatum iniverunt, C. Cæsar domitis subita impressione Biturigibus, deinde Carnutum gente, in Bellovacos venit.

Urb. cond. an. 702. Cæsar Bellovacos aggreditur.

Illi se castris tenent. Plutarch. Catone. cap. 63. Diodorus.

XII. Cum his Ambiani, Aulerci, Calletes, Velocasses, Atrebates conjunxerant copias, Correo Bellovaco, & Comio Atrebate præcipuis ducibus: & locum paludibus sylvisque munitum, & ad omnia opportunum, castris ceperunt. Hos ut ad pugnandum eliceret Cæsar, cum quator tantum, sed spectatæ virtutis legionibus in conspectum venit. Deinde quum illi nihilominus loco se suo tenerent, & præter levia certamina fieret nihil; quia neque castra hostium oppugnari sine maximo periculo, neque circumveniri à tam paucis poterant; C. Trebonium cum tribus legionibus arcessit, magnumque sociorum equitatum evocat, quem pabulatoribus præsidio mitteret.

Donec obsidionis metu coguntur proficisci.

XIII. Ex eo numero Rhemi Bellovacorum insidiis circumventi, Vertisconem principem civitatis, eumdemque præfectum equitum cum magna multitu-

Diodorus. Liv. Epitom. Cic. Bruto. cap. 71.

dine suorum amiserunt. Vicissim tamen Bellovaci à Germanis equitibus fusi fugatique, quum etiam accedere eum novis copiis C. Trebonium legatum cognovissent; trepidare cœperunt: & ne uno loco inclusa innumerabilis multitudo fame interiret, quidquid ætate aut viribus fessum, aut armis parum instructum aderat, cum parte impedimentorum statuerunt dimittere. Sed Cæsar animadverso hostiū consilio, ad insequendum se parabat: huic rei ut moram adferrent Galli, tutioremque suis discessū præberent, instructas & ipsi copias pro castris ostenderunt.

Eorum stratagema. Orosius. 6. 11. Hirtius de bello Gall. 8. 2.

XIV. Idcirco Cæsar per difficilia loca suis in jugum montis transductis, unde tela tormentorum pertingere ad hostium cuneos possent, castra ibidem posuit. At Bellovaci, quum neque discedere auderent, vicini hostis metu; neque diutius permanere sine cibariis possent: plenum calliditatis consilium capiunt. Mos erat Gallorum ut in acie non starent instructi, sed sederent: quo minus ante prœlium vires consumerentur. Tum etiam fasces stramentorum atque virgultorum, quorum summa erat iis copia, effecerant, quibus insiderent. hos per manus inter se traditos ante primam aciem coacervarunt: & sub vesperam diei, quo tempore se recepturi erant, simul ab omni loco incenderunt.

Insidias Cæsari struit Correus. Orosius. Hirtius.

XV. Quum sublatus maximus ignis esset, isque conspectum Gallorum Cæsari adimeret; ille tamen quid ageretur, solerti conjectura adsequebatur. Sed persequi fugientes tanto objecto incendio non poterat; & ne forte alicubi in insidiis lateret hostis timebat. Bellovaci hoc vafRamento impune digressi, non longius inde millibus decem munitissimo loco castra posuerunt. Quum subsequutus Cæsar esset, Galli locorum adjuti peritia, crebra pabulatoribus damna inferebant; eo successu animosior Correus, delectis ex omni copia sex peditum millibus, cum equitibus mille, quo loco futurum putabat, ut Romani frumentandi caussa accederent, quod omnia circa jam desecta erant, in insidiis consedit.

Sed in ipsum vertuntur. Orosius. Hirtius. Cic. Famil. 8.

XVI. Campus erat haud amplius mille patens passusque quem impeditissimæ silvæ à cæteris partibus, ab una flumen altissimum cingebat. Sed è captivo quodam Cæsar cognita fraude, insidiatorem suo astu periturus, equitatum, interposita levi armatura, præmittit; ipse cum legionibus citato gradu subsequitur. Ubi primum in campo conspecti sunt equites, Correus eum paucis occurrens, conferit manum: deinde plures, postremo pedites ex sylvis erumpunt. Repugnant fortissime Cæsaris equites, levis armaturæ præsidio adjuti: donec crebris nunciis ipsi hostesque certiores facti sunt, Cæsarem eum instructis legionibus adesse.

Correo cæso, Bellovaci deditionem faciunt. Hirtius.

XVII. Eadem res & Romanorum auxit, & hostium fregit animos, & majore parte suorum amissa, Bellovaci in fugam se conjecerunt. Sed irretiti eisdem locorum fraudibus, quas in exitium Romanorum delegerant, paucis exceptis ceciderunt. Dux eorum Correus æque fugam atque deditionem turpem ratus, fortissime prœliari non omisit, donec Romanos, qui vivum capere maluissent, vulnerando, tela in se conjicere coëgit. Hoc prœlio debellatum: missique ad Cæsarem oratores civitatum, obsides quos ille imperaverat, adduxerunt. Pacatis omnibus aliis, solus Atrebas Comius arma retinebat, nulla resistendi spe, sed desperatione salutis, quia nemini se Romanorum audebat committere.

Comius in Britanniam fugit. Orosius. 6. 11. Hirtius.

XVIII. Nam superiore anno sub specie colloquii petitus insidiis, auctore Labieno, vulnere accepto vix evaserat. Cæsar eo bello confecto in fines Eburonum proficiscitur, eosque crudelissime devastat: eo consilio, ut Ambiorigem, quem

capi

Obsideruut Uxellodunum.

capi posse desperarat, in summum odium suorum adduceret, qui propter istius perfidiam atrocia paterentur. Sed Comium in Britanniam fugientem insequutus deprehendere non potuerat, egregio hominis astu delusus. Nam is quum ad Oceanum veniens, ventum quidem secundum, sed æstum recedentem invenisset, & in siccis æstuariis naves hærerent, pandi nihilominus vela jussit.

XIX. Ergo Cæsar, quum eminus tumentia vento videret, jam in cursu esse putans, ne frustra periret sibi tempus, recessit. Interea in Pictonibus, Duracii atque Dumnaci discordia novum bellum ortum. Duracius qui semper Romanarum partium fuerat, in oppido Limono obsidebatur. Igitur C. Caninius Rebilus, duabus quas habebat legionibus adductis, quum ad dimicandum haud satis firmas copias haberet, munito loco consedit. Sed Dumnacus castris per aliquot dies frustra oppugnatis; quum rediisset ad obsidionem Limoni, certior factus de adventu C. Fabii legati, ne hinc ab exercitibus Romanis, inde ab obsessis invaderetur, Ligerim statuit copias transducere.

In Pictonibus bellum ortum. Orosius. Hirtius. Diodor.

XX. Sed jam pontem C. Fabius occupaverat: isque equitatu in nescios & ex itinere fessos immisso, magnam stragem edidit. Cedentem deinde Dumnacum insequutus ita profligavit, ut plusquam duodecim millia hominum conciderentur: Dumnacus expulsus finibus, nudatus exercitu, errans, latitansque in extremas Galliarum partes profugere cogeretur. Ad quinque ferme hominum millia ad Drapetem Senonem ex fuga convenerunt, ex quibus ille Provinciam erat petiturus, adsumpto etiam Luterio Cadurco, summæ audaciæ viro. Igitur Romani duces divisis partibus, C. Caninius in Provinciam contendit, ut his occurreret: C. Fabius in Carnutes reliquasque civitates, quæ auxilia Dumnaco miserant, impetum fecit.

à Caninio & Fabio opprimitur. Orosius. Hirtius. Frontin. Stratagem. 2. 19. 11.

XXI. Atque illæ viribus accisis, terrore aucto, datis obsidibus celeriter in deditionem venerunt. At Drapes & Luterius Uxellodunum in Cadurcis munitissimum oppidum occuparant. Eodem & Caninius cum duabus legionibus procedit, visoque loci situ, tribus circa castris positis, paulatim munitionibus claudere oppidum instituit. Erat in animis omnium recens Alesiæ calamitas: ideoque, ut rei frumentariæ ratio haberetur, Drapes & Luterius, modico in urbe relicto præsidio, cæteras copias frumenti comportandi caussa educunt. Id quum castris intra decimum milliare positis per angustas sylvestresque semitas in oppidum importare cœpissent; strepitu prodente, à Caninio sub ipsam lucem sunt circumventi. Luterius qui cum frumentatoribus erat, cum paucis ita effugit, ut eorum nemo in castra reverteretur.

Uxellodu. in obsidio. Orosius. Hirtius.

XXII. Igitur Drapes, ignarus omnium, subito Germanis irruentibus turbatur: multi occiduntur hostium, cæteri atque in primis ipse dux, capiuntur. Caninius ad obsidionem Vxelloduni redit: eodem & Fabius accedit postridie. ita pluribus ex partibus opera administrantur. Interea Cæsar relicto in Bellovacis Quæstore M. Antonio, Carnutes adiit: concitoremque belli Guturvatum supplicio adfecit. Cognita deinde crebris nunciis Vxellodunensium pervicacia, faciundum sibi statuit, ut ipse eo proficisceretur: ne si unum oppidum diutius restitisset universam Galliam ad vires iterum tentandas solicitaret.

Eodem & Cæsar accedit. Orosius. Hirtius.

XXIII. Postquam Uxellodunum Cæsar venit, inspectisque omnibus, situm loci inexpugnabilem, frumenti copiam in longum tempus oppidanis suppete-

Et aquam p o hibere instituit obsessis.

Uxellodunum Captum à Cæsare.

Orosius. Hirtius.

re, nec omitti rem posse clauso operibus oppido cognovit; unam spem victoriæ in eo verti credidit, si aqua prohibere oppidanos posset. Et flumine quidem, quod imis radicibus montis ita ferebatur, ut nullam in partem derivari posset, per sagittarios funditoresque prohibere non erat difficile: cæterum sub ipsius oppidi mœnibus, fons magnus prorumpebat; quem adimi obsessis posse, quum reliqui tantum optarent, Cæsar unus vidit, remque effectam dedit.

Aliter quodam ingenio. Orosius. Hirtius.

XXIV. Namque ex adverso fontis vineas agi & aggerem strui jussit: & quamquam ex superiore loco multi milites vulnerabantur, tanta tamen constantia fuit, ut agger sexaginta pedum altitudine efficeretur. In eo turrim erexit Cæsar tabulatorum decem. ita non quidem altitudo mœnium adæquabatur, quod nullis obtineri operibus poterat; sed tamen fontis fastigium vincebatur: telaque tormentis ad ejus aditum mitti poterant, ne sine periculo aquaretur. Eodem tempore cuniculi ad fontis caput aguntur; cujus rei oppidani nescii, tantum, quod ob oculos erat malum, formidabant.

Uxellodunensium eruptio. Front. Strat. 3.7.2. Orosius. Hirtius.

XXV. Igitur ut hoc averterent, cupas sevo, pice, ac scandulis repletas, & igne immisso, in opera Romanorum devolvunt. Ibi cum ad prohibendum incendium concursum esset, acre prælium extitit; quum Romanos virtus, oppidanos locus adjuvaret. Sed ubi multos suorum vulnerari Cæsar vidit; ex omni parte scandi montem cum clamore jubet. Ita ad speciem oppugnandorum mœnium Uxellodunenses omisso prælio revocant in oppidum armatos, & in circuitu muri disponunt: Romanus iniqua prælii conditione liberatur. In hoc statu, quum oppidani, licet multis sibi pereuntibus, tamen resisterent, repente fons quo solo utebantur, cuniculis interceptus exaruit. Ea res, quod non humani consilii, sed deorum ira accidisse putaretur, velut miraculo exanimavit hostes; deditionemque omni ope destitutis necessitas extorsit.

Cæsar sævit in deditos. Orosius. Hirtius.

XXVI. Cæsar omnibus qui arma tulerant, amputari manus jussit, vitam relinqui; ne pœnam eorum ex conspectu reliquorum amoveret. Nec enim crudelitate, a qua plurimum abhorrebat, supplicium hoc irrogaverat; sed in exemplum, quo cæteri à rebellando retinerentur. Quum enim unam tantum haberet imperii æstatem reliquam, eamque ipsam inimici cuperent eripere; nulla alia ratione rebatur obtineri, quam tantis laboribus quæsierat, pacatæ Galliæ famam posse. consilium Cæsaris solita ejus felicitas adjuvit. Sub idem tempus Luterius, qui novas concitare turbas potuisset, ab Epasnacto Arverno vinctus ad Cæsarem missus est. Drapes aliquot dierum inedia se confecit.

Tota Gallia & Aquitania pacatur. Orosius. Hirtius.

XXVII. Surus virtutis & generis fama nobilis, qui solus Æduorum arma retinuerat; in Treviris à Labieno captus est, equestri prælio, quo & Treviri & Germani Trevirorum socii superati sunt. Tota Gallia pacata, quum nondum Aquitaniam adiisset Cæsar, sed per P. Crassum nonnullas civitates subegisset; eo profectus est, omnibusque legatos & obsides mittentibus, Aquitania universa in fidem accepta, Narbonem rediit: conventuque ibi habito, in Belgas abiit, ut Nemetocennæ hibernaret.

Comius Atrebas in fidem venit. Orosius. Hirtius.

XXVIII. Ibi lubenter cognovit, ne quid deinde turbarum in Gallia moveretur, etiam Comium Atrebatem in fidem venisse. Is enim post factas sibi insidias ad ultionem semper intentus, occasione tandem reperta, arma posuerat. Nam C. Volusenus Quadratus equitum præfectus ad id colloquium, per cujus

ſimulationem Comii mors petebatur, miſſus à Labieno fuerat. Igitur quum hinc magnum inter eos odium intercederet; Voluſenus Comii ſæpe interceptis equitibus, poſtremo capiendi ipſius cupiditate, cum paucis vehementiſſime eſt inſequutus.

XXIX. ibi Comius, longe à ſuis abreptum videns, repente comitum invocat fidem, converſoque equo Voluſenum petit: cæteri ſtrenue ſequuntur ducem: Romani re improviſa territi terga vertunt. Comius Quadrati medium femur lancea trajicit: præfecti vulnus Romanos pudore ſiſtit. Ab his denuo vertuntur in fugam Galli. Hac re perpetrata Comius, ſive quod multos ſuorum amiſerat, ſive dolori ſuo ſatisfactum rebatur, legatos ad M. Antonium miſit, *imperata facturum pollicitus, dum ne Romani cujuſquam in conſpectum veniret*. Antonius, ab juſto metu proficiſci poſtulata Comii ratus, obſidibus acceptis, veniam actorum omnibus qui cum eo fuerant, & ipſi quam petierat, vitandi Romanos facultatem conceſſit.

Pactus ne veniret in conſpectum cuiuſquam Romani. Oroſius. Hirtius. Frontinus. Dio.

XXX. Atque hic bellorum eorum finis fuit, omni Gallia cis Rhenum, atque inter mare mediterraneum, & Oceanum, niſi qua paludibus invia fuit, perdomita. Dum his rebus Cæſar occupatur, M. Marcellus Conſul edictum propoſuit, *de ſumma ſe Republica acturum*: proximoque Senatu de multis rebus contra Cæſaris rationes retulit; maxime *de provincia, quam A. D. Kalend. Martias* jubebat *terminari: Cæſaremque ad petitionem Conſulatus venire. Nam & bello confecto dimitti victorem exercitum debere: & abſentis rationem Comitiis non habendam; quia lege Pompeia, quo capite abſentes honorum petitione ſubmovebantur, ne Cæſar quidem exceptus eſſet.*

Marcelli Conſulis actiones contra Cæſarem. Oroſius. Hirtius.

XXXI. Namque Pompeius, quum Cæſarem excipere nominatim debuiſſet, ſive per oblivionem, ſeu conſulto, Cæſaris mentionem nullam fecerat: & demum lege jam in æs inciſa, & in ærarium condita, correxerat errorem. Item Marcellus de civitate Novocomenſibus adimenda retulit, quam coloniam rogatione Vatinia Cæſar deduxerat: *per ambitionem & ultra præſcriptum datam* cauſſatus. Donata autem jure Latii Novum Comum colonia fuerat: quo jure quæ erant coloniæ, in iis qui magiſtratum annuum geſſiſſet, eo ipſo civitatem adeptus Romanam intelligebatur. Talem aliquem Marcellus nactus virgis cecidit, qua pœna Romæ civis Romanus nullus adficiebatur: juſſitque *Cæſari vibices oſtendere*.

Civitatem adimit Novocomenſibus. Appian. II. Civil. Strab. lib. 4. Plutarch. Dio. Hirtius.

XXXII. Hæc agenti Marcello ſumma ope Cæſar per addictos ſibi Tribunos plebis & Ser. Sulpitium collegam Marcelli reſiſtebat. neque pleriſque cæterorum probabatur, alicui priuſquam tempus lege datum exiſſet, provinciam auferri. Sed & ipſe Pompeius qui ſimulato ad Hiſpanienſes exercitus itinere, tamen in Italia ſubſiſterat; in eadem ſententia fuit. Clam tamen intendit animum, ut exarmaret Cæſarem, & ſtatim atque elapſum imperii tempus foret, privatum in Urbem redire cogeret. Hoc ut facilius adſequeretur, C. Marcellum fratrem patruelem Marci, qui ſimultatem gerebat cum Cæſare, Conſulem fecit: Caiumque Curionem, in locum Servii, qui damnatus poſt deſignationem fuerat, petentem, ut Tribunus plebis crearetur, adjuvit.

Pompeii machinationes contra Cæſarem. Sueton. Diodorus. Cic. Famil. 8. 4. Velleius 2. 48. 5. Appianus.

XXXIII. Plurimum enim præſidii in eo ponebat, ſi adoleſcens nobilis, diſertus, audax, inimiciſſimus Cæſari, Tribunitia poteſtate armaretur. Inter

Curio Tribunus plebis deſignatus.

Cic. Famil. 8. 8. 11. 8. 4. 8. 2. Dio. hæc crebro relatum de Galliis & graviter actum fuerat. A. D. Kal. Sextiles, quum Senatus ad Apollinis haberetur, essetque mentio facta de legione quam Cæsari Pompeius expensam ferebat; itemque de successione C. Cæsaris: Pompeius respondit, *abductum sese legionem eam*: de provinciis placuit, *ut quamprimum ad Urbem Pompeius reverteretur* (Ariminum profecturus ad exercitum erat) *eoque præsente de successione provinciarum ageretur*. Intervenit deinde judicium C. Marcelli Consulis designati, quem M. Calidius postulaverat, competitor ejus, sed repulsam passus, & insuper accusatus à duobus Gallis.

Senatusconsultum de provinciis. Plut. Pomp. c. 94. Cic. Famil. 8. 8. 11. XXXIV. Tandem adsentiente Pompeio, A. D. Prid. Kal. Octobres Senatusconsulta sunt in hac verba perscripta: *Quod M. Marcellus Consul verba fecit de provinciis Consularibus, de ea re ita censuerunt, uti L. Paulus, C. Marcellus Consules, quum magistratum inissent, de Consularibus provinciis ad Senatum referrent: neve quid prius ex Kalendis Martiis, neve quid conjunctim de ea re referretur à Consulibus: utique ejus rei caussa per dies comitiales Senatum haberent, Senatusqueconsultum facerent, & quum ea de re ad Senatum referretur à Consulibus, Equitum Romanorum, qui in trecentis judicibus esset, sex adducere liceret. si quid de ea re ad populum plebemve lato opus esset, ut Ser. Sulpicius, M. Marcellus Consules, Prætores, Tribunique plebis quibus eorum videretur, ad populum plebemve ferrent: quod ii non tulissent, uti, quicumque deinceps essent, ferrent.*

Tribuni quidam intercedunt. Diodorus. XXXV. Adscriptum erat: *Senatum existimare, neminem eorum, qui potestatem habeat intercedendi, impediendi, moram adferre oportere, quo minus de Republica quam primum ad Senatum referri, Senatusqueconsultum fieri possit. qui impedierit eum Senatum existimare, contra Rempulicam fecisse: si quis huic Senatusconsulto intercesserit, Senatui placere, auctoritatem perscribi, & de ea re ad Senatum Populumque referri*. Huic Senatusconsulto intercessit C. Cælius, L. Vinicius, P. Cornelius, C. Vibius Pansa, Tribuni plebis. Item: *Senatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Cæsaris sunt: qui eorum stipendia emerita, aut caussas, quibus de caussis missi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, caussæque cognoscantur.*

Senatusconsultum de Prætoriis provinciis. Hirtius. Sallust. Hist. 7. 1. 14. Sueton. Cæsare 77. 1: XXXVI. Itemque *Senatui placere in Ciliciam provinciam & in octo reliquas provincias, quas Prætorii proprætore obtinerent, eos, qui Prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex Senatusconsulto cum imperio in provincias proprætore mitti oporteret: eos sortito in provincias mitti placere. si ex eo numero, quos ex Senatusconsulto in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur: tum uti quodque collegium primum Prætorum esset, tum deinceps proximi cujusque collegii, qui Prætores fuissent, neque in Provincias profecti essent, in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.*

Parthi in Syriam redeunt. Cic. ad Attic. 8. 3. Liv. Epitom. Sueton. XXXVII. His etiam Senatusconsultis, quum intercessum à C. Cælio, C. Pansa Tribunis esset, auctoritates perscriptæ sunt. Attamen hoc postremum Senatusconsultum lege Pompeia nitebatur: qua etiam eodem anno duo Consulares M. Cicero in Ciliciam, M. Bibulus in Syriam cum imperio missi fuerant. Sed ante Bibulum in provinciam Parthi venerunt. Submoti superiore anno à C. Cassio cum justo exercitu reverterant, Pacoro ducente, Regis Orodis filio, ut nomen

ducis hic haberet; ceterum Osaces adolescentulo custos additus, administraret bellum. Hi quum omnibus in itinere redactis in potestatem Antiochiam venissent; oppugnare urbem ceperunt, magna cum spe, ultro suas ad partes accessuram Syriam, pertæsam Romani imperii & quemadmodum locis, ita moribus Partho propiorem.

XXXVIII. Sed adversus homines oppugnandis urbibus ineptissimos, facile defensa Antiochia est. Et animos Cassio, timorem Parthis M. Cicero addiderat, qui in Amano, quo monte Cilices à Syris discriminantur, re bene gesta Imperator appellatus, transiturus in Syriam credebatur: præsertim quod magnus equitum Parthorum numerus, quum in Ciliciam irrupisset, ab equitibus Ciceronis, & cohorte Prætoria, quam Epiphaneæ præsidii causa collocaverat, erat concisus. Ducebat autem Cicero exercitum non pænitendum, peditum duodecim millia, duo millia sexcentos equites. Præterea firma habebat & prompta sociorum auxilia, quos lenitate imperii amiciores quam fuissent, populo Romano effecerat.

Cicero nisgesta. Appian. lib. 2. Civil. Strab. lib. 4. Plutarch. Cæsar cap. 43.

XXXIX. Etiam Ariobarzanem Cappadociæ Regem præsentibus insidiis liberaverat: Dejotarum autem ita habebat amicum, ut relicto Regno cum omnibus copiis ad eum proficisceretur. Habebat autem is peditum millia duodecim, Romano armatu, equitum millia duo. Rejecti ab Antiochia Parthi, Antigoniam petierunt, quam haud procul inde Philippi filius Antigonus condiderat. Suburbium erat ibi frequentibus arboribus consitum. Id Parthi metu insidiarum ingredi non ausi, succidendis arboribus aperire locum instituerunt. Sed ubi homines huic labori non adsuetos, etiam Cassius adsidue carpebat, relicta & hac obsidione discesserunt.

Parthi ab Antiochia rejecti. Hutius.

XL. Cassius itinere hostium mature cognito, quum per confragosa loca transeundum Parthis esset, omni peditatu in insidiis locato, cum equitibus, quorum habebat haud magnas copias, se ostendit. Celeriter contemptu paucitatis ad pugnam, deinde ad insequendum refugientem moti hostes; priusquam animadvertere quo progrederentur, spes & cupiditas fineret, locis iniquis à peditatu circumventi sunt. Illa clades (nam & magna pars exercitus ceciderat, & ipse dux Osaces paucis post diebus interierat ex vulnere;) expulit Pacorum Syria: diuque post à Parthorum armis, quietam provinciam præstitit.

A Cassio vincuntur. Diodorus. Sueton. Cic. Famil. 8. 4.

XLI. Interim M. Bibulus, quem aliquamdiu in obsidione Parthi habuerant, Antiochiam venit. Atque is quidem quamdiu cis Euphratem fuit hostis, pedem porta non extulit. neque tamen legatis & amicis ac quæstore suo Ciceronem ad subsidium vocantibus ea de re litteras scribere voluit: omnia perpeti malle, quam videri auxilio Ciceronis eguisse præ se ferens. Atque hoc ut malevoli animi; sic quod sequitur, constantissimi moderatissimique specimen fuit Duos simul egregiæ indolis filios amiserat, occisos à quibusdam eorum equitum, qui cum A. Gabinio Ptolemæum in Regnum reduxerant, deinde consederant Alexandriæ.

M. Bibuli gesta. Vellei. 2. 48. Appianus. Cic. Famil. 2. 8. 15. Plutarch. Pompejo. cap. 94.

XLII. Id ille infortunium ingenti animo tulit. Quippe nunciata morte filiorum, postridie processit ad solita munia: posteaque remissos ad se interfectores à Cleopatra, quæ parenti recens defuncto successerat, *intactos reduci* jussit *ad Reginam; addito, potestatem hujus vindictæ non suam, sed Senatus esse debere.* Is igitur Bibulus quum Antiochiam venisset, accepto exercitu; in Amano monte, qui plenus erat hostium sempiternorum, materiem triumphi cepit quærere.

Et constantia in morte filiorum. Stephan. Strab. lib. 16. Front. Strat. 2. 5. 25. Orosius. 6. 13.

Sed contra quam speraverat, res cecidit: amissa cohorte Prætoria, & Asinio Demone, qui primi pili centurio fuerat.

Cicero vexat Amanienses. Cæsar. Civil. 3. 31. Seneca consolat. ad Marciam. 14. 3.

XLIII. Felicior in eodem monte Ciceronis expeditio fuit: nam communem ille cum Bibulo Amanum habebat, aquarum divortiis dividentibus provincias. Magna ille multitudine hostium occisa, Fugeranam, quod erat Amani caput, præterea Sepyram, & Comminorim, cum aliis aliquot castellis cepit. Hinc ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum admoto exercitu, locum munitissimum, aggeribus, vineis, turribus oppugnavit, vallo & fossa cinxit, magnoque labore, post septimum atque quinquagesimum diem, in potestatem redegit. Inde Tibarenos petiit, qui finitimi Pindenissensibus, similiter receperant fugitivos, Parthorumque adventum expectabant.

Ciliciæ res inquietę. Cic Famil. 2. 10. 7. 9. 3. 12. & ad Attic. 5. 20. Cic. Brut. cap. 94.

XLIV. Sed hi obsides dare, quam bellum pati maluerunt. His rebus gestis, per loca dubia aut recens pacata, M. Cicero exercitum distribuit; Quintumque fratrem præfecit hibernis: ipse ad conventus agendos in provinciam profectus est. Jam erant ad Urbem Imperatores duo, qui ex eadem Cilicia triumphare cuperent: Appius Claudius, cui Cicero successerat, & P. Lentulus qui provinciam ante Claudium obtinuerat. A multis enim annis inquietæ ibi res fuerant, vicinitate Parthorum, & ferocibus Cilicum accolarumque ingeniis. Et Lentulus rebus bene gestis, quum ante biennium decessisset, his Consulibus triumphavit. Sed Appius maiestatis reus à P. Dolabella factus, abjecta postulatione Triumphi, Urbem ingressus est. Causam pro eo dixerunt M. Brutus Appii gener, & Q. Hortensius, ille adolescens; hic quarto & sexagesimo ætatis anno, paucis ante mortem diebus. Nec illo solum judicio, sed etiam ambitus postea absolutus, Censuram petiit, Censorque designatus est.



FINIS.